392558

2262 III. 5 J.

392558
III

790

L. 27.
P. 6.
№ 11.

790

CASPARI SCHÜTZII

RERUM PRUSSICARUM HISTORIA

EX CODICE MANU AUCTORIS SCRIPTO EDITA.

GEDANI,
TYPIS ET IMPENSIS THOMÆ JOANNIS SCHREIBERI,
SENATUS ET ATHENÆI
TYPOGRAPHI.
MDCCLXIX.

1763

2w.

CASPARI SCHÜTZII
RERUM
PRUSSICARUM
HISTORIA
EX CODICE MANU AUCTORIS
SCRIPTO
TYPIS ET IMPENSIS THOMAE JOSEPHI SCHMIDERI
TYPOGRAPHI
MDCCLXIX

392558
III

Lodth. 523.

Editoris præfatio.

BIBLIOTEKA ROMANA SANGUSZKI

Inter Prusiæ Hiſtoricos, primus locus jure debetur CASPARO SCHÜTZIO: qui Germanus, Islebiæ, nota in Mansfeldia civitate natus, Vittenberga, ubi ſtudiis operam navavit, anno 1561. Regimontum in Prusſia abiit, ac poſt paucos, ex quo advenerat, dies, liberalium artium Magiſter creatus, ſtudium carminum tam feliciter coluit, ut ſeqventi anno, poëſeos Profeſſor evaderet. Ex hac academia anno 1565 Gedanum, ad curanda publica urbis *Secretarii* titulo negotia accitus, in ea ſtatione cæteroqvin ſatis laborioſa, dubiis, qvæ tum erant, difficillimisqve temporibus, ſumma fide & pari induſtria, triginta annos ad obitum usque, ita verſatus eſt, ut laus quam vita bene promeruit, non intermoritura ſit, dum egregiis factis & bonis litteris ſuus conſta-

conſtabit honor. Inter ſcripta, quæ, quando ab ordinariis laboribus animum remittebat, quaſi otioſus compoſuit, quorumque alia typis vulgata, alia in ſcriniis pasſim ſervantur, *Rerum Prusſicarum Hiſtoria* eminet, quam auctor biennio ante mortem Serveſtæ a. 1592 germanice excudi & 1599 bibliopola Lipſienſis typis Islebienſibus ſuis ſumtibus repeti curavit. Cum vero liber a linguæ germanicæ ignaris legi non poſſet, idque auctori diſpliceret, monitus inſuper ab amicis, latine vertere decrevit, ut omnium gentium eruditis prodeſſet: quod ſuum propoſitum, in ſcriptorum indice ante editionem Serveſtanam pagina ſecunda, publicavit, & poſt ejus mortem, quaſi adhuc viveret, Lipſienſis ille bibliopola iteravit, cum SCHÜTZIUS verſionem, quantum per mortalitatem licuerat, jam abſolviſſet. Orſus enim, quod deſtinaverat, dum pergeret ſtrenue, mors intercedens, cum fine octavi hiſtoriæ libri telam abrupit.

Non periit quanquam nondum peractus noviſſimus labor, ſed ipſius auctoris manu duobus voluminibus ſcriptus, in civitatis Gedanenſis tabularium, in quo publica ſcripta, & ſuperiorum temporum monumenta ſancte cuſtodiuntur, inferebatur: ubi centum & ſeptuaginta annos latuit, & bene latuit, a temporis & hominum injuriis ſatis ſecurus, cujus editionem flagitabant, quotquot ſupereſſe noverant, cum noſtrates, tum exteri. Et inter hos quidem præcipue Galli & Britanni, qui, ut omne genus litterarum tractant, ita res Pruſſorum, quas geſſerunt olim, ſuis vindicant ſtudiis, ut gentis initia & vices ſciant, quacum ab aliquot ſæculis, magno utrinque fructu exercuerunt negotium, & mutua jura intercedunt. Ipſe bene memini, me ab illis ac peregrinis aliis ſæpe interrogatum, annon haberemus ſcriptorem Rerum Prusſicarum idoneum & latinum, ac cum inter ſermonem SCHÜTZIUM, cujus hiſtoria germanice in omnium manibus, ſed latine ſcripta nondum in lucem prodiiſſet, commendarem, indignabundi quaſi quæſiverunt, cur ſcriptor tam egregius & latinus lateret, utque ederetur quamprimum, etiam atque etiam monentes. Poloni, qui non in exterorum numero ſunt, ſed ob æternum cum Prusſis vinculum, & quia cum his uni parent Regi, pro conjunctiſſimis & veluti ejusdem gentis habendi, quia germanica lingua non utuntur, diverſi videntur, SCHÜTZIUM latine legere jam dudum optarunt, ad quem tanquam teſtem clasſicum & quavis exceptione majorem Prusſi provocare conſveverunt, quoties de legibus, regimine, ac deditionis olim Caſimiro Jagellonidæ factæ conditionibus amice contenderetur, ut ſolet inter populos fieri, qui antea ſejuncti, in corpus unum libere & ſua ſponte coaluerunt.

Quo igitur SCHÜTZIANA hiſtoria etiam iis prodeſſet, quibus ſermo germanicus aut non ſatis familiaris aut plane ignotus eſt, noluit Amplisſimus civitatis Senatus, latinam in ſuo tabulario diutius continere, ſed mihi mandavit, ut ſine longiore mora privatorum,

vatorum, quantum fieri poſſet, ſumtibus, typis vulgarem, neque facile mihi mandari potuit, quod ſuſcepiſſem libentius, cum præſtandi daretur copia, quod multorum votis expetitum fuiſſet.

Minime autem exiſtimandum, germanicam & latinam Hiſtoriam inter ſe ita convenire, ut poſterior prioris ſit verſio, & verſio mera. Quamvis enim utraque easdem res pari fide memoret, narrandi tamen modo differunt, ut quæ in una brevior, in altera fuſior ſit; in utraque non eadem ſemper citentur documenta, & quæ in una, cum litteris aliis leguntur integræ, illorum in altera exhibentur ſæpe ſummæ latinæ; quando vetuſtiora tempora deſcribuntur, inſerta nonnulla auctoris carmina, ut ſunt in germanica quidam verſus aliunde petiti. In his & aliis utramque hiſtoriam differre inter ſe invenient, quibus comparare otium fuerit. Ut aliquid de compoſitione addatur, non poteſt non fieri, ut, qui latine & germanice docti, Hiſtoriam latinam germanicæ longe præferant. Eſt enim ſtilus latinus, purus, perſpicuus, ſæpe ornatus, vere Romanus & hiſtoriæ aptus, ut, ſi interdum nova vocabula ideoque minus latina occurrant, neceſſitate excuſanda, cum res novæ & veteribus ignotæ nova nomina exigant, & viri, qui in publicis negotiis verſantur, facile dictionibus aſſveſcant, quos magis uſus, quam veterum auctoritas probet. Germanicus contra ſermo, Schützii ætate minus excultus, in multis hodie obſoletus, illis placere nequit, qui noſtri

noſtri ſæculi elegantiam ſectantur, quibusque non raro *gloſſario* aliquo opus eſt, ut ſuam in Schützio lingvam intelligant, hæcque non ultima cauſa fuerit, quæ inter noſtrates multos a lectione tam utilis, tamque neceſſarii ſcriptoris abſterruerit, aut, dum vix cœpiſſent legere, tædio affecerit. Ne quid de externo habitu, typo & charta dicam, quæ non habent, quibus lectores alliciantur.

Cæterum ſunt in germanica & latina hiſtoria, quæ in utraque abeſſe debuiſſent. Quo pertinent inſerti verſus, quorum paullo ante facta mentio, quique gravitati hiſtoriæ minus conveniunt, ut iis veteres Græci & Romani hiſtorici recte abſtinuerint, ne diverſæ ſcriptionis mixtura narrationem interrumperet, & intenti rerum commemorationi lectores diſtraherentur. Alius generis vitium eſt, fabularum expoſitio, quibus infantes, mulieres vetulæ, harumque ſimiles capiuntur, qvæ in hiſtoriis aut plane ſilendæ, aut, ſi quid credulitati priſcorum temporum dandum, quaſi in tranſitu tangendæ & leviter delibandæ ſint: iis tamen Schützius, quando narravit, ita immoratus eſt, ut integras paginas impleverit, minutiſſima referendo, quæ ignorare, quam ſcire præſtat. Eſt digreſſio plane ſupervacanea & quæ non ſine tædio legi poteſt, quam de ſuccino, cujus a primis temporibus ante alias regiones feraciſſima fuit Pruſſia, auctor facit, originem, naturam, modosque, quibus a tot ſæculis ejus copia aucta, deſcribens, qualis tractatio non ab hiſtoricis, ſed a phyſicis

ſicis exigitur. Neque hoc placere poteſt, quando citantur ſcriptores exteri, præſertim Cranzius & Cromerus, non ſententiam eorum referri ſed tota loca, etiamſi diffuſa, illorum verbis repeti, & poſtea refutari, idque interdum verbis durioribus, ut neque famæ neque dignitati parcatur.

Tantum de Hiſtoria SCHÜTZIANA latina præfari libuit, quam ex codice manu auctoris ſcripto, typographo exprimendam tradidi, ac ſingula folia, poſtquam impreſſa mihi exhibita diligenter luſtravi, ut menda corrigerem: in quo virum eruditum mihique amiciſſimum conſortem nactus ſum, qui pariter mecum indicem digeſſit. In hiſtoria mutatum nihil omnino, quæ talis prodit, qualem auctor poſteris reliquit, quod pariter de ſummis in margine adſcriptis intelligendum eſt. Nihil ergo ſibi ex ipſâ hiſtoria vindicat editor, cui, a multis & diu deſideratam typis publicaſſe, & in eo AMPLISSIMI SENATUS mandatum perfeciſſe ſufficit.

Scrib. Gedani die 1 Maji
MDCCLXIX.

HISTO-

RERUM PRUSSICARUM HISTORIÆ

LIBER PRIMUS.

P

ruſſia, ſi veriorem Geographiæ rationem ſequi volumus, ita proprie determinatur, ut intra Viſtulam, Dervanciam, Oſſam & Memelam fluvios concludatur, & ab oriente reſpiciat Samogitiam, Litvaniam & Podlachiam, â meridie Maſoviam, Micheloviam & Dobrinum, ab occidente majorem Poloniam & Pomeraniam, qua in parte Viſtula Poloniam & Pomeraniam diſterminat, & â ſeptentrione mare Balticum. Erasmus Stella fines ejus deſcribit hisce verbis: Boruſſia ultima Germaniæ ora, a Viſtula amne, quem ab Occidente terminum habet, incipiens, ſinusque Baltici maris, qui ſeptentrionale latus ejus ambiunt, percurrens, orientalem ſolem ab Alanis excipiens, montibus Hamaxobiis auſtrale latus ejus obtegentibus, a quibus continuis ſylvarum jugis diſterminatur. Hodie etiam hæc ora cis Viſtulam, quam Pomerelliam & Caſſubiam vocant, quod uni cum cætera Pruſſia Domino, Sereniſſimo Poloniæ Regi paret, Pruſſiæ ſimul adnumeratur. Eoque modo Pruſſiæ longitudo, a Leopoli Pomeraniæ, Ragnitum usque, duodequinquaginta circiter milliaribus Germanicis, a Torunio autem Memelam usque, quinquaginta duobus protenditur: Latitudo autem a mari usque ad fines Litvaniæ & Maſoviæ ut plurimum triginta quatuor milliaria complectitur. Pruſſiæ ſitus.

Stanislaus Burbachius Pruſſiæ fines hoc modo delineat: Fines provinciæ ſecundum ſeptentrionem occupat mare Balticum, verſus Aquilonem, qui ſubſolano vicinior eſt, populi ſunt Curetes, quos hodie Curlandos vocant, a Pruſſis fluvio Memela diſtincti. A ſubſolano Pruſſia vicinos habet Litvanos, qui olim Littalani dicebantur: ab Euronoto Maſovios, ab Auſtro Cojavienſes, majoris Poloniæ gentem, Viſtula fluvio diſterminatos: ab Africo Poloniam majorem cum aliqua parte Pomerelliæ, quæ nunc Pruſſiæ adnumeratur. Verſus Favonium vel occidentem attingit Marchiam novam & Caſſubios, qui & ipſi Pruſſorum finibus accenſentur: Verſus Circium, Pomeraniam fluvio Leba terminatam, a quo Civitas limitanea, quæ vulgo Lawenburg nuncupatur, nomen ſortita videtur. Et ſic ille Pruſſiæ longitudinem dirigit ab Euronoto verſus Circium, hoc eſt a Ragnito ad Lebæburgum usque milliaribus circiter LVIII. & ab aquilone verſus Africum, h. e. a Memela Torunium usque milliaribus XLVIII. latitudinem a Pomerania in Litvaniam & Maſoviam usque milliaribus XXXIV.

Viſtula. Viſtula fluvius, peculiare hujus regionis ornamentum, ex Carpatiis montibus oritur, ſuperius majorem & minorem Poloniam interſecat, inferius Pruſſiam a Pomerania dirimit. In Pruſſia fluvius dividitur, & partim in Nogatum effunditur, partim uno alveo in lacum Habum verſus Orientem, altero ſecundum ſeptentrionem labens, uno infra Gedanum milliari in mare Balticum exoneratur.

Mare Balticum. Dictum eſt hoc mare Balticum priſcis Scriptoribus à Baltia peninſula ſeptentrionali maxima, nunc Scandia eſt, quæ tria regna Aquilonaria complectitur, Daniam, Sveciam & Norvagiam. Aliter nominatur mare Sarmaticum, mare Venedicum, Sinus Codanus. Cornelius Tacitus vocat mare Suecicum, melius dixiſſet Suedicum. Hoc mare a faucibus Cimbricæ Cherſoneſi perpetuo tractu inter memorata regna & littora Vandaliæ, Pomeraniæ, Pruſſiæ & Livoniæ, usqve in ſinum Finnicum concluditur, a ſeptentrionalibus commerciis maxime commendatum. Hoc mare ſic deſcribit Helmoldus, quanquam per omnia non ſatis apte. Slavorum (inquit) populi multi ſunt, habitantes in littore Baltici maris. Sinus hujus maris ab occidentali Oceano Orientem verſus porrigitur, appellatus ideo Balticus, quod in modum Balthei longo tractu per Scyticas regiones tendatur usque in Græciam. Idemque mare barbarum ſeu pelagus Scyticum vocatur, a gentibus, quas alluit, barbaris. Hoc mare multæ circumſedent nationes. Dani ſiquidem & Sveones, quos Nortmannos vocamus, ſeptentrionale littus, & omnes in eo obtinent Inſulas, at littus auſtrale Slavorum incolunt nationes, quarum ab Oriente primi ſunt Ruſſi, deinde Poloni, habentes a Septentrione Pruſſos, ab Auſtro Bojemos, & eos qui dicuntur Moravi, ſive Carinthi, atque Sorabi.

Præter Viſtulam, quæ priusquam Pruſſiæ fines ingreditur, cum multos minores rivos, tum præcipue navigabiles recipit fluvios, Sanam

Sanam Sandomiriæ, Wiepram Stenſici, & infra Warſoviam quatuor circiter milliaribus, Bugum & Narrevum, ex Ruſſia profluentes, etiam alii ſunt in Pruſſia fluvii non ignobiles, ac partim ob navigandi commoditatem, partim ob piſcium abundantiam celebres. Memela, quem Poloni Nimien vocant, ex Litvania derivatur, unde magnam copiam variarum mercium ex ſylvis & agris defert. Oritur ex paludibus prope oppidum Copiolow, inde præterfluit Civitates, Moſtum, Grodnam, Ozam, Merezam, Runſecum, Cunam, Wilkiam, Ragnitum, Tilſam & tandem in lacum Curonienſem exoneratur. Hic eſt ille fluvius, quem Chronon Ptolomæus vocat. Ponit enim ejus oſtia ſub elevatione poli LVI graduum, & longitudinem L graduum, uti etiam hodie Memelæ oſtia ab Aſtronomis deprehenduntur. Perperam igitur aliqui Chronon putarunt eſſe Pregelam, abſurdius etiam alii, qui Paſſariam Chronon eſſe exiſtimarunt. Pregela, quem fluvium Copernicus latine Pregoram dixit, ex paludibus Provinciæ Nadroviæ effluit, apud Inſteri Caſtrum (Inſterburg) Inſterum recipit, deinde præterfluit Georgii caſtrum (Jorgenburg) Dablacum, Welaviam, ubi Allæ flumen abſorbet, prope Tapiam dividitur, & alterum alveum, quem Duinam deinceps nuncupant, prope Labiam in lacum Curonium, alterum infra montem regium in lacum, quem vulgo Friſcum vel recentem vocant (ego malim hunc Pruſſicum dicere, ad utriusque ſaltem differentiam, novis enim rebus nova ſunt invenienda vocabula) exonerat. Alla fluviorum Pruſſiæ non eſt minimus, ſed propter plurima fruticeta, & incurvos flexus & anfractus, exercendis navibus parum idoneus. Oritur ex lacu Proſeno, & præterfluit de ſuo nomine dictam Allæ petram (vulgo Allenſtein) Gutſtadium (quaſi dicas bonam Civitatem) Heilsbergam (quaſi montem ſalutis) Bartonis petram (Bartenſtein) Schippenbuelum (quaſi Navium colem) Friedlandiam (quaſi dicas pacis regionem) ac ad Allæ caſtrum (vulgo Allenburg) rivum Guberum recipiens, prope Welaviam Pregelæ miſcetur. Paſſaria vel Paſſoria fluvius itidem percommodus eſt, ſed nec ipſe navigabilis. Ex paludibus prope pagum Greslingum effluens, alluit Wormbditum (quod neſcio cujus vermis interfecti denominationem ſortitum aniles adferunt fabulæ) & inter Brunonis montem (Brunsperg) & Mariæ Caſtrum (vulgo Frauenburgum) a lacu Pruſſico abſorbetur.

Elbinga fluvius brevis quidem, ſed alveo lato & navigabili, profluit ex lacu Druſeno non ita procul ab Elbinga Civitate, cui fluvius idem nomen dedit, & paulo infra eandem in lacum, quem diximus Pruſſicum, reconditur. Liwa fluvius nec magnus nec navigabilis, ſed propter peculiarem ſui fluxus rigorem, quo multas molas, vel molendina (ut modernis placet) circumagit, in Pruſſia non habetur ignobilis. Oritur ſupra Roſæ caſtrum (noſtratibus Roſenburg) & prope Mariæ Inſulam a Viſtula recipitur.

Oſſa fluvius limitaneus ob frequentem defluxum picis, reſinæ,

lignorum & rerum aliarum maxime celebris, oritur ex lacu Oſſa, unde nomen quoque ſortitur, non procul a Schonbergo (quaſi dicas pulchrum montem) & prope vicum Zacra uno a Grudento milliari in Viſtulam illabitur.

Drevancia (vulgo Drehnitz) fluvius limitaneus Pruſſiam a territorio Dobrinenſi diſterminat, & oritur ex lacunis montanis prope Hohenſteinum (id eſt altam petram) inter Oppida Oſterrodum & Morungum, ac ubi illud præteriit, per lacum Oſterrodienſem interfluit, inde Bretianum, Novum forum (vulgo Newmark) Strasburgum, Golubam alluit, ac ſupra Torunium uno milliari, prope Slotoriam arcem in Viſtulam exoneratur.

In Pomerellia ſunt hi fluvii: Leba vel Lawa oritur ſupra Lebæburgum (quod oppidum ab iſthoc fluvio nomen ſortitur, & juxta Monachorum Elbingenſium annales, anno 1285.conditum creditur) & non procul a promontorio Reffekol in mare Balticum effunditur.

Rodanus parvus quidem ſed commodiſſimus fluvius & inæſtimabile ornamentum urbis Gedanenſis, uno milliari a monaſterio Carthuſienſi oritur, multa molendina toto eo tractu agit, prope pagum Pruſtum diverticulum facit impoſito Caſtello, inde vetus rivus naturali curſu in Motlam defertur, rivus novus opere a Cruciferis factus & aggere munitus recta Gedanum contendens, veterem Civitatem tranſit, ac tandem in Viſtulam illabitur.

Motla oritur ex paludibus non procul ab oppido Derſavia, inde Gedanum petens levi flumine granaria, & urbem primariam interluit, & tandem in Viſtulam effunditur: in quam pleræque merces trans mare mittendæ & Motla transvectantur, unde illud

> Iſtula per virides patulo fluit agmine campos,
> in pelagus, ventosque mari Neptunus aperto
> immittit, fluitant pinus, & carbaſa ſummo
> apparent malo, complentur remige ripæ,
> & piger æqvoreas ſubvectat Mottela merces.

Variſſa fluvius oritur non procul a monaſterio Carthuſianorum, prope pagum Poleſſinum ex adjacenti lacu, inde fluit ad Schonegum (quaſi dicas pulchram aciem) Stargardum, Pelplinum monaſterium, & prope Mevam a Viſtula recipitur. Bro fluvius, qui Pomerelliam a Polonia majori diſterminat, uno milliari ſupra Choiniciam, non procul a Schlochowia oritur, inde profluit ad Coronam monaſterium, & civitatem Bromburgum (Poloni Bidgoſtiam dicunt) quæ a fluvio ſibi nomen adſcivit, inde emenſis duobus milliaribus non procul a Soleco in Viſtulam exoneratur. Præter hosce fluvios in Pruſſia bis mille triginta ſeptem ſtagna recenſent, quæ magna copia omnis generis piſcium abundant. Unde

Unde vero nomen hujus regionis Pruſſiæ natum fuerit, adeo variant variorum ſcriptorum opiniones & ſententiæ, ut ex iis nonnullæ, quæ tamen vulgo plauſibiles videri poſſint, anilibus fabellis non ſint multum diſſimiles. Neque me hercule mirum, cum his in locis ſeptentrioni ferme ſubjectis, ſuperioribus ſeculis, non literarum ſolum & liberalium ſtudiorum ignorantia maxime floruerit, verum etiam ſumma Pruſſorum, qui nondum erant domiti, barbaries omnia aſſiduis excurſionibus, bellis, incendiis & latrociniis, apud vicinos ferme devaſtaverit. Tantum abeſt, ut certus aliquis rerum geſtarum auctor vel ſcriptor, quem in rerum Pruſſicarum annotationibus tuto ſequi liceret, antiquioribus ſeculis extiterit, nedum ad noſtram ætatem pervenerit. Sed hæ gentes barbaræ faciliorem ideo fortaſſis excuſationem merentur, quod etiam apud Græcos & Latinos ſcriptores præclariſſimarum nationum initia ideo ſæpe fabuloſa ſint, quod initio ſcriptorem certum non haberent, ſed poſtea rerum geſtarum magnitudine, & arridentis fortunæ favore, in tantum excreverunt, ut cum ad ſummum faſtigium evaſiſſent, originis etiam falſæ fidem apud poſteros invenerint. Sed antiquitati demus illa, quæ juniores nobis ſuppetere nequeunt, in cæteris autorum, qui propiores nobis ſunt, auctoritatem ſequamur.

Pruſſiæ Nomen, unde.

Matthias ſane Mechovita, rerum Polonicarum non ignobilis Scriptor, ut cæterorum nunc opiniones tanquam ſuperfluas prætereamus, Pruſſiam, ut ajunt, dictam ſcribit â Pruſia Rege Bithiniæ, qui incitamento Hannibalis infeliciter adverſus Romanos pugnans, fuſus, in illam oram Pruſſiæ, cum ſuis gentibus fugerit, nomenque ſuum illi dederit: ſignum hujus aſſerentes inducere ait, quod vulgare Græcum loquentes intelligant, pleraque verba Prutenorum ex Regione Bithiniæ Græci ſermonis propagata &c. Verum hoc nimis fabuloſum apparet, ſiquidem probatiores ſcriptores longe aliud commemorant, tam de amicitia Pruſiæ cum Romanis, quam de cæde adverſus ipſum â filio Nicomede procurata, ex quibus omnibus brevitatis cauſa, ſolus nunc Nauclerus ſufficiat, qui rei veritatem hisce verbis deſcribit: Pruſias Rex Bythiniæ Romam venit, ut Senatui gratias ageret ob victoriam ex Macedonia partam, & Nicomedem filium ſenatui commendavit. Hic Pruſias poſtea conſilium cepit interficiendi Nicomedis, dum conſulere ſtudet minoribus filiis, quos ex noverca ſuſceperat, & Romæ habebat. Sed res adoleſcenti proditur: hortatur ab his, qui facinus ſuſceperant, ut crudelitate patris provocatus occupet inſidias, nec difficilis perſuaſio fuit. Igitur cum accitus in patris regnum veniſſet, ſtatim Rex appellatur. Pruſias Regno ſpoliatus etiam a ſervis deſeritur, vitiorum enim amatór erat. Cum in latebris ageret, non minori ſcelere, quam filium occidi juſſerat, â filio occiditur &c. Hæc Nauclerus. Itaque vero ſimilius eſt, quod alii volunt, a primo Rege Pruteno Prutenos, deinde Pruſſos nuncupatos fuiſſe. Cujus rei exempla in hiſtoriis multa commemorantur. Sic ab Ibero Thubalis filio Iberia, a Bæto Bætica, ab Hiſpano Hiſpania, a Luſo Luſitania, a Siculo Sicilia, a Vandalo

Prutenus Rex.

dalo Vandalia, & ut vicino utamur argumento, a Livone Livonia nomina ſumpſerunt. Interim negari non poteſt, quod ante hunc Prutenum hujus regionis incolæ aliis etiam nominibus dicti fuerint: Hulmigeri, Alani, Venedi, Sudini, & ſimilibus, qua in re ſupervacuum eſt hic pluribus immorari. In eo certe conveniunt ſcriptores, Pruſſos inter Sarmatas Europæos, æque ut illorum vicinos, Polonos, Litvanos, & Livones connumerari. Tacitus quidem hanc regionem Germaniæ annumerat, ſed tamen ſcribit, eam promiſcue a Sarmatis & Germanis habitari. In vulgaribus Chronicis ſcriptum legimus, quod Druſus Romanarum legionum præfectus, multa hominum millia, qui Romanis rebellaverant ex inſula Britannia ejecerit ac relegaverit, & ii ſua ſeque mari ventoque committentes poſt variam fortunam in his tandem locis confederint, & ducem ſuum Prutenum Regem elegerint. Alii ſcribunt, Pruſſos eſſe Cimbrorum reliquias, qui a Gothis ex Cimbrica Cherſoneſo profligati fuerant. Ioannes Magnus refert, Gotthos in prima ſua expeditione ex Scandia huc trajeciſſe & Hulmigeros deviciſſe, & tandem expuliſſe. Veteres, inquit, coloni, qui bello ſupererant, cum viderent, ſe tantæ Gotthorum potentiæ impares eſſe, confeſtim domos, vicos, villas incendio tradiderunt, deinde fuga ſalutem quærentes ad interiora Vandaliæ ſe receperunt. Itaque Gothi vacuam & laborioſam terram aſſecuti, conjuges & liberos e navibus eductos, excolendis agris præficiunt, domos & villas rurſus erigunt, armaque in vicinas provincias, Pomeraniam, Poloniam, Magnopoliam, tanta fortitudine extendunt, ut brevi tempore magnam magnæ Vandaliæ partem ſuo imperio ſubjugarint. Auctor autem ſpeculi quod vocant Saxonici, Pruſſorum originem ex alia longe mundi plaga deducit. Sic etenim ſcribit: Majores noſtri cum in hanc provinciam migraſſent, Thuringos ejecerunt. Fuerant illi Commilitones in exercitu Alexandri Magni, eorumque ope Alexander Aſiam ſubjugaverat. Alexandro diem functo, non audebant inter Aſiaticos larem tutò collocare, propter odium vel indignationem provincialium. Conſcenſis itaque trecentis navibus inde vela dederunt. Hæ omnes importuoſi maris fluctibus interierunt, quinquaginta quatuor exceptis, quarum octodecim in Pruſſiam delatæ ſunt, & agrum ibi occuparunt, duodecim Rugiam tenuerunt & viginti quatuor Saxoniam &c. Sed hæc mere fabuloſa eſſe, jam pridem Albertus Crantzius in Saxonia ſua demonſtravit. Ptolomæus inter alios populos Sarmatiæ Europeæ Boruſcos collocat procul ad ſeptentrionem, ubi nunc Ruſſi, Moſci vel Tartari ſunt. Hinc nonnullorum nata eſt opinio, Pruſſos & vicinos Alanos ex frigidiſſimis locis ſeptentrionalibus paulatim deceſſiſſe, & mitius cælum ſecutos in his tandem oris conſediſſe. De quibus opinionibus cuique ſuum judicium eſto, mihi operæ pretium non videtur vetera & obſoleta curioſius conſectari.

Mores & ritus veterum Pruſſorum.

Pruteni vel Pruſſi veteres non ſolum moribus fuere maxime barbaris, ſed etiam idolatricis ſuperſtitionibus & Dæmonum cultibus plus quam credi poſſit imbuti vel potius occæcati. Solem & lunam more cæte-

cæterorum Ethnicorum Deos omnium primos credebant. Secundum hos tres alios ſomniabant, qui tonitrua, fulgetras, pluvias, tempeſtates cierent, atque uno verbo dicam, qui elementis præeſſent, & Pocollus quidem vel Pickollus aëris, Potrympus terræ & maris, Pircunus autem ignis curam gererent. Primi illius idolum pingebant & formabant quaſi virum ſenem, canum, pallida facie, longa canaque barba, caput alba faſcia obvolutum habentem, quem Saturno non abſimilem dixerimus. Secundo formam tribuebant juvenis, vultu ſereno & hilari, absque barba, ſpicis coronatum, quaſi ſolis effigiem ſignificarent. Tertium fingebant virum mediæ ætatis, facie rubea, inflatis buccis, & torvo & irato vultu, barba & crine criſpo & nigro, flammis caput undique circumdantibus, quem Marti comparare quis poſſet. His tribus domicilium conſtitutum erat in prægrandi quercu, in loco quem illi dicebant Rickoyoth & Romowe, quæ ad confirmandam ſuperſtitionem tam hyeme quam æſtate ſemper virebat, tanta foliorum denſitate, ut neque nivibus neque pluviis eſſet pervia. Pocolli ſacrum erat caput mortui hominis, equi vel vaccæ. Potrimpi ſerpens vivus in olla figlina ſpicis contectus & lacte nutritus. Pircuni perpetuus ignis ligno quercino alitus, qui ſi extinctus fuiſſet, ſacerdotes, qui cuſtodiæ præerant, quos illi Waydolottos nuncupabant, capite plectebantur. Præter hos alios etiam Deos cenſebant, ſed longe his minores, Iſwanbratum, qui gallinarum, anſerum, anatum & aliarum avium curam gereret: Wurſchaytum, qui equos, boves, ſues, agnos, capellas cuſtodiret, & Gurchonem, qui eſculentis & poculentis ac omnis generis fructibus præeſſet. Huic domicilium erat peculiare in quercu quadam eo in loco, ubi hodie ſita eſt Civitas Heiligenbeil. His & aliis pluribus Dæmonum idolis ſacrificabant ſub maximis & altiſſimis ſylvarum & lucorum arboribus, quercu præſertim & ſambuco, in quibus credebant Deos ſuos minorum gentium habitare, nimirum ex quibus ad ſtabiliendam vanam eam ſuperſtitionem ſciſcitantibus & conſulentibus reſponſa reddi audiebantur, ob id hujuscemodi arbores, ut numinum domos, religioſe colebant, easque cædere capitale erat. Quinimo hisce Dæmoniacis præſtigiis contaminati ad eam inſaniam pervenerant, ut immunda quæque animalia, ſerpentes præſertim & colubros, perinde ac Deorum famulos nunciosque religioſe colerent, intra domos ſuas eos nutrirent, eisque ut Diis penatibus litarent. Sacra illorum & Ceremonias, & ſacrificandi ritus, nemini peregrinorum vel advenarum intueri fas erat, quisquis horum interveniſſet capital & Diis ſacer habebatur. Si is forte fortuna effugiſſet, nihilominus ſua ſacra non alio piaculo quam victima humana expiari poſſe credebant. Sacrificia ſua ut plurimum hirco ſacro & ad piaculum ſolenniter conſecrato peragebant, quem ritum accepe-rant a Sudinis ſociis & vicinis populis, a quibus Sacerdotes ſuos accerſebant. Cujus ſuperſtitionis reliquias noſtra etiam ætate, apud Sudinos remanſiſſe compertum fuit. Hirci vero conſecrandi potiſſimum illis cauſa fuiſſe videtur, quod quemadmodum iſtud animal præ cæteris natura fæcundum creditur, ita perſuaſum habebant, eo ſacrificii genere ſua armenta & pecora fœturam expertura feliciorem. Iisdem Dæmoniorum

Idola.

Quercus in Romowe.

Idola minora.

Serpentes.

Sacra.

Hircus ſacer.

Immolatio hominum.

niorum idolis ſe ipſos, uxores, liberos, propinquos & famulos per ignem ſacrificabant, quoties Diis ſuis peculiare & maxime gratum ſacrificium offerre vellent, præſertim ſi gravis aliquis morbus vitam & ſalutem deſpondere videretur. Idem factitabant pontifices & ſacerdotes illorum, quos ſua lingua Kyrwaitos, h. e. os Dei, vocitabant, cum ætas vel morbus ipſos ad procurandam rem divinam inutiles reddidiſſet. Exiſtimabant enim nullam eſſe proximiorem viam ad Deorum ſuorum beatam converſionem tranſeundi, quam per ignem omnia mortalis corporis vitia expurgantem.

Dies natalitii & funebres.

Dies natalitios & funebres pari modo celebrabant, mutuis ſcilicet commeſſationibus & compotationibus, cum luſu, cantu & tripudio, absque ulla mœroris ſignificatione, cum ſumma hilaritate & gaudio. Sic enim ſibi perſuadebant, cum quis è vita piè migraſſet, præſertim ſi per ignem tranſiviſſet, eum è veſtigio in Deorum converſationem avolare, & ibidem iisdem voluptatibus perfrui, quibus in hac vita fuiſſet oblectatus.

Ritus ſepeliendi.

Cujus opinionis conteſtandæ gratia, vita functos veſtibus, quas vivi habuiſſent, optimis induebant, & cum eo maximam pretioſæ ſupellectilis domeſticæ partem humabant, addebant potum melleum, vel ex tritico factum, in teſtaceis vaſis, ne ſcilicet vel in altera vita, vel ad minimum in itinere commeatus deeſſet. Si Nobilis vel Equeſtris ordinis quispiam diem ſuum obiiſſet, equum pretioſiorem & canes venaticos, quibus aſſueverat, compedibus conſtrictas, cum hero ſepeliebant, vel ut alii volunt comburebant, ne ipſi in altera vita vel ſaltem in itinere equitandi venandive copia deeſſet.

Res familiaris.

Agriculturam, rem pecuariam, venationem & piſcationem maxime exercebant. Apium autem alendarum tam in hortis quam publice in ſylvis, omnibus ferme & induſtria & paſſim obvia facultas.

Servitia.

Potus illis erat lac equinum, zythum ex hordeo, & mulſum ex aqua & melle, quod hydromel vocamus, confectum. Servitiorum peculiare ſtudium & magna copia, & quo pluribus quis abundabat mancipiis, eo majori cenſebatur auctoritate. Servum mancum vel debilem vel ſenem ad labores perferendos ineptum, impune ſtrangulare fas erat, ne ſcilicet homo inutilis aleretur. Idem in parentibus vel ſenecta oppreſſis, vel virium imbecillitate laborantibus factitatum fuiſſe quidam ſcribunt.

Connubia.

Connubia hoc modo inſtituebant, ut, quotquot uxores quis vellet, habere liceret, & quamcunque puellam ſuſcipiendæ prolis gratia paterfamilias iniret, ſive ex ſervitiis peculiaribus, ſive ex alienis aut captivis, ſive ex liberis, quæ conſentiret, eam ſecum ſuo detineret aleretque tugurio. Liberam tamen & alieni juris puellam non niſi pretio, quaſi ære emptam, à quocunque pro creanda prole deducere licebat. Uxorem mortuam integrum octiduum lugebant, quo elapſo aliam continuo ſubſtituere nulla erat religio. Patre mortuo filii uxores novercas æque ut alia bona paterna inter ſe dividebant, & iis ad concubitum utebantur, propria matre ſaltem excepta.

Adulterium. Homicidium. Furtum.

Adulteris, viro & fœminæ pœnam conſtituebant, ut vivi exurerent. De homicidio nulla ratione tranſigere licebat, ſed omnimodo homicidam capitali ſupplicio affici oportebat. Furem prima vice virgis cædebant, ſecundo fuſtibus verberabant, tertio canibus laniandum objiciebant. Quoties vicinis bellum

lum inferre, vel in eorum fines excurſiones facere conſtituiſſent, aliquem ejus gentis captivum, quem haberent, vel comprehendere poſſent, nudum arbori alligabant (eam autem oportebat eſſe quercum) & in pectus ſpiculum immittebant. Si ſanguis alacriter quaſi ex ſiphunculo exiliret, fortunam & proſperos ſucceſſus portendi ominabantur; ſin cruor lente proflueret, expeditionem eam tanquam infelicem deteſtabantur.

Victoriæ futuræ experimentum.

Armatura.

Primum illorum arma erant ut plurimum fuſtes nodoſi, ferro præfixo, vel plumbo capitibus infuſo, alii quidem breviores, quorum plurimos circa corpus cingulo inſertos gerebant, quibus eminus ejaculabantur, alii longiores quibus cominus pugnabant. Procedente deinde tempore arcubus & ſagittis rem gerere didicerunt. Tandem ubi cum Polonis & Maſoviis & notitiam & bella contraxiſſent, equis etiam & baliſtis uti coeperunt, iisque vehementer exercebantur, donec aſſiduo rerum uſu, progreſſu temporis etiam ad enſes, fariſſas & cætera arma pervenirent.

Captivi.

Si quem ex hoſtibus cepiſſent belli ducem, vel aliqua dignitate præditum (inter plures ſortium utebantur arbitrio) eum equo imponebant ſuis armis indutum, equum ſingulis pedibus ad ſingulas arbores vel palos arcte conſtringebant, deinde congeſtis undiquaque lignis utrumque pro ſacrificio Diis ſuis cremabant.

Prædæ.

Prædam ab hoſtibus quadrifariam partiebantur, ſic ut portionem primam optimam & præcipuam Diis ſuis conſecrarent, ſecundam ſacerdotibus in alimoniam attribuerent, tertiam amicis & vicinis largirentur, quartam demum ſibi ſervarent.

Stratagemata.

In bellis & excurſionibus hoc uti plurimum ſtratagemate utebantur, quo hoſtem in viarum anguſtias vel loca paludoſa illicerent, in quibus facile a multis circumveniri poſſet.

Vexilla.

Antiquitus in vexillo tres illos Deos, de quibus dictum eſt, depictos, & incognitis characteribus circumſcriptos geſtabant. Sub illis clypeum Regium ſuſtentabant duo equi albi, in quo forma erat hominis capite urſino, faucibus apertis. Poſteriores autem Pruſſi in vexillo geſtabant coronas duas aureas, unam ſurſum evectam, alteram deorſum everſam.

Vicini. Advenæ.

Pruſſi erga peregrinos & advenas maxime liberales erant & benefici, ita quidem ut neminem mendicare publice paterentur, ſed omnium domus & convictus quotidie pateret omnibus, erga vicinos autem Litvanos, Maſovios & Pomeranos vehementer crudeles & inhumani, quorum odio complures relictis ferme rei familiaris parandæ honeſtis rationibus, latrocinio tantum & prædationibus operam dabant, præſertim autem Maſovios aſſiduo bello vexabant, & ob profeſſionem religionis Chriſtianæ præ ceteris infeſtabant. Quæ res deinde cauſam dedit Maſoviis fratres Teutonicos Ordinis Mariani in Pruſſiam evocandi.

Helmoldus, qui vixit anno 1168. & res Slavonicas ſcripſit, hæc de Pruſſis refert: Pruzi nec dum lumen fidei cognoverunt, homines multis naturalibus bonis præditi, humaniſſimi erga neceſſitatem patientes, qui etiam obviam tendunt his qui in mari periclitantur, vel qui a piratis infeſtantur, & ſubveniunt eis. Aurum & argentum pro minimo ducunt. Pellibus abundant peregrinis, quarum odor lethiferum noſtro orbi ſuperbiæ venenum propinavit. Et illi quidem ut ſtercora hæc habent,

bent, ad noſtram credo damnationem, qui ad marturinam veſtem anhelamus, quaſi ad ſummam beatitudinem. Itaque pro laneis indumentis, quos nos appellamus ſaldones, illi offerunt tam pretioſos martures. Multa poterant dici de hoc populo laudabilia in moribus, ſi haberent ſolam fidem CHRISTI, cujus prædicatores immaniter perſequuntur. Apud illos martyrio coronatus eſt illuſtris Boëmiæ Epiſcopus Adalbertus. Uſque hodie profecto inter illos cum cætera omnia communia ſint cum noſtris, ſolus prohibetur acceſſus lucorum & fontium, quos autumant pollui Chriſtianorum acceſſu. Carnes jumentorum pro cibo ſumunt, quorum lacte vel cruore utuntur in potu, ita ut inebriari dicantur. Homines hi cærulei facie rubea & criniti, præterea inacceſſi paludibus, nullum inter ſe dominum pati volunt. Hæc ille.

Poëtica deſcriptio ſacræ Quercus Idolorum in Romowe.

Quercus erat medio ſylvæ ſacrata receſſu,
Relligione patrum multos ſervata per annos,
Denſa comam, nullis Phœbum admiſſura latebris,
Subjectas ſpectans viridanti vertice ſylvas.
Non hyemis rabies illam, nec flabra, nec imbres
Tranſierant, crebræve nives, ſemperque virentem
Intactamque comam ventis & ſole gerebat.
Bis ternas erat in latum porrecta per ulnas,
Tum longo nullus trunco nodus, omnia magna
Et rami, & foliorum ordo, & ſublime cacumen,
Radicemque alte tantum ſub Tartara mittens,
Brachia ſublimes quantum tollebat in auras.
Hæc ſacrata Diis domus, hoc venerabile templum,
Effigies intus Divum formata metallo
Argenti, & ſolido perfecta nitens Elephanto,
Nec cuiquam pedibus mortali attingere limen
Fas erat, aut templum oranti ſuccedere votis,
Ante pia quam ſe luſtraſſet fluminis unda,
Irroransque caput, conceptaque verba profatus,
Ipſe horrore locus pavidos terrebat agreſtes,
Et formidatos ſecreto tramite lucus,
Cædibus aſperſi trunci, pecudumque cruore.
Sæpe etiam ſuperum formas vidiſſe putabant,
Faunos & Satyros, & monticolas Sylvanos,
Ingenti circum cælum omne fragore cientes,
Fulguraque, & vacuo vibratas aëre flammas,
Et collucentes nocturno lumine ſylvas.
Sæpe imis viſus ſerpens exire cavernis
Sacrorum in medio, & depaſta altaria linquens
Ipſe Deus, geniuſue loci, fugere miniſtri
Attollentem iras, & ſibila colla tumentum.

Quin ipſi varia ſpecie volitaſſe feruntur
Dæmones, atque atras per noctem agitaſſe quadrigas.

Prutenus igitur, quem ſcribunt circiter annum nati Chriſti quingenteſimum in Pruſſia regnaſſe, quo tempore Theodoricus Rex Oſtgothorum Italiam obtinebat, cum jam provectæ eſſet ætatis & regni pertæſus, fratri Waidewuto regnum conceſſit, ipſe ſacerdotium, quæ ſecunda poſt Regiam erat dignitas, elegit, ut eo majori cum devotione ſenex Diis ſuis inſervire poſſet. Inſuper etiam idolo Gorco, cujus ſupra mentionem fecimus, quercum prægrandem quaſi quoddam peculiare templum conſecravit eo in loco, ubi hodie ſita eſt Civitas Heiligenbeil. Quæ inde nomen ſortita videtur, quod longo tempore poſt Cruciferi quercum iſtam cum ipſo idolo funditus exciderunt, & in eo loco civitatem conditam Heiligenbuel, id eſt ſacrum collem, memoriæ cauſa nuncuparunt. Scribunt alii, civitatem hanc a ſecuri, qua iſthæc quercus exciſa fuit, nomen accepiſſe, & ita nunc vulgo Heiligenbeil vocatur, idque illo etiam argumento probant, quod in ejus civitatis ſigillo & inſignibus ſecuris geſtatur.

Prutenus regno ſe abdicat.

Idolum Heiligenbeil.

Waidewutus, qui & Vidutus, cum & ipſe diu regnaſſet, attigit enim annum vitæ centeſimum duodecimum, inter undecim filios regnum in particulares provincias diviſit & poſtquam omnes ad perpetuum cultum Diis ſuis præſtandum juramento adegiſſet, ſe ipſum idolis ſuis per ignem vivus immolavit. Refertur in quibusdam annalibus, Prutenum fratrem cum eo ſimul flammam ingreſſum eſſe. Cauſam immolationis Viduti nonnulli eam fuiſſe ſcribunt, quod hoc mortis genere purgatus immortalitatem ſe conſecuturum, & recta ad converſionem Deorum ſuorum tranſiturum opinabatur, ut interim etiam ſuo exemplo filios & ſubditos in ſuperſtitione tam abominabili magis confirmaret. Alii aliam afferunt cauſam, quæ mihi quoque videtur veriſimilior, quod ſcilicet vicinis ferme omnibus cum Maſoviis contra Pruſſos conjurantibus, & undique bellum apparantibus, cum ſe viribus imparem ſentiret, neque laudem rerum hactenus fortiter geſtarum in ipſo calce aliqua ignominia maculare vellet, extremam opem in Diis ſuis collocaverat, & in eorum honorem pro victoria populi ſui ſemet ipſum devoverit. Quod ipſum etiam apud Romanos factitatum legimus, ut belli duces, rebus in prælio ferme deploratis, peculiari ſuperſtitione ſe devoverent ad terrorem hoſtibus inferendum, vel certe ad milites pro ulciſcenda Ducis morte magis incitandos. Cujus devotionis ſolenne carmen a Livio recitatur. Deorum (inquit Decius) ope, Valeri, opus eſt. Agedum pontifex publicus populi Romani præi verba, quibus me pro legionibus devoveam. Pontifex eum togam prætextam ſumere juſſit, & velato capite, manu ſubter togam ad mentum exerta, ſuper telum ſubjectum pedibus ſtantem ſic dicere: Jane, Iupiter, Mars pater, Quirine, Bellona, Lares, divi Novenſiles, dii indigetes, Divi, quorum eſt poteſtas noſtrorum hoſtiumque, Diique manes, vos precor, veneror, veniam peto feroque, uti populo Romano Quiritium vim victoriamque proſperetis, hoſtesque

Viduti Regis immolatio.

Lib. 8.

populi Romani Quiritium, terrore, formidine, morteque afficiatis. Sicut verbis nuncupavi, ita pro Rep. Quiritium, exercitu, legionibus, auxiliis populi Romani Quiritium, legiones auxiliaque hoſtium, mecum Diis manibus Tellurique devoveo. Hæc ita precatus ipſe incinctus cincto Gabino armatus in equum inſiluit, ac ſe in medios hoſtes immiſit. Conſpectus ab utraque acie aliquanto auguſtior humano viſu, ſicut cælo miſſus, piaculum omnis Deorum iræ, qui peſtem a ſuis averſam in hoſtes ferret &c: Eodem plane modo crediderim, Vidutum immolandi ſui conſilium cepiſſe, & cum filio natu maximo prius communicaſſe, quod aliquando in poëmate meo ex certis monumentis hisce verſibus conſcripſi.

At non armiferi ceſſabat cura Viduti
(Sic patrio Regem dicebant more Boruſſi)
In tanta rerum turba, nec enim ante quievit,
Internas quam ſponte ſua combuſtus ad aras,
Imperium ſimulans Divum, & furialia ſacra,
Exacuit populis animos, vimque addidit iræ,
Regis ut amiſſi vindictam ſponte pararent.
Tum gnatum alloquitur dictis, ac talia mandat:
Nate vides ſocias exciri ad prælia gentes,
Quæ patriæ fines circum & latera omnia claudunt,
Nos dominos rerum & ſtirpem delere Boruſſam.
At mihi tarda gelu, atque annis defuncta ſenectus
Obſita canentem ſparſit per tempora ſylvam:
Tu juvenis, tibi fas noſtris ſuccedere ſceptris,
Ergo age quid tacitis jam dudum pectore verſem,
Accipe conſiliis, atque hæc mea dicta reconde.
Ignavam vitam & regni nullius egentem
Exuere eſt animus, mortemque abdicere ſacris,
Ut ſuperos coram cœleſti in culmine agentes
Alloquar, & noſtris poſcam ſuffragia rebus,
Succeſſumque novi Martis, finemque laborum
Tu, cum juſta patri ſolenni condita pompa
Solveris, & gelidas nequicquam clauſeris urnas,
Aude animis bello, & fortunæ cætera manda,
Non abero rediens, nec te ſpes fallet inanis.

Sequitur nunc deſcriptio ceremoniarum ſolennium, quas coram ſacra quercu idolorum in immolatione ſua Vidutus uſurpavit:

Hoc Rex in luco primum fera ſacra peregit,
Seque ſuis ipſum ſacra obtulit hoſtia divis,
Ut fortunato ſalvarent Marte Boruſſos.
In medio ingentem tædis atque ilice ſecta
Conſtruxere pyram, totasque e montibus ornos
Advolvunt, jactantque faces, volat ignis ad auras

Increpitans, huc & pecudes, hircumque ſacratum
Cornibus auratis producunt, extaque flammis
Porriciunt, largis onerantur lancibus aræ.
Ipſe autem pateram Rex formoſiſſimus auream
Hirci barbigeri media inter cornua fundit,
Exutus dextrumque pedem, cubitumque ſiniſtrum,
Oravitque Deos, dixitque noviſſima verba:
Di maris & terræ, Dii longæ numina noctis,
Quicunque hos lucos, quicunque hæc templa tenetis,
Qui rutilos cælo jactatis fulguris ignes,
Fulminaque humanas ſonitu terrentia mentes,
Qui tempeſtates riguumque immittitis imbrem,
Qui colitis nubes, & Lunæ proxima regna,
Et celeres liquido libratis in aëre plantas,
Hoc ſacrum, meque has ſacratum cernite ad aras,
Et me, proque meo devotum milite regem
Suſcipite, adverſis terrorem immittite caſtris,
Terroremque, fugamque & inani robore Martem,
Victoresque meos bello præſtate Boruſſos,
Ut me ſponte mea veſtris nunc dedico ſacris,
Pro regno, populisque meis, proque hospitibus Diis.
Dixerat, & medios audax ſe injecit in ignes.
At proceres circum pariterque intonſa juventus
Ducebantque chorum, querulisque ululatibus auram
Implebant, ſylvæ clamorem ad ſydera mittunt,
Ter galeam armati quatiunt, & tela coruſcant.
Tum vero ſuccenſi animis, atque excita virtus,
Devotique Ducis facinus, lethumque decorum
Omnibus ante oculos, durique injuria belli,
Arma fremunt unaque ſenes unaque juventus
Maſſagetis ferro mortem exitiumque minantur. &c.

Divisio Provinciarum Pruſſiæ inter Viduti filios.

Poſt Vidutum Pruſſia, uti inter undecim filios vel nepotes per particulares provincias diviſa fuit, ita ſingulæ illarum a ſingulis Principibus nomen accepiſſe creduntur. A Samo ſcilicet, Sambia, quæ verſus occaſum & ſeptentrionem mari Baltico & Curonio lacu concluditur, verſus ortum a Nadrovia per fluvium Demin, verſus meridiem a Natingia per fluvium Pregelam, & alterum lacum, quem Friſcum id eſt recentem vulgo vocant, dividitur. A Sudone Sudavia, quæ antiquitus inter Schalawoniam, Galindiam, & Bartheniam ſita fuiſſe dicitur; hodie vero veteris illius Sudaviæ fines plane ſunt incerti. A Natango Natangia, quæ lacu Pruſſio Hab, Pregela, Allia & aliqua ex parte Paſoria fluviis circum ſcribitur. A Nadrone Nadravia, cujus fines hodie & ipſi ſunt incogniti, ut pote quæ jam pridem Ordinis tempore fuerit deſolata. A Schalawo Schalawonia, quæ ad utramque Memelæ ſive Chroni fluvii ripam a ſcriptoribus collocatur. A Barthone Barthenia, quæ diſterminatur a Natangia per fluvium Alliam, a Sudavia partim per com-

plura ſtagna, partim per vaſtas ſylvarum ſolitudines. A Galindo Galindia, quam Cruciferi & deſolatam invenerunt, & non magnopere cultam reliquerunt, dicitur autem inter Maſoviam & Allam fluvium ſita fuiſſe. A Varmo Varmia, cujus fines fuiſſe dicuntur ſtagnum quoddam verſus Galindiam, Paſſaria fluvius verſus Pomeſaniam & Hoggeniam, & rivuli complures verſus Natangiam. Ab Hoggone Hoggenia, quam etiam Pogeſaniæ nomen ab ejus filia Poggia nactam perhibent. Hanc a Natangia & Varmia dividit Paſſaria fluvius, a Pomeſania rivus & ſtagnum, quod Weeſeken vulgo vocant, & celebris locus Draviſenus, cui annumerant etiam agrum Scharpovienſem in majori inſula ſitum. A Pomeſo, qui eo loci habitaſſe putatur, ubi hodie Pomero pagus inter Mariæburgum & Mariæ inſulam ſitus eſt, Pomeſania, quæ determinata fuit olim Oſſa & Viſtula fluviis & lacu Draviſeno, hodie latius aliquanto fines ejus extenduntur. A Culmo tandem vel Chelmo, Culmenſis terra, quæ fluviis Dervantia, Viſtula & Oſſa vel Mocra circum ſcribitur. Hic Chelmo ſcribitur filiam Maſoviæ Ducis in Matrimonium duxiſſe, ejusque perſvaſione ſidem Chriſtianam complexum eſſe, unde factum ut cæterorum Pruſſorum odia populariter adverſum ſe concitaret, & ejus provincia paſſim vicinorum deprædationibus & incendiis devaſtaretur. Ipſi viciſſim adhærebant Maſovii, ac ſenſim ibi ſedes occupabant, ut totam provinciam in fide Chriſtiana retinerent. Quod contra ſummis viribus Pruſſi impediebant, eamque ob rem crebræ excurſiones & perpetua ferme bella alebantur, donec tandem Culmenſis terra Cruciferis fuit conceſſa. Et ſic quidem, ut diximus, in provincias undecim antiquitus Pruſſia fuit diviſa, quarum ſingularum arces & civitates etiam in vulgatis recenſentur. Inter quas metropoles habentur, in Sambia Mons regius, in Natangia Balgia, in Varmia Heilsperga, quaſi montem ſalutis dixeris, in Pogeſania Elbinga, in Pomeſania Mariæ inſula, in terra Culmenſi Culma, & ſic in cæteris. Quoniam vero pleræque civitates & arces diu poſt â Cruciferis extructæ, vel certe â Pruſſis captæ, & deinceps fortiori opere munitæ, muris cinctæ, & aliis fermè nominibus appellatæ fuerunt, vehementer equidem dubito, an Vidutus Pruſſiam in partes ſuas ita diviſerit, uti nunc quæque provincia ſuis civitatibus & arcibus circumſcribitur. Hoc utique ex ea diviſione manifeſtum eſt, Pomerelliam antiquitus Pruſſiæ non fuiſſe connumeratam. Nihilominus ſunt auctores, qui tradunt, quod ex his Principibus, Viduti nepotibus ac poſteris, ortus fuerit Hagelus quidam, qui ſua ætate Pomerelliam obtinuerit, a quo in hodiernum usque diem Hageli mons prope Gedanum nomen retinuiſſe creditur. Mihi veriſimilius videtur, quod alii ſcribunt, iſtum Hagelum ex Principibus Vandalorum vel Caſſubiorum proveniſſe vel ſaltem illorum his in locis vicarium egiſſe. De quo Hagelo in Chronicis Pruſſicis, præſertim autem in pervetuſto quodam Codice quem Elbingenſes olim Monachi conſcripſiſſe dicuntur, qui Elbingæ tunc, cum poſt defectionem a Cruciferis arx dirueretur, repertus fuit, ſequens facti narratio recenſetur.

Hagelus Princeps vel Præfectus.

Non

Non procul ab eo loco, in quo nunc vetus oppidum Gedanenſe ſitum eſt, olim vicus vel pagus erat, cui nomen dederant Wick a piſcatoribus & cauponarum exercitoribus mediocri numero habitatus, quoniam ibi non infrequens eſſet commercatio halecis, anguillarum & aliorum piſcium, qui vel ſaliti vel ſumo durati eſſent, ac inde in Pomeraniam, Caſſubiam, Poloniam, Gotlandiam exportarentur. Promontorium enim & Peninſula Hela tum multo longius quam nunc curvo anfractu in mare protendebatur, ac vaſtiſſimum ſinum capiendis piſcibus marinis maxime commodum efficiebat, ſic ut nullis adhuc aggeribus fluvio objectis, nullis adhuc inſulis retectis, maris æſtus ad eum usque locum ubi nunc Meva ſita eſt, excurreret. Mos gentilis erat in eo vico, ut incolæ piſcatores, quorum tamen aliqui mercaturam cum vicinis Pruſſis exercebant, piſces cum ſuccino plerumque permutantes, nonnulli etiam opifices erant, uti tum ſeculum illud ferebat, diebus feſtis paſſim in vico & extra vicum, ignes ſignificandæ lætitiæ cauſa ſuccenderent, interim largiter biberent, ac ebrii facti, cum univerſa familia, liberis, uxoribus, ſervis, ancillis, domeſticis & advenis ac peregrinis, circum ignes ſaltarent, tripudiarent, varias & ridiculas geſticulationes exercerent, & nihil ad ſummam laſciviam & petulantiam reliquum facerent. Immo quicunque utriusque ſexus in quovis ludicrorum genere magis excelluiſſet, in honore præ cæteris habebatur. In his delitiarum & omnium libidinum exercitiis neceſſum erat accidere, quod inter paganos ferme ſolet, ut rixæ, contentiones, pugnæ, vulnera & ſæpius cædes orirentur, in quibus vindicandis ejus vici Dominus officio ſuo minime deerat, delinquentes graviſſime mulctabat, pecudes, oves, jumenta, ſupellectilem omnem auferebat, interdum etiam pro magnitudine delicti fontes capite plectebat. Erat is Hagelus ex familia Vandalicorum Principum, qui arcem ligneam tum temporis ſatis munitam in eo monte, quem etiam hodie Hageli montem vocamus, ut ſubditorum immineret cervicibus extruxerat. Hic alioquin etiam magnam in vicanos exercere ſolebat tyrannidem, cogebantur illi ſemiſſe omnis piſcaturæ, aucupii & fæturæ gregum quotannis Domino pendere, agrum Domini ſuis impenſis arare & conferere. Non licebat in aquis profluentibus piſcari, ne ligna quidem & gremialia in ſylvis colligere ſine pretio, piſces ſuos vendendi non prius facultas dabatur, quam Dominus ipſe ſuos luculenter diſtraxiſſet: exactionum inſuper & operarum, & publicorum ſervitiorum modus nullus, quin etiam libido Domini & aulicorum ejus ad uxores & filias ſubditorum penetraverat, ſi quis contra mutiſſet, capitis erat periculum. Hanc tyrannidem cum vix ultra decennium duraſſet, vicani tandem peroſi in Hagelum conjurant, ejus trucidandi conſilium clam ineunt, occaſionem cædis perpetrandæ quærunt, quæ admodum illis inventu videbatur difficilis. Semper enim Hagelus, qui non minus metuebat ſubditos, montanis ſe munitionibus continebat, nec unquam ſui publice conveniendi copiam faciebat, juxta illud: Oderunt quem metuunt, & qui ſe metui volunt, a quibus metuuntur, eosdem metuant ipſi neceſſum eſt. Cæterum ſolebant Vicani, quoties feſtivitatem pridie ejus diei, qui Divo Ioanni Baptiſtæ apud Chriſtianos conſecratus eſt, apud

Vetus vicus Dantzwick.

Hageli in vicanos imperium.

apud illos autem idolo cuidam ethnico ſacer erat, excitatis ignibus, tripudiis, & geſticulationibus ſuo more celebrabant, ante arcem Domini in ipſo monte ſemel ac iterum choreas circumducere, ipſe vero Dominus viciſſim vas cereviſiæ honoris gratia donare illis conſveverat, quo ad majorem lætitiam invitarentur, & inter compotandum more majorum Domini ſalutem ſinguli ſingulis propinarent. Hæc occaſio conjuratis apprime viſa eſt idonea ad exequendum id, quod adverſus Hagelum jam diu cogitaverant. Cum dies ſolennis adveniſſet, Vicani omnes cum uxoribus & liberis choream longo ordine ductantes, ad arcem ludibundi procedunt, ſaltationem explicant ac circumducunt. Hagelus cum cereviſiam liberalius etiam quam de more præberi juſſiſſet, nihil eſt damni, inquit, ad familiares, inſolitam ejus liberalitatem nonnihil admirantes, ſi quam cereviſiæ jacturam fecero, non enim in communi ebrietate a rixis, pugnis & vulnerationibus temperabunt, ſic abunde, cum mulctabuntur delinquentes, damnum hoc compenſavero. Vicani qui ſub tunicis breves gladios & ſecures abſconderant, quam primum ad exportandam cereviſiam referari vident, ex improviſo relicta ſaltatione, mares omnes irrumpunt, munitionem occupant, incendunt ac evertunt, Hagelum cum univerſa familia, & aulico famulitio trucidant, conſervata una ſaltem ex filiabus Prechta, quam in matrimonium collocarunt illi, qui primus conſilium iſtud occupandæ arcis adinvenerat. Cæterum Hagelus cum vidiſſet ſe proditum, & ſibi necem imminere, nec uſpiam effugiendi facultas eſſet, in ipſo mortis articulo exclamaſſe fertur: O Dantz, Dantz (i. e. quod Germani tripudium vel ſaltationem dicunt) quam fœde me prodidiſti. Hinc exiſtimant huic vico nomen primo datum, ut Dantzwig, vel potius Tantzwig, quaſi dicas tripudii vicus appellaretur, quod factum cum vicini, qui eo commeare ſolebant, admirati eſſent, facile deinceps nomen illud amplexi ſunt & alibi divulgarunt. Et hæc in libro Monachorum Elbingenſium hoc modo perſcripta ſunt.

Hageli cædes.

Alia narratio de Hageli cæde.

Hanc autem hiſtoriam alii paulo aliter narrant, nimirum conjurationem Vicanorum inde coortam fuiſſe, quod Hagelus Scultetum ſeu præfectum vici, quædam illorum poſtulata proponentem, indignatione plus nimio correptus temere trucidaſſet. Exinde Hagelus quod inſidias idcirco ſibi parari ſenſerat, animos ſubditorum offenſos reconcilare voluiſſe dicitur, remiſſis ad tempus oneribus & exactionibus: In primis autem, ut interfecti Sculteti cognatos emolliret, filiam ſuam natu minimam nomine Prechtam interfecti filio Helgæ deſpondiſſe. Tranſacta res eſt, conjuratio uti videbatur extincta, Vicani offenſionem omnem remiſiſſe exiſtimati. Ubi nuptiarum dies advenit, quo ſolenne erat, ut ſponſus cum agnatis & propinquis ad ſponſam iret, eamque ſolenni pompa ex domo parentum ad nuptiarum locum, in vico publice conſtitutum, deduceret, Hagelus nondum ſatis etiam Vicanis fidens, & ideo ſponſum cum tot amicis & comitibus admittere detrectans, poſtulat ut mater ſaltem ſponſi cum ſelectis aliquot virginibus & matronis ex arce ſponſam accerſeret, ſeſe ſtatim ubi cum aulicis ſuis ſemel ac iterum in ſponſa-

ſponſalium honorem choreas duxiſſet, illas ſimul cum ſponſa remiſſurum. Videant hic, qui imperant, quam meticuloſa res ſit tyrannis, quæ rerum crudeliter geſtarum male ſibi conſcia proprio ipſius metu ſibi perniciem accerſit. Hagelus hic ſi ſubditos jam placatos non metuiſſet, & propter metum repulſam non neceſſariam illis non objeciſſet, absque periculo futurus, nunc dium nimium metuit ſub ipſius indicio tanquam ſorex perit. Sapienter itaque Plato Dionyſio quærenti, quid rei tyrannidem putaret, admodum miſeram ſibi videri reſpondit, quod ea etiam novaculas timeret. Vicani hoc reſponſo accepto, non tam ægre ferentes rem novam ab Hagelo poſtulari, a plerisque ſubditis repudiari ſolitam, quam quod nondum ipſo ſatis pacato uti ſeſe poſſe dolerent, interim etiam veterum ſimul ac recentium injuriarum recordantes, conſilium ex tempore capiunt Hagelo pernitioſum. Reſpondent nihilominus modeſte, ſe Domino gratificaturos. Pulcherrimas quasque puellas & matronas exornant, quæ ſponſam accerſerent, in extremo agmine adoleſcentes aliquot imberbes, alioquin robuſtos, virginali habitu indutos, gladiis ſubter veſtem reconditis, tanquam ancillas & pediſſequas conſtituunt. Hoc ordine arcem ingrediuntur, & Hagelus nihil mali ſuſpicans agmen intromittit, ſponſam magnifice ornatam & veſtitam producit, unam ex Vicanorum puellis, quæ præ cæteris illi placebat, manu prehendit, ſaltationem præit, ſequuntur aulici atque adeo miniſtri omnes. Vix dum choream inceperant, cum adoleſcentes Vicani ex improviſo gladios expediunt, & impetu repente facto Hagelum cum cæteris obtruncant. Ubi jam moribundus ille de proditione tripudii, uti ſupra dictum eſt, fertur exclamaſſe. Utut ſit, eodem res utrinque redit, in quo plerique conſentiunt, Hagelum prætextu tripudii vel ſaltationis in eas inſidias incidiſſe, atque inde Vico nomen accreviſſe. Quod quidem valde abſurdum videri poſſet, quandoquidem Hagelus & ejus ſubditi, utpote Vandali vel Caſſubii, Germanicæ linguæ plane fuerint imperiti, niſi in Slavonica lingua tripudium, æque ut in Germanica lingua Tantze diceretur.

Equidem in peculiari quodam Chronico ſcriptum legi, Helga vicano ab amicis Hageli viciſſim in ejus ultionem trucidato, Prechtam uxorem Vandalorum cuidam Principum nuptui datam eſſe, cui Dancus nomen fuerit, atque inde vicum primum, deinde Civitatem quoque nuncupatam. Sed hoc nullo, quod ego ſciam, aliorum ſcriptorum exemplo comprobatur.

Dancus.

Alii ſcribunt a Dano vetuſtiſſimo Rege Danorum, vicum conditum & appellatum eſſe, quod non minus abſurdum eſt, quam illorum ſententia, qui Gedani appellationem ex Getis & Danis, nulla rerum addita ratione vel hiſtoria componunt.

Danus.

Sunt qui affirment, Danum quendam ſive natione ſive ſaltem appellatione, piratam inſignem marelatrociniis infeſtare & prædas in hunc portum ſeu maris ſinum convectare ſolitum fuiſſe, & ab eo vicum illum quaſi Dani receptaculum a nautis vulgo appellatum.

Equidem a vero non alienum arbitror, vicum iſtum a Danis initio nomen accepiſſe, vel quod ii locum hunc navigiis primum frequentaverint, vel quod Danis piſcatoribus habitandi locus a Caſſubiorum Prinpibus ibi primum ſit conſtitutus. Quinimo legimus in hiſtoriis, Regem Danorum Waldemarum, bello cum Vandalis geſto, huc trajeciſſe, & oram maritimam Vandalicam, Pomeranicam & Caſſubiorum partim devaſtaſſe, partim in poteſtatem ſuam redegiſſe, itaque fieri potuit, ut ex Danis ſuis coloniam hic reliquerit.

Antiquitates hujus Oræ.

Quis autem poſt Hagelum & ejus ſucceſſores alias his in locis rerum ſtatus fuerit, difficile eſt conjectari, nedum ut certi quidpiam tuto liceat affirmare. Unius rei argumentum afferam, oram hanc Pomerelliæ maritimam pluribus retro ſeculis habitatam cultamque fuiſſe. Etenim ætate ſuperiori, quod a fide dignis hominibus accepi, in monte vicino, quem ab Ethnicorum idolorum cultu olim ibi celebrato vulgo, den Heydenberg appellant, oſſa humana teſtis incluſa, ac ibidem ſolerter condita, & ſepulcrorum etiam antiquiſſima veſtigia ſunt reperta. Numismata quoque ſuperioribus annis per homines ea loca curioſius rimantes non unius generis inventa ſunt, ſed ignota plane & variis characteribus & literis inſignita, quæ rei antiquitatem ſatis demonſtrant, inter cætera monetæ genus tam aureum quam argenteum his characteribus ᛟ ᛇᚠᛇ ᛟ cum inſcriptione plane obſoleta inventum. In quibusdam nummis latioribus effigies cernitur Reginæ quaſi vetulæ, in altera nummorum facie manus eſt extenſa & plana inter hos characteres media m ⊙ inventi ſunt alii magnitudine, qua taleri quadrans eſt, qui in uno latere effigiem gerunt Reginæ coronatæ, poſt caput ſagitta eſt, pro facie hic character quaſi Mercurii ſignum ☿ ad ſagittam hæ ſcriptæ ſunt literæ legibiles adhuc LECIPORUS, pro facie autem Reginæ CRASSIURA. In altero latere pictus eſt cantharus fuſorius & armatura triumphalis vel trophæum, circumſcriptio propter vetuſtatis obliterationem legi non poteſt. Alii ſunt nummi, qui in una facie Reginam præ ſe ferunt coronatam cum his literis: CESTIANUS. In altera facie feretrum, cui homo obvelato capite inſidet, circumſcriptio obſoleta nec ipſa poteſt internoſci. Sunt plurium ſpecierum nummi in centro hanc crucis formam ✠ habentes, alii cum hac inſcriptione: ODDO REX, alii cum iſta: HENRICUS DUX. Hujus utriusque nummi altera facies ignotis characteribus inſignita eſt. Alius itidem nummus eſt, qui in altero latere hominis faciem refert cum hac inſcriptione. BERNARDUS DUX, in altero crucis minoris ſignum circulo incluſum ⊕, circumſcriptio literas habet non ſatis legibiles. Alius eſt nummus, qui in utraque facie eandem crucis formam habet ⊕ ſed diverſam inſcriptionem, in una ſcilicet OTTO IMPERATOR, in altera VELONA. Et ſimiles nummorum formæ ibidem plures ſunt repertæ, de quibus ideo plura dicere ſuperſedendum videtur, ne in rebus nimium obſoletis & extra cognitionem nunc poſitis, nimium videar curioſus, immo ne curioſior illis ipſis, qui iſta ex terræ viſceribus ad lucem tanquam poſtliminio reduxerunt.

Marti-

Cromeri de Viſſimiro ſententia erronea.

Martinus Cromerus, Epiſcopus Varmienſis, quem honoris gratia nomino, in hiſtoria de rebus Polonorum ſcribit, a Polonis, duce Viſſimiro, uno de Lechi poſteris, quos ad annum Chriſti circiter ſeptingenteſimum rerum Polonicarum ſummam gubernaſſe volunt, Sivardum Danorum Regem navali pugna inſigni profligatum pulſumque, precario regni partem ſub annuo tributo recepiſſe, conceſſa Polonis Iutia Scaniaque: filias vero ejus duas captivas alteram Norvagiis, alteram Germanis venditas, filium autem Jarmericum obſidis loco apud Polonos adſervatum eſſe: inde Viſſimirum Principem captivis abundantem duas urbes maritimas condidiſſe, & ex his alteram Viſſimiriam, quæ nunc Wismaria dicitur, de ſuo nomine, alteram Dantiſcum vel Gedanum a Danis devictis, eoque velut in coloniam deductis appellaſſe. Cujus rei Vapovium quendam auctorem laudat, apud quem uti horum fidem eſſe jubet, ita narrationem eam veriſimilem non videri, perſpicuis aliorum ſcriptorum doceri poteſt argumentis. Et ipſa dictat ratio, tam vetuſtum tempus origini civitatis Gedanenſis minime convenire. Hic enim Viſſimirus, non Polonorum Dux ſed Vandalorum, qui tum Pomeraniam & Megapolin univerſam obtinebant, & continua cum Danis bella gerebant, princeps fuit: niſi libeat Vapovio Vandalos & Polonos unam eandemque gentem cenſere, & utriusque nationis imperia, bella, & excurſiones, nullo nominum diſcrimine ſervato confundere. Hunc Viſſimirum aſſerunt nonnulli vixiſſe circiter annum Chriſti trecenteſimum quadrageſimum, & Vismariam condidiſſe, quo tempore Gedanenſis civitas, ne quidem in rerum natura cenſeri poteſt. Eſſet enim perabſurdum, talem civitatem maritimam tot ætatibus extitiſſe tam ignobilem, & hiſtoricis vetuſtioribus, qui res ad mare noſtrum Balticum antiquitus geſtas, ſatis diligenter perſcripſerunt, manſiſſe prorſus incognitam. Sed neque Vismariæ ea vetuſtas eſt, ut iſto tempore condita fuerit, quinimo quod verius eſt, a Gunſelmo comite Sverinenſi ſeu Megapolenſi condita ſcribitur eo tempore, quo Waldemarus ſecundus Danis imperabat, & in Polonia Conradus Maſoviæ Dux floreret, is ſcilicet qui Cruciferos Marianos in Pruſſiam primus evocavit, & Lecho certe ſeculis aliquot fuit poſterior. In Danorum etiam hiſtoriis nullibi legitur, Polonos unquam trans mare, vel in Daniam aut transmarinas regiones arma protuliſſe. Vandalorum autem expeditiones adverſus Danos & Saxones, & excurſiones demum per Romanum Imperium usque in Africam, apud hiſtoricos non ſunt ignotæ. Porro Siverdum Daniæ Regem illum, quem allegat Cromerus, a Sueonibus primum, deinde a Vandalis alia ratione devictum fuiſſe Albertus Crantzius hiſce verbis narrat: Siwardus filiorum Emundi natu major, regnum patris poſt illum omnium voluntate aſſequitur, fratre adhuc Buthlo impubere. Prima illi incidit rei gerendæ occaſio, quod Germanam Gotharo Sueonum Regi deſponſiſſet, legatique ab eo Rege in eam cauſam miſſi, itinere medio male habiti fuiſſent, creditum eſt Siwardi inſidiis eſſe patratum. Igitur Sueonum Rex injuriam vindicaturus claſſem aptat, milites imponit, movetque in Daniam. Nec ſegnior illi occurrit Siwardus, & apud Halandiam claſſe congreſſi maritimo prælio decertant. Victoria Sueonum fuit.

Lib. 2. Daniæ c. 14. Vera Siwardi Regis hiſtoria.

Nam Daniæ Rex fuga ſibi conſulit in Iutiam, colligens ibi ſparſi exercitus ſuperſtites milites. Interim Rex victor Daniam ingreſſus, puellam rapuit ante deſponſatam. Specioſum duxerant ea tempeſtate Regii viri, ſi armis nuptias conſcirent. Siwardus tamen opportune Iutiam ingreditur. Nam per idem tempus cum Daniæ Regem bello implicitum Wandali perſentirent, terreſtri agmine moventes, in Daniam vaſtabundi inceſſerunt. At Rex de fuga veniens ibi quos potuit armavit, Wandalis occurrit, ac retro pepulit, priorem fugam nova victoria compenſans. Sed non erat longum tempus in medio, quo jam Wandali recuperatis viribus duce conſtituto, militari ordine Jutiam repetentes obvium Regem fundunt fugantque. Magnum hoc & memorabile prælium quo Rex non ſolum bello vincitur, ſed Iutia exuitur, quæ jam in Wandalorum conceſſit poteſtatem, cum dudum antea Saxonibus dominis illa ſerviret. Hac etiam pugna filium Jarmericum, geminasque filias ab hoſtibus captas amiſit. Hæc fuit illa tempeſtate Danici Regni calamitas, ut cum Scaniam Sueci occupaſſent, Iutiam Wandali tenerent, duabus Regni potioribus partibus in hoſtium poteſtatem factis, ſolæ inſulæ in medio parerent Danorum Regi, non contemnenda quidem provincia, ſed majoribus ſuis præſidiis deſtituta, cum hinc Wandali, inde Sueci medium Danorum Regem pene captum complecterentur &c. Et paulo poſt idem Crantzius Wandalorum Regem, qui hanc de Sivardo victoriam reportavit, Ismarum nominat, ſic ut per adjectionem literarum Wismarum vel Wiſſimirum denominare non magnæ ſit difficultatis. Idem ſcribit ferme Saxo Grammaticus rerum Danicarum hiſtoricus non ignobilis, a quo Crantzius, haud dubie ſua mutuatus eſt. De quibus plura differere non eſt hujus loci vel temporis inſtitutum. Nos ex iſthoc diverticulo Danico in Pruſſiam redeamus.

Ziemovitus contra Pruſſos.

Auctores ſunt rerum Polonicarum ſcriptores, quod Leſci tertii filiis Boleslao, Barnimo, & Bogotalo, in partitione paternarum Provinciarum, Pomerania: Caſimiro & Vladislao Caſſubia: deinceps autem Ziemovitus Piaſti filius poſt varias victorias a Pruſſis quoque, quæ ij ſuperiori tempore de Polonis ceperant, bello repetiverit: ad extremum Pomeranorum & Caſſubiorum, & Vinidarum ſive Slavorum Ducibus, Leſci tertii nepotibus & poſteris, qui a patre ſuo defecerant, bellum intulerit: quod quidem illi locorum difficultatibus magis quam viribus freti diutius extraxerint, domitique fuiſſent ad extremum, niſi Ziemovitus in ipſo rerum gerendarum fervore, rebus humanis exemptus fuiſſet: ejus vero filius Leſcus quartus plane adoleſcentulus bellum hoc intermiſerit, nec magnam harum provinciarum curam habuerit, tandem & ipſe & filius Ziemomyslus eas cum Germanis bellum gerentes plane pro derelictis habuerint. Quæ omnia anilibus fabulis (quod cum venia iſtorum nugatorum dixerim) ſimiliora ſunt, quam ut ex probatis hiſtoricis comprobari poſſint. Sane eadem opera iſti Leſcorum filiis & nepotibus totam Germaniam atque adeo Aſiam & Africam adſcripſiſſent.

Anno Chriſti circiter. - 860.

Anno 997.

Cæterum cum Boleslaus, quem Imperator Ottho Tertius ex Principe Regem Polonorum poſtea deſignavit, fidem Chriſtianam exemplo

exemplo Patris Miecislai amplexus fuiſſet, Adelbertus Boëmus, Pragenſis Epiſcopus, vir ſanctimonia vitæ pietatisque ſtudio clarus, propagandæ Religionis Chriſtianæ cauſa, Ungariæ & Poloniæ partibus peragratis, tandem etiam in Pruſſiam venit, eo propoſito, ut iſtam quoque gentem Chriſto lucrificaret. Verum initio ſtatim hujus operis, dum religionem Chriſtianam magna cum difficultate & patientia diſſeminat, a barbaris & immanibus Pruſſis, dæmonum & idolorum ſacrificulis cum antiſtite inſtigantibus, inter ſacrificandum ſeptem telis confoſſus ac trucidatus eſt, die viceſima tertia menſis Aprilis, anno Chriſti nongenteſimo nonageſimo ſeptimo. Boleslaus Rex corpus ejus diſſimulata in præſens vindicta a Pruſſis redemit tanto auri vel argenti pondere, quantum corporis pondus adæquaret. Adjiciunt huic rei miraculum, quod corpus in ſtatera appenſum perexiguum ponderaverit, & ita non multum auri vel argenti Pruſſis obvenerit.

S. Adelbertus a Pruſſis trucidatus.

Hanc vero necem Boleslaus poſt aliquot annos, cum a cæteris bellis otium nactus eſſet, adeo ſevere ultus eſt, ut facta in Pruſſiam expeditione maximam terræ partem rapinis & incendiis devaſtaverit, arces & oppida deſtruxerit, ac Pruſſos tandem ad pendendum annuum tributum adegerit. Qui quidem imperata ſe facturos tum promiſerunt, ſed nunquam poſtea neque Boleslao vivente, neque filio Miecislao regnante tributum pependerunt, mortuo tandem Miecislao jugum iſtud penitus abjecerunt, præſertim quod defectionis ſuæ commodam nacti fuiſſent occaſionem. Etenim interregni tempore, cum Poloniæ ſtatus eſſet turbulentiſſimus, nullum certum imperium, nulla procerum concordia, quisque ſibi Rex erat, omnia mutuis cædibus miſcebantur, latrociniis viæ publicæ infeſtabantur, incendebantur pagi & oppida, collatis ſignis inter cives & proceres pugnabatur, cædium, ſtuprorum & rapinarum modus nullus, aggreſtes a laboribus & agricultura feriati in nobiles ac dominos inſurgebant, quin etiam nec a templis & aris abſtinebatur, ſed ſacra profanis miſcebantur. In hac rerum omnium confuſione Maslaus quidam ſive Maſos, qui pocillator Regis Miecislai fuerat, vir potens & audax, dominatum inter ſuos in tractu Plocenſi & confinio Pruſſorum arripuit, confluenteque ad eum undique magna hominum partim vi & armis exercitatorum, partim potentiorum vim & injurias vitantium multitudine, permagna potentia auctus eſt, & Maſoſſiæ ſive Maſoviæ nomen ei oræ, quam dominatu complexus eſt, dedit.

An. 1012. Boleslai ultio vana.

Pruſſorum defectio.

1036. Maslaus.

Hujus exemplum ſecuti Pruſſi ſe quoque abjecto omni Polonorum imperio & fœdere, penitus in priſtinam libertatem vendicarunt. Idem eodem tempore fecerunt etiam Principes Pomeraniæ. Caſimirus deinde Rex ex monaſterio Cluniacenſi in Galliis ad regnum revocatus, primum omnium in Maslaum duxit, nec ſegnius ille magna ſuorum manu raptim coacta advenienti Regi obviam proceſſit, auxiliis Pruſſorum, quos in belli ſocietatem adſciverat, non expectatis: ſed commiſſo prælio Maſovii victi Regi ſe dediderunt, ipſe dux nihil ſibi tutum fore inter ſuos ratus ad Pruſſos confugit, a quibus ſimul & a vicinis Jazvingis non

auxilia modo ſed validos etiam exercitus impetrat, quod non minus ipſorum quam ſuam rem agi diceret. Non quieturum enim eſſe Regem ſe victo, quin ipſis quoque arma inferat, & non tantum tributum, quod pendere deſiiſſent, exacturum, verum etiam graves pœnas rebellionis de ipſis ſumpturum eſſe. Tuerentur libertatem, in quam ſe aſſeruiſſent. Cogitarent, non eas jam Polonorum vires eſſe, quæ Boleslai regno floruiſſent, quibusque ipſi debellati eſſent. Magnam vim hominum partim externis bellis, partim inteſtinis cædibus exhauſtam eſſe, qui ſupersint, quique maxime bellicoſi ſint, eos fere ſecum ſentire, & partim id aperte profiteri, partim clam conſilia communicare: in Regem non optime animatos eſſe, quippe qui otio & ſuperſtitioni in monaſterio imbibitæ deditus, militaribus hominibus minus indulgeret. Se quidem cum paucis non tam juſto prælio ſuperatum, quam inopinantem oppreſſum, non incruentam tamen hoſti victoriam reliquiſſe: ipſos tantis pollere copiis, ut Poloniam omnem nullo negotio poſſint ſubigere, afflictam præſertim atque laceram, uti tunc eſſet. Ad hæc ipſe etiam de ſuo ingentibus pollicitationibus eos onerat, nec difficulter homines barbaros ad ſocietatem prædæ magis quam belli, quemadmodum videri volebat, allicit. Jazvingi illi, qui aliis Jazyges ſunt, diverſi prorſus a Jazygibus Metanaſtis, quorum extant adhuc reliquiæ quædam ad Tibiſcum fluvium in Ungaria, inter Poloniam, Ruſſiam, atque Pruſſiam medii habitaſſe & acerrimi ac bellicoſiſſimi fuiſſe memorantur, donec a vicinis attriti & ad extremum deleti ſunt: quanquam feruntur, adhuc tenues quædam eorum reliquiæ ſupereſſe, in Litvania & Ruſſia, diverſa prorſus a Slavis & Litvanis lingua utentes. Pruſſi igitur Maslai oratione perſuaſi ingentem contrahunt exercitum, & belli ducem ipſum deſignant. Ille cum barbarorum copiis omnibus ingreſſus fines Maſoviæ, quæ præſidiis & munitionibus carebat, facile eam recepit. Progreſſus deinde in Poloniam populabundus Regem Caſimirum obvium habet, qui conſpicatus tantam hoſtium multitudinem adeo animo concidit, ut plane de victoria deſperaret: confirmatus tamen ut ajunt viſu nocturno prælium inivit, ex quo cæſis ac profligatis hoſtibus præclaram victoriam, non tam humano quam divino auxilio conſecutus eſt. Cæſa feruntur in eo prælio Pruſſorum quindecim millia, duo millia capta. Maslaus ex fuga perpetuo curſu in Pruſſiam contendit, ut novis auxiliis conquiſitis bellum reſtauraret. Verum Pruſſi clade ſuorum permoti, Maslaum crudeliter excarnificatum in crucem egerunt, addito hoc inſultantium elogio: Ut alta teneret, qui alta petiviſſet. Sic mali conſilii auctor male periit. Maſovia vero nomen ab eo ſemel acceptum in hunc usque diem retinuit.

Jazvingi.

An. 1043.

Maslai cædes.

Hoc modo Pruſſi iterum repreſſi & coacti ſunt, ut pacem peterent, qua data per annos circiter ſeptendecim intra fines ſuos retenti, in officio permanſerunt, donec poſt Caſimiri mortem filius ejus Boleslaus ſecundus rerum potiretur. Hujus Regis adoleſcentiam illi contemnentes, & quod eum per idem tempus Boëmico bello diſtineri ſciebant, denuo rebellant: Pomeraniam finitimam transmiſſo flumine Viſtula, repentina excurſione populantur, arcem Grodecum (hodie Grudentum eſt) quo ſe cum præda recipiant, muniunt: inde crebro in adjacentes oras Poloniæ, nemine prohibente, graſſantur. In eos igitur Boleslaus pace cum Boëmis facta ducit exercitum, Grodecum oppugnare adoritur, verum difficultate expugnandi ejus deterritus, eo quod natura munitus eſſet locus, egregieque a Pruſſis defenderetur, ſolvit obſidionem, in qua plusculum temporis fruſtra conſumpſerat: fremensque quod ſylvis & paludibus & munitione illa ſeſe tenerent hoſtes, nec ullam pugnandi copiam facerent, & ſe alio feſtinantem diſtinerent, arte ſibi domandos eſſe, quos aperto Marte non poſſet, exiſtimavit. Reducere ſe exercitum ſimulat, cæterum in inſidiis latebat. Pruſſi abiiſſe hoſtem rati e latebris prodeunt, & in Poloniam excurſionem facere parant. Quod cum Boleslaus ab exploratoribus accepiſſet, ducit in hoſtem alacer. Priusquam ad hoſtem veniretur, transmittendus erat Oſſa fluvius, qui Poloniam a Pruſſia dirimit. Hunc primum armati incunctanter ingreſſi, pondere armorum & altitudine aquarum, quæ imbribus tunc forte excreverant, abſorpti ſunt. Cæteri exuti armis & loricis, quæ magni ponderis fiebant antiquitus, minori periculo tranarunt, hoſtesque ſecuros, & nihil tale ſuſpicantes opprimunt, & ingenti ſtrage conciſos in poteſtatem ſuam redigunt. Ab hoc bello deinceps Pruſſi per annos viginti quinque Boleslao tributum pependerunt, non omnes quidem, ſed qui Maſoviæ & Culmenſi terræ erant viciniores, & ſic etiam a quotidianis excurſionibus cohibiti fuerunt. Mortuo Boleslao, qui Stanislaum Epiſcopum Cracovienſem a quo frequenter officii ſui admonebatur, ut flagitiis & injuriis erga ſubditos abſtineret, in templo ſacris operantem ſua manu lethaliter vulneraverat, & deinde ſatellitibus fruſtatim concidendum reliquerat, tandem exagitante eum in dies magis ac magis patrati ſceleris conſcientia, acerbo & inſatigabili ſceleratorum carnifice, amentia correptus mortem ſibi conſciverat: frater ejus Vladislaus Hermannus Rex deſignatus eſt, quanquam ipſe non Rex ſed Princeps & hæres Regni Polonici dici voluerit, vir prudens & virtute præditus, ad quietem autem & otium quam ad bellum propenſior, & humanitatis atque religionis amantior quam gloriæ. Is Regnum valde turbulentum offendit, conſilio tamen & magna dexteritate pacavit. Hoc Rege Pruſſi iterum arma capiunt, quos vicini Caſſubii & Pomerani metuentes, ne in ſe exercitus duceretur, ultro miſſis legatis ſibi conciliant, fœdus & ſocietatem contra Polonos cum iisdem ineunt & arma conjungunt. Id ubi reſcivit Vladislaus, quanquam eodem tempore etiam Ruſſi ab imperio defecerant, ad hoc tamen incendium prius quam ad alterum reſtinguendum occurrere voluit. Itaque recta in Pomeraniam ducit, agros longe lateque populatur, oppida & arces quasdam occupat. Pomerani cum ſociis Pruſſis armata manu Regi occurrunt. Ibi duo prælia cruenta, alterum feſto die Palmarum, alterum die aſſumptionis Mariæ pari ferme utriusque partis clade & diſpendio, Pruſſis tamen & Pomeranis in fugam conjectis. Poſteriori prælio illud incommodi Polonis acceſſit, quod propter aëris intemperiem & imbrium continuorum inundationem coacti ſint exercitum reducere. Quo per hyemem reparato, ſequenti æſtate Rex in Pomeraniam reverſus, cum nusquam hoſtes in apertum prodi-

Boleslai expeditio.

Mors Boleslai.

An. 1081.

Vladislaus Hermannus.

1085.

Duo prælia.

1086.

Pruſſorum novæ eruptiones.

prodirent, vaſtat iterum agros pagosque & oppida quam acerbiſſime. Deinde Naclum arcem inprimis munitam, quæ receptaculum erat Pomeranis ad excurſiones in Poloniam faciendas valde opportunum, cum primo impetu capere non potuiſſet, eo quod valido teneretur præſidio, operibus circumvallare inſtituit, ut obſeſſorum eruptiones reprimeret. Diu duravit ea obſidio, donec tandem nocte quadam, cum Poloni negligentius cuſtodias agerent, præſidiarii milites eruperunt & caſtris ignem injecerunt, quo, cum ventus etiam vehementiſſimus adjuvaret, & caſtra & omnes munitiones adverſus hoſtem erectæ ſimul conflagrarunt. Sic obſidio ſoluta & Rex cum exercitu in Poloniam regreſſus. Polonici ſcriptores factum hoc ſpectris acceptum ferunt. Nocturnis (inquit Cromerus) temporibus, lucente luna crebro viſebantur ab excubitoribus noſtris quaſi armatorum hoſtium acies, ex apertis campis ad ſtativa noſtrorum adequitantes & incurſantes, quas noſtri exciti raptimque correptis armis ſatis habebant a foſſis caſtrorum repellere, veriti nocturnas inſidias. Cum id ſæpius accideret, indignari noſtri, inquietari ſeſe, nec usquam in apertum certamen prodire hoſtes: Itaque nocte quadam cum itidem hoſtes adeſſe nunciarentur, fremebundi agminatim e caſtris ſeſe proripuere, diffugientesque caſſo labore longius perſecuti ſunt. Obſeſſi tumultu noſtrorum exaudito & excurſione e caſtris animadverſa erumpunt ſubito, & ignem in opera atque tuguria militum ſtramine arundineque contecta injiciunt, quo celeriter pluribus in locis ſeſe diffundente, paucis qui in caſtris manſerant defendentibus, facile opera cum magna caſtrorum parte conflagrarunt. Nocturnas umbras illas fuiſſe autumant, quæ hoſtilis exercitus ſpeciem oſtentantes, Polonos ita divino permiſſu exagitarunt, propterea quod ſolenne omnibus Chriſtianis quadraginta dierum jejunium, priore expeditione, promiſcuo ac temerario eſu carnis & lactariorum, moribus & inſtitutis Eccleſiæ Catholicæ contemptis, temeraverant. Hoc incommodo accepto noſtri, quod hyems, quæ citius & aſperius regiones illas affligit, jam inſtabat, tuguriaque amiſerant, ſine quibus vim & injuriam hyberni cœli perferre non potuiſſent, ſimul quod terrores illos nocturnos in religionem verterant, re infecta ab oppugnatione Nacli juſſu Regis domos diſcedunt. Hæc Cromerus. Quibus illud etiam addit, in ſequenti æſtate rurſus a Polonis in eosdem Pomeranos, & mox in Pruſſos, infeſtis animis impetum factum, & regiones illorum, quæ quidem cultæ fuerant, quoquo verſus quam crudeliſſime vaſtatas, nulli neque ſexui neque ætati hominum parcitum. Quibus fatigati fractique malis hoſtes publico conſilio deditionem fecerint, & miſericordiam principis ſupplices imploraverint, ille populariter adeſſe juſſos graviter caſtigaverit, in auctores rebellionis ſupplicio capitis animadverterit, cæteram multitudinem metu ſolverit, & jusjurandum conceptis verbis dare ſibi juſſerit, & ita Pruſſos & Pomeranos fuiſſe perdomitos. Cujus poſtremæ expeditionis annales Pruſſiæ nullam faciunt mentionem, licet ſuperius bellum diſerte proponant. Et ut quoquo modo Pruſſi & Pomerani tum perdomiti, non tamen adeo diuturnum hoc fuit, quin bellum iſtud Pomeranicum per multos deinceps annos vario eventu continuatum fuerit.

Obſidio Naclenſis.

Pomerani & Pruſſi domiti.

Accedit

Accidit porro, ut Pomerani & Caſſubii arcem Medireciam a Polonis interciperent, & ex ea latrocinia in ſubjectas oras, & eos, qui iter eo faciebant, exercerent, & ſic itinera verſus Poloniam maxime infeſta redderent. Ægre ferens eam rem Vladislaus arcem ingenti exercitu circumſideri imperat. Quo facto cum vehementiſſime oppugnaretur & præſidiarii milites fortiſſime ſe defenderent, tandem pluribus ex præſidio occiſis & vulneratis, cum munitionibus paſſim dejectis propugnationi amplius non ſufficerent, deficiente ſimul annona, arma & liberam cum ſingulis equis & ſarcinis abitionem pacti, arcem dediderunt. Ingruentibus deinceps in Poloniam inteſtinis diſcordiis & bellis civilibus, rurſum Caſſubii & Pomerani commodam rerum novandarum occaſionem oblatam ſibi eſſe rati, Santocum arcem Polonis ad reprimendum illorum motus valde opportunam per fraudem intercipere conati ſunt: ubi dolus non proceſſit, per vim aggrediuntur, exiſtimantes paucos milites, qui in præſidio eſſent, ſua multitudine facile poſſe ſuperari. Cum ne aperta quidem vis ſuccederet, alteram & ipſi arcem e regione illius, quæ a Polonis defendebatur, magna celeritate excitarunt, unde Polonos comeatu & populatione prohiberent, & ipſi liberius in Poloniam incurſiones facerent. Vladislaus ea de re certior factus, mittit exercitum, qui munitionem illam expugnaret ac everteret. Res infeliciter tentata fuit. Pomerani enim, quorum prævalida manus in præſidio erat, ex arce erumpentes hoſtilem exercitum fortiter repulerunt, & in fugam conjecerunt. Indignatus Rex, denuo cum expeditis copiis filium Boleslaum, excelſi animi adoleſcentem, mittit, qui Pomeranos, utpote ſuperioris temporis ſucceſſu ferociores factos ex arce procurrentes non absque clade retro compellit, ac tam arcta obſidione arcem cingit, ut tandem illi deſperatis rebus munitionem incenderent, & ſilentio obſcuræ noctis diffugerent. Addunt ſcriptores, non multo poſt Pomeranos iterum ſumma vi Santocum oppugnaſſe, ſic ut Poloni, qui erant in præſidio, diutius hoſtiles impetus ſuſtinere non poſſe dicerentur, itaque Boleslaum cum equitibus, quos ad manum tunc habere poterat, celeriter ad ferendam Santoco opem excurriſſe, & continuato die noctuque itinere, ſummo diluculo, in hoſtes ab ea parte ſecuros irruiſſe, inermes ac dormientes vel contrucidaſſe vel cepiſſe, paucos fuga elapſos fuiſſe.

An. 1094. Medirecia capta.

1100. Santocum arx.

Vladislao Rege diem functo, Boleslaus filius, cui Criovouſto cognomen fecerunt, Rex deſignatus, Caſſubios & Pomeranos iterum e Polonia prædas agentes coërcere & inſigniter ulciſci cupiens, ne hoſtes, quid moliretur, præſentirent, in Boëmos expeditionem ſimulat, ad Glogoviam, ut Cromerus ſcribit, equites convenire jubet. Inde converſo itinere per denſas ſylvas ſeptimis caſtris ad Colbergam, frequens & opulentum ea tempeſtate oppidum maritimum, pervenit & nocte in ſylvis quieti data, inſequentis diei diluculo, vadato amne, qui oppidum præterfluit, & majore copiarum parte ad ſubitos hoſtium impetus, ſi forte eos adventus ſuus non fefelliſſet, ſuſtinendos relicta, cum reliquis oppidum improviſo adortus eſt. Iamque portas effregerat, cum facto ab oppidanis concurſu recipere ſe coactus eſt: veritus ne ſui, pauci a multis,

1102. Boleslaus Colbergam tentat.

tis, in quibus & pueri, & mulieres bonam de domibus atque tectis operam navare poſſent, opprimerentur. Plerique enim e Polonis prædæ cupidiores ad ſuburbana diripienda diſcurrerant. Primo tumultu Dux hoſtium, qui in eo tunc oppido commoratus erat, in fugam ſe ejecit. Boleslaus caſtigatis iis, quorum importuna prædæ cupiditate factum erat, ne oppidum primo impetu caperetur, majore deinde vi & omnibus copiis oppugnationem aggreſſus, ubi caſſo labore & vulneribus confici ſuos ab oppidanis ſtrenue mœnia defendentibus animadvertit, direptis & incenſis ſuburbanis in Poloniam cum præda reverſus eſt: paucisque diebus quieti datis cum iisdem copiis inexſpectatus in Pomeraniam
Suatoborus liberatus. rurſus invadit, Suatoborum maritimæ oræ Ducem, ſocium & conſanguineum ſuum (ſi Polonicis ſcriptoribus credendum eſt) liberaturus. Nam is propter injuſtum & crudelem dominatum captus a ſuis, in vincula conjectus erat. Itaque præmiſſis qui Suatoborum repeterent, ipſe non magno interjecto ſpatio cum exercitu ſubſequitur. Pomerani repentino hoſtium adventu territi, Suatoborum dimittunt, & ad Boleslai caſtra perducunt. Boleslaus Suatoboro admonito officii ſui, & non optimæ erga ſe ante eum diem fidei ſtatim reduxit exercitum. In ſequenti anno rurſus miſſa cum Scarbimiro Magiſtro militum aliquanta manu, Pomeraniam nemine prohibente depopulatus eſt. Nam ille cum prædatoribus iſtis profectus non eſt, haud longe tamen a Pomeranorum finibus aberat. Revertens e Pomerania Scarbimirus ad Principem contendit, ab equite quodam familiari ſuo ad nuptias pariter atque dedicationem templi invitatum. Adveniens majore lætitia explet convivium.
Boleslai periculum. Inde Princeps hilarior venatum ſe in ſylvam cum centum non amplius equitibus e convivio proripuit. Ibi in Pomeranos qui tunc forte raptim in Poloniam ſua damna compenſaturi incurſionem faciebant, cum incidiſſet, fugere turpe ratus, manus cum hoſte quamvis longe impar conſeruit, magnaque in eis ſtrage edita, dum iterum atque iterum perrumpit hoſtile agmen, deficiente ex vulneribus equo ipſius & uno de comitibus alium equum ipſi ſuppeditante, vix cum triginta ſuis, inter quos & Scarbimirus erat, ſalvus evaſit, Pomeranis in ſtuporem verſis & perſequi abeuntes non auſis, & mox ad ſuos pervenit, qui re cognita correptis armis e convivio ad ferendam Principi ſuo periclitanti opem accurrebant. Pomerani ſine mora, omiſſa inſtituta incurſione, quæ male adhuc ipſis ceciderat, curriculo domos ſeſe recepere. Feruntur autem fuiſſe ad tria millia. Sic temeritas Principis proſperum tamen eventum habuit. In ea pugna Scarbimirus valde conſauciatus dextrum etiam oculum amiſit.

An. 1107. Urbes Pomeranicæ captæ. Sequenti anno (ut idem Cromerus narrat) Boleslaus majore vi Caſſubiis & Pomeranis bellum fecit. Iam ii malorum pertæſi & aſſiduis agrorum ſuorum vaſtationibus fracti, ad deditionem animis inclinabant: ſoli Bialogrodenſes (civitas ea fuit inprimis dives & populoſa) ferociores, cæteros quoque a propoſito averterunt. Itaque in eos omnem belli molem confert. Sed prius tamen miſſis cum legato duobus ſcutis animos eorum tentat, albumne, quo pax, an rubrum, quo bellum excidi-

umque ſignificabatur, mallent. Superbius illi reſponſum dedere, ambobus ſcutis acceptis, ſanguine Polonorum ſe ſibi candidam victoriam pacemque paraturos. Itaque Boleslaus admotis ad mœnia Bialogrodi caſtris, actis vineis & turribus celeriter excitatis, ſumma ope urbem expugnare nititur, quatit murum aries, ipſe Princeps periculi immemor, inter primos verſari, nec deterreri multitudine telorum hoſtilium aut ſuorum circa ſe cadentium miſerabili interitu, quin ad portam urbis excindendam ſuis præiret. Depelluntur tandem ſumma Polonorum vi e propugnaculis hoſtes, & Poloni liberius effractis portis, cæſisque vel ſummotis, qui in urbis introitu repugnabant, in urbem ſigna inferunt. Tum demum Bialogrodenſes abjectis armis clementiam victoris ſupplices implorant. Parci jubet inermibus Boleslaus, & receptui ſigno dato, ab excidio & direptione urbis abſtinere milites jubet, evocatoque & caſtigato Magiſtratu urbis & omni multitudine, dat veniam victis. Hac victoria & victoriæ moderatione accepta, Colberga, Caminum, Velinum, quod Julinum fuit olim, urbs emporio nobilis, nunc oppidum ignobile eſt, Coſſelinum, & aliquot præterea oppida Pomeranorum atque Caſſubiorum in poteſtatem Boleslai venerunt, uti quidem Polonici ſcriptores ſunt auctores: quamvis omni exceptione minores. Ciarnicovum excitatis turribus majori vi oppugnatum, dum Boleslaus ad Boëmiæ fines excurrit. Ad extremum, eo ſub autumnum revertente, per deditionem receptum, & Gnevomiro, qui ejus oppidi dominus fuerat, redditum eſt, cum is religionem Chriſtianam, a qua alieni adhuc erant Pomerani, a Boleslao de ſacro fonte levatus, ſuſcepiſſet, & in Boleslai ſucceſſorumque ejus Principum Poloniæ verba juraſſet. Sed neque hæc victoria Boleslao diuturna contigit, quoniam paulo poſt Pomerani denuo defecerunt, & in Poloniam excurſiones facere cœperunt, unde novum bellum exortum, ſed quod per aliquot annos nullo memorabili prælio geſto ſaltem excurſionibus, latrociniis & rapinis mutuis protractum fuit. Inter cætera Pomerani Spicimirum vicum quendam Poloniæ ignobilem improviſo invaſerunt. Seceſſerat eo tunc cum parvo comitatu Martinus Archiepiſcopus Gnesnenſis, pius & venerandus ſenex. Atque is
Archiepiſcopi Gnesnenſis periculum. ad primum tumultum & adventum hoſtilem, timore ſubminiſtrante conſilium atque vires, inter contignationem templi abſconſus latuit: miniſtri vero & comites ejus dilapſi partim evaſerunt, partim in fuga ab hoſtibus capti ſunt, inter quos erat Archidiaconus Gnesnenſis. Eum Pomerani, quod & Sacerdos & ſplendide veſtitus, & magna oris dignitate præditus eſſet, Archiepiſcopum eſſe rati, ſpoliato raptim templo ſecum abduxerunt. Ferunt Pomeranos omnes, quicunque Archidiaconum & ſacra templi vaſa attigiſſent, domum reverſos cum liberis, conjugibus, propinquis atque domeſticis familiis, vel comitiali morbo correptos ad parietes & ſaxa ſe alliſiſſe, vel in amentiam verſos partim mutuis cædibus concidiſſe, partim dentibus & unguibus in ſe ipſos ſæviiſſe. Quo malo perculſi, cauſaque mali notata, Archidiaconum cum ſacris vaſis & omni inſtrumento templi Spicimirienſis non modo domum remiſerunt, ſed etiam ab eo tempore Chriſtianam religionem ſuſcepiſſe dicuntur. Verum hoc ego, quod ad religionem attinet, prout probatiores hiſtorici

asserunt, aliquanto posterius factum existimo. Tradunt enim annales,
Novæ irruptiones. tam his quam sequentibus temporibus Polonos in Pomeraniam, Cassubiam & Prussiam irrupisse, agros passim devastasse, villas & oppida incendiis afflixisse, ac prædam multam abegisse. Unde factum, ut
An. 1111. Pomerani rursum cum Cassubiis & Prussis arma conjugerent, & dum Boleslaus alibi cum Boëmis rem ageret, in Poloniam facta expeditione omnia vicissim devastarent, prædas agerent, &, ut uno verbo absolvam, pari par referrent. Reversus e Boëmia Boleslaus novo bello Pomeranos persecutus est, in quo Polonici scriptores tradunt, uno atque altero præliis viginti septem millia hominum cæsa, Naclum & alias sex civitates in potestatem redactas. Triennio post cum expeditis copiis Prussiam iterum ingressus, vicos, pagos, & oppida, longe lateque extenta populatione, ferro & igne vastavit, & nusquam prodeunte ad dimicationem hoste magnam prædam abegit, captivos, quorum ingens erat numerus, ad colendos agros in Polonia per diversa loca distribuit, extantque etiamnum nonnulli pagi, qui ex eo tempore Prussorum nomen retinent.

1119. Ultima Boleslai expeditio in Pomeraniam illa fuit (ut Cromerus
Suantepolcus bello petitus. narrat) qua Pomeranis plerisque acie victis, pluribus tamen captis quam cæsis, ne regio cultoribus prorsus vacua redderetur, Suantepolcus Princeps illi nonnihil adhuc negotii fecit. Is dominandi cupiditate ductus, minus erat dicto audiens Boleslao, & cum Pomeranis hostibus Polonorum, societatem iniverat. Hic perfidiæ suæ sibi conscius, cum veniam desperaret, obstinacius in rebellione permanebat, & Naclum, quo se tenebat, armis propugnaculis & commeatu bene munierat. Motis igitur castris Boleslaus Naclum obsidere cœpit ad Sextum Idus Septembris. Tentabat Principis animum Suantepolcus per internuncios, culpam deprecabatur, pecuniam & obsides pollicebatur. Sed surda hæc aure Boleslaus accipiebat, eo quod pessimi exempli facinus nolebat impunitum relinquere, & vulnere, sagittæ ictu, e mœnibus accepto iritatus erat. Sed cum paratiores, quam initio crediderat, ad perferendam obsidionem hostes, oppugnationem autem oppidi eo præsertim anni tempore perdifficilem esse animadverteret, fremeret vero exercitus, ne hyberno quidem tempore militiæ vacationem sibi concedi, nec solum cum hostibus verum etiam cum frigore, procellis & nivibus se conflictari, tandem negatam diu veniam dat Suantepolco & Naclensibus, pecuniam & obsides imperat, fuitque inter obsides Suantepolci filius. His
1120. peractis dimittit Boleslaus exercitum circa Calendas Januarii. Verum æstate proxima, nova Suantepolci & Naclensium defectione permotus, non jam cum totis Poloniæ viribus, sed cum evocatis, haud ita multis, raptim in Pomeraniam contendit. Iam enim domiti plerique omnes reliqui Pomerani erant, neque cum Suantepolco sentiebant. Adveniens, Vissegradum arcem & oppidum, quod a Suantepolci præsidio tenebatur, sextodecimo die expugnat & capit, & octo dies ibi, ut ægrotos & saucios reficeret, commoratus ad Naclum duxit. In itinere quædam
Naclum expugnatum. oppida primo impetu cepit. Naclum post superioris anni obsidionem melius

melius etiam munitum & commeatu refertum erat, & Suantepolci præsentia & industria magnum momentum oppidanis ad resistendum Principi adferebat. Itaque plus ibi negotii, quam putarat, reperit Boleslaus, eoque majore studio & conatu ad expugnationem ejus cœpit intendere. Turres oppidi mœnibus altiores excitavit, expletisque fossis ad oppidum admovit, defensoresque mœnium balistis & omni genere missilium e propugnaculis submovebat. Nec segnius oppidani vim Polonorum sustinebant, & vel de superioribus locis saxis, aqua & pice ferventi eos, qui propius successerant, propellebant, vel apertis portis in eos, operibus & materiæ comportandæ intentos, erumpebant. Et quidem non sine magno operæ pretio. Observata enim oppugnantium negligentia & venti opportunitate conjectaque magna vi sarmentorum, butyri, picis, lardi, & olei, ter Polonorum turres exusserunt, cum Boleslaus prioribus conflagratis maxima celeritate subinde novas excitaret. Quartæ tamen acerrime defensæ ab incendio, & majore militum contentione promotæ, nequicquam prohibentibus hostibus, mœnibus adhæsere. Inde Poloni cominus hastis atque gladiis rem gerentes oppidanos e propugnaculis dejecere, & ipsi in oppidum transcendere cœpere. Obstinate tamen hostes ad eum locum conglobati resistebant, neque consistere Polonos in mœnibus patiebantur. Pacem deinde a Boleslao postulant, ut excedere ipsis oppido & facultates suas omnes efferre liceret. Ubi id negatum est, inducias aliquot dierum petunt, cum
Captus & incarceratus Suantepolcus. ne eæ quidem concederentur, tandem desperatis rebus, vitam modo pacti oppidum & Suantepolcum Ducem dedunt, quem Boleslaus mox perpetuo carceri mancipavit.

Quarto deinceps anno Polonici scriptores asserunt, Boleslaum
An. 1124. Boleslai in Daniam navigatio. ex portu Gedanensi novam in Danos expeditionem suscepisse, cujus causam fuisse scribunt Petrum quendam, clara & illustri apud Danos ortum familia. Qui cum se juvenis in aulam Boleslai, quæ tunc longe florebat apud exteros gloria rei bellicæ, contulisset, magna ingenii dexteritate, industria, virtute, officio & suavitate morum, adhæc commendatione Regis Danorum, cito se in gratiam & amicitiam Boleslai insinuavit, ita ut postea multis magnisque possessionibus, & in primis comitatu Scrinnensi & uxore illustri e genere Ducum Russiæ, quæ Sbislavam priorem Boleslai conjugem cognatione attingebat, ab eo cohonestaretur. Perdidicerat autem linguam Polonicam Petrus, & ita se ad mores Polonorum accommodabat, ut nemo tanta illa bona externo homini invideret. Pater vero ejus Guilelmus, cui Suentislao nomen Poloni dedere, facile Princeps erat procerum Daniæ, & plurimum valebat gratia apud Ericum Regem Danorum, præfectus ab eo maximis quibusque regni negotiis. Cum autem Regem Abelus frater occidisset, regnumque invasisset, habebat in potestate sua thesaurum regium ingentem patris Petri. Certiorem is filium facit rerum Danicarum, admonet ut cum aliquanto militum numero veniens thesaurum illum auferat potius, quam ut is ad manus crudelissimi parricidæ & invisi omnibus suis tyranni perveniat. Refert ea de re ad Boleslaum Principem Petrus. Pollicetur

is non gravatim opem ſuam, cum ut homini bene de ſe merenti gratificaretur, tum quod ea expeditione & opes Poloniæ augere, & nominis ſui gloriam trans mare etiam & ad extremos ſeptentriones proferre & propagare cupiebat. Itaque claſſe apud Gedanum Pomeraniæ maritimum oppidum, ad transportandum exercitum inſtructa, diſtributoque in milites donativo, cum primum per anni tempus recte potuit, naves conſcendit, & commoda tempeſtate uſus improviſus in primo littore Daniæ, ad quod claſſis appulerat, nemine prohibente copias expoſuit, dimiſſisque circum proceres & nobiliores Danorum nunciis, per familiares & miniſtros Petri ac patris ejus, omnium Danorum voluntates facile ſibi adjunxit, cum profiteretur, ſe ulciſcendi parricidæ tyranni & vindicandæ libertatis Danorum cauſa advenisſe. Tyrannus deſertus a ſuis profugit. Boleslaus facile potitus Dania, munitiones Danis reddidit, Regem eos quem vellent creare juſſit, confectis & conſtitutis rebus omnibus theſaurum & omnem Petri cognationem ſecum avexit, & ſecunda navigatione uſus paucis diebus in Poloniam reverſus eſt. Hæc totidem verbis narrat Cromerus: quorum nihil ne minimo quidem argumento apud ſcriptores rerum Danicarum invenitur. Quin illud potius affirmant, Regem Abelum in Friſia orientali in acie cæſum fratricidii pœnas dediſſe. Neque tempus cum hac narratione congruit, ſiquidem Cromerus factum hoc ſcribit anno 1124. Ericus autem ab Abelo fratre interfectus eſt, anno 1251, ſic ut integri centum & viginti ſeptem anni in medio relinquantnr. Alibi quidem Crantzius ſcribit, quod Wartislaus, Vandaliæ Princeps, a Nicolao Daniæ Rege, mari, terra autem a Boleslao Polono ſimul petitus fuerit, cum filiam ſuam Polonus Magno Nicolai Regis filio deſpondiſſet uxorem. Uſuam itaque Vandaliæ urbem obſidione premebant amborum exercitus, & cum gravius oppugnaretur, in ditionem Regis conceſſit. Ibi Boleslaus Polonus, tradita Regi filia ſponſa Magni, reducit exercitum in Poloniam. Atque hoc factum ſcribit circa id tempus, quo Cromerus Boleslai navigationem aſſerit: ſed ibi nec de Petro nec de Abelo verbum ullum. Neque ſane cauſa apparet, cur Boleslaus, etiamſi Abeli tempore centum annis poſt vixiſſet Danicis rebus nihil ad ſe pertinentibus manum injicere debuerit. Equidem non magis Boleslaum quam olim Viſſimirum Poloniæ Ducem in Daniam arma protuliſſe crediderim. An etiam tum temporis portus Gedanenſis talis fuerit, in quo claſſis commode inſtrui ac traduci poſſet, aliorum id judicium eſto. Nunc locus ipſe nos admonet, ut ad primum civitatis Gedanenſis ortum & Caſſubios Principes, qui his locis & in vicinia antiquitus præfuerunt, deveniamus.

Cromeri ſententia refutata.

Caſſubiorum Princeps.

Meſtibocus.

Poſt Hagelum, uti ſupra commemoravimus, a vicanis occiſum regimen hujus oræ ad Caſſubiorum Principes devolutum fuit, eoque minus dubium eſt, illum ex horum familia vel clientela ſaltem fuiſſe. Cæterum ex iis Principibus vetuſtiſſimum legimus Meſtibocum Ethnicum, qui adhuc vixiſſe dicitur Anno Chriſti 960. Ac neſcio ſane an is fuerit, quem ſcriptores Meſtivoium Vandalorum Principem perhibent, qui a Theodorico Marchione Brandenburgenſi, cujus amicus antea fuerat,

rat, per ignominiam Canis Vandalicus appellatus, animo impotenti & iracundiæ nimium indulgens, tantos edidit latratus, tantosque morſus, quos paulo poſt tota Marchia & Saxonia perhorruit. Etenim Theodoricum acie victum omni ditione exuit, & Marchiam ipſam ac Saxoniam crudeliter devaſtavit. Nomen ſane & tempus rei geſtæ ferme conveniunt. Hujus Meſtiboci filius fuit Bugislaus, & ex eo nepos Samborius vel Suantiborius. Et hi tres non Caſſubiam modo ſed totam Pomeraniam, & aliquantam Vandaliæ partem ſibi ſubjectam habuerunt. Samborius inter homines verſari deſiit anno ſalutis ſupra milleſimum centeſimo ſeptimo. Reliquit filios quatuor, qui paternam & avitam ditionem ita bifariam diviſerunt, ut Vartislaus & Ratiborius ultra montanam Regionem, vulgo **jenſeit dem Gollenberge,** retinerent: a quibus adhuc moderni Pomeraniæ Principes originem ſuam deducunt: cæteri duo fratres Bugislaus & Suantepolcus quicquid terrarum eſt cis montem Gollium usque ad Viſtulam ſibi vendicarent. Et hi quidem cum Poloniæ Principibus ac Regibus amicitiam, affinitates & clientelas, contraxerunt, & idcirco Slavonicam linguam retinuerunt: Illi uti Saxonum amicitiam & vicinitatem amplexi fuerant, ita paulatim ipſorum & linguæ & moribus ſeſe aſſuefecerunt. Suantepolcus, cujus modo mentionem fecimus ille ipſe eſt, quem Boleslaus Poloniæ Rex expugnato Naclo cepit & carceri addixit, in quo finivit vitam. Frater ejus Bugislaus, qui Puſcum (vulgo Putzig) condidit, inter vivos eſſe deſiit anno ſalutis ſupra milleſimum centeſimo quinquageſimo, & ſucceſſorem habuit filium unicum Subislaum, qui primus hujus familiæ Principum Chriſtianam fidem cum ſacroſancto baptismo amplexus eſt. Is monaſterium Olivenſe uno nunc infra Gedanum milliari verſus mare diſſitum primus condidit, multisque beneficiis, prædiis ac reditibus exornavit, in quo exuviæ etiam defuncti conditoris ſunt humatæ, uti in monumentis ejus monaſterii hisce verbis perſcriptum eſt.

Bugislaus. Samborius. Vartislaus. Ratiborius. Suantepolcus. Subislaus.

Noverint univerſi filii domus hujus, quod illuſtris Dux Pomeranorum Subislaus Senior primus monaſterii in Oliva fundator extitit, anno Domini 1170. Qui paucis ſupervivens annis in ſenectute bona moritur, & in ipſa quam fundaverat Oliva ſepelitur. De quo Principe nihil aliud in Chronicis invenitur: traditur tamen primus inter Duces Pomeraniæ fidem Catholicam ſuſcepiſſe. Hunc Subislaum bello oppreſſit Waldemarus primus Daniæ Rex, ejusque totam ferme Regionem miſere devaſtavit, qua neceſſitate coactus ille fuit, ut arcem ſuam Gdanenſem majoris præſidii cauſa vel primo tum erexerit, vel fortius etiam communiverit. Liberatus deinde metu impreſſionis Danicæ, cum animadverteret vicum Gdanenſem monaſterio a ſe pridem condito perquam commodum eſſe propter piſcium & commeatuum frequentiam & utilitatem, inprimis propter maris viciniam, pagum autem ſub montibus diſperſum & contra hoſtiles irruptiones nullatenus munitum, & nuper irruptione Danorum plane deformatum, ibi tum de commutanda vici conditione in civitatis formam cogitare cœpit. Quod dum perficere cogitat, mirum quiddam laudatiſſimo Principi

Subislai conſilium de condenda civitate.

Principi accidiſſe perhibetur. Convocatis enim omnibus vici iſtius incolis, incommoditates & pericula demonſtrat, quibus eſſent expoſiti, quod absque ullis munitionibus degerent, addens, non poſſe incrementum ſumere, vel vicum ullum, vel civitatem ullam, niſi munitiones ſint, quibus incolæ ſe ſuaque a vicinorum injuriis & peregrinorum excurſionibus defenderent. Exponit deinde conſilium ſuum de civitate condenda, non minus ipſis per commodum, quam ſibi ad poſterorum memoriam glorioſum. Hortatur ut locum idoneum in agro vicino circumſpiciant, ubi larem & domicilium libentiſſime conſtituere velit, ejusque ambitum quantum voluerint complectantur, ædes ſibi quisque conſtruat, ſe loca ſorte diviſurum, & ligna ad ædificandum neceſſaria liberaliter conceſſurum, civitatem ipſam foſſa & ſepimento ſuis ſumptibus munitu-
Vicanorum petitio. rum. Addit immunitates quasdam & beneficia, quibus jus civitatis & Magiſtratus civilis auctoritas adſeritur. Placuit vicanis Principis ſui ſententia, agunt gratias, & ſpatium condendæ civitatis ex agro Principis tantum petunt, quantum ipſi brachiis ſuis circumplecti poſſent. Mirum id primum Subislao videri, mox etiam ineptam petitionem irridere, cogitare demum, quod vel non ſatis eſſent homines ſani, vel liberalitatem ejus haberent deſpectui, nec ex ruſticis ac piſcatoribus ad civiliorem conditionem transferri multum curarent: tandem cum rurſum admoniti nihil amplius peterent, rei eventum exſpectaturus petitioni annuit. Illi ad condictum diem conveniunt omnes cum uxoribus, liberis, ſervis, ancillis, quicquid in vico hominum eſſet, advenis & hoſpitibus, mutuo ſeſe manibus implicantes, quoad quisque brachia longiſſime poterat extendere, locum eum quem elegerant, ubi nunc vetus oppidum Gedanenſe ſitum eſt, in circinum tripudiantes complectuntur. An autem ab initio eam amplitudinem, quæ nunc eſt, confecerint, quam ad rem certe non paucis brachiis opus fuit, an progreſſu temporis, quod veriſimilius eſt, oppidum dilatatum fuerit, ſuo quilibet æſtimet arbitrio. Hoc primum fuit initium civitatis Gedanenſis ſatis tenue. Cæterum hoc ejusdem ferme generis eſt, ſi parva licet componere magnis, quale de
Exemplum Carthaginis. origine urbis nobiliſſimæ Carthaginenſis auctores commemorant, cum Dido profuga in Africam appuliſſet, & tantum ſoli ab indigenis mercata eſſet, quantum corio bovis in orbem poſſet complecti: Eo enim in tenuiſſimas partes diſſecto ampliſſimam aream complexa eſt, in qua Carthago deinde extructa fuit. Similem omnino hiſtoriam Saxo Grammati-
Exemplum Urbis ab Ivaro conditæ. cus refert de Ivaro Regneri Daniæ Regis filio, qui in Angliam delatus ab Hella Rege in ſequeſtræ pacis pignus tantum arvi ſpatium impetravit, quantum equino tergore complecti poſſet, & ille corio in exiles admodum corrigias ſeiſſim extracto ſpatium magnæ urbis condendæ idoneum ſibi vendicavit, ex qua deinceps Hellam oppugnare tamdiu cœpit, donec eum regno expelleret. Verum an vivente Subislao civitas Gedanenſis extructa ſit, an opus ab ipſo cœptum a filio conſummatum ideo dubitari video, quod non diu fuerit ſuperſtes. Cœpit enim ædificationem anno ſalutis 1185. & biennio poſt anno ſcilicet 1187. in fata conceſſit.

Reliquit

Reliquit autem Subislaus duos poſt ſe filios, Samborium & Meſtvinum. Samborius utpote natu major in Ducatu patri ſucceſſit, ſed Samborius cum filio Subislao. parum ſupervixit. Ejusdem filius Subilaus absque liberis decedens non diu patri fuit ſuperſtes. Eorum monumentum in Olivenſi monaſterio tale eſt: Subislaus moriens duos poſt ſe filios reliquit, ſcilicet Samborium & Meſtvinum. Samborius ergo tanquam Senior patri in ducatu ſucceſſit cum filio ſuo Subislao juniore, qui ambo Monaſterium Olivenſe poſſeſſionibus magnifice ditaverunt. Tandem vocante Domino defuncti ſunt, eorumque corpora ſub ſpe reſurrectionis futuræ in hoc tumulo requieſcunt.

His ita defunctis, Meſtvinus Subislai minor natu filius Principa- Meſtvinus. tum ſuſcepit. Huic quidam adſcribunt, quod ex mandato patris civitatem Gedanenſem primus extruxerit, vel ſaltem opus a patre cœptum abſolverit: Eo maxime argumento, quod is primus quaſi novæ ditionis auſpicium, civitatis Gedanenſis dominium titulo ſuo adſcripſit, quod manifeſtius apparet ex privilegio quodam Monaſterii Succovienſis, quod anno 1209. ſcriptum eſt, his inter alia verbis: Ego Meſtvinus Dei gratia, Princeps in Gdanſk, omnibus Chriſti fidelibus &c. cum conſenſu filiorum noſtrorum videlicet Suantepolci, Wartislai, Samborii & Ratiborii, ſimul uxoris noſtræ, ad clauſtrum ſanctimonialibus beatæ Mariæ famulantibus, damus in villis, in campis &c. usque ad terminos caſtri Gdanenſis, & quadraginta marcas, tertiam partem telonei, quod datur ibidem de panno & quadraginta marcas ſuper tabernis in Dantzig &c. Ex quibus verbis apparet, hoc Meſtvino Caſſubiis & Pomeranis imperante, vetus oppidum Gedanenſe jam fuiſſe conditum, exiguo primum, ut ſatis apparet ſplendore. Fuiſſe tamen aliquas negotiationes ex eo colligitur, quod ibidem teloneum de pannis Principi pendi ſolitum fuerit. Atque hinc etiam conjecturam capi licet, quantum Alberti Crantzii Crantzii narratio. narrationi tribuendum ſit, qui ſuo tempore civitatem Gedanenſem plane recentem & quaſi heſternam computat, quæ tum vix unum ſeculum exceſſerit. Vivit, inquit hodie (circiter annum ſcilicet milleſimum quingenteſimum) qui audiviſſe teſtatur, avum ſuum retuliſſe, quod ex patre acceperit, veniſſe ſe Gedanum, ſui tum oppidi nuncium & oratorem, conſilium adiviſſe ejus tum loci publicum, id erat coactum in privata domo, quæ unica tum ex lapidibus lateritia ſtabat ad forum, nam cæteræ cannis paluſtribus & limo horruerunt, ruſticam antiquitatem teſtantes, ingreſſum vidiſſe patres conſcriptos, in menſa quæ fuit in conſpectu, cultellis ad componendum ſymbolum per plana demiſſis, ad metam ludere: eam tum fuiſſe gravitatem conſilii publici, ab illis exordiis intra unum ſeculum ad id roboris urbem coaluiſſe non ſine cauſa miramur, ut ejectis dominis ſuis, fratribus Teutonicis, Regem Poloniæ, cui nunc etiam paret, invocaverit &c. Verum penes Crantzium hujus rei fidem relinquo, quantum ejus auctoris, quem ne quidem nominat, nec cujus oppidi fuerit nuncius, teſtimonio ſit tribuendum. Quid enim, ſi iſte non de proavo, quoniam legatum publicum leviter aliquid dicere non convenit, ſed de proavia fortaſſis inter ancillas lanam facientes, &

fabellis operam dantes audivit? Id ne ſtatim pro teſtimonio civitatis alicujus vel commendandæ vel deformandæ allegabimus? Certe non decet tantum hiſtoricum, præſertim ſacris initiatum, tantis nugis hiſtoriam ſuffarcire. Verum his in partem rejectis, ſatis conſtat initio ejus ſeculi, ac circa illud tempus, quo nuncius iſte Gedani eſſe potuit, eam civitatem in numero fœderis maritimarum civitatum, & quidem inter capita cenſitam fuiſſe, alioquin etiam alias res domi forisque geſſiſſe, ut aliquanto occupatiores, quam conferendis per ludum ſymbolis fuerint, quod in hujus hiſtoriæ progreſſu fuſius demonſtrabitur.

Meſtvini monumentum.

Meſtvinus, de quo diximus, ſupremum diem functus eſt anno ſalutis 1220. quatuor liberis ſuperſtitibus. Ejus monumentum in Olivenſi monaſterio tale eſt: Defuncto Samborio, ſuſcepit Ducatum Pomeraniæ frater ejus Germanus Dux Meſtvinus, Princeps pacificus & devotus, qui monaſterium hoc benigno proſecutus favore notabilibus illud poſſeſſionibus & libertatibus cumulavit. Hujus Principis tempore anno 1190. exordium ſumpſit Ordo fratrum de domo Teutonica in obſidione civitatis Aconenſis. Poſt hæc is devotus Dux expleto Ducatus ſui tempore, plenus bonis operibus ultimum clauſit diem, & ſepultus eſt in Oliva in ſepulchro patris ſui anno Domini 1220. Hic reliquit poſt ſe quatuor filios, Suantepolcum, Samborium, Ratiborium & Wartislaum, inter quos illuſtrior exſtitit Suantepolcus.

Suantepolcus & fratres.

Horum Meſtvini filiorum natu maximus Suantepolcus primum ſuppetias tulit fratribus Marianis Cruciferis contra Pruſſos Pomezanos, quorum ingens numerus ejus auxilio tum proſtratus fuit. Deinde contra ordinem aliquamdiu bellum geſſit, fœdere cum Pruſſis inito. Secundus Meſtvini filius Samborius hoſtili fuit adverſus Cruciferos animo & quantum potuit, clam plerumque Pruſſis auxilium tulit. Tertius Ratiborius ordini Mariano initiatus, & in Palæſtinam profecturus, in itinere morbum contraxit & in Rhodo Inſula deceſſit. Quartus Vartislaus & ipſe in ordinem cooptatus, cum Cruciferi Pruſſiam omnem ferme ſubjugaſſent, contra Sarracenos in Aſiam iter inſtituens, fato fraterno, vixdum Viſſagrodum in Maſovia progreſſus, ibidem diem ultimum functus & Vladislaviam ſepulcri cauſa delatus fuit. Trium horum fratrum nulla ferme in rebus Pruſſicis fit mentio, nimirum quod maximus natu Suantepolcus imperium ſolus obtineret, nec cæteris copiam faceret vel emergendi vel rem adminiſtrandi. Hic eſt ille Suantepolcus, cui cognomen Magno fecerunt, qui tantopere in omnibus Pruſſorum Chronicis decantatus eſt, qui Poloniæ Regem Leſcum album magna uſus celeritate in balneo oppreſſit & trucidavit, deinde Pomeraniam & Caſſubiam omnem ſuo arbitrio gubernavit. Cujus res geſtas ſuo loco pluribus proſequemur. Condidit monaſterium Dominicanorum in honorem Divi Nicolai, extra civitatem Gedanenſem tum temporis ſitum, quod hodie in ipſo ferme civitatis umbilico cernitur, & vulgo nigrum appellatur. Obiit Gedani tertio Idus Ianuarii anno ſalutis 1266. cum eſſet annorum ſeptem ſupra nonaginta, ſepultus in Olivenſi monaſterio, cujus monumentum

mentum ſuo loco allegabimus. Sericam ejus tunicam ex qua ſtatura ejus procera deprehendi poteſt, etiam hodie in Succovienſi monaſterio, quaſi ſacrum quiddam, Veſtales oſtentant. Suantepolcus ex Salonica Ruthena uxore duos filios progenuit Meſtvinum & Vartislaum. Et hic quidem natu minor imperium temere invadens, a fratre pulſus, ad Cruciferos confugit, eisque civitatem Gedanenſem titulotenus conceſſit. Cum autem in iis parum præſidii experiretur, mœrore animi Elbingæ deceſſit anno 1275. Meſtvinus monaſterium Pelplinenſe condidit. Deinde uxorem duxit Folcam monialem ex monaſterio Stolpenſi, ex qua cum liberos non ſuſcepiſſet, Primislao Principi Poloniæ, qui deinde Rex factus eſt, ditiones ſuas legavit. Munſterus ſcribit, quod eas primum Pomeraniæ Duci Barnimo ſecundo legaverit, idque factum commemorat Camini anno 1273. die 12. menſis Octobris, deinde cum controverſia gravior oriretur, Primislaum Succeſſorem ſibi deſignaverit. Obiit Meſtvinus Gedani ipſo die natalis Chriſti anno 1295. in Olivenſi monaſterio ſepultus, cujus monumentum ſuo loco videbimus. Horum, quos diximus, Principum genealogiam, quæ in plerisque Chronicis valde incerta eſt, & multum diverſa, ex veris ac certis monumentis deſumptam, ipſis oculis ſubjiciemus, deinde ex hac Pomeraniæ ora ad Pruſſos revertemur. Meſtvinus Suantepolci filius.

Caſſubiorum Principes

Meſtibocus, Ethnicus vixit anno 960.
Bugislaus Meſtiboci filius.

Samborius vel Suantiborius, Meſtiboci nepos obiit anno 1107.

Wartislaus. Ratiborus. Ab his duobus provenit familia Ducum Pomeraniæ.	Bugislaus. obiit an. 1150.	Suantepolcus, a Boleslao captus an. 1120. in eodem carcere periit.

Subislaus, primus Chriſtianus,
Olivæ fundator, obiit anno 1187.

Samborius, obiit an. 1207.	Meſtvinus, obiit anno 1220.

Subislaus, absque hæredibus.	Suantepolcus magnus obiit anno 1266.	Samborius, Ratiborius, Vartislaus, Fratres Ordinis Teutonici.

Meſtvinus obiit an. 1295. Primislaus Polonus ejus Succeſſor.	Vartislaus, Dominus in Danzk obiit anno 1275.

Superius demonſtratum eſt, qualiter Rex Boleslaus Pruſſos, Pomeranos & Caſſubios aut ſubegerit, aut ad pacem colendam compulerit. Eo diem functo, quod incidit in annum 1139. poſtquam regnum inter quatuor filios Vladislaum, Boleslaum, Miecislaum & Henricum teſtamento diviſiſſet, continuo ſubſecutæ ſunt & domeſticæ ſimultates ac diſſenſiones fratrum & vicinorum defectiones, prout ſemper principatus An. 1139.

patus multorum Reipublicæ maxime pernicioſus. Vladislaus etiam ita impotenter & tyrannice imperare, & fratribus ſua per vim & injuriam adimere cœpit, ut ab iisdem regno expulſus, Boleslao, quem Criſpum vocant, uni ex fratribus regnum relinquere cogeretur. Hanc occaſionem arripientes Pruſſi, non modo tributum Boleslao defuncto pendi ſolitum recuſarunt, & abjecto plane jugo in priſtinam libertatem ſe vendicarunt, ac inter civiles Polonorum diſſenſiones per annos complures ſuo arbitrio vixerunt, ſed interim etiam Culmenſem & Maſoviam ingreſſi crudeliter vaſtarunt, ac diripuerunt, ingentesque pecudum & hominum prædas abegerunt. Qua de ce certior factus Boleslaus, nihil ſibi fecit reliqui ad celeritatem, quin cum paucis, quos circa ſe habebat, & quos proficiſcens adjungere ſibi poterat, militibus, auxilio ſuis accurreret. Sed jam abierant Pruſſi, nec eos longius ille cum paucis curſu defatigatis perſequi auſus eſt. Itaque tunc quidem ditionis ſuæ fines quali quali præſidio adverſus repentinas Pruſſorum incurſiones munivit.

Pruſſorum defectio.

An. 1167. Anno autem ſequenti, qui fuit poſt natum Chriſtum 1167. majore vi & apparatu expeditionem in eos fecit. Aderant & fratres cum inſtructis copiis. Pruſſi ſceleris & perfidiæ ſuæ ſibi conſcii deſperabant veniam, nec ſatis virium ad ſuſtinendos Polonos habere ſe judicabant. Itaque in remotas ſylvas & invias paludes ſe cum gregibus & armentis abdunt, nihilominus exquirunt, quomodo Polonos dolis & inſidiis alicubi circumveniant, quod tandem etiam ex ſententia ſucceſſit. Erant apud Boleslaum in caſtris Pruſſi quatuor perfugæ non ignobiles, qui ſic jam probarant fidem ſuam Boleslao, ut iis ducibus & conſultoribus in expeditione illa maxime uteretur, erant enim periti regionum & rerum Pruſſicarum. Eos Pruſſi clam per certos homines, qui & ipſi ſe transfugas ſimularant, magnis donis, majoribus promiſſis, ad proditionem pellexerunt, tempus & ratio proditionis conſtituitur. Magnam jam partem Pruſſiæ Poloni depopulati, ad ſylveſtria quædam, paluſtria & uliginoſa loca pervenerant, quæ in ſpeciem herbida & compaſcua, limoſos abſceſſus & voragines occultabant. Circum hæc, uti convenerat, latebat Pruſſorum exercitus. Ibi transfugæ magnum numerum pecoris ad ea loca compulſum eſſe, magnamque multitudinem hominum cum rebus & facultatibus ſuis ſe recepiſſe affirmant, perſuadentque Principi, ne prædam illam contemnat. Ubi primum agmen, quod Heinricus Sandomirienſis Dux, Boleslai frater ducebat, ægre aliquantum progreſſum eſt, dictitantibus transfugis, perbrevem eam eſſe difficultatem, ibi ſigno dato ſubito Pruſſi pedites e latebris undique proſiliunt, ac ſagittas & omnis generis tela eminus in impeditos conjiciunt. Poloni neque progredi jam aut conſiſtere ex adverſo hoſtium, neque regredi poterant, terra abſcedente, & equites ac pedites armatos hauriente. Et a fronte quidem & ab lateribus acriter inſtabant hoſtes, a tergo vero Poloni extremi primorum receptum implicabant, ita ut nihil omnino virtuti loci eſſet, neque ſubmitti ſubſidia laborantibus poſſent: quin ut quisque ſuis opem laturus, aut hoſtem exultantem in cæde ulturus procurrerat, ita & ipſe ſe, & illos, quibus ſuccurrebat, magis etiam impediebat. Eratque miſerabile ſpectaculum, cum Poloni ſine ordinibus progreſſi, & inopinato hoſtium

Proditio nobilium Pruſſorum.

Clades Polonorum.

ſtium occurſu aut impulſi aut perterrefacti, terga vertebant, ſeque invicem proterebant & proculcabant. Multi ibi mortales cæſi, longe plures voraginibus abſorpti ſunt; pauci per cæterorum corpora ſalvi ad extremum agmen, quod firmiori loco ſubſtiterat, ſeſe recepere. Ibi Heinricus Dux inter primos pugnans fortiter occubuit, ibi omne pene robur Polonorum afflictum atque debilitatum eſt. Reliquas copias Boleslaus Princeps cum Miecislao fratre, nihil cunctati in Poloniam tumultuarie reduxere, ne Heinrici quidem fratris corpore recepto aut perquiſito. Pruſſi mortuorum ſpoliis potiti, Diis ea ſuis, quibus victoriam acceptam referebant, conſecrarunt. Ante hanc cladem referunt ſcriptores Polonici, Pruſſos a Boleslao debellatos fidem Chriſtianam ſuſcepiſſe, & denuo poſtmodum defeciſſe, & Poloniæ ditiones devaſtaſſe. Cujus facti annales Pruſſici non meminerunt.

Poſt hanc victoriam adeo feroces ſpiritus ſumpſerunt Pruſſi, ut non Polonos modo deſpectui haberent, ſed in dies magis incurſionibus, rapinis & latrociniis divexarent, donec totum tractum Culmenſem in ſuperioribus bellis ademptum ipſis vi & armis recuperarent, & Maſoviam ferro & igni devaſtarent. Magnum ferocitatis ſuæ momentum in eo poſuerant, quod tum Respublica Polona compluribus annis per inteſtinas diſſenſiones perturbate admodum & ſeditioſe gerebatur, & externis hoſtibus nemo reſiſtebat. Mortuo enim Boleslao frater ejus Miecislaus cognomento ſenex, ad imperium vocatus, & cum male rem gereret, Caſimirus frater natu minimus illi ſubſtituitur, qui cum Miecislao, toto vitæ ſuæ tempore, inteſtinis bellis & ſeditionibus conflictatus fuit. Et in iis turbis tandem cum proceribus ſuis grande convivium inſtruxiſſet, hauſto mediocri poculo ſubito concidit, & paucis horis animam exhalavit. Subitusne morbus eum invaſerit, an venenum a muliercula, in quam deperibat, præparatum hauſerit, incertum reliquere ſcriptores. Succeſſit ipſi filius admodum puer Leſcus albus cum Helena matre, quem Miecislaus ejecit, & regnum recuperavit. Proceres Leſcum in regnum revocant, Miecislao pulſo. Miecislaus Leſcum iterum dolo ejicit, ipſe tertium Rex dictus. Eo mortuo ſucceſſit filius Vladislaus Lasconogus in regni partem, Leſco albo alteram partem gubernante, tam diu donec Laſconogus, cum ſe proceribus exoſum ſentiret, ſponte principatu cederet, & ſic Leſcus albus tertium Rex deſignaretur. Sed neque ſic motus omnes plane ſedari potuerunt propter turbas a Suantepolco denuo datas, in quibus ipſe Leſcus miſere fuit trucidatus. Poſt hunc frater ejus Conradus Maſoviæ & Cojaviæ Dux regnum affectare cœpit, cui oppoſitus fuit Boleslaus pudicus, Leſci filius. Inde novum bellum in ipſis Poloniæ viſceribus exortum. Interim dum Conradus de regno decertat, Pruſſi in Maſoviam effuſi eandem longe lateque devaſtant, ſic ut ipſe ſuis viribus utrique bello ſufficere non poſſet: deinde regnum etiam Boleslao relinquere coactus fuit, ac eo tandem redactus eſt, ut cum a Polonis ſatis firmum ad defendendam Maſoviam præſidium non haberet, ad reprimendos Pruſſos opem Cruciferorum Marianorum, qui Teutonicæ ſunt nationis implorare, & eos in Pruſſiam accerſere cogeretur. De

Prutenorum irruptiones.

An. 1174. Res Polonicæ.

1194.

quorum Ordinis origine, incremento & dominatu in Pruſſia tandem obtento nunc ipſa temporis ſeries nos admonet, ut quæ ad rem pertinent, commemoremus.

An. 1190. Origo ordinis Mariani.

Anno recuperatæ ſalutis ſupra milleſimum centeſimo nonageſimo, regnante adhuc in Polonia Caſimiro, Boleslai Criſpi fratre, cum in expeditione Chriſtianorum Regum ac Principum in Palæſtinam contra Saracenos, Chriſtiani urbem Ptolemaidem cum exercitu obſiderent (in quo tamen bello tandem Saladinus Ægypti Sultanus tota Palæſtina Chriſtianos expulit) cæpit hic ordo fratrum Marianorum Teutonicorum, quos deinde Cruciferos appellarunt, auctore potiſſimum Friderico Duce Sueviæ, Friderici Barbaroſſæ Imperatoris filio, qui tum Chriſtianorum caſtris præerat. Dedit hujus inſtituti cauſam optimo Principi morbus, qui tum in caſtris paſſim graſſabatur, dyſenteria, qua plurimi quotidie abſumebantur, multi etiam ab hoſtibus aut telis icti, aut in præliis vulnerati, miſerrime ac ſine aliorum commiſeratione vel cura in caſtris vagabantur, aut humi jacebant, eorumque non pauci remediis & refocillationibus deſtituti animam efflabant. Scribunt, cives quosdam Lubecenſes & Bremenſes, qui navibus eo venerant, & commeatum ſupportaverant, miſericordia motos velis navium expanſis in littore, quaſi papiliones erexiſſe, & ſub ea tentoria ſaucios & ægrotos milites recepiſſe, & quam diligenter poterant, curaſſe. Quam rem conſpicatus Princeps cum ad animum revocaret, exiſtimaretque magis hæc in milites officia Principibus convenire, quam privatis hominibus: cogitans inſuper, quo pacto Seminarium aliquod Germani militis in Palæſtina in omnem belli eventum retineretur, re cum cæteris, qui tum aderant, Principibus deliberata, hunc ordinem Germanicorum militum ex nobilium genere delectum inſtituere decrevit, quorum inprimis eſſet officium, ut curam pauperum in terra ſancta exiſtentium agerent, alterum ut terram ſanctam & fines Chriſtianorum adverſus gentiles & fidei hoſtes armis tutarentur. Exinde Heinricus, Balduini filius, Rex Hieroſolymitanus domum Hieroſolymis hoſpitalem, quæ divæ Mariæ vocabatur, ante annos aliquot a milite quodam Germano in pauperum uſus extructam, ordini conceſſit, unde fratribus nomen accrevit, ut milites domus Hoſpitalis Sanctæ Mariæ in Hieruſalem vocarentur. Heinricus Imperator, qui Patri Friderico in Armenia aquis ſuffocato eodem anno ſucceſſerat, & Celeſtinus Tertius Pontifex, Ordinem auctoritate ſua confirmarunt, multis immunitatibus, prærogativis & beneficiis donarunt, ac opibus non parum locupletarunt. Ditatus eſt in primis Ordo ab iis Principibus, Ducibus & militibus, qui in terram ſanctam expeditiones faciebant, inter quos præcipui habebantur: Heinricus Rex & Albertus Patriarcha Hieroſolymitanus, Archiepiſcopus Moguntinus, Epiſcopi Herbipolenſis, Bambergenſis, Halberſtadenſis & alii, Philippus Dux Sueviæ, Heinricus Dux Brabantiæ, Duces Auſtriæ, Bavariæ, Brunſuicenſis, Saxoniæ, Wilelmus Hollandiæ, Ottho Geldriæ, Theodoricus Cliviæ comites, Landgravii Turingiæ, Haſſiæ & Misniæ, comites Juliacenſis, Montenſis, Naſſovienſis, Hennebergius, Sponheimenſis & alii plures. Ipſe vero

vero Dux Fridericus caput, initio ſingulis fratribus ſtipendium menſtruum ex ærario ſuo liberaliter aſſignavit. Inſignia primum collata ſunt fratribus, pallium album cruce nigra inſignitum, clypeus item albus nigra cruce ornatus. Inter alias prærogativas donati ſunt etiam beneficio creandorum equitum, quos vocant, auratorum, eaque dignitate ipſis Regibus comparati. Initio ordinis, uti ſolent res magnæ plerumque ex modicis initiis ſuccreſcere, triginta quinque, vel ut alii volunt quadraginta fratres initiati ſunt, viri pii & ſtrenui, qui quoties ad arma conclamatum eſſet, primi omnium in acie ſtabant, cum ab armis otium eſſet, erga ægrotos charitatis officia nihilo ſegnius exercebant. Inſignia.

Fratrum in eum Ordinem recipiendorum initio ritus hic erat: Ut ejurarent ante omnia, ſe leges ejus ordinis firmiter ac ſtrenue obſervaturos. Ejurarent etiam, ſe homines eſſe liberos, nobiles, & Germanis parentibus ortos. Ejurarent etiam, uxorem ſe non habere, nec unquam virgini vel mulieri de coëundo matrimonio fidem dediſſe, & cælibem ſe vitam caſte pureque absque ulla ſcortatione victuros. Ejurarent etiam nullum unquam ſe votum feciſſe alterius cujusvis Ordinis ſuſcipiendi cauſa. Ejurarent præterea, ſe nullo corporis laborare vitio, quo minus officia ſua & pugnas, ubi opus foret, gnaviter obire poſſent. Tandem ſacramentum rite darent, ſe in omni deinceps vita non plus patri, matri, vel amico & cognato ulli morem geſturos, quam Magiſtri imperio audientes futuros. His omnibus ſacramento confirmatis, illi, qui in ordinem recipi volebat, uti tum erant initia, hæc conditio vitæ non adeo molliter exigendæ, hiſce ferme ſolennibus verbis proponebatur. Si forte exiſtimas in hoc ordine ſuſcipiendo vitam te quietam & jucundam exacturum, falli te vehementer exiſtimato. Vita enim noſtra propemodum ita ducitur, cum cibum capere voles, abſtinendum erit, cum dormire voles, vigilandum, cum a ſomno vacabis nihilominus dormiendum, cum tibi mandabitur hoc vel alio in periculis loco conſiſtere, quod cum tua moleſtia vel diſcrimine capitis fiat, nihil contradicendum, nec prius ſtatio quam vita deſerenda: Tuam ipſius voluntatem, animum & ſenſus omnes, parentum & cognatorum amorem prorſus deponere, & totum te unis hujus Ordinis legibus addicere oportet: Hujus laboriosæ converſationis præmium nullum aliud tibi propoſitum intelligito, præter panem & aquam, & veſtem humilitatis indicem, nec amplius tibi petere fas eſto, nec plus deberi memento: Quodſi meliores aliquanto res noſtræ habere ſe cœperint, in laborum ſocietate, una cum fratribus melioris conditionis te futurum ſperato. Quibus placitis & approbatis frater, qui recipiebatur, ſolenni iterum juramento ſe obſtringebat hiſce verbis: Ego vero me dedico, devoveo & proprium addico, anima, corpore, ſanguine & facultatibus Deo & caſtiſſimæ ejus genetrici Mariæ, & ſigno hujus ordinis, & ſancte ſpondeo, quod dictæ divæ Matris Mariæ ſervus ſim futurus, & pro cruce pugnaturus, quamdiu vitam & Spiritum duxero. Ut me Deus juvet & Crux ſacroſancta. Adhibebantur deinde plures ceremoniæ in tradendo enſe, pallio, cruce, quas hic pluribus proſequi non videtur operæ pretium. Hæc quæ dicta ſunt Ritus inveſtituræ. Juramentum.

ſunt ideo non alienum fuerit obiter meminiſſe, ut intelligamus, quatenus poſterior hujus ordinis ſtatus ab ortu ſuo, progreſſu temporis, ad altiora ſenſim excreverit.

Primus ejus Ordinis Magiſter, quem generalem, deinde & Magnum vocarunt, creatus eſt Heinricus Walpodienſis de Paſſenheim, anno ſalutis
An. 1191. ſupra milleſimum centeſimum nonageſimo primo, quo eodem Cæleſtinus
Primus Magiſtratus. Pontifex Romæ ſedere cœpit, ſecundo anno Heinrici ſexti Imperatoris, cum Caſimirus ſecundus in Polonia rerum potiebatur. Hic Magiſter primus varia & honeſta Ordinis inſtituta cum ad pietatis normam, tum ad vitæ recte vivendæ rationem utilia præſcripſit, quæ primum ſancte conſervata, deinde paulatim decreſcente religionis fervore ac zelo, & accreſcente potentia, & opibus auctis apud poſteros in deſuetudinem abierunt. Eodem anno, quo primus hic Magiſter creabatur, quarto Idus Quintiles, ut Ioannitarum hiſtoria teſtatur, vel ipſis idibus, ut Funccius annotavit, Ptolemaidem urbem a Sultano Saladino Chriſtiani ſtrenue militibus eorum expugnantibus, receperunt. Quo facto Magiſter hortum amœniſſimum prope muros urbis extra portam Divi Nicolai pretio emit, & in eo templum & Xenodochium extruxit, quo in templo Fridericus Sueviæ Dux, cum in Palæſtina decederet, ſepultus eſt. Ipſe Magiſter Henricus, obiit Ptolemaide die nona ante Calendas Novem-
Ptolemais capta.
1200. bris, anno ſalutis 1200, cum Ordini præeſſet annum jam decimum.

II. Secundus Magiſtratus. Henrico ſuffectus eſt Ottho Carpenſis jam nonagenarius, Vir pius & admodum religioſus, Imperatore Philippo, Barbaroſſæ filio, ſeptimo anno Leſci albi Poloniæ Regis. Hujus regiminis anno quarto no-
Ordo Gladiferorum. vus Ordo fratrum Gladiferorum in Livonia cœpit, auctore Adelberto Epiſcopo Rigenſi, poſtquam ejus anteceſſor Bertoldus & complures ſimul Chriſtiani a Livoniis barbaris cæſi fuiſſent. Hi veſtem albam rubenti gladio cum ſtella inſignitam gerebant. Inſigne etiam armorum hoc erat: Gladius ruber quaſi ſanguine tinctus, acie deorſum verſa, & ſtella capulo inſiſtens, in clypeo candido. Vitæ conditionem eandem ferme cum Templariis inſtituerant. Indulgentia Pontificis Innocentii, terræ, quas a Livonibus barbaris & vicinis ſubigere poſſent, his fratribus concedebantur, prout primis duobus Magiſtris Vinnone & Volquino haud exiguam a gentilibus illarum provinciarum partem occuparunt. Sed paulo poſt cum Cruciferi fratres Ordinis Teutonici in Pruſſia potentiores fierent, illi depoſito inſtituto ſuo in eundem cum Marianis ordinem coiverunt. Præfuit Ottho muneri ſuo pacifice & religioſe in annum us-
1206. que ſextum, poſt obitum qui accidit quarto nonas Junii anno 1206. Ptolemaide ſepultus. Eo Magiſtro cœpit Ordinis communitas ſeu Conven-
Sigillum Ordinis. tus, ut vocant, publicum domus Hoſpitalis ſigillum uſurpare, aſinum & inſidentem divam Virginem Mariam cum puero in ulnis ſedente, & Joſephum ſenem cum baculo & aſini capiſtro pone gradientem. Cujus Sigilli uſus adhuc in Pruſſia fuit tempore Friderici Saxonis Magiſtri generalis, cum ordo jam ibi deficere inciperet.

Otthoni

Otthoni ſucceſſit Hermannus Bart, nobilis Holſatus, vel ut alii volunt, ex illuſtri familia comitum Bartenſium natus, qui in oppugna- III. Tertius Magiſter.
tione urbis Tripolitanæ lethaliter vulneratus paulo poſt Hieroſolymis obiit, die 13 Calendas Apriles anni 1211, cum ferme quatuor annos officium adminiſtraſſet, Ptolemaide ſepultus. Hoc Magiſtro, Joannes Rex Hieroſolymorum Ordinis inſignia cruce aurea ornavit.

Succeſſorem habuit eodem anno circiter initium imperii Friderici An. 1211.
ſecundi, qui Barbaroſſæ nepos fuit, anno ſeptimo decimo Leſci Albi Po- IV. Quartus Magiſter.
loniæ Regis, Hermannum de Saltza nobilem Misnenſem, virum prudentem & eloquentia ac fortitudine militari pariter excellentem. Hoc Magiſtratum gerente tantum ſumpſit incrementi Marianus Ordo, ut duo millia fratrum eſſent, qui arma geſtabant. Ejus etiam tempore Conradus Thuringiæ Landgravius, cum viginti quatuor Nobilibus ſuæ ditionis Ordinem ſuſcepit. Ejusdem prudentia & rerum geſtarum gloria effectum eſt, ut ordo paſſim non in Germania ſolum ſed etiam in Italia, Appulia, Gallia, Ungaria & alibi, Imperatorum, Pontificum, Regum ac Principum liberalitate & pietate, quæ maxime tum hominibus cordi erat, ad reprimendam barbarorum adverſus Chriſtianos potentiam maximas opes & facultates acquireret, ac plurimis deinceps immunitatibus, prærogativis & privilegiis augeretur, demum etiam Principali dignitate ac inſignibus Imperialibus & Regiis ornaretur. Et quia in diverſis Ordinis ditionibus alii Magiſtri conſtituebantur, hic primus fuit Magnus Magiſter dictus, qui cum ſumma poteſtate toti Ordini præeſſet. Hic Magiſter cum Palæſtina Chriſtianis iterum erepta & in Sarracenorum poteſtatem redacta fuiſſet, in Italiam inde cum fratribus enavigavit, & Venetiis ſedem ac domicilium Magiſtrorum ejus Ordinis conſtituere cœpit.

Hujus igitur Magiſtri tempore Pruteni expeditionem novam fa- 1220.
cientes, quantacunque vi poterant, terram Culmenſem nullo ferme ne- Pruſſi Maſoviam vaſtant.
gotio recipiunt, inde populando per Maſoviam longe lateque excurrunt, cædibus, rapinis & incendiis crudeliſſime graſſantur, ſic ut ultra ducenta quinquaginta templa & monaſteria evaſtaverint, multa oppida, pagos & vicos diripuerint ac flammis conſumpſerint, prædas ingentes hominum & pecorum abigunt, infantes & pueros, qui agmen ſequi non poterant, ſepimentorum palis crudeliter infigunt, ſenes trucidant, & nullum non atrocitatis genus prætermittunt. Scribit Petrus Duisburgenſis, quod Conrado Maſoviæ Duci, in toto illo tractu præter oppidum Plocenſe nihil ferme integrum remanſerit. Aliquanto poſt cum varia de propulſanda Pruſſorum impreſſione conſilia agitaret, tandem ad Ar-
chiepiſcopum Rigenſem decurrit, eumque rogat, ut ſibi fratres Gladi- 1222.
feros, qui tum in Livonia barbaros fortiter repreſſerant, auxilio contra Pruſſos gentiles mitteret, proponit illis militiæ præmium terram Dobrinenſem inter fluvios Camenitz & Culmnitz ſitam. Placuit res Archiepiſcopo. Gladiferi exercitum contrahunt ſatis inſtructum, & Duci Gladiferi a Pruſſis cæſi
ſuppetias ferunt. Pruſſi nolentes habere vicinos fratres, quos belli &

fortitudinis laude prædicatos sciebant, initiis occurrendum censent, ne, si illi radices in iis agris altius agerent, cum perpetuis hostibus decertare cogerentur. Idcirco quantas maxime possunt copias in unum contrahunt, & recta in terram Dobrinensem ducunt, obvia quæque ferro & flamma devastantes. Gladiferi quanquam numero militum longe inferiores, confisi tamen suæ virtuti, & confusam barbarorum multitudinem flocci facientes, rem fortunæ committunt, & in aciem prodeunt. Totum biduum acerrime pugnatum esse dicitur eo eventu, ut penes multitudinem barbarorum esset victoria. Fratres gladiferi quinque saltem exceptis, ad internecionem cæsi, & Conradus inducias aliquot annorum a Prussis magno redimere coactus.

Cruciferi evocati.

Cæterum cum metueret, ne non diuturna barbarorum fides esset, neve gravius oppugnaretur, quam ut resistendo par esse posset, præsertim quod tum Poloniæ Regnum turbulentum, & ejus Principes in partes essent distracti, audita Teutonicorum militum fortitudine & virtute, quam in bellis Asiaticis præclare ostenderant, ad occupandam terram Prussorum eos invitat, concessa ipsis provincia Culmensi, quæ est intra Vistulam, Mocram & Derventiam fluvios: ea conditione, ut si quid amplius armis a Prussis occupassent, id pro suo possiderent haberentque; Quanquam Polonici scriptores affirment, ea lege cum Cruciferis conventum fuisse, ut postquam Prussos domuissent, Culmensem quidem tractum Poloniæ Regno restituerent, cætera vero quæ a barbaris cepissent, arbitrio bonorum virorum cum Polonis partirentur. Enim vero manifestum est, Cruciferos nec a Rege nec a Regno evocatos, nec cum alio quoquam, nisi cum Duce Masovio & ejus filiis hæredibus conventionem intercessisse. Ac vix sane verisimile est, Cruciferos eo tempore, quo alioquin jam passim in Europa luculentas habebant opes & possessiones, tam duris conditionibus, tam incerto præmio, tantum periculum subire voluisse, præsertim quod Conradus ita tum afflictus & in eas angustias redactus erat, ut facile dimidia omnium ditionum parte cessisset, modo a Prutenis securus & incolumis præstaretur. Quod diserte testatur etiam Nauclerus, cum inquit: Ita Ducem ipsum Pruteni oppressérunt, ut eis nec resistere nec quidquam negare posset. Præterea nullibi legitur, factam aliquam fuisse partitionem earum provinciarum, quas a Prutenis Cruciferi occupaverant, nedum ut Culmensem terram, laborum scilicet suorum mercedem Polonis unquam cedere voluerint aut debuerint. Petrus Duisburgensis concessionem factam hisce verbis

Pactio cum Cruciferis.

describit: Legatione hac audita, Dominus Conradus Dux Poloniæ præhabita matura deliberatione, de consilio, voluntate unanimi & consensu expresso uxoris suæ Agathiæ, & filiorum suorum Boleslai, Casimiri & Semoviti, dedit dictis fratribus domus Teutonicæ, præsentibus & futuris, terram Colmensem & Luboviæ, (quæ deinde ad suggestionem Legati Pontificii Guilelmi Mutinensis Episcopi, Prussiæ Episcopo Christiano cessit) & terram, quam possent favente Domino in posterum de manibus infidelium expugnare, cum omni jure & utilitate, quibus ipse & progenitores sui possederunt, in perpetuum possidendam, nihil sibi juris aut

aut proprietatis in ipsa reservans, sed renuncians omni actioni juris vel facti, quæ sibi aut uxori suæ vel filiis sive successoribus posset competere in eisdem. Et ut hæc donatio firma esset & perpetua, nec ab aliquo posset in posterum infirmari, dedit eis literas sigilli sui munimine roboratas. Acta sunt hæc circa annum Domini 1226. in præsentia testium sub- An. 1226.
scriptorum, scilicet Gunteri Masovienſis, Michaelis Cujaviæ, Christiani Prussiæ Episcoporum, Servoldi Præpositi, Wilelmi Decani, Pascolai senioris & junioris comitum de Dirsavia, Ioannis Cancellarii, & aliorum plurium religiosorum & secularium virorum discretorum. Hactenus ille. Quo loco illud etiam obiter observandum, cum in hoc diplomate mentio fiat comitum de Dirsavia, quod Derslaus ex familia Principum Cassubiorum oriundus, Dersaviam civitatem primus construxit, & de suo nomine nuncupavit. Quando id factum sit, apud alios non invenio, Chronicon monachorum Elbingensium id anno 1209. factum tradit. Sed is anni numerus mihi valde suspectus est, nec eam ad rem quadrare videtur. Cæterum Cruciferi cum hac lege terram Culmensem acceptas- Conradus
sent, auxilia per totam Germaniam colligunt, & mediocri primum sed Landsper-
egregie instructa manu, duce fratre Conrado Landspergio versus Prus- gius.
siam contendunt, ut fortunam primis velitationibus experirentur. Quoniam autem intelligerent, se longe impares hostium viribus esse, non audebant Vistulam transire, sed altis munitionem quandam arborum roboribus & palis construebant, fossa circumducta, cui ab avium cantu nomen factum est Vogelsang. Petrus Duisburgensis nomen inde factum scribit, quod multas ibi querulas cantiones cecinerint, quod ex bona regione in desertam & incultam devenissent. Sed flebile principium melior fortuna secuta est. Prussi ex adverso littore ejusdem generis munitionem opere subitario excitant, quam dixerunt Rogosnam. Paulo post Cruciferi auxilio Masovii Ducis, arcem Dibaviam construunt, & tum quidem satis habebant, hostem ultra fluvium continere, quominus excursiones & latrocinia secure faceret. Eodem ferme tempore (quod Oliva de-
aliqui tamen anno 1224. factum affirmant) Prussi Pomesani irruptione vastata.
in Pomeraniam facta ferro ac flamma late grassati sunt, & multa crudelia perpetrarunt. Inter cætera Olivense quoque monasterium diripuerunt & igne concremarunt, captis Abbate & monachis omnibus cum illorum famulitio, quos cum luculenta præda abductos, mox prope Gedanum cum ab irruptione in oppidum repellerentur, in conspectu civium immaniter trucidarunt.

Anno deinceps 1227. undecimo Calendas Februarii Suantepol- Nigrum mo-
cus Pomeraniæ Dux, Subislai filius, monasterium & templum Divi Nico- nasterium.
lai extra oppidum Gedanense recens a se conditum a Capellano suo Guilelmo persvasus, per commutationem fratribus Ordinis Prædicatorum cessit & resignavit. Quod illi nunc in urbis meditullio situm retinent, & monasterium Dominicanum vulgo nigrum appellari consuevit.

Hic Suantepolcus, cum hactenus beneficio Poloniæ Regum Suantepolci
æque ac Antecessores ferme omnes, Pomeraniæ partem tenuisset, & molitiones.

pro præfecto ſaltem adminiſtraſſet (ut Polonici ſcriptores id referunt) hoc demum tempore inſolentior factus, eo maxime, quod tum gener ejus Vladislaus cognomento ſputator, in majori Polonia res novas moliretur, & Regi ſuo Leſco Albo palam rebellaret, ab eodem Leſco magnopere contendere cœpit, ut ſe Ducis ſive Principis Pomeraniæ nomine & honore dignaretur, & ſempiternum id ſibi poſterisque ſuis eſſe juberet, ij tamen nihilominus Poloniæ Regum autoritatem agnoſcerent, quemadmodum eandem dignitatem a Leſci avo Boleslao Crivouſto Boguslaum gentilem ſuum, in Pomerania inferiori & Caſſubia obtinuiſſe referebat. Cum id Leſcus abnueret, Suantepolcus repulſam paſſus & ira accenſus ad defectionem ſpectare cœpit, neque penſionem annuam, de more Leſco miſit. Leſcus igitur cum conſilium ejus non modo hominum ſermonibus verum etiam re ipſa deprehendiſſet, habita deliberatione, omnibus communiter proceribus comitia indicit Ganſavam, quæ villa eſt Tremesnenſis monaſterii prope Znenam in majori Polonia, ad tertiam idus Novembris, quæ dies Martino ſacra habetur, quaſi de Republica ac de componendis inteſtinis Ducum majoris Poloniæ diſſidiis acturus, revera autem ut Suantepolcum prætextu comitiorum evocatum ſine armis & bello opprimeret. Hæc narratio uti adhuc incepta eſt, non poteſt non ſcrupulum legentibus injicere ob cauſam, ex qua factum hoc prodiiſſe dicitur. Nec enim dubium eſt, quin Suantepolci Anteceſſores, pater, patruus, avus, proavus, abavus, Pomeraniæ & Caſſubiorum Principes ac Duces fuerint, & hoſce titulos libere uſurpaverint, quod vel ex unicis Olivenſis monaſterii monumentis patet, quorum aliqua ſuperius adducta ſunt, cætera ſuo loco adducentur. Ac ut verum ſit, quod cum his ipſis titulis auctoritatem Poloniæ Regum agnoverint, eumque honorem ad poſteros transmiſerint, quænam quæſo ratio movebat vel Suantepolcum, ut hoc ipſum, quod a majoribus acceperat, nunc demum tam curioſe peteret, vel Leſcum ut rem juſtam vel negaret vel invideret? Idcirco aliam quandam tanti facinoris cauſam fuiſſe crediderim. Ac longe veriſimilius eſt, Leſcum Suantepolco detrahere cupiviſſe, quam illi cauſam fuiſſe tale quid a Leſco petendi, quod quale quale fuerit, nec enim hic divinationi locus eſt, Suantepolcus conſilium Regis ſubolfaciens, ultro in illum inſidias intendit, una cum Vladislao genero, quod ejus quoque juxta ac ſuam rem agi, nec minus illius, quam ſuo periculo comitia illa inſtitui diceret, & ad ſpem ſummi principatus adipiſcendi ipſum incitaret. Convenere ad præſtitutum locum atque diem Leſcus Rex, Henricus Barbatus Dux Vratislavienſis, Vladislai duo Laſconogus & Sputator, de quorum diſcordiis maxime agebatur, & alii Duces & proceres Poloniæ. Solus Suantepolcus moras nectebat, miſſisque ſubinde per ſpeciem excuſandæ moræ ſuæ hominibus, ſtatum omnem comitiorum cognoſcebat, & occaſionem peragendi cogitati facinoris captabat. Cum triduo de pace inter Vladislaos actum atque tractatum eſſet, ac Suantepolci adventus requireretur, quartaque dies curandis corporibus daretur, ad balneum ſe Leſcus & Henricus contulere. Ibi Suantepolcus cum expedita ſuorum manu adeſt, prope enim delituerat, & in diverſoria ac tentoria proxima irrumpens, obvios quosque

que novitate rei attonitos facile aut removet aut obtruncat, Leſcum quærit, ad balneum, ubi eum eſſe acceperat, propere contendit. Interim exaudito tumultu certior factus Leſcus de hoſtili adventu Suantepolci, exilit & equum nactus cum paucis fugere cœpit, fugientem Suantepolcus, cum plerisque ſuorum perſequitur, illum unum ſe potiſſimum petere, in uno illo capite omnia ſibi poſita eſſe dictitans. Ubi effugere Leſcus inſequentium & prementium manus non potuit, converſo equo & revocatis fugæ comitibus cum aliquandiu multis & bene armatis nudus pene cum paucis reſtitiſſet, fortiter dimicans apud Marcincovum pagum occubuit. Sunt, qui ſcribant, Regem a Suantepolco balneis extractum, & equo impoſitum curſu citato abduci cœpiſſe. Cum autem & Regis comites inſequerentur, & onus equum impediret, quo tardius fugeret, Regem, quem in pacatum abducere nequibat, a Suantepolco confoſſum & inſequentibus relictum eſſe. Ab eo tempore Suantepolcus pro Duce ſui juris ac Domino Pomeraniæ citerioris ſe gerere cœpit, auctoritate Regum Poloniæ repudiata. Quod eo facilius obtinuit, quoniam poſt Leſci cædem Regni proceres ac præſertim Maſoviæ & Sileſiæ Duces, inter ſe de Regno tumultuoſe contendebant, qui ſtatus perturbatus quindecim ferme continuos annos regnum haud mediocriter afflixit.

Anno deinceps 1229. Magiſter Hermannus de Saltza qui tum Venetiis degebat, primum Magiſtrum provincialem Hermannum Balcken cum aliquanto exercitu in Pruſſiam miſit. Is conjunctis ſibi Maſoviorum copiis auxiliaribus, Viſtulam trajecit, & primam omnino pugnam aperto marte cum Pruſſis commiſit, in qua multis cæſis, reliquis fugatis, Principem gentis Pupinum in acie interfecit, vel, ut alii volunt, captum in crucem egit. Hac victoria Cruciferi animoſiores facti fortunam ducem ſequentes caſtrum Rogosnam, quod nunc eſt Roggenhuſium ad Oſſam obſident, nulloque negotio capiunt. Paulo poſt & Torunium & Inſulam Mariæ, ubi poſt Pomeſanienſis Epiſcopatus Cathedra inſtituta, civitates novas condere incipiunt. An. 1229. Primus Provincialis Pruſſiæ.

Culma vetuſtiſſima civitatum eſt Pruſſiæ, dudum ante Cruciferorum adventum a priſcis Prutenis condita. Poſtea cum eam Maſovii Pruſſis eripuiſſent, Dux Conradus anno 1222. epiſcopatum ibi conſtituit, & primum Epiſcopum Chriſtianum Epiſcopum Pruſſiæ nuncupavit. Cruciferi deinde anno 1233. civitatem refecerunt & amplificarunt, et cum paucis annis poſt per Pruſſorum irruptionem fuiſſet everſa, rurſum anno 1239. erexerunt, ac muro & turribus communiverunt. Verum cum in radice montis ad ripam Viſtulæ ſita eſſet, & ſæpius cives a flumine inundante detrimentum paterentur, tandem 1253. civitatem in eo colle, in quo hodie ſita eſt, collocarunt.

Conſtitutis jam in poteſtate ſua Culmenſi & Torunenſi civitatibus, idem Magiſter Magnus, anno 1233. quinto Calendarum Junii Culmenſe privilegium, quod vocant, primum iisdem duabus civitatibus conceſſit, quod ſucceſſu temporis eodem jure cum cæteris civitatibus Pruſſicis communicatum 1233. Culmenſe Privilegium.

municatum fuit. Ejus hæc ſunt præcipua & ut plurimum omnibus communia capita: Ut perpetua libertas civibus ſit in civitatibus ſuis Judices & Magiſtratus annuos eligendi. Ut Judices in civitatibus mulctam minorum exceſſuum ſibi ſervent integram, majorum autem, cujus generis ſunt homicidia, ſanguinis effuſio & ſimilia, partem tertiam. Ut civitates bona ſibi conceſſa in ſylvis, pratis, agris & aquis cum omni utilitate in perpetuum libere poſſideant. Ut piſcatio in Viſtula cum omni utilitate, exceptis inſulis & caſtoribus, omnibus ſit libera. Ut in civitatibus jura Magdeburgenſia in omnibus ſententiis in perpetuum obſerventur, hoc ſcilicet indulto, ut cum reus aliquis Magdeburgi, in ſexaginta ſolidos puniri debeat, hic in triginta ſolidos Culmenſis monetæ mulctetur, eodem modo in culpis aliis ſecundum proportionem æquabilem obſervando. Ut ſi quis dubitationis ſcrupulus de jure judiciario vel ejus ſententiis emerſerit, de eo ſententia a Conſulibus civitatis Culmenſis requiratur, (volebat enim Magiſter hanc civitatem capitalem eſſe, hoc eſt, Metropolin, & digniorem inter alias tum conſtructas, vel deinceps infra Vislam, Oſſam & Drewantiam, conſtruendas; et ſane illorum Conſulum ſententiæ de variis cauſis promulgatæ jus Culmenſe, quo etiam hodie utimur, nobis conſtituerunt.) Ut omnes Clerici & viri religioſi, cujuscunque religionis fuerint, in perpetuum absque omni naulo cum rebus, quas ſecum habuerint, Viſtulam traducantur. Ut Magiſter & Ordo in civitatibus nullas domos emere debeant, ſi vero aliquis domum ſuam Magiſtro vel Ordini contulerit intuitu pietatis, eam ad alios uſus conſtruere non liceat, niſi ad quos civium aliquis domum ſuam conſtruit, & eadem exinde jura & conſuetudines obſerventur, quæ quasve alii cives de dómibus ſuis obſervabunt. Ut ſi qua forte quæſtio contra aliquem de bonis ſuis orta fuerit, ſi poſſeſſor vicinos & alios conterraneos ſuos, quibus notum fuerit rem in totum ita ſe habere, & teſtimonium juſtæ poſſeſſionis habuerit, potius obtinere debeat poſſeſſor illa bona, quam is qui eum impetit, ab ipſo eadem bona alienet. Ut cives ab omnibus collectis injuſtis & hoſpitationibus coactivis aliisque exactionibus indebitis, perpetuo ſint immunes, & hoc ad omnia bona ad ipſos pertinentia extendatur. Ut cives bona ſua jure hæreditatis Flamingicalis tam ipſi quam eorum hæredes utriusque ſexus cum omnibus proventibus in perpetuum libere poſſideant. Ut omnes cives ab omnibus expeditionibus ſint exempti præter patriæ defenſionem, usque ad Vislam, Oſſam & Drevanciam. Ut una moneta Culmenſis fiat per totam Pruſſiam, & ut de puro & mundo argento denarii fabricentur, ipſique denarii in tanto valore perpetuo perſeverent, ut eorum ſexaginta ſolidi ponderent unam marcam, & dicta moneta non niſi ſemel in ſingulis decenniis renovetur, & quoties renovata fuerit, duodecim nummi novi pro quatuordecim veteribus acceptentur, & ut unusquisque hiſce nummis libere emat quamcunque rem, quæ in foro venalis conſuevit haberi. Demum ut tota Pruſſica terra libera perpetuo ſit, ac immunis ab omni penitus telonei exactione. Et hæc quidem Culmenſi privilegio inter cætera diſponuntur.

Quod

Quod autem jure Culmenſi conſtitutum vel longiſſima conſuetudine potius uſurpatum fuit, ut uxores in bonorum diviſionibus pari cum maritis jure cenſeantur, & illis mortuis ſemiſſem omnium bonorum lucrentur ac percipiant, hoc beneficium, ut quidam auctores ſunt, mulieres civitatis Culmenſis primum promeruiſſe dicuntur, (utpotè quæ veteri Pruſſorum inſtituto plane exhæredes cenſebantur) eo facto, quod cum viris plerisque in acie cæſis Suantepolcus ad civitatem ex improviſo copias admoviſſet, exiſtimans viris vacuam haud difficulter capi poſſe, mulieres indutæ veſtibus & armis virorum adeo ſtrenue patriam propugnaſſent, ut hoſte repulſo non minus urbem dominis, quam ſemet viris conſervaſſe viderentur. De qua re ſuus erit infra dicendi locus. Atque hoc tam egregie edito facinore mulieres primum meruiſſe dicuntur, ut parem & æquam cum viris portionem in bonis communibus obtinerent. Alii hoc ipſum jure Flamingenſium jam antea receptum & introductum exiſtimant, quod utique verius eſt, & ideo juris Flamingicalis, quod ad hæreditates pertinet mentionem in privilegio Culmenſi factam. Ex quo fundamento, quod ſcilicet alteruter conjugum poſt alterius mortem ſemiſſem, & liberi ex eodem matrimonio alterum ſemiſſem percipiant, jure noſtro Culmenſi in hoc ſucceſſionis parentum & filiorum gradu penitus tam a civili quam Saxonica diſpoſitione receſſum eſt, ſic ut ad defuncti fratris hæreditatem fratres & ſorores admittantur, patre vel matre excluſis. Cujus conſtitutionis ratio ſummam continet æquitatem, ſi ad iſtud fundamentum diviſionis bonorum ſeu familiæ erciſcundæ referatur. Jure enim iſthoc pater vel mater, cum alteruter in fata conceſſit, ita cum filiis diviſionem inſtituunt, ut pater vel mater ſuperſtes ſemiſſem liberis omnibus, quotquot tandem numero ſint, pari lance dividendum relinquat. Et fieri poteſt, ut quatuor, ſex, ſeptem, decem vel plures exiſtant liberi, ut quo plures ſint, eo minores portiones ſinguli capiant. Iniquum igitur eſſet, ut uno liberorum mortuo, ejus pars ad parentem redundaret potius quam ad fratres & ſorores, cum parens jam antea ſemiſſem bonorum omnium præceperit, & tantum ſolus habeat, quantum omnes liberi conjunctim. Quinimo hoc pacto, ſi poſtmodum pater vel mater ad ſecundas commigraret nuptias, omnis tandem ſubſtantia ad alios hæredes, & in aliam familiam tranſportaretur, in priorum liberorum ſummam injuriam. Æquius igitur viſum, ut pater vel mater ſuam haberent ſemiſſis portionem præcipuam, altero ſemiſſe inter liberos, quoad quis illorum ſuperſtes eſſet, remanente. Semis bonorum.

Anno 1234. Papa Gregorius Nonus expeditionem indicit generalem, cum ſigno crucis adverſum Pruſſos gentiles, ad quam cum plurimi Principes & Nobiles ex Germania, Polonia & Maſovia ſe inſtruerent, inter cæteros etiam Suantepolcus Pomeraniæ Dux & Henricus Marchio Miſnenſis præcipuas Ordini ſuppetias ferebant, ſic ut Cruciferi, cum viginti millibus armatorum ad pugnam exirent. Pruſſi etiam copias magnas eduxerant, utpote quæ triplo Cruciferorum agmen æquipararent, niſi quod illud ex melioribus & majore animo præditis erat inſtructum. Stativa Pruſſi habebant ad lacum, in quo Principum quidam munitionem An. 1234. Expeditio in Pruſſos.

nem insignem construxerant, quam illi Schlemmo vocabant, postea a Germanis dictum fuit Garusch. Hoc in loco secunda pugna, patenti campo, cum Prussis commissa fuit, eo ferme eventu, ut milites Crucigerorum & auxiliares multitudine hostium defatigati loco cedere inciperent, atque adeo res ad extremum deducta fuisset discrimen, nisi virtute Suantepolci acies fuisset restituta. Is enim cum quinque millibus suorum in sinistro cornu ita fortiter dimicabat, ut Prussos in fugam conjiceret. Animadvertens autem periculum in dextro cornu, non diu fugientes insecutus, sed a latere hostium impressione facta quantum terroris hostibus injecit, tantum animi Christianis attulit, ut illi, qui jam in ultimo discrimine positi fuerant, diductis hostium viribus respirandi aliquantum spatii haberent. Hoc conspicati Prussi fugientes & ipsi pedem referunt, magnoque clamore Suantepolcianos a tergo adoriuntur. Suantepolcus, qui eo die non minus fortissimi militis quam Ducis circumspecti partes implebat, ea dexteritate ordines suos diducebat, ut & a fronte & a tergo hostem fortissime exciperet. Anceps diu pugna fuit, & videbatur ejus diei fortuna Victori totius quasi Prussiæ dominatum polliceri. Prussi multitudine sua freti, eo pertinacius dimicabant, quod jam in manibus victoriam habuisse videbantur, Christiani eo fortius resistebant, quod in una hac pugna vel salus vel excidium suum versaretur, itaque aut vincendum fortiter aut egregie occumbendum. Vicit tandem Christianorum constantia, & Prussorum acies semel inclinata effuse fugere cœpit. Tum vero non pugna sed cædes erat, nec hostis cædi desiit, donec nox insequendi cupiditatem victoribus ademit. Cæsa sunt Prussorum supra quindecim millia, ex Cruciferorum exercitu circiter quatuor millia desiderata. Suantepolco unanimi omnium ore victoria accepto lata. Posstero die ad munitionem Schlemmo itum est, in quam se plerique Prussorum ex fuga receperant. Eam Cruciferi & auxiliares tanto ardore aggressi sunt, ut primo impetu caperetur, Prussis quantumcunque pertinaciter resistentibus. Ex propugnatoribus quinque millia cæsa, cæteri, qui abjectis armis deditionem faciebant, sola hac conditione in gratiam recepti, ut Christo nomina darent. Post hanc victoriam Cruciferi totum tractum Culmensem a Prussis nullo ferme negotio receperunt, & eodem Anno oppida Culmsehe, ubi prius erat pagus Loza, & Redum in confinio Pomesanienſis & Culmensis territoriorum ædificari cæpta.

Schlemmo.

An. 1235. Oliva excisa.

Anno autem insequenti Prussi Varmienses iterum in Pomeraniam eruptionem fecerunt, ferro & igni late omnia vastantes, inter cætera Olivense monasterium denuo direptum & exustum, sex monachis & triginta quatuor militibus, quos ibi Suantepolcus præsidii causa collocaverat, captis gladioque percussis. Quod facinus barbari celerius aliquanto peregerunt, quam ut ex civitate Gedanensi auxilium, in tanta præsertim hostium multitudine, ferri potuerit.

Duplex in Prussos expeditio.

Hæc eruptio causam dedit Cruciferis, adhortante etiam Suantepolco, quanquam post Culmensem tractum receptum cæteri auxiliares, excepto uno Marchione Misnensi Henrico discesserant, Prussos vicinos armis

armis aggrediendi. Communicatis igitur cum Marchione consiliis, & Masoviis in societatem accitis, duplici agmine in Prussos ire constituunt. Unum Marchio ducens in Varmienses, munitionem illorum, quam Muckeram profluente Muckero vocabant, vi cepit, & solo æquavit. Eodem victoriæ cursu capta Prussorum oppida & munitiones Risemburg, Risenkirch, Stum, Wildenmarck & alia nonnulla, quæ deinceps hisce nominibus appellata crediderim. Deinde accolas lacus Drausenii invadens passim prædas egit, constructis etiam duabus navibus, quibus lacum omnem in potestatem redegit, accolas omnes aut ordini subditos, & Religioni Christianæ consortes fecit, aut funditus extirpavit. Construxit etiam munitiones quasdam, in quibus suorum militum præsidia reliquit ad rebelles in officio continendos, quibus peractis in Misniam ipse reversus est, primus externorum Principum, qui tam egregiam operam Cruciferis navaverit. Alterum agmen Magister Provincialis in Pogesanos convertit eadem victoriæ felicitate. Etenim leviusculis præliis confectis, & oppidis plerisque facile captis, intra biennium totam eam provinciam non multo sanguine in potestatem redegit, plerisque incolarum sponte Christianam professionem amplectentibus. Quos ut in fide facilius retineret, arcem ac paulo post ob multitudinem advenarum Lubecensium, civitatem Elbingam construxit, & firmo præsidio munivit. An 1237.

Itum deinde est in reliquos Varmienses, Natangos & Barthenios, in quibus domandis initio majus fuit negotium, & majori hominum jactura & sanguinis profusione res peracta. Miserat Magister Elbingæ manum aliquantam militum, qui loca hostilia explorarent, hostium copias cognoscerent, & si ita fortuna ferret, egregii aliquid auderent. Hi descendentes secundo flumine in lacu Hab Balgam adnavigarunt. Erat ea Prussorum arx, loco admodum opportuno sita, opere & præsidio egregie munita, quam illi patria lingua Honedam appellabant. Eo loci hodie situm est oppidum Holland. Cruciferorum milites rebus omnibus circum quaque exploratis, satis intelligebant, longe se infirmiores esse, quam ut arcem aggredi auderent, ne tamen frustra advenisse viderentur, facta subito ex navibus descensione, vicinos vicos invadunt, diripiunt, incendunt. Sed non eadem celeritate ad naves remeare potuerunt, præda nimirum onusti, quin a Prussis opprimerentur, & ad internecionem cæderentur, decem saltem exceptis, qui unius scaphæ subsidio effugerunt. Nam & cæteras scaphas captas Prussi exurunt. Non multum tantilla clade permotus Magister rem cœptam prosequi majoribus viribus constituit. Novis igitur navibus ad Culmam & Torunium comparatis militem imponit, & Honedam adnavigare jussit: ipse terra exercitum adducit, & sic undiquaque arcis obsidionem instituit, eamque eo fervore continuat, ut crebris oppugnationibus defessi & in angustum redacti præsidiarii de deditione cogitare inciperent. Præfectus arcis Codrunus in colloquium cum Magistro venit, conditiones hinc inde proponuntur, ut obsessi Christianam fidem amplecterentur. Hanc illi in tantum aversari, ut ultima quævis essent passuri potius quam Paganismum abjuraturi. Præfectus, ut per se erat acri Vir ingenio, & insuper a Ma-

Codrunus Prussorum Dux.

 gistro

giſtro hanc in rem probe inſtructus, cum a propoſito eos dehortari, & multis rationibus rectitudinem ſectæ Chriſtianæ perſuadere conaretur, adeo non profecit, ut exorto primum tumultu, dein fremitu, tandem in rabiem & furorem verſi fruſtulatim eum diſcerpſerunt. Quo facinore comperto Magiſter in tantum exarſit, ut egregii viri manibus non niſi ſceleratorum iſtorum internecione parentandum cenſeret. Continuata igitur noctu dieque oppugnatione tandem arcem capit, & obſeſſos ad unum omnes interfici jubet, nulla miſeratione dignos exiſtimans, qui præfectum ſuum, optime illis conſulentem, tam perfide trucidaſſent.

Honeda capta.

Cæterum vicini Pruſſi Honedam captam & præſidium cæſum ægre ferentes, cum omnibus modis cuperent Cruciferos eo loco exterminatos, quos haud dubie ſervitutem ſibi minari providebant, conſilia conferunt, rationes inquirunt, quibus mature, Cruciferis ſemel expulſis, omnium ſimul libertati conſuli poſſet, placet armis rem tentandam, & Varmienſium Principem Pyopſum belli ducem conſtituendum. Is accepto imperio copias undique contrahit, & recta Honedam ducit, ea ſpe, ut vel Cruciferos ad pugnam quovis modo eliceret, vel obſeſſos ad deditionem fame compelleret, ſed cum prima excurſione incautius arcem obiret, telo ictus occubuit. Pruſſi nihilominus partitis copiis & aliquot Ducibus deſignatis rem impigre adoriuntur, Cruciferos ab omni parte arctiſſime obſident. Ac ne mari quidquam commeatuum importaretur, inde haud procul in littore novam munitionem excitant & præſidio firmant. Sic undique incluſi Cruciferi brevi vel ad prælium exituri, vel rerum omnium inopia cogente deditionem facturi videbantur. Nullus enim alius erat arcis exitus, niſi per altam & voraginoſam paludem, quæ oblongo ponte conſtrata erat, in cujus exitu ad cuſtodiendum aditum turres cum munitionibus firmis erant erectæ. Hunc aditum cum paludibus arctiſſime Pruſſi circumſidebant, ne qua clanculum Cruciferi exitum invenirent. Iam in alterum menſem obſidio duraverat, Cruciferorum non pauci erant in arce, & inter eos milites fortiſſimi, ſed cum tanta hoſtium multitudine congredi nihil aliud erat, quam ſponte ſe quaſi beſtiis laniandos objicere. Interim commeatus paulatim deficiebat, & varia cum ſuis agitabat conſilia Magiſter, ſi quo dolo vel ſtratagemate hoſtem fallere, & quam minimo damno ex iis anguſtiis erumpere poſſent. Sed & loci natura & hoſtium vigilantia cunctis conatibus obſtabant.

Ottho Dux Brunſuicenſis.

Dum hæc obſeſſi fruſtra moliuntur, Ottho Dux Brunſuicenſis & Luneburgenſis cum ſeptingentis equitibus lanceariis in Pruſſiam venit, huc enim expeditionem adverſus gentiles voverat. Is de ſtatu & periculo obſeſſorum certior factus, cum omnes conjecturam facerent, eos propter commeatus inopiam in extremis conſtitutos eſſe, nihil cunctandum ratus quoscunque milites potuit ex Cruciferorum ditione & præſidiis colligit, & conjunctis ſuis recta Honedam ducit, ſed agmine tacito, ne Pruſſi adventum præſentirent. Mittit etiam nuncios per lacum Hab in ſingulis ſcaphis ſingulos, qui conſilia ſua ad Magiſtrum perferrent, exiſtimans, Pruſſos aqua, unde nihil timendum erat, negligentius cuſtodias habituros. Habebant tamen illi plurimas ſcaphas in procinctu, quibus etiam maritimos aditus obſervabant. Captis igitur & trucidatis uno atque altero nunciis, qui nihil harum rerum prodebant, uni tandem illorum fortuna arriſit, ut intempeſta nocte cuſtodias falleret, & magno diſcrimine in arcem penetraret. Is magna cum lætitia exceptus, Ducis adventum & ejus conſilia exponit. Sic autem conſtitutum erat, ut ſimul & ſemel, quantum fieri poſſet, obſeſſi erumperent, Ducis autem copiæ a tergo hoſtem invadereut. Conſilium in ipſo tempore fortuna approbavit. Magiſter inſtructa acie, ſuos per pontem ſupra paludes educere cœpit, quod cum hoſtes viderent, rati extrema famis neceſſitate compulſos obſeſſos ultimum diſcrimen experiri, & mori fortiter quam turpiter contabeſcere malle, nonnihil recedunt, ut & illi exeundi copiam & ipſi campum pro ſua multitudine inſtruenda latiorem haberent. Nondum omnem aciem inſtruxerant, cum Saxones ingenti clamore & tubarum ac tympanorum ſtrepitu, ſubito a tergo erumpunt, & obvios quosque cædunt ac proſternunt, nec ſegnius Magiſter rem agere ſuos cohortari, & hoſtem ſumma vi invadere. Pruſſi re tam inopinata perterriti, quod multo plures, quam revera erat, obſeſſis auxilio veniſſe cenſerent, cum nec ordines ſervarent, nec certum Ducem haberent, ac fronte & tergo cæderentur, cunctanter primum reſiſtere, mox fugam circumſpicere & qua cuique campus patebat, ſeſe præcipites effundere, in fuga major pars ab inſequentibus cæſa. His ita profligatis Magiſter cum Otthone Duce recta novam arcem Partigalam petit, ubi præſidiarii, qui non minimum erant cordati, absque ullo defenſionis conatu ſe & arcem dedunt, ac in fidem & religionem Cruciferorum jurant; nullus igitur cæſus, arx autem ſolo æquata. Cæteris jam perterrefactis Magiſter locum reſpirandi non reliquendum ratus, plures undiquaque copias convocat, & cum auxiliariis Saxonibus in vicinos Pruſſos erumpens, ubique terrorem ac fugam infert. Nullo memorabili prælio edito Varmienſes, Natangi & Barthenii brevi in deditionem veniunt, oppida, munitiones, ſe ſuaque omnia tradunt, & Chriſtianismum profitentur. Tum temporis arces & oppida Heilsperga, Wormdit, Reſſela, Crucisburgum, Schippenbuel, Barteſtenium, & alia, partim a Pruſſis recepta, partim munitiora facta, partim etiam recens ædificata. Nemo enim hoc loco per ſuggeſtionem vulgarium Chronicorum, vel narrationes ſequacium ſe falli patiatur, ut exiſtimet, tam multas arces & oppida, uti autumant, mox uno vel altero anno ſimul a Cruciferis extructa eſſe. Quod ipſum per rerum naturam fieri non potuit, ſi conditio & ſtatus Ordinis, qualis primo tempore fuit, exactius conſideretur. Itaque recte ſentiunt vetuſtiores auctores, Duisbergenſis & alii, qui adhuc Ordinis tempore vixerunt, quod munitionum & oppidorum plurima a Pruſſis partim vi, partim deditione capta fuerint, & ideo priſca nomina retinuerint, ut illa: Zinten, Ragnit, Welau, Wormbdit, Tolckmit, Stum, Morung & ſimilia. Progreſſu vero temporis & Ordinis meliori ſtatu, non eſt dubium, vetera fuiſſe munitiora & ornatiora facta, multa vero nova recens ædificata paulatim quidem non autem ſingulis annis plura ſimul.

Pruſſi ad Balgam cæſi.

ſimul. Quinimo credibile eſt, non pauca in poſtremis bellis a priori ſuo ſtatu multum fuiſſe commutata.

An. 1238. Gladiferorum unio.

Anno ſequenti, Gladiferi Livonienſes auctore & ſuaſore Magiſtro ſuo Volquino, cum Cruciferis Marianis coadunati ſunt, & in eorum ordinem cooptati; ea præcipue cauſa, ut Revaliam, Harriam, Jarvam & alia loca vicina ab impreſſione Waldemari Dani Regis eo majoribus viribus defenderent. Itaque cum eodem anno Volquinus cum comite quodam Tannebergenſi & duodequinquaginta Ordinis ſui fratribus a Litvanis in acie cæſus occubuiſſet, miſſus eſt ad gubernandam Livoniam Hermannus Balck, Provincialis Pruſſiæ Magiſter, cui in Pruſſia interim ſubſtitutus fuit Poppo Oſternavienſis. Quamvis non deſint ſcriptores, qui Hermannum, quoad vixit, utramque provinciam pro Magiſtro ſimul adminiſtraſſe prodiderunt. Hic Hermannus Pleſcoviam urbem & arcem a Ruſſis, Gerpoldo Duce eorum profligato, per deditionem cepit, & civibus Chriſtianis habitandam dedit. Sed hi non diu eam retinuerunt. Alexander enim Dux Novogardiæ, poſt annum ſextum Pleſcoviam rurſum Cruciferis ademit, ſeptuaginta fratribus, præter cæteros milites, qui in præſidio erant, trucidatis, ſex vero captis & per omnes cruciatus enectis. Hermanno, qui obiit anno 1245. in adminiſtratione provinciæ Livonienſis ſucceſſit Heinricus Heimburgenſis.

Hermannus Livoniæ Magiſter.

Pleſcovia capta.

1240. Obitus Hermanni.

Anno 1240. die nono Calendarum Auguſti Magnus Magiſter Hermannus de Saltza, vitam cum morte commutavit, cum ordinis gubernationi præfuiſſet circiter annos triginta, & ejus auſpiciis res ordinis in Pruſſia non exiguum incrementum ſumpſiſſent. Reliquit etiam Ordini magnificentiſſimam domum Venetiis cum inſigni proventu, multas item arces & poſſeſſiones in Armenia, Italia, Ungaria & Germania acquiſivit, tandem etiam ab Imperatore Friderico ſecundo aquilam, Romani imperii inſigne, in Ordinis clypeo geſtandum conſecutus eſt. Obiit in Apulia, Barleti ſepultus.

V. Magiſter Generalis.

Hermanno ſucceſſit quintus Magiſter Magnus, Conradus, Lantgravius Thuringiæ & Haſſiæ, cognomento Sanctus, levir Divæ Eliſabethæ, imperante adhuc Friderico ſecundo, cum in Polonia per annos quindecim de regno certaretur inter Heinricum Sileſiæ & Conradum Maſoviæ Duces.

Suantepolcus contra Ordinem.

Hoc Magiſtro Suantepolcus univerſam Pomeraniam Cismontanam & Caſſubios, quorum metropolin, Gedanum tenebat, impotenti dominatu ſolus occupaverat, fratribus cæteris penitus excluſis. Et cum Cruciferis quidem hactenus amicitiam & bonam vicinitatem conſervabat, Polonis autem quantum poterat incommodare non deſinebat, agros vaſtare, villas urere, prædas agere, eaque omnia impune perpetrare, ac Polonis inter ſe varie certantibus, ipſe interim non pro libitu magis quam feliciter rem ſuam agere. Verum ubi Cruciferos, quibus antea ſuppetias tulerat, brevi tot victorias a Pruſſis reportaſſe, magnam

gnam provinciæ ejus partem occupaſſe, populisque ſubactis tot civitates & arces alias cepiſſe, alias tanquam indicia ſervitutis extruxiſſe animadvertit, non immerito potentiam illorum ſibi formidabilem aliquando futuram exiſtimabat. Metuebat vero, ne illi plane devictis & ſubactis Pruſſis, ſuas etiam provincias invaderent, & eodem adſe jure, quo ipſe fuiſſet adeptus, revocarent. Quapropter partim ſui muniendi cauſa, partim ne Cruciferi nimium emergerent, clam nunciis ad Prutenos miſſis demonſtrat, quo in ſtatu res illorum ſint, quam indies inique & violenter ab advenis ſubjugentur, trucidentur, aut in perpetuam ſervitutem redigantur. Monet ut libertatem reſpiciant, jugum excutiant, ſeſe patriamque & liberos ab ea tyrannide vindicent, pollicetur opem & auxilium, ſi ſe auctorem ſequi velint. Pruteni ad hoc, quod ſponte cupiebant, facile perſuaderi poterant, præſertim quod Cruciferorum exercitus paſſim in præſidia diſtributus non facile congregari poterat, niſi arces & oppida detractis præſidiis manifeſtiſſimo periculo vellent exponere. Moliuntur cum cæteris defectionem etiam ij, qui jam ſubacti erant, jam in Cruciferorum verba juraverant, jam Chriſto nomina dederant. Itaque copiis omnibus collectis ſubito erumpunt, omnia ubique devaſtant, uno impetu, quæcunque a tractu Varmienſi ad mare usque ſpectant, oppida, villas, arces, quas eo furore poterant, diruunt omnes, præter Balgam & Elbingam. Deinde in terram Culmenſem progreſſuri, Suantepolcum Ducem eligunt, qui non gravate munus hoc ſuſcipit, mox ad expeditionem ſtrenue ſe parat, arcibus prius ſuis, quas in ripa Viſtulæ tenebat, quo rebus adverſis receptum haberet, præſidiis & commeatu communitis. Cruciferi Prutenorum defectione & irruptione cognita, ne ſimul omnia amitterent, Torunii & Culmæ continuo naves aliquot expediunt, militibus & commeatu onuſtas, quæ Elbingenſibus & Balgenſibus ſuppetias ferrent. Has Suantepolcus in flumine nactus, milites Germanos ad unum omnes trucidare jubet, commeatum in arces ſuas infert, naves exurit, totum deinde flumen ita infeſtum reddit, ut nemo ſe navigationi credere amplius auderet. Eodem impetu, neglectis Pontificii legati Guilelmi Epiſcopi Mutinenſis, qui tum apud Cruciferos erat, mandatis & interdictis, quibus ipſum ab incepto dehortabatur, & in Pomeſaniam terramque Culmenſem procedit, agros vaſtat, oppida & caſtella diripit, incendit, ac evertit, ſic ut etiam in eo toto tractu, præter Torunium, Culmam & Rezinum, Cruciferis nihil a vaſtatione reliquum, interfectis militum circiter quinque millibus, longe pluribus vero ſubditorum, civium & agreſtium, nullo diſcrimine ſexus vel ætatis, immani ac plane barbara crudelitate trucidatis. Tantus inde terror Cruciferis injectus, ut plerique de retinenda Pruſſia deſperarent. Erant nihilominus in omnem occaſionem intenti, ſi quam viciſſim hoſtibus calamitatem inferre, vel reliqua ſaltem tutari poſſent tamdiu, donec facultatem & vires majores ex Germania vel Polonia nanciſcerentur aperto marte hoſtem aggrediendi. Interim eo etiam utebantur ſolatio, fluminis ruptis aggeribus erumpentis primum impetum ferme eſſe maximum, ubi in campum ſemel effuſum fuerit, fluctum paulatim decreſcere. Habebat Suantepolcus Schartowiciam arcem in ripa fluminis citeriore infra Swezam

Schartowia arx capta.

zam oppidum ſitam, & egregie munitam, in qua theſauros & pretioſiorem ſupellectilem aſſervabat, eamque propter munitiones & præſidium alicui periculo expoſitam eſſe, ne in ſomnio quidem cogitare poterat. Hanc Ordinis fratres viginti quatuor, Duce Theodorico de Bernheim Mareſcallo ſeu prætorii Præfecto, memorabili facinore & inſigni audacia noctu ſcalis admotis occupant, quinquaginta armatos, qui in præſidio erant, ſed tum nihil veriti, ſe quieti dederant, ex improviſo opprimunt, reliquam deinde multitudinem facile vel interficiunt vel ad obſequium cogunt, Suantepolci theſauros, pecunias & reliquias capitis Divæ Barbaræ ſecum aſportant, quas olim ex naufragio cujusdam Cardinalis Pontificii ad littus Pomeranicum ejectas ſcribunt. Arci Theodoricus ex ſuis nonnullos præſidio relinquit, plures poſtea ſubmittit, ipſe
An. 1243. re bene geſta Culmam revertitur. Accidit facinus anno 1243. die tertia menſis Decembris, ea ſcilicet nocte, quæ diem Divæ Barbaræ ſacrum præcedit. Petrus Duisbergenſis ſcribit, Suantepolci milites præſidiarios non in ſomno oppreſſos, ſed primo congreſſu acriter ſe defendiſſe, ſic ut utrinque a ſummo mane usque ad diei veſperam pertinaciter dimicatum ſit, tandem autem præſidiarios virtute Cruciferorum fuiſſe devictos. Suantepolcus re comperta vehementer perturbatus, adducto quem ſecum trahebat exercitu confeſtim ad arcem convolat, ratus eadem alacritate, qua Cruciferi ceperant, a ſe poſſe recuperari: quam tamen ſua opinione munitiorem offendit, itaque ad obſidionem converſus, quinque ſeptimanis continuis eam acriter oppugnat, ſed fruſtra, ubi res ex ſententia non procedit, relicta aliquanta ad obſidionem manu, cum majori copiarum parte in agrum Culmenſem populabundus regreditur. Occurrit illi idem Theodoricus cum auxiliariis copiis Caſimiri, qui filius
Suantepolcus profligatur. erat Conradi Maſoviæ Ducis. Nongenti eo congreſſu ex Suantepolcianis cæſi, cæteri in fugam conjecti. Suantepolcus ipſe vix ægre elapſus ad obſidionem Schwartoviciæ ſe recipit. Inſequitur Theodoricus, cui in itinere præſto fuit Primislaus Suantepolci ex ſorore nepos, quem ille maternis fortunis omnibus expoliaverat. Suantepolcus fortunam nimis tum adverſam expertus, obſidione ſoluta in Caſſubios ſe recipit. Theodoricus arce reparata, quibus in locis oppugnationis impetu concuſſa fuerat, in Suantepolci provincias ducit, Naclum & alia ejus oppida deditione capit, inde populabundus in Caſſubios excurrit, Olivenſe monaſterium diripit, agrum Gedanenſem circumquaque vaſtat, & civitati
Suantepolcus pacem petit. jam ni ſeſe dederet exitium minabatur. Suantepolcus in has anguſtias tam repente redactus, ne plura amitteret, pacem ſupplex petit, & intercedente Romani Pontificis, Guilelmo Mutinenſi Epiſcopo, Legato, cujus interdicta dudum ſpreverat, haud difficulter impetrat, Schwartoviciam arcem Cruciferis relinquit, cætera, quæ ſua eſſent, cum captivis recipit, amicitiam & ſocietatem cum Cruciferis perpetuo culturum ſe
Eandem rumpit. juratus ſpondet, eamque in rem Meſtvinum filium dat obſidem. Verum ea fides non diuturna fuit, nondum enim anno elapſo, Suantepolcus cum barbaris ſociis iterum eruptionem in Culmenſem & Torunenſem agrum facit, prædas abducit, & multa crudelitate paſſim graſſatur, ſic ut prima eruptione tam improviſa ſexcenti circiter milites Cruciferorum, præter

præter communem agreſtem plebem, cæderentur. Tum demum vere cum eo bellum cœpit, quod deinceps in Culmenſi & Pomeſanienſi tractu novem annos continue duravit, quibus eventu vario & ancipiti marte res utrinque geſta fuit, multa viciſſim damna illata, & multa millia hominum cæſa.

Obſidebat Suantepolcus civitatem Culmenſem, quam ſumma vi capere conabatur, quia vero a rebus ad oppugnationem pertinentibus non admodum eſſet paratus, abducit inde copias verſus lacum & paludes, quas Renſen vocant, circa quas ut nemoroſæ erant valles ac ſylvæ denſæ, clam inſidias locat, in quibus circiter quatuor millia Pruſſorum abdidit, ipſe cum priori agmine expedito paludes tranſit. Cruciferi e veſtigio exploratum mittunt, quorſum hoſtis ſe vertat, & quantæ ſint ejus vires. Exploratores referunt, majorem exercitus partem paludes jam tranſiiſſe, cæteros cum carris & impedimentis tardius ſubſequi, & hos prius opprimi poſſe, quam ab illis ſubveniatur. Hanc occaſionem minime ratus negligendam novus Mareſcallus Berlewinus dato repente ſigno, cum quadringentis præſidiariis militibus erumpit, poſtremos opprimit, complures cæduntur, cæteri effuſe fugam capeſſentes. Pruſſi Mareſcalli milites undique oppugnant, qui Pruſſis nihilominus fortiter reſiſtunt, quantumvis decuplo eſſent plures. Interim Suantepolcus cum priori agmine revertitur, numerum & pugnam auget. Ex civitate ſubmittuntur reliqui milites, & cives, & quicquid ferme arma ferre poterat, ut in his anguſtiis conſtitutos ſublevarent. Sed parum adverſus tantam hoſtium multitudinem proficitur, Mareſcallus fortiter dimicans multis acceptis vulneribus cadit, fortiſſimi quique cum eo cæduntur, inde cæterorum deſperatio, fuga & effuſa cædes, pauci in civitatem ſalvi evaſerunt, cæteris ad internecionem deletis. Ex captivis cognoſcit Suantepolcus, vacuam eſſe a defenſoribus civitatem, quicquid militum, quicquid civium fuiſſet, in prælio occubuiſſe, paucis exceptis, qui effugerint, reliquos eſſe mulieres & imbellem turbam fœminarum & puerorum. Itaque in ſpem veniens civitatis potiundæ ad oppugnationem redit & militem admotis ſcalis murum aſcendere jubet. Mulieres vero & fœminæ ad defenſionem ſeſe invicem cohortatæ, quod ſatius ducerent pro patria mori, quam in turpiſſimam ſervitutem abduci, arreptis armis & virorum veſtibus indutæ, cum reliquis præſidiariis murum complent, hoſtes jam irrumpentes proturbant, & eorum multos trucidant. Re iterum atque iterum tentata, cum propugnatores ſubinde fortius ſe oſtenderent, Suantepolcus armorum ſpecie deceptus, mirari primum tot adhuc virorum in civitate ſupereſſe, receptui canit. Deinde ſuſpicans a captivis ſibi illuſum, eos ad unum omnes interfici jubet. Diebus aliquot ibi ſedendo fruſtra conſumptis, caſtra movet, & agrum Culmenſem longe lateque devaſtat, deinde contractis navigiis Viſtulam trajicit, & Cujaviam de improviſo populatus magnam vim pecorum & omnis generis prædam abducit, trajectoque rurſus fluvio naves impedimentis & præda onuſtas ſecundo flumine paulatim deſcendere jubet. Ipſe terreſtri itinere incedens rurſus omnia circumquaque vaſtat ac diripit.

Culmæ obſidio.

Cruciferi caſi.

pit. Interim Cruciferi haud contemnendam militum manum Torunii clam collegerant, qui cognito Suantepolci reditu, iter ejus diligenter explorantes, cum plerumque securi incederent, negligentius etiam stativa haberent Prussi, Torunio silenti agmine profecti nocte quadam intempesta, cum illi nihil metuerent, castra majoribus animis quam viribus invadunt, majorem hostium partem priusquam ad arma venire possent, primo impetu trucidant, cæteri neque resistere, neque arma capere, sed omnes ferme fugam facere, & recta quidem ad naves, quibus servare se posse confidebant, contendere. Verum naves & scaphæ eadem nocte vi ventorum statione expulsæ & passim dispersæ, fluminis cursu deorsum rapiebantur. Hac spe destituti a persequentibus vel cædebantur, vel in fluvium compulsi mergebantur, pauci nando in tutum pervaserunt. Suantepolcus ipse cum paucis per nota viarum compendia, beneficio maxime noctis elapsus, parum abfuit, quin caperetur. Ob hanc autem cladem, nequaquam animo fractus, novas continuo copias conscribit, quod ex tanta Prussorum multitudine facile poterat. Quorum ope novam arcem extruxit, in ipso ostio Nogati, ubi is in Vistulam exoneratur, quo facilius & alteram ripam retineret, & præternavigantes intercipere posset; eam nominavit Zantirum. Neque diu post in hac ripa aliam arcem ad oppidum Swezam construit, quam a Swedis Cruciferorum auxiliariis ædificatam Erasmus Stella nugatur, utramque & opere & præsidiis egregie communit, eoque modo totum flumen in potestate habere volebat. Cum id ægre ferret Magister provincialis Poppo Osternaviensis, Cruciferos & milites, qui Culmæ erant in præsidio, secundo flumine descendere jubet, ipse cum reliquis copiis Torunio secundum ripam Swetzam ducit, ad ejus arcis perfectionem impediendam. Suantepolcus id animadvertens, cum munitioni nondum absolutæ diffideret, hostem ibi non statuit expectandum. Sed paulo post, cum videret naves Cruciferorum cum ob altitudinem fluminis, tum ob adversum ventum exponi, & cum terrestribus copiis conjungi non posse, satis se virium contra Magistri exercitum habere existimans, ad munitionem rediit. Eam Magister acriter oppugnare, sic ut utrinque multi egregii milites quotidie desiderarentur. Magister tandem, re infecta proposito destitit. Suantepolcus deinceps arcem eam ita munivit, ut eam quoad vixit pacifice retinuerit. Magister vero, ne hostes in altera ripa ex Zantiro evagarentur, & in agrum Culmensem, quoties lubitum esset, sese diffunderent, ipse quoque novam arcem construxit, quæ a monte, in quo sita erat, Poterberga nuncupata fuit. Haud diu post Poppo Magister, auxiliante Casimiro Cujavienſi Duce, in Pomeraniam ducit, & prima impressione multos mortales incautos opprimit ac cædit, villas & pagos, & totum illum tractum usque ad agrum Gedanensem, novem continuo diebus devastat, ingentem prædam hominum & pecorum abducit. Civitates autem & arces undique præsidiis erant munitæ, sic ut Cruciferi nihil tentare auderent. Suantepolcus ut par pari referret contractis ingentibus Prussorum copiis, Elbingam ducit, eamque quod egregie munita esset obsidione cingit, viis omnibus intercluſis, ne quis commeatus inferri vel auxilia admitti possent, sperans se fame saltem obsessos

Suantepolcus profligatus.

Zantirum.

Schweza frustra tentatur.

Poterberga.

expugnaturum. Ipse relictis ad obsidionem quantum satis esset militum cum cæteris copiis per Varmiam & Natangiam, quicquid ibi Cruciferis reliquum erat, passim omnia devastabat, & agmen populabundus circumfert nemine occurrente, qui vim vel injuriam prohibuisset. Unde factum, ut Prussi quotidie fierent non insolentiores modo, verum etiam securiores.

Accidit tum inter cætera factum quoddam militare, quod uti ex ludicro ad rem seriam provenit, ita non abs re fuerit hoc loco recensere: Diverterat Suantepolcus animi causa ad villam quandam in agro Pomezanienſi, ibique sibi ac comitibus prandium instrui jubebat. Erat in eo comitatu miles manu alioquin promptus, sed qui Cruciferos Marianos in tantum metueret, ut ad solam illorum mentionem totus perhorrescere consuevisset. Non ignorabat hoc Suantepolcus, itaque cupiens prandentibus ludum exhibere, unum ex servis clam ablegat, qui nonnihil secundum vicinos montes exspatiaretur, & cum animadvertisset, prandium jam incipere, ex improviso rediret, atque adventum Cruciferorum trepide quasi nunciaret. Cæteris secreto hoc ita constitutum esse indicat, ut scirent rem serio non agi, sed consternationem timidi militis perspicerent ac riderent. Vix dum prandium inceperat, nuncius revertitur, qui Cruciferos vere adventantes prospexerat, & alto clamore significat, Marianos fratres adesse atque e vestigio subsequi monet, ut quisque sibi consulat. Tum ille timidus miles audito Marianorum nomine continuo exsilit, & quantum potest curriculo ad proximam sylvam se proripit. Cæteri primum effuse risere, mox ubi nuncius rem seriam esse obtestaretur, & ipsi fugam circumspexere, interim Cruciferi, qui ex Mariæ insula profecti prandium hoc exploraverant, consternatos adoriuntur, prosternunt, & cæteros ad unum omnes trucidant. Effugit Suantepolcus cum uno saltem comite usque ad Vistulam, comes pone ipsum a tergo confoditur, ipse in flumen se projiciens nando periculum evadit. Ita ex ludicris, quod est in proverbio, facile seria possunt interdum exoriri. Suantepolcus postea, ut ulciscereturhunc jocum, quo ad balneum coactus fuerat, complures Cruciferorum villas incendiis devastavit.

Suantepolci jocus perniciosus.

Interim Elbingenses arctissima premebantur obsidione, & in eas angustias redacti erant, ut jam deficere commeatus inciperet. Poppo ut obsessis opem ferret, virum spectatæ virtutis & rei militaris expertem, Ordinis fratrem Conradum Brennerum cum tribus navibus onerariis, quas commeatu affatim instruxerat, impositis etiam militibus, quantum defendendis navibus satis videbatur, subsidio mittit. Hi cum Zantirum præterveherentur, a viginti scaphis, quas Suantepolciani expeditas ibidem habebant, invaduntur. Sed tanta fuit propugnatorum virtus, ut non solum incolumes per medios hostes erumperent, sed aliquot scaphas etiam demergerent. Elbingenses hoc commeatu ad tempus sublevati, easdem naves militibus probe instructas eodem Duce Culmam remittunt. Has in itinere prope Swezam Suantepolciani cum decem navibus instructis aggrediuntur: acre mox oritur prælium, sed diu non

Elbingensibus suppetiæ latæ.

duravit. Illi enim cum ſe viribus inferiores viderent, amiſſo claſſis Duce & viginti militibus interfectis infugam ſe conferunt, ex Cruciferorum militibus quinque ſaltem deſiderati. Eodem tempore quo hæ naves in pacatum redierant, nobiles quidam Germani Cracovia Torunium appulerunt ſuſcipiendi Ordinis cauſa, & ſecum primo adventu ſcaphas aliquot frumento, vino & omnis generis commeatu onuſtas advexerunt. Commodum illud, ad ſublevandos iterum Elbingenſes accidit. Itaque Poppo tres eas naves, quæ bis jam antea flumen ab hoſtibus obſeſſum penetrarant, iſto commeatu onerat, addit alias etiam ſcaphas, in quibus trecenti boves & oves vehebantur, egregiis militibus eo inſtructiores, quo magis cavendum erat, ne tanta commeatuum copia in hoſtium manus deveniret. Illi ſecundo flumine devecti præter ſpem nocturno vento adjuti, nullo hoſte viſo, Schwezam & Zantirum præternavigantes, Elbingam commeatum integrum pertulerunt, ſive quod hoſtes negligentius excubias agerent, ſive aggredi bis jam victi non auderent, ſive quod tam cito naves cum commeatu redituras non exiſtimarent. Suantepolcus eo comperto, quod Elbingenſibus commeatus abunde ſubminiſtratus eſſet, de re tota deſperans, obſidionem ſolvit, & copias omnes Viſtulam traducit. Acceperat enim ab exploratoribus Popponem & Caſimirum Cujavienſem conſilia conferre de invadendis Suantepolci provinciis, ut ea neceſſitate domum ad propria revocatus ab Elbingenſium oppugnatione deſiſteret. Neque falſum erat iſtud indicium. Recta igitur Schwezam contendit, oppidum & arcem præſidio munit, deinde cum exercitu iter unius diei profectus, caſtra locat. Hac enim potiſſimum venturos hoſtes ſuſpicabatur. Poſtridie viginti equites emittit, qui de adventu & copiis eorum certius aliquid explorarent. Idem eodem momento fecerat Poppo Magiſter, decem equitibus præmiſſis, ipſe cum exercitu non procul ſequebatur. Utriusque exploratores forte fortuna in ſaltu nemoroſo ſibi invicem occurrunt. Suantepolciani mox terriri, quod exiſtimarent, totum Cruciferorum exercitum adeſſe (neque ſane longe aberat) confeſtim in fugam ſe conjiciunt, caſtra ingenti terrore complent, qui ſtatim adeo auctus eſt, Cruciferis fugientium veſtigia inſequentibus, & ex improviſo impreſſionem in caſtra magno clamore facientibus, obvios vero quosque proſternentibus, ut totus extemplo exercitus fruſtra obnitente Suantepolco fugam capeſſeret. Ibi non pauci cæſi, caſtra capta & direpta, Suantepolcus ſe cum profligatis Schwezam recipit. Exinde Cruciferi paſſim populabundi diſcurrere, prædas contrahere, & quod intelligerent Elbingenſem obſidionem ſolutam, agmen retro convertere, & paulatim domum ſe recipere; Suantepolcus qui & iſtius fugæ infamiam abolere, & prædas recipere maxime cuperet, copias omnes, quas ſecum & in præſidio habebat, inſtruit, & ſilenti agmine profectus, Cruciferos inſequitur, eo quidem ordine, ut quo in loco Cruciferi noctu ſtativa habuiſſent, eodem ille ſequenti nocte caſtra metaretur. Ibi cum equites ſeorſim locaret, pedites itidem ſeorſim eadem ſtatione, qua Cruciferi habuerant, facile deprehendit, ſuas copias duplo ferme majores eſſe, quam Cruciferorum. Quæ res illi victoriæ

Elbingenſis obſidio ſoluta.

Suantepolcus profligatus.

ctoriæ ſpem auxit, itaque Pruſſos & Pomeranos hortatur, ut forti ſint animo, in poſterum diem eos penitus a Cruciferorum impotenti dominatu liberatum iri, & hoſtes ob abductam prædam egregie ulturos, ſi modo tantum habeant animi, ut bini vel terni cum uno congredi audeant. Et illi quidem omnes multa & fortia polliceri, ſuam virtutem prædicare, Cruciferorum paucitatem deſpicere. Suantepolcus, poſtquam corpora curaſſent, tempore ad quietem dato, circa mediam noctem proficiſcitur, tanta uſus celeritate, ut poſtero die adhuc ante meridiem noviſſimum agmen hoſtium conſequeretur, quo præda ducebatur. Ea, ut Petrus Duisburgenſis ſcribit, per duas leucas erat diffuſa. Suantepolcus immiſſis equitibus ſuis ultimos in fugam conjicit, triginta circiter occiſis, & ita haud magno labore prædam recuperat. Ante noviſſimum agmen ducebat Frater ordinis Heinricus Lichtenſtenius, is converſo agmine hoſtes aggreditur. Suantepolcus laborantibus ſuis tres cohortes ſubmittit, adverſus quas Caſimirus Dux Cujavienſis, qui præcedebat, ſuas copias convertit. Interim Poppo Magiſter cum primo etiam agmine advolat, & Suantepolcus cum ſuis copiis omnibus accelerat, ibi jam de rerum ſumma dimicandum erat. Suantepolcus quanquam multitudine longe ſuperior erat, tamen in Pruſſorum equitum levitate ſpei parum habebat, quod locum ſuum fortiter eſſent defenſuri. Itaque jubet illorum mille, quos præ cæteris præſtantiores judicabat, equis deſcendere, & inter arbores denſiores, qua equitatui difficilis aditus erat conſiſtere, ac inde prælongis haſtis procurrere, & hoſtium equos confodere. Concurritur inde maximis clamoribus, & utrinque primo fortiter pugnatur, ſed urgentibus Cruciferis, qui majoribus animis contra hoſtium multitudinem pugnabant, Pruſſi cito remiſſiores facti aciem inclinare cœperunt. Illi enim, quos Suantepolcus equis deſcendere juſſerat, interiora ſylvæ petentes, a Cruciferis facile ſibi cavebant, atque adeo nulla re tentata fugæ initium faciebant. Nec diu poſt, cæteri etiam terga vertunt. Cæſi ex Suantepolcianis circiter quingenti, ex Cruciferis nonaginta quinque dicuntur. Noctis interventu Cruciferi hoſtem perſequi deſtiterunt, eoque minor cædes facta. Hac victoria læti Caſimirus & Poppo, præda paulatim præmiſſa, quam Suantepolcus relinquere coactus fuerat, poſtero die Torunium contendunt, ubi nova prorſus res illis objecta eſt. Quidam enim ex ultimo agmine fugitivi, quibus primo impetu Suantepolcus prædam eripuerat, & qui Suantepolcum cum ingenti multitudine adventantem viderant, Torunium præpropere advolantes trepide nunciaverant, Cruciferos victos, & eorum copias a Suantepolco deletas. Inde tanta in civitate orta conſternatio, ut major eſſe non poſſet, hoſtibus ante portam obverſantibus. Ubi itaque ex turribus conſpecti Cruciferi ad urbem contendentes, continuo portas claudunt, & armatos in muris diſponebant. Nec enim illis dubium, quin Suantepolcus tantam victoriam adeptus cum exercitu victore propius acceſſurus & urbem oppugnaturus eſſet. Et quantumvis ſigna & arma Cruciferorum agnoſcerent, tamen callidum Suantepolci ingenium obverſabatur, quod ſcilicet cæſorum arma, ſigna, veſtes, ſuis militibus induiſſet, eoque dolo fallaciam ipſis intenderet. Nec prius dubitari deſitum, quam

Suantepolcus Cruciferos inſequitur.

Suantepolcus profligatur.

Torunenſium conſternatio.

Caſimirus & Poppo & alii primorum, qui omnibus noti erant, depoſitis armis & nudatis capitibus propius ad muros acceſſiſſent, & eum errorem & animorum conſternationem ſua præſentia excuſſiſſent. Suantepolcus, quod res denuo male ceſſiſſet, nec amplius fidem Pruſſis habendam ſtatuerat, pacem petit, eamque præter opinionem ſuam facilius impetrat, non quod Cruciferi de ejus amicitiæ conſtantia magnopere ſperarent, ſed quod ipſorum vires in eo bello plurimum erant attritæ, & pacem magis quam bellum continuum deſiderarent.

An. 1247. Provincialis 3.

Anno 1247. Poppo Magiſter provincialis Magiſtratu ſe abdicavit, & in Germaniam ſeceſſit, illi ſubſtitutus eſt Heinricus de Weida. Hic uxoratus fuerat, ſed uxore conſentiente & monaſterium a marito conſtructum & dotatum ingrediente (cui a quibusdam falſo adulterii crimen adſcribitur) ac diſpenſante Pontifice Innocentio quarto, Ordinis inſignia ſuſceperat & ſecum quinquaginta equites Nobiles initiari curaverat. Is igitur initio ſui Magiſtratus, rebus omnibus exploratis, primam expeditionem adverſum Pruſſos Pomeſanos ſuſcepit. Hi munitionem habebant ſatis fortem eo in loco, ubi deinde Chriſtburgum vetus fuit. Hanc Cruciferi de improviſo ea nocte, quæ diem Chriſti natalitium præcedit, occuparunt, & Pruſſos omnes ibi repertos trucidarunt. Poſtea Magiſter locum accuratius munivit & arcem adjecit, cui a nocte Chriſti natalitia Chriſtburgum nomen fecit.

Suantepolci novi motus.

Ab hoc Magiſtro Suantepolcus filium Meſtwinum, qui penes Cruciferos obſes & pacis ſequeſter erat, repetens, cum non impetraret, pacem nuper factam, qua etiam Maſovii & Cujavienſes comprehenſi erant, rupit, & priusquam ejus conſilia cognoſcerentur, ſubito cum Pruſſis in ditionem Cruciferorum irrupit, multosque mortales apud Golubum incautos oppreſſit, deinde in Cujaviam impetum fecit, eamque magna clade affecit, plurimisque interfectis hominibus, absque ullo ſexus & ætatis diſcrimine, incenſis villis atque pagis permagnam prædam aſportavit, quam Pruſſis ſociis, quo magis illorum animos ſibi devinciret, diſtributurum ſe pollicebatur. Sed aliter res cecidit, ac ille putaverat. Dum enim ſecurus revertitur, ac negligentius habita militari diſciplina incedit, noctu ex improviſo per Magiſtrum Provincialem opprimitur, caſtris exuitur, & in fugam cum Pruſſis conjicitur, & ſic prædam Cujavienſem iis, quibus minime volebat, reliquit. Nihilo tamen magis conquievit Suantepolcus, ſed reparato mox exercitu Chriſtburgum arcem oppugnatum proficiſcitur. Facile enim cogitare poterat, quod Magiſter omnes undique copias ad ſe opprimendum contraxiſſet, non magno præſidio arcem teneri. Itaque ſubito oppugnationem duobus locis ſimul aggreditur. Qui in præſidio erant, quanquam egregie reſiſterent aliquandiu, quod pauci duobus locis vix ſufficerent, eorumque ſubinde aliqui caderent, Suantepolcus autem rem omnem in celeritate reponens absque ullo reſpirandi ſpatio inſtaret, quo ſcilicet Magiſtrum, quem ſubventurum, minime dubitabat, anteverteret, arx tandem expugnatur, Cruciferi & eorum præſidiarii ac famuli, quotcunque in arce

Suantepolcus profligatur.

Chriſtburgum captum.

erant, ad unum omnes trucidantur. Suantepolcus arcem ſuorum militum præſidio munit, ipſe in Pomeraniam revertitur. Haud multo poſt advenit Heinricus Magiſter, ſed tardiorem, quam ex re foret, adventum ſuum fuiſſe expertus eſt. Arcem validiſſimo præſidio communitam expugnare non poterat, præſidiarii vero eruptionem tentare vel diſcrimini rem committere nolebant. Itaque Magiſter novam arcem e regione veteris conſtruit, ut ſaltem a populationibus hoſtem arceret, atque eodem nomine nuncupat, ubi hodie Chriſtburgum ſitum eſt. Pruſſi, Pomeſanienſes & Varmienſes novam munitionem ægre ferentes, quod arces iſtas mera ſuæ ſervitutis argumenta putarunt, magnas colligunt copias, & conjurant, non prius ſe deſtituros, quam arcem utramque funditus evertiſſent. Magiſter de illorum conatu certior factus, & compertum habens, magnam eorum eſſe multitudinem, ſed ex agreſti plebe ferme collectos non optime inſtructos, inordinatos & rerum militarium ignaros, ſtatuit cum eis acie decertare. Approbavit hominis conſilium fortuna. Pruſſi enim ferociter magis quam conſtanter progreſſi, quo diutius reſiſterent, eo majori clade inermes pene ab armatis afficiebantur, tandem in fugam conjiciuntur, cæſis ex incompoſito exercitu undecim millibus.

Pruſſi cæſi.

Poſt eam cladem commemorant rerum Pruſſicarum ſcriptores novæ cujusdam plagæ exemplum, qua Pruſſi Varmienſes & Pomeſani divinitus afflicti fuerint a Dæmonibus, quos ſuccubos & incubos vocant, qui Pruſſorum thoros conjugales conſcendebant, & cum uxoribus coibant, ut quidem illis videbatur. Unde multi ad inſaniam atque adeo in eum furorem adigebantur, ut cum Dæmones ulciſci nequirent, proprias mulieres crudeliter trucidarent. Viciſſim vero Dæmones humana ſpecie obverſantes in viros ſæviebant, alios in ignem, alios in aquam conjicientes, complures in ſylvis comprehenſos arboribus ſuſpendebant, & alioquin multis & miſeris modis male & atrociter affligebant. Horum Pruſſorum plerique antequam cum Suantepolco novas res molirentur, jam pridem a Cruciferis ſubacti & ad Chriſtianismum converſi fuerant. In hac vero calamitate inſtigantibus dubio procul malis dæmonibus ad veterem paganismum reſpicere, & Idolorum ſacrificulos Sambienſes, qui adhuc Dæmonum cultum retinebant de cauſa tantæ afflictionis conſulere cœperunt. Illorum ſummus ſacerdos, Kyrwaite quem vocant, cum, ſolennibus ſacrificiis peractis, rem ad Deos retuliſſet, reſpondit, omnium horum malorum cauſam eſſe defectionem a Diis & ſacris avitis, hanc illis plagam a Diis patriis inferri, quod priſcam & a majoribus acceptam religionem deſeruiſſent, & cum Deo peregrino commutaſſent, plagam eam non prius deſituram, quam ipſi vel ad majorum inſtituta & patrios Deos reverſi, vel omnes ea plaga funditus extirpati fuiſſent. Creditum id vulgo fuit, utpote ab hominibus in pravo Dæmonum cultu enutritis, & nondum in religione Chriſtiana ſatis informatis. Et ut plerumque ad ingenita vitia pronior eſt affectio, generatim denuo conjurant, per omnes potius mortes vitam ſe profuſuros, quam ut deinceps ad peregrini Dei cultum adducerentur, quinimo faventibus Diis patriis novos iſtos Dominos

Plaga Pruſſorum dæmoniaca.

Pruſſi ad Idola reverſi.

Chriſtianos, cum novo ſuo Deo Pruſſiæ finibus exterminaturos, nec ullum hominem Chriſtianum, quemcunque nanciſci poſſent, vivere paſſuros. Quod poſtea quidem re ipſa ſatis crudeliter præſtiterunt.

Suantepolcus profligatus.

Suantepolcus certior factus de Pruſſorum clade apud Chriſtburgum accepta, novum continuo comparat exercitum, partim e Pomeranis partim e Pruſſis, e trajecto Viſtula apud Zantirum arcem delectum habet, inde agmen verſus Chriſtburgum movet. Sed non multum progreſſus erat, cum Magiſter, qui ejus adventum per exploratores cognoverat, cum expedita manu occurrit. Præmiſſi igitur ab eo præcurſores a Cruciferis profligati, cum tumultuoſius ad reliquum agmen ſe reciperent, exercitum omnem in fugam converterunt, in qua urgentibus a tergo Cruciferis, cum Suantepolcus nec precibus nec minis fugam ſiſtere poſſet, dum accurrentes navibus mutuo ſe præcipites in Viſtulam impellunt, multi de exercitu Suantepolci perierunt. Ipſe exigua navicula exceptus trajecto fluvio in Pomeraniam reverſus eſt. Reliqui Zantirum confugerunt. Magiſter poſt eam victoriam Zantiro copias admovet, ſed cum arcis egregie munitæ & præſidio inſtructæ oppugnationem diuturnam futuram videret, ne ſpatium daret Suantepolco novum exercitum colligendi, trajecto & ipſe fluvio Pomeraniam invadit, & tantam ferro flammaque vaſtitatem fecit, quantam Suantepolcus ante hunc diem non fuerat expertus. Hoc Cruciferorum ſucceſſu ij etiam, qui Balgæ & Elbingæ in præſidiis erant, cum Pruſſis fortunam tentaturi populabundi excurrunt in Natangiam, multos ex improviſo opprimunt ac occidunt, villas vaſtant & magnam prædam abducunt. Cum autem præda jam onuſti reverterentur, Pruſſi illos præveniunt, & in loco anguſto prope pagum Krucken in præparatas inſidias pertrahunt. Ubi Cruciferi, cum undique multitudine barbarorum circumfuſi nec procedere nec recedere, quin imo ne armis quidem ſatis expedite rem gerere poſſent, per inducias & colloquia Pruſſorum animos pertentant, num honeſtis aliquibus conditionibus ſalvi evadere poſſent. Pruſſi poſtulabant, ut duces ambo Mareſcallus Elbingenſis & Vice-Commendator Balgenſis obſides darentur, milites omnes arma traderent, & ſic inermes ſalvo corpore quo vellent abirent. Commendator tam turpem pactionem nequaquam recipiendam ſuadebat, quippe quod longe honeſtius eſſet fortiter mori, quam inermem ſe barbarorum libidini dedere, & incertum ac dubium ſit, qua fide illi, qui fidem omnem flocci faciant, promiſſa ſint præſtituri. Itaque hortatur, ut milites præſenti ſint animo, ac omnino cogitent, eo nunc deventum eſſe, unde niſi virtute & manu receptus honeſtus nullus ſit, ferro patefaciendam viam, & per ſtragem hoſtium erumpendum, victoriam in Dei manu poſitam, quam æque per paucos, ac plures largiri conſueviſſet. Et ut omnia peſſime cadant, virtutem certe etiam poſt mortem perpetuo retinere laudem. Tam turpiter vero deditos, qua fronte, quo ore, amiſſis armis ad commilitones revertendum exiſtimarent? Vera quidem dicebantur, ſed diverſum ſuadebat Mareſcallus, qui ad deditionem inclinabat, ſtultum eſſe dicens, ubi virtuti locus nullus ſit, vano virtutis nomine famam tueri & ubi omnino

Cruciferorum infelix eruptio.

omnino pereundum ſit, arma pluris quam vitam facere, cum arma reparari poſſint, vita non poſſit. Itaque ſe milites ſuos ſervaturum ad meliora, licet in præſenti turpe aliquid exprimat neceſſitas, quam ad internecionem viros fortes prodere. In eam ſententiam vulgo pedibus itum eſt, tanta plerosque animorum conſternatio occupaverat, ut nihil penſi facerent aliud, quam quoquo pacto vitam conſervarent. Sed parum in eo conſilio præſidii fuit, traditis enim armis dediti per ſummam barbarorum perfidiam omnes eodem quo ſteterant loco, immaniter ſunt conciſi, duo duces, quinquaginta quatuor fratres Ordinis & reliquorum militum circiter mille quingenti. Hoc patrato facinore, Pruſſi recta Balgam ducunt, quam propugnatoribus vacuam nullo negotio capiunt, & interfecta imbelli turba, quæ remanſerat, ignem injiciunt, ac munitionem ſolo æquant.

Anno 1251. cum ſecundus Epiſcopus Culmenſis Heinricus vel Heidenrichus adhuc inter vivos converſaretur, ut habent annales Pruſſici, Cathedralis Eccleſia cum Cleri domicilio in monaſterium oppidi Culmſeh translata fuit, ejectis inde monachis Dominicanis, ideo, quod Abbatem ſuum nefarie trucidaſſent, quod per hanc occaſionem accidiſſe narratur. Monachus quidam ejus Cœnobii, corvum peculiarem peculiariter alebat, & neſcio quibus artibus docebat, ut variis linguis, germanica, latina, polonica, interrogantibus reſponſa daret. Hunc corvum forte fortuna Abbas accedens cum eum videret triſtem & melancholicum, quaſi profunda cogitantem, his verbis interpellat. Corve, Corve quid penſas? Ibi Corvus reſpondit: Annos æternos cum interitu tuo. Abbas eo reſponſo & territus & iratus, ſane non tu corvus es (inquit) ſed merus diabolus; eoque dicto confeſtim juſſit corvum occidi. Monachus, cui corvus iſte familiaris erat, cujus colloquiis & ridiculis confabulationibus carere nunc cogebatur, in tantam rabiem prolapſus eſt, ut paulo poſt idoneo captato tempore, Abbatem cultro transfoderet. Hanc ob cauſam memoratus Epiſcopus monachos illos ejecit, & Canonicorum cathedram eo loco ſubſtituit.

Cæterum eo quem diximus ſucceſſu elati Pruſſi, jam antea ut plurimum perdomiti, colla rurſum erigere, & paſſim in Natangia, Pomeſania, Varmia & vicinis provinciis ſeſe in veterem libertatem aſſerere, Cruciferis autem & eorum ſubditis paſſim quoquo modo poterant, non parva incommoda frequenter inferre. Nec interim quieſcebat confœderatus eorum Suantepolcus, qui & ipſe Cruciferos variis modis affligebat, nunc armis, nunc dolis, adeo quidem feliciter & favente fortuna rem gerens, ut Cruciferorum vires ac opes vehementer infringeret. Et tunc adeo quidem in anguſtias rurſum Cruciferi redacti erant, ut res eorum pene jam in Pruſſia deploratæ viderentur, niſi paulo poſt nonnulli Germanici Principes, inter quos præcipui erant Marchio Brandenburgenſis, Epiſcopus Mersburgenſis & Henricus Comes Schwarzburgicus, illis auxilio veniſſent, cum non contemnendo equitum & peditum exercitu, per quos ſecundis aliquot præliis factis, & arcibus ac oppidis recuperatis

Auxilia Cruciferorum.

peratis, denuo Pruſſi, qui rebellaverant, intra biennium ſubacti ad officium redierunt. Hi Principes adjuncto ſibi Legato Pontificio Jacobo Archidiacono Leodienſi, qui eam ob rem, ex Polonia in Pruſſiam diverterat, pacem tandem & concordiam inter Cruciferos & Suantepolcum
An. 1252. ac Pruſſos ad fidem converſos, anno 1252. in arce Chriſtburgenſi conſti-
Pax cum Suantepolco & Pruſſis. tuerunt firmam ac perpetuam. Perſpiciebant enim Principes, quod Cruciferi nimis acerbe deditiis Prutenis imperaſſent, nec obſcure præ ſe ferebat Suantepolcus, ſe haud immerito patrocinium miſerorum contra Fratrum tyrannidem ſola miſericordia commotum ſuſcepiſſe. Pax hiſce legibus compoſita eſt, eaque libertas Prutenis ad Chriſtianismum converſis perpetuo data: Ut liceret illis quæcunque bona, quascunque poſſeſſiones, eodem jure, quo Chriſtiani utuntur, in Pruſſia acquirere, habere, poſſidere: Ut fas illis eſſet de bonis ſuis omnibus, prout vellent, agere, teſtari, ac ſuo arbitrio diſponere: Ut matrimonia cum Chriſtianis contrahere, & verſa vice Chriſtianis cum Prutenis liberum eſſet: Ut ex ejusmodi conjugio prognati liberi cenſerentur, nulla ſervitutis infamia adſtricti, ac liberam haberent facultatem, ubicunque locorum in Pruſſia vellent, domicilium conſtituendi, mercaturam & opificia exercendi: Ut nobilium gentilium filii jus haberent aureorum annulorum, & in equitum ordinem cooptarentur: Ut Prutenis converſis liceret, jure Polonico, quo dudum aſſueviſſent, uti, ad Culmenſe jus inviti cogi non deberent. His ita compoſitis & conſignatis, Suantepolcus deinceps quievit, provinciis ejus, a Cruciferis interim ſecure degentibus: & Pruſſi ſubacti facilioribus Dominis uti cœperunt, Cruciferis autem multæ gerendorum bellorum difficultates amputatæ, & major oblata facultas ditiones ſuas amplificandi. Itaque pacatis Culmenſi, Poggeſanienſi, Natagenſi & Barthenſi provinciis, deinceps ad Sambienſes & Sudavios, qui Pruſſorum omnium habebantur potentiſſimi, & eorum ſocios ſubjugandos animum adjecerunt.

1253. Pluviæ vis. Anno ſequenti a feſto Paſchatos usque in menſem Auguſtum tanta fuit in univerſa Pruſſia & Pomerania pluviarum vis & tempeſtas die noctuque ferme continuata, ut plurimis in locis homines degere, commeare, ambulare, nequiverint, frumentum in agris ubique, præſertim in locis declivioribus & ſuffocatum & fluxu aquarum radicitus erutum fuerit. Ex quo factum eſt, ut adauctis aquis Viſtula totam ferme Pomerelliam inundaverit, cum ingenti ſtrage & calamitate hominum, jumentorum & agrorum.

Livoniæ Provinciales. Tempore dicti Magiſtri Magni Conradi Lantgravii, in Livonia provinciales fuerunt: Theodoricus de Groningen anno 1247., qui Curetes ut plurimum perdomuit, arce Goldinga in cervicibus illorum impoſita, & Mendovum Litvanorum Principem acie victum profligavit: anno deinceps 1250. Andreas de Stucklandia, qui Litvanos & Samogethas gravibus bellis afflixit, Semigallos ordini tributarios effecit, tandem etiam Mendovo Principi perſuaſit, ut cum Cruciferis pacem faceret, idolis expulſis Chriſtianismum amplecteretur, & cum uxore Martha & omnibus

bus aulicis per Albertum Epiſcopum Rigenſem baptizaretur. Et exinde idem Mendovus ex auctoritate Romani Pontificis Litvanorum ſe Regem dixit, quanquam non diu poſt & Cruciferorum amicitiam violavit & ad priſtinum errorem & idolorum cultum reverſus eſt.

Eodem Magiſtro Magno adhuc ſuperſtite, Ludovicus cognomento Sanctus, cum ex Sultani captivitate liberatus eſſet, Ordini Teutonico ex ſingulari gratia lilia quatuor aurea in ſuis inſignibus geſtanda conceſſit. Lilia.

Eodem quem diximus anno 1253. nono Calendarum Auguſti, Conradus Lantgravius in fata conceſſit, duodecimo ſui regiminis anno, Marpurgi in Haſſia ſepultus. In cujus locum ſextus ſublegitur Poppo Oſternavienſis, qui antea Pruſſiæ provincialis fuerat, regnantibus in Polonia Boleslao Pudico & in Imperio Romano Conrado Quarto, ejusdem anno quarto & ultimo. VI. Poppo Oſternavienſis.

Premislus contra Suantepolcum. Haud diu poſt electum hunc Magiſtrum, Premislus Poloniæ Dux Suantepolco bellum fecit, eo quod is Naclum arcem Premisli per vim occupaverat, vel ut alii volunt, uno de cuſtodibus pecunia corrupto, noctu interceperat. Hanc itaque repetere volens Premislus cum auxiliaribus copiis eo contendit, & cum arx ſitu arteque munitiſſima egregie a Pomeranis defenderetur, ac difficilis eſſet ejus expugnatio, aliam e regione ejus ad occidentem ſolem ſumma celeritate excitavit, eique importato copioſo commeatu præſidium impoſuit, quantum ſufficiebat ad vexandos, & quaſi in obſidione continendos hoſtes, qui in præſidio antiquæ arcis erant. Quo facto dimiſit reliquum exercitum. Fiebant autem crebræ utrinque ex arcibus eruptiones & conflictus vario marte. Alteram deinde Premislus fecit expeditionem in Pomeranoi, & omiſſa Nacli expugnatione noctu ſilenti agmine ad Racianſum arcem Pomeraniæ, in quam ſe magna multitudo Pomeranorum cum facultatibus ſuis propter bellum contulerant, contendit, eamque antelucano tempore adveniens, quamvis expergefactis ad primum tumultum cuſtodibus, verum inopinata re perculſis, & quaſi capta jam arce diſcurſantibus, ac de propugnaculis ſeſe præcipitantibus incendio conſumpſit. Poſt cujus diſceſſum Suantepolcus cum exercitu non contemnendo, hoſtibus ex nova arce obſiſtere non auſis, in Naclum perrupit, & commeatu importato ſuos inopia victus laborantes confirmavit. Deinde omnem conatum ad novam arcem vel capiendam vel evertendam convertit. Et primum quo minore ſuorum periculo quod volebat efficeret, ſarmenta & pinguia ligna in foſſas, quibus arx munita erat, comportari jubet, ut ea ſtrue incenſa arcem cremaret. Magna vi lignorum multo labore a militibus coacervata, cum ij plura etiam e remotioribus ſylvis petitum iviſſent, erumpunt præſidiarii, ſubjectoque igni, id quod jam comportatum erat materiæ ſine ullo arcis periculo comburunt. Hoc primo conatu fruſtratus Suantepolcus vi arcem expugnare nititur, factaque e clypeis teſtudine, milites ejus ſiccas foſſas transgrediuntur, & ſub ipſa propugnacula ſubeunt, atque alii ignem ſubjiciunt, alii aſciis & ſecu-

ribus ligneos arcis parietes perrumpere conantur. Sed saxis & magnis molibus superne dejectis jaculisque vehementius afflicti, viginti desideratis, compluribus vulneratis, irrito cœpto recesserunt. Nec tamen destitit Suantepolcus ab incepto, cumque aperta vi nova arce potiri non posset, ad dolos se convertit. Reducto enim domum exercitu, auctoque, statim revertitur, nec longe ab arce in convalle quadam in insidiis consedit, suis in antiqua arce noctu per fidum internuncium, quid fieri velit, præcipit. Orta luce Pomerani ex antiqua arce, quemadmodum jussi erant, decurrunt, & adversarios ad pugnam provocant. Non detrectant illi, Pomerani inito prælio fugam simulant, instant Poloni fugientibus, ita in insidias præcipitantur. Nec tamen inulti cadunt. Quibus ad unum partim cæsis partim captis, Suantepolcus victoriæ signa præ se ferens ad novam arcem accedit, deditionem postulat. Respondent ii, qui erant in præsidio, plures in arce superesse, qui de fraudulentis victoribus pœnas expetituri essent. Videns autem Suantepolcus omnes suos conatus in irritum recidere, difficulterque se Naclum retinere posse, ad pacem cum Premislo faciendam inclinari animo cœpit. Nec difficulter ea, Popone uno de Cruciferis (sic Cromerus scribit) qui Suantepolcum & Premislum materno sanguine attingebat, interveniente coivit. Conventu enim apud Xynam acto, Suantepolcus per sententiam Poponis ex compromisso latam, Premislo Naclum reddidit, Premislus vero Suantepolco pro impendiis & Racianzi demolitione quingentas marcas argenti certis pensionibus exoluturum se esse, novem obsidibus nobilibus datis, cavit & exsoluit postea. Captivi utrinque dimissi. Pax perpetua mutuo jurejurando firmata est, ita ut neuter alterius ditionem un-

An. 1254. quam invaderet. Eodem tempore Cruciferi cum Prussis Sambiensibus grave bellum inceperant, quod initio propter barbarorum audaciam & multitudinem varie gestum fuit. Incolebant enim Sambienses terram & satis amplam & populosam, ideoque magnas copias tam equestres quam pedestres conficere poterant: Ita quidem, ut Cruciferi propriis viribus rei summam experiri non auderent, donec ex Germania passim auxilia conquirerent, quæ illis ob multorum Principum ardorem extirpandæ idololatriæ haud gravate subministrabantur. Inter cæteros Odoacer Boëmiæ Rex ipsemet cum valido exercitu in Prussiam advenit, quem non pauci Principes & primariæ Nobilitatis viri comitabantur, postquam bellum in Ungaria cum Rege Bela confecissent: Quanquam Bonfinius scribit, Odoacrem ante bellum Ungaricum Ulmigeros in Prussia debellasse. Erant etiam in eodem comitatu Ottho Marchio Brandenburgensis, Dux quidam Austriæ, Titemanus Lantgravius Thuringiæ, Fridericus Marchio Moraviæ, Episcopi Colonienſis & Olmuncensis. Scribunt tum his auxiliis, Cruciferos pugnatorum ultra sexaginta millia in armis habuisse, quod ante hunc diem nunquam evenerat. Tantam hominum multitudinem nolebat Odoacer otiosam esse, & commeatum frustra consumere, itaque ante anni tempus supremum hyeme in Sambiam cum omnibus copiis ducit, ac primo impetu Romowam, domicilium & arcem Idolorum ac Pontificum capit, quercum illam magnam & Prussis sacram exurit, & Deorum istud domicilium ad formam pagi

Odoacer Rex Boëmiæ.

redigit,

redigit, qui hodie Roma nuncupatur, deinceps provinciam & agrum Medenow incendiis & populationibus devastat, quicunque Christo dare nomina vellent capit & Cruciferorum Ordini subjugat, contumaces nullo discrimine vita mulctat. Itum deinde in terram Rudow, ubi ejusdem nominis arx munitissima, in quam ejus territorii nobilissimi quique cum uxoribus, liberis & fortunis confugerant, deditione capta, illi omnes Christo & Ordini adscripti. Eodem successu exercitus in territoria Quadenow, Waldow, Caym & Tapiaw processit. Incolæ vero cum passim suorum cædes fieri, villas & prædia conflagrari viderent, & armis frustra obsisti, projectis armis vicatim procurrunt, Regis & Cruciferorum gratiam supplices implorant, spondent se subditos Ordini futuros, & Christianam Religionem amplexuros, modo a cædibus & incendiis temperaretur, neve devastatis agris omnis spes rei familiaris perderetur. Omnes in gratiam recepti & traditis armis, datis obsidibus, ad sua reverti jussi. Horum exemplo cum cæteri sapere discerent, ac ultro se dederent, nullo ampliori negotio Sambia universa in ditionem Cruciferorum concessa, eo majori cum illorum gaudio, quo difficiliorem expugnatu gentem eam longe potentissimam futuram existimassent. Rex Odoacer, ut minus metuenda esset Sambiensium defectio, suasit Cruciferis, ut arcem & urbem oportuno loco in Sambia quamprimum ædificarent ac præsidio communirent, ipse majori copiarum parte cum Cruciferis relicta re bene gesta in regnum revertitur. Rege digresso Cruciferi arcem in Sambia construere cœperunt, quam in ejus Regis honorem Montem Regium appellarunt, neque multo post civitatem Brunspergam condiderunt a Brunonis Episcopi Olmuncensis nomine appellatam. Is enim in ea expeditione adversus Sambienses aliquantam militum manum auxilio adduxerat, & ad constructionem ejus civitatis multa contulerat. Quidam scriptum reliquere, Brunonem hunc Pragensem Episcopum, & ideo Odoacris comitem fuisse. Dubravius Olmuncensem fuisse affirmat, ejus opinio verior videtur.

Sambienses subacti.

Mons Regius.

An. 1255.

Brunonis mons.

Postquam compertum habuere vicini Sambiensium Nadrovii, Schalawonii & Sudini, quos vulgo Sudavos dicimus, quo pacto Sambienses sese Cruciferis subjecissent, quam nullam pene defensionem parassent, quam timide libertatem amisissent, & quod omnium turpissimum videbatur, quam fœde abjecto Deorum gentilium cultu Christianorum sectæ subscripsissent, continuo omnes præ rei indignitate fremere, excidium illis ultimum comminari, & jam non pro vicinis sed pro hostibus habere, nec mora contractis copiis in eos ducunt, & Sambiam una impressione longe lateque pervastant, multa hominum millia nulla ætatis vel sexus habita ratione immaniter trucidant, & pecora abigunt. In reditu ad fines Sambiensium, munitionem construunt trabibus duplici ordine conseptis, humo ingesta, nomine Welow indito, quod illorum lingua dicitur specula, hodie Welaw nuncupatur, quo facilius Cruciferorum copias a suis finibus arcere possent.

Prussi vastant Sambium.

Welaw.

Huic munitioni validum præsidium imponunt, & virum inter ipsos primariæ nobilitatis, nec minus bellica virtute præstantem Tirsko-

Tirsko transit ad Cruciferos.

nem & ejus filium Mandelum præficiunt, ipſi in ſua regreſſi undique ſe ad defenſionem, ſi quid ulterius Cruciferi tentaturi eſſent, ſummo ſtudio comparant. Sed longe aliter ac ipſi conſilia ſtruebant res cecidit. Etenim Tirſko munitioni præfectus probe penſitatis Cruciferorum viribus, & augmentis, & jam præter ſuperiores provincias bello ſubjugatas, Sambienſium luculenta acceſſione, prudenter æſtimabat, reliquos Pruſſos ad reſiſtendum pares non futuros & demum æque ut Sambienſes & cæteros nolentes volentes, vel cum ſuo magno malo imperata facturos: Sibi vero etiam primum impetum ſuſtinendum eſſe cum filio, ubi omnino vel moriendum ambobus vel aut ab hoſtibus ſervitutem, aut a domeſticis ignominiam expectandam. Ratione igitur in conſilium revocata, & re cum filio communicata, Deo dubio procul ita providente, meliorem ſententiam eligit, filium ad Cruciferos in Montem Regium ablegat, ſibi & præſidio vitam & libertatem paciſcitur, Chriſtianismum ſe ſuſcepturos ſpondet, & ita rebus conventis, & iis qui in præſidio erant idem conſilium approbantibus, munitionem Cruciferis tradit, quod cum illorum maximo fuit commodo. Hic enim Tirſko omnia Pruſſorum conſilia, munitiones, vires, opes, cognitas & perſpectas habebat, & cum ſemel animo paganismum exuiſſet, totus Chriſtianus factus, integram deinceps Cruciferis fidem præſtitit. Ejus igitur ductu priusquam, quid ageretur, cæteri Pruſſi cognoviſſent, Commandatarius Montis Regii Burcardus de Hornhauſen in territorium Mohenſtorb proficiſcitur, ubi ſui moris munitionem habebant Pruſſi firmiſſimam, illorum lingua Capoſte nuncupatam. Eam Cruciferi ex improviſo impreſſione facta occupant, gentiles omnes trucidant, & igne injecto munitionem ſolo æquant, idem factum cum altera munitione quam ipſi Oſcholiten appellabant. Id animadvertentes incolæ vicinorum trium territoriorum & munitionum Wuſatrapen aliis Gatrapen, Grundow & Angeteten, priusquam in ſe duceretur, conſilio & interventu Tirſkonis pacem petunt, ſe ſuaque dedunt & in ditionem Ordinis concedunt.

Provinciales. 4. 5. Diem functo Heinrico a Weida Magiſtro provinciali, in locum ejus ſufficitur Gerardus de Hirtzberg, qui ſequenti biennio cum Sambienſium vicinis & reliquiis varia fortuna rem geſſit, poſt biennio abdicato Magiſtratu in Germaniam proficiſcens ſucceſſorem habuit Hermannum de Grunbach, virum fortem quidem, ſed admodum ſeverum, & pene crudelem, qui Elbingæ duos fratres Ordinis, quidam ſcribunt tres, quidam ſeptem, vivos cremavit, eo quod cum Prutenis apoſtatis conſilia contuliſſe dicerentur. In Livonia Magiſtri provinciales conſtituti ſunt anno 1256. Eberardus Comes a Seine & anno 1258. Hanno Sangerhuſienſis, qui poſtea Magiſter Generalis Pruſſiæ creatus fuit.

Pruſſorum nova conſpiratio. Pax inter Pruſſos deditios & Cruciferos confirmata octavum jam annum durabat, Cruciferis paulatim ad ſeveritatem declinantibus, & duriter imperantibus, ibi tum Pruteni paſſim rebellionem & vindictam circumſpicere, nec ſolum publice dominatum impotentem abominari, verum etiam privatim ex inſidiis fratres, qui cum aliqua poteſtate eſſent,

eſſent, opprimere. Cujus rei ex cæteris unum exemplum tam inſignis perfidiæ, quam egregiæ ultionis hoc loco referemus.

Exemplum proditionis punitæ. Arci Lentzburgenſi in territorio Natangienſi præfectus erat Frater Volradus Wunderlich. Is de ſuorum perfidia, quod vitæ inſidias ſtruerent, certior factus, cum non facile crederet, aut tantum flagitium in animum induceret, quippe manſuete & leniter ipſis imperabat, eoque nomine apud omnes celebrabatur, nihilominus periculum illorum fidei prius facere decrevit, quam ſeverius aliquid in quempiam conſtitueret. Convivium itaque ſplendidius inſtruit, primates illorum more ſuo, ut ſæpe conſueverat, invitat, accumbentes laute excipit, largiter etiam propinat, in omnes nihilominus motus & inſidias intentus, & ut a vi ſecurior eſſet, lorica ferrea ſub veſte clanculum indutus, convivium in multam noctem accenſis candelis & lucernis protrahitur. Pruſſi poſtquam immodica ingurgitatio audaciam & licentiam augebat, ex compoſito lucernas alii extinguunt, Volradum alii pugionibus punctim ferunt, ſic ut ictus per veſtem adacti in lorica ſubſiſterent. Ubi ad Domini clamorem ſervis accurrentibus lucernæ ex integro ſunt accenſæ, conqueritur Volradus de eorum perfidia, qui ſe contra jus hoſpitii vulnerare, fortaſſis etiam trucidare voluiſſent, oſtendit veſtem multis locis perfoſſam, illi omnes quaſi indignabundi factum improbare, communi conſilio tantum ſcelus perpetratum negare, nec tamen auctores prodere. Omnibus igitur ſeſe ſancte purgantibus rogat Volradus, ſi auctor perquiri poſſet, ecquanam pœna dignum exiſtiment, qui talia in ſe perfide & furtive perpetraſſet? Reſpondent illi ſubdole, quia ſcirent auctores in ea multitudine & turba ignorari, qui talia patraſſet eum ignis ſupplicio dignum eſſe. Volradus nihil tum amplius ea de re verborum facit, quaſi parum curans, hortatur denuo ad hilaritatem, compotationes repetit, bene potos ad lucem ferme domum dimittit, aliquanto poſt, cum exactius illorum exploraſſet conſilia, rurſum & eos qui antea adfuerant, & alios inſuper, quos ſimul in necem ſuam conſpiraſſe compertum habebat, invitat. Illi nihil renuere, ſed ad conſtitutam horam accelerare. Quoniam enim ſæpius conſueverat hujusmodi conviviis, nihil mali ſuſpicabantur, quinimo nec meliorem ſibi patrandi ſceleris occaſionem dari poſſe putabant, qua ſemel tandem res in ejus exitium eſſet ſucceſſura. Inſtructum erat convivium extra arcem in ædibus vicinis peramplis, quæ tot hoſpitibus ſufficerent. Volradus ubi inebriatos videt, cautius ſibi proſpicit, ubi vero animadvertit, prioris facinoris exemplo lucernas extingui, mox ſecedit, quodque jam antea clam omnia præparaverat, feneſtris & januis fortiter occluſis, igne injecto, domicilium ſimul & hoſpites exurit. Et ille quidem hoc modo ipſorummet ſententiam, qua proditores tali ſupplicio dignos judicaverant, adverſum eos exequebatur. Sed hæc non minima fuit cauſa, ut rurſum Pruteni generatim deficerent ac correptis armis in priſtinam libertatem ſeſe vindicarent. Et ſane tanta fuit hæc rebellio, tantasque vires acquiſivit, præſertim in Sambia, Natangia & Varmia, ut deinceps totos tres & viginti continuos annos vehementer laboratum ſit, donec ad officium omnes reducerentur,

rentur, cum interim permultum ſanguinis utrinque funderetur, & plerique Pruſſorum optimates ac nobiliores familiæ penitus extirparentur, priuſquam cæteri ad officium & imperium reducerentur. Equidem exiſtimaverim multo pluris conſtitiſſe Cruciferis, ut Pruſſos omnes ſubjugarent, quam Hiſpanis, ut in Americæ parte regno potirentur. Quanquam enim ibi regiones eſſent majores & ampliores, homines tamen erant inermes & imbelles, Pruſſi vero armis longe inſtructiores. Ac ſi Hiſpani Indis iſtis quos vocant occidentalibus benigne potius imperare, quam ob deteſtandam avaritiam & auri ſitim per tyrannidem opprimere voluiſſent, facile eos absque armis, absque bello obſequentes habuiſſent; contra Pruſſi non niſi armis & multo ſanguine ad fidem Chriſtianam & alienum dominatum cogi poterant. Sin iſti Indi ſaltem armis inſtructi fuiſſent, ut Pruſſi, in iis ſubjugandis profecto Hiſpanis plus aliquanto ſanguinis fuiſſet impendendum. Quod facilius cuivis apparebit, ſi conſideremus, quam multa millia iſtorum hominum ſæpius Hiſpani cum exigua ſuorum manu ſuperarint, & quantis copiis Cruciferi Pruſſos oppugnaverint: quas hi civitates & arces multo labore ceperint, alias recens exſtruxerint, & quæ illi tuguria ibi invenerint, ac quas urbes erexerint. Sed hac de re ſatis. Initio igitur hujus rebellionis, cum jam per omnes ferme provincias adverſum Cruciferos conſpiratio firmata fuiſſet, Pruſſi communi conſilio Duces eligunt, penes quos ſumma rerum gerendarum eſſet. Sambienſes Glandonem, Natangii Hercum Monte, Varmienſes Glapponem, Pogeſani Autinnum, & Bartenſes Diwanum, omnes viros magna animi fortitudine præditos & rebus bellicis a juventute aſſuetos. Hi diem inter ſe condicunt, quo ſinguli illorum cum omnibus ſuæ provinciæ copiis adverſus vicinos Cruciferos erumperent, & quicquid nominis eſſet Chriſtiani ferro flammaque extirparent, & Cruciferos ſimul & ſemel e Pruſſia profligarent. Hoc uti inter ipſos conſtitutum erat, ita pro ſe quisque haud ſegniter exequi pergunt, publica fit laniena Chriſtianorum omnium, quicunque extra munitiones comprehenſi eſſent, ubi cædium eſſet ſatietas, in ſervitutem abducuntur, fæminæ præſertim & juvenes, vici, pagi, prædia, civitates omnes, quæ nondum munitæ erant, diripiunt, incendunt, ſolo æquant. Sed nec a presbyteris & viris religioſis, qui paſſim conſtituti erant, ad informandos in religione Chriſtiana gentiles, temperatum fuit. Quorum unum Sambienſes barbaro prorſus crudelitatis genere necarunt. Collo enim inter duos aſſeres inſerto, aſſeribus commiſſis pendulum tamdiu compreſſerunt, donec intercluſo ſpiritu præfocaretur, crudelitati etiam ludibrium adjicientes: quod ſcilicet fas non eſſet ſanctorum virorum ſanguine commaculari. Ita in modum ſæviſſimæ tempeſtatis omnes ferme Ordinis provinciæ, Cruciferis tantam vim ſuſtinere non auſis, & arces ac civitates munitas ægre tuentibus, miſere vaſtabantur. Ubi hæc Pruſſorum devaſtatio & inſania in Germaniam & Poloniam enunciata fuit, multi continuo Principes & viri nobiles conſilia de ferendis Ordini ſuppetiis inierunt, & brevi tantæ copiæ in Pruſſiam ad Cruciferos confluxerunt, ut nunc tandem non ſolum quaſi ex latebris progredi auderent, ſed etiam aperto marte, ſi copia daretur, confligere non dubitarent. Primum vindictæ

Pruſſorum Duces.

Pruſſorum eruptio.

An. 1261.

Expeditio in Pruſſos rebelles.

vindictæ furorem in Natangos convertunt, ibi viciſſim omnia incendiis devaſtant, rebelles ubicunque deprehenſos interficiunt, paucis, in quibus ſpes frugi melioris eſſet parcitum. Cum Natangorum exercitus nusquam compareret, Sambiam verſus progrediuntur, & eo in loco, ubi nunc Brandenburgum ſitum eſt, caſtra locant, ut inde certum aliquid de hoſtium copiis cognoſcerent. Ibi per exploratores cognoſcunt, Natangos copias contrahere, in agrum Culmenſem impreſſionem facturos. Itaque Baronem Germanum de Reidern, quem Principes Germaniæ Ducem ſuarum copiarum conſtituerant, cum expediti ſſimis militibus eo mittunt, qui quidem poſt adventum ſuum hoc unice deſiderabant, ut ſibi cum hoſtibus aperte congrediendi copia fieret. Hi duorum dierum itinere progreſſi prope vicum Pokarvin in Natangos jam agmen moventes incidunt. Nec mora committitur prælium, pugnatur utrinque acriter, ancipiti diu prælio, hi virtute, Natangi multitudine freti. Et quanquam Germani dimidiam ferme Natangicarum copiarum partem proſtraviſſent, tandem tamen multitudine victi in fugam conjiciuntur, Barone Duce cæſo, plurimis interfectis, paucis fugæ beneficio conſervatis. Cum Duce periit etiam in acie legatus ejus, vir fortiſſimus, Schinkol de Buchheim, qui in confertiſſimos hoſtes ſe conjecerat, & cuneos perruperat, multosque cum omnium admiratione ſua manu confecerat, cumque longius progreſſus eodem impetu ſe ad ſuos recipere vellet, equo ſuffoſſo dejectus & multis vulneribus trucidatus eſt. Pruſſi ob adeptam victoriam ſacrum facere Diis ſuis volebant, quod ejus erant generis, ut ſi quem hoſtium Ducem aut centurionem aut primarium aliquem cepiſſent, eum equo inſidentem & armis indutum ita cremarent. Sin neminem majoris notæ in poteſtatem redegiſſent, ex cæteris captivis, ſorte victimam legebant. Productis igitur captivis, & conjectis in urnam ſortibus, deſignatur Nobilis quidam Magdeburgenſis, frater Ordinis, cognomine Hirshals. Hic tamen atrox mortis genus formidans continuo Ducem Hercum beneficii ſui commonefacit, quod eum privatum adhuc ſuperioribus bellis captum gratis dimiſerat. Hercus haud dubie hominem agnovit, nec ingratum ſe præſtat, ſed interceſſione ſua illum hac vice liberat. Sortes ſecundo conjectæ, eundem Hirshalſium produnt, Pruſſi Ducis ſui precibus dant, ut hac etiam vice ſervaretur. Cum tertio ſortes conſulerentur, & ejusdem nomen tertia vice primum exiret, jam nullam amplius interceſſionem ipſemet pro ſe paſſus, ultro ſortium arbitrio ſe ſubjecit, quod exiſtimaret, a Deo ſibi generis hujus martyrium pro Chriſtiani nominis defenſione deſtinatum eſſe. Pruſſis quoque perſuaſum erat, a Diis ſuis neminem alium ad ſacrificium expeti, & hoc ipſum tribus ſortibus demonſtraſſe. Ita ille ſecundum gentilem ritum immolatur.

Cruciferi cæſi.

Eodem anno Comes Bergenſis cum novis copiis in Pruſſiam Cruciferis auxiliatum venit, quibus jactura militum, quos Natangi acie interfecerant, facile ſarciebatur. Redintegrato igitur exercitu Cruciferi Brandeburgo movent, & in Sambienſes ducunt, qui & ipſi copias omnes contraxerant, & fortunam experturi magnis animis occurrebant.

Cruciferi a Sambienſibus cæſi.

Fit

Fit pugna atrox, dimicatur utrinque fortiter per integrum diem, neutro inclinante victoria, Cruciferorum tandem exercitus a barbarorum multitudine fusus fugatusque. Qui ex fuga & cæde superfuerunt, ad Regium montem incolumes se receperunt. Haud diu post Prussi Varmienses tribus agminibus Heilspergam contendunt, ac summis viribus oppugnant. Qui in præsidio erant, barbarorum impressiones fortiter sustinebant, erantque tanta fiducia freti, ut facile vel integrum annum tanto exercitui soli resistere auderent, nisi continuata diutius obsidione commeatus defecisset. Jam ducentos, & quinquaginta equos per famem absumpserant, nec quidquam ad illos poterat importari, viis omnibus undiquaque intercluſis. Nec alius erat Cruciferis exercitus, quo hostem a mœnibus removere possent. Obsessi igitur cum jam extrema imminerent, nocte intempesta clanculum, non animadvertentibus barbaris arce & civitate excedunt, & per occulta sylvarum itinera Elbingam salvi perveniunt. Adducebant secum duodecim Prussos præcipuæ nobilitatis, qui in proxima pace obsides illis dati fuerant, hos oculis privatos ad suos remittunt. Heilsperga interim a Prussis, qui fugientes minime persequendos statuerant, capitur ac diripitur.

Heilsberga amissa.

Cum itaque fortuna Prussis in tantum faveret, ut jam in manu sua victoriam positam existimarent, utendum ea rati, copiis divisis præcipuas Cruciferorum munitiones, Montem regium, Christburgum, & Bartenstenium simul obsidione cingunt, quibus interceptis existimabant facile Cruciferos reliqua Prussia posse exturbari. Christburgum primo impetu captum & Christiani omnes trucidati, sed paulo post a Magistro provinciali receptum, omnibus similiter Prussis, qui in præsidio relicti fuerant, ad unum interemptis. Ad Montem regium & Bartenstenium gravior & diuturnior fuit oppugnatio. Cruciferis enim acriter locum suum defendentibus, quotidie fiebant in hostem eruptiones, certabatur subinde levibus præliis. Prussi nihilominus circumcirca fossas, aggeres, vineas, opere tumultuario ducunt, quo ab eruptionibus essent tutiores.

Prussorum successus.

Cruciferi rursum tam noctu quam interdiu erumpere, operis ignem injicere, aggeres disturbare, nec ullam ferme quietem hostibus permittere. Proinde Prussi oppugnatione ferme intermissa, vias saltem obsidebant, & aditus omnes diligenter observabant, ne quid obsessis importari posset, rati se illos si non vi, fame saltem expugnaturos. Et sane rectam viam erant ingressi. Etenim in Monte regio post semestrem obsidionem, quod plurimi milites essent in præsidio, jam ad equorum mactationem perventum erat, animus autem ad sustinendum extremum periculum minime defecerat. Interim Cruciferi, qui Resellis in præsidio erant Bartenstenio viciniores, cum similem obsidionem vererentur, nec vel commeatu vel viribus arci propugnandæ sufficerent, ipsimet ignem injiciunt, & in pacatum se recipiunt. Annus erat quo hæc agebantur supra millesimum ducentesimum sexagesimus quartus, cum Poppo Magister generalis senio defatigatus, sic ut ad res amplius gerendas ineptus esset, Principatui sponte renunciavit, cum undecim annos præfuisset,

An. 1264.

Poppo Magistratu se abdicat.

fuisset, & privatam deinde vitam delegit. Proinde quod nonnulli scribunt, eum a Tartaris ad Lignicium cæsum esse, cum Bathus Rex Tartarorum irruisset, & totam ferme Poloniam ac Silesiam pervastasset, illi vehementer errant, quod cum secundum veriorem historiam pugna cum Tartaris diu ante ejus mortem anno videlicet 1241. commissa est, tum quod Poppo, postquam Magisterii provincialis administratione omissa semel in Germaniam concessisset, ibidem reliquum vitæ tempus peregit, nec in Prussiam reversus est: quin imo ad summum imperium, vocatus, duodecimo demum post Tartaricam pugnam anno Prussiam itidem ut Livoniam per Magistros provinciales gubernavit. Sic ut rationi temporum minime conveniat, hunc Popponem isti pugnæ interfuisse, nec ullum alium habet auctorem, præter Divæ Hedwigis Legendam.

VII. Hanno Sangerhusienſis.

Popponem in summo Magistratu obeundo secutus est septimus Hanno Sangerhusienſis, qui antea Livoniæ pro Magistro præfuerat, cujus auspiciis Cruciferi cum Prussis rebellibus aliquanto felicius, quam hactenus bellum gerere cœperunt.

Provincialis 6.

Eodem etiam tempore in locum Magistri provincialis Prussiæ Hartmanni de Grunbach, propter crudelitatem loco moti surrogatus est Helmerichus de Reichemberg, qui postea in acie a Prutenis Natangis probe Lubaviam cæsus fuit, de quo suo loco plenius commemorabitur.

Livoniæ Magistri.

Livoniæ præerat anno 1261. Burcardus de Hornhausen, qui cum plurimis fratribus & militibus, & cum eo Marescallus Prussiæ cum centum & quinquaginta fratribus Ordinis a Litvanis & Samogetis Durbini in acie cæsus. Hunc deinde anno 1264. secutus est Georgius ab Eichstatt.

Expeditio contra Prussos.

Hanno quam primum Ordinis imperium suscepit, nihil prius aut potius habuit, quam ut nova Germanorum auxilia colligeret ad Prussos rebelles compescendos. Multi in gratiam novi Magistri, plures religionis defendendæ studio confluunt: inter quos præcipui erant duo Comites Juliacensis & Montensis omnium copiarum illarum præfecti. Hi in Prussiam adventantes cum Cruciferis recta in Sambiam ducunt, quoniam Bartenstenum & commeatu & milite ad sustinendos hostes satis esset communitum. Ubi prope hostem ventum est, qui montem Regium obsidebat, consilium erat eo ipso die Prussos in castris suis adoriri, sed quod nox imminebat, & castrorum situs ignotus erat, in crastinum res dilata. Prussi vicissim, qui quantæ peregrinorum essent copiæ scire non poterant, valde periculosum existimantes cum recenti hoste in castris confligere, metuendum enim erat, ne interim obsessi de auxiliis certiores facti erumperent, & sic utrinque pugnandum esset, capto ex tempore consilio, eadem nocte castra summo cum silentio relinquunt, & aliquantum progressi non procul a Germanis considerent, eo proposito, ut cum illi se loco movissent, a tergo eos invaderent. Consilium haud imprudens, si fortuna respondisset. Enim vero dum omnia festinanter aguntur, quidam eques, qui paucis ante diebus captus fuerat, nemine animadvertente

elabitur, is curriculo ſe ad montem Regium proripit, Commendatori hoſtium machinationem enunciat. Ille eundem equitem continuo ad Germanorum caſtra ablegat, & quid opus factu ſit demonſtrat. Summo mane cum vixdum illuceſceret, Commendatarius cum exercitu ſuo Pruſſis in conſpectu erat, a latere Germani irrumpebant, Pruſſi aliquamdiu fortiter reſiſtentes, tandem cum & iniquo loco pugnaretur, & Germanorum impetum diutius ſuſtinere nequirent, in fugam conjiciuntur. Tria millia cæſa, caſtra capta & direpta, munitiones, aggeres & cætera opera everſa. Regimontani licet ea parte obſidione ſoluti eſſent, fame nihilominus premebantur. Obſidionis enim tempore terra nihil importari poterat, commeatus autem navibus complurimis per lacum, Hab ſubmiſſus ab hoſte interceptus fuerat.

Sambienſes ad Regium montem profligati.

Neringam Inſulam tum poſſidebat Pruſſorum opibus & potentia haud poſtremus Swayno Sambienſium confœderatus. Is Cruciferorum navibus oppreſſis & commeatu intercepto oſtium Pregelæ fluminis, qui veteribus Chronus erat, obſidebat, ne quid mari vel lacu Hab importari poſſet. Vehementer angebat Cruciferos, quod nullam haberent copiam hoſtem e flumine amovendi, naves enim omnes Pruſſi vel abduxerant, vel igne exuſſerant. Erat inter advenas miles quidam Lubecenſis, qui rei maritimæ jam dudum operam dederat, is decem ſociis, qui Pruſſicam linguam callerent, in ſcapham ſecum aſſumptis, prima noctis vigilia ſecundo flumine ad hoſtium naves contendit, ſimulant ſe Pruſſos eſſe, qui ad ſpeculandas res hoſtium propius ad urbem acceſſiſſent. Excubitores lingua gentili decepti, nihil curant amplius, ſic illi per totam eam noctem tacite circumvecti naves ferme omnes ſub aqua perterebrant, & ante lucem in pacatum revertuntur. Orta vix luce, Pruſſi qui in carina dormierant, aqua ferme ſuffocati ſomnum excutiunt, in omnibus navibus undique clamor & tumultus, ac priusquam fraus innotuiſſet, naves adeo aqua erant impletæ, ut aliquæ mergi inciperent. Neceſſario igitur navibus exoneratis ad utramque fluminis ripam ſtationes faciunt. Et hoc modo naves quidem inutiles hoſtibus factæ, ſed parum Cruciferis proderat. Pruſſi enim intra paucos dies pontem flumini imponunt, & in utraque ripa fortiſſimo præſidio cuſtodiunt, ſic ut nihilo magis quidquam commeatus vel mari vel ex lacu ſupportari poſſet.

Swayno Sambienſium confœderatus.

Neceſſitas quæ durum telum eſt, famis præſertim, ultimum Cruciferis excutit conſilium, ut rem ſemel quacunque fortuna decernendam ſtatuerent. Itaque licet hoſtibus longe inferiores, mori tamen potius fortiter, dum adhuc corporum vires eſſent integræ, quam fame tandem enecati pecudum inſtar mactari cupientes, in hoſtem ducunt. Pruſſi tantum aberat, ut pugnam detractarent multitudine freti, ut gauderent copiam ſibi factam damni per noctem illati, in luce vendicandi. Acriter utrinque pugnatum fuit a prima diei hora ultra meridiem, fortuna tandem & virtute Cruciferi ſuperiores Pruſſos fundunt fugantque. Quorum in acie ceciderunt circiter quinque millia, & inter hos Sambienſium Imperator Glando, & Dominus Neringæ Swayno. Multi inter fugiendum

Sambienſes ad montem Regium cæſi.

dum in flumen & lacum præcipites acti perierunt, minima pars ſalva evaſit. Cruciferi aperta ſibi jam via, qua commeatus Elbinga importari poſſet, naves fluvio merſas quantum poſſunt extrahunt ac reparant, quibus impoſiti milites in Neringam trajiciunt, ac inſulam totam cædibus & incendiis devaſtant, arcem ipſius Principis, quam Germani Nidenburgum vocitabant, diripiunt & ſolo æquant, ac ingentem inde prædam hominum & pecudum deportant. Et ab eo deinceps tempore inſula ferme, exceptis caſis piſcatorum littoralibus, manſit deſerta.

Sambienſes hac affecti clade, animos minime deſpondent, ſed ad reparandas copias & bellum continuandum conſilia conferunt. De novo primum Duce conſtituendo deliberant, quem Glandoni cæſo ſubſtituant. Inter omnes proceres duo potiſſimum fratres virtute & opibus eminebant, Sclodonis Principis territorii Quedenaw, qui in prima Cruciferorum irruptione Sambiam ordini ſubegerat, & quoad vixit in fide permanſerat, filii, quorum natu major Wargullo, minor Nalubo dicebatur. Hi diverſa ſentientes prout quisque animatus erat, diverſa popularibus de rerum ſumma conſultantibus in conſilio publico proponebant. Wargullo referebat omne hoc infortunium & omnes haſce calamitates, quas hactenus perpeſſi fuiſſent, non aliunde accidiſſe, quam quod fidem Cruciferis adeo ſancte datam iterato juramento confirmatam temere nulla juſta cauſa rupiſſent, & occaſione ſaltem adverſæ eorum fortunæ arma cepiſſent. Iam dudum Pruſſos exemplo proprio perdidiciſſe, Cruciferos premi, vinci, fugari poſſe, opprimi, debellari, expelli non poſſe. Hanc illis terram fato quodam deberi, cui fruſtra reſiſtere, & ut ajunt contra ſtimulum calcitrare ſummæ ſit, ſi non impietatis, profecto dementiæ. Quid enim (inquit) hac reluctatione conſequemur? vel quis tandem bellorum noſtrorum finis erit? Idem ſcilicet, qui antea fuit, & eo quidem deterior, quo juſtior eſt cauſa vindicandæ perfidiæ, quam alienæ provinciæ occupandæ. Quod ſi iterum vincemur, dubius enim martis eventus eſt, quid aliud quam iniquiſſima ſervitus noſtri, & conjugum & liberorum, erit expectandum? Ut taceam agrorum vaſtationes, oppidorum ac prædiorum direptiones, hæc enim damna reſarciri poſſent, ut taceam quoque fortium virorum, parentum, fratrum, liberorum & cognatorum cædem, multarum familiarum exciſionem, cum horum enim morte & interitu præ ſervitute bene actum putabo. Itaque ſi pro rerum præſenti ſtatu recte nobis proſpicere voluerimus, illud expeditiſſimum mihi videtur eſſe, ut honeſtam pacem pro cruento & eo quidem dubio bello complectamur. Vident Cruciferi nos arma habere & pro libertate pugnare, & mori paratos eſſe. Facilius & libentius pacem dabunt petentibus, quam devictis. Mavelint ipſi ſubditos habere fideles, quam ſervos infidos. Hanc viam ſi mecum ingredi vultis, ego me vobis Ducem profiteor atque adeo pacem bonis & honeſtis & nequaquam ſervilibus conditionibus impetraturum me polliceor. Valet adhuc multum apud Cruciferos memoria parentis mei, qui ad extremum usque animæ halitum, integerrimam ipſis fidem præſtitit, ejus generi & familiæ quicquid hactenus erratum eſt ejus memoriæ cauſa condonabunt, & ſimilem de-

Sambienſes de bello reſtaurando agunt.

Wargullo.

inceps ab ejus poſteritate fidem expectabunt. Hoc conſilium ſi aſpernamini, equidem nihil aliud quam patriæ devaſtationem & noſtrorum omnium ſervitutem mihi polliceri poſſum, ut melius conſilium invenire poſſitis opto. Hæc ſententia optimo cuique inter proceres videbatur non minus honeſta, quam neceſſaria, & in eam pedibus ibant. Nalubo autem, qui nemini hominum æque ac Cruciferis infenſus erat, eam ut abjecti animi ſignificationem non aſpernari modo, ſed etiam perfidiæ arguere fratrem. Quid enim aliud eſſet viros fortes arma ſponte abjicere, quam patriam communem & libertatem publicam, quam ſemel defendendam fortiter ſuſcepiſſent, turpiter hoſti prodere? quid intereſſe cenſerent inter emendicatam pacem & ſervitutem ſponte ſuſceptam? An ignorarent, ſuperbum & impotentem dominatum, tyrannidem in ſe, libidinem in conjuges & liberos toties expertam? Si jam Cruciferorum ſubditi eſſent, manibus & pedibus potius annitendum cenſeret, quo pacto ſervitutis jugum excuterent, quam cum liberi ſint, ſponte illud expeterent. Nec enim ſcire Cruciferos aliter ſubditis quam ſervis imperare, nec aliud eorum imperium eſſe, quam ſuperbiſſimum dominatum. Meminerimus (inquit) nos viros eſſe, nos Pruſſos eſſe, indigenas, illos advenas, alieni agri invaſores, & ſolo Germanorum auxilio niti, qui profecto non ſemper Cruciferis in rem alienam præſidia ſuppeditare poterunt. Si tantum illis fuit animi & virium, ut Pruſſiam ultro invaderent, cur vel animis vel viribus futuri ſunt deteriores Pruſſi, quo minus eos rurſum expellamus. Sin nobis ipſis tantæ vires non ſunt, vicini certe noſtri, Sudini, tantæ ſunt potentiæ, ut facile Germaniæ totius impetum ſuſtinere valeant, illorum ſocietas & armorum conjunctio nunquam nobis deerit. Ac ut omnia votis noſtris ſint contraria, ut omnis bellorum fortuna nos deſtituat, præſtat certe & ad ignominiam effugiendam, & ad calamitatem brevi exantlandam mori fortiter, quam turpiter ſervire, & eam ſervitutem ſervire, cui non corpus ſolum mancipatur, ſed Dii patrii ejurantur, & aliena religione animi per vim obſtringuntur. Hanc ſententiam cum placere ſibi vulgus & multitudo variis acclamationibus ſignificarent, ut ferme fit, quod meliori ſententiæ pauciores adſtipulentur, bellum continuandum decernitur, & copias quam primum in unum contrahendas. Wargullo cum recta monenti nemo obtemperaret, aſſumptis iis, qui eadem ſentiebant, erant autem complures ex Sambienſium nobilitate præcipui, clam ſe ſubducit, & ad Cruciferos confugit, a quibus pace data & accepta in honore habitus, egregiam ipſis in recuperanda Sambia ope & conſilio gratiam retulit. Nalubo interim belli Dux electus, copiis omnibus propere contractis verſus montem Regium movet, ac nocturna impreſſione, priusquam de hoſtium adventu quidquam conſtaret, improviſo irrumpunt, & magna primum usque ad lucem edita ſtrage, civibus & præſidii militibus partim dilapſis, partim ex eminentioribus ædificiis ægre ſe tuentibus urbem ſpoliare incipiunt. Ea tum ſita erat in colle ab arce nonnihil remoto, cui nomen Divi Nicolai fecerant. Cruciferi copias tam in arce quam circa arcem diſpoſitas habebant. Itaque re tanti diſcriminis perſpecta, continuo ſubveniunt. Pruſſi a præda ad pugnam converſi, in ipſo portarum aditu, quaſi urbs jam ſua

Nalubo.

Sambienſes cæſi.

ſua eſſet, ſtrenue irrumpentes excipiunt. Pugnatur in ipſa usque ad meridiem, Pruſſi tandem expulſi, ſed non adeo profligati, quin in campo denuo aciem inſtruerent. Non detrectabant Cruciferi. Itaque novum prælium ſummis viribus & pertinacibus animis redintegratur, tanto quidem utrinque ardore, quaſi hac una pugna de tota belli ſumma decertandum eſſet. Sed eadem in campo, quæ in urbe Pruſſorum fortuna, clades longe major fuit. Septem circiter millibus cæſis, cæteri fugati, & paſſim inter ſylvas diſperſi. Nalubo qui ob rem male geſtam infortunium domi metuebat, cum diu rerum omnium egens oberraſſet, tandem ſero ſapiens ad auxilium fratris confugit, cujus precibus in gratiam a Cruciferis receptus, vita ac libertate donatus eſt. Exinde Cruciferi urbem Regii montis nondum ſatis munitam, ex colle Divi Nicolai in eum locum, ubi hodie ſita cernitur, inter arcem & Pregelam fluvium tranſtulerunt.

Hanc cladem ferunt Sambienſibus ab ultimo Pruſſorum Pontifice pagano, cui nomen erat Alepo, prædictam & ipſos commonitos, ut Chriſtianis ſeſe dederent, & religionem eorum amplecterentur, quoniam a Diis patriis nullum illis amplius auxilium expectandum eſſet. Cum id Pruſſi moleſtiſſime ferrent, & capitales inſidias Pontifici ſtruerent, ille ad Cruciferos confugit, & eorum ſe fidei commiſit, Chriſtianum ſe futurum profeſſus. Cum ii ob rei novitatem non modo mirarentur, ſed ſtuperent etiam, ac quærerent, unde nova iſthæc inceſſiſſet tam repente religio, eum qui totus antea paganæ ſuperſtitioni deditus fuiſſet, reſpondit ille: Deos patrios precibus & victimis intime colui, ut ipſi nobis auxilium ſuggererent, quo Chriſtianos tota Pruſſia exturbaremus, at illi tandem mihi reſponderunt, hoc ſe præſtare non poſſe, quoniam Chriſtianorum Deus omnibus aliis Diis eſſet potentior. Sic in tutelam receptus & Chriſtianis ſacris fuit initiatus.

Fractis hac clade Sambienſibus, Cruciferi deinceps haud magno negotio territoria Waldow, Quedenaw, Wargen, Pobeten, Dramenow (gentilia hæc agrorum nomina poſtea etiam in uſu manſerunt) & cætera vicina receperunt, in quibus recipiendis quam plurimi Sambienſium rebellium cæſi, & integræ Nobilium præſertim familiæ ob inſignem perfidiam penitus extirpatæ. Supererat territorium Bethinum, quod diſtinctis pagis vicatim habitabatur, & Incolæ Pruſſorum omnium habebantur & ferociſſimi & fortiſſimi: itaque vicinis omnibus erant metuendi. Ex quolibet pago quingenti viri ſemper armabantur. Cruciferi cum ea hominum multitudine, præſertim qui ferocitate cæteris præſtarent, nihil temere agendum rati, per nuncios cum Livoniæ Magiſtro agunt, ut conjunctis armis ſimul in hoſtes duceretur. Die conſtituta Cruciferi fines hoſtium ingrediuntur, agros populantur. Betinenſes mox vicatim egreſſi populantibus occurrunt, Livonienſes ut ſtatutum erat nusquam comparent. Cruciferi nihilominus manum conſerunt, hoſtibus fortiter reſiſtentibus. Cum in horam usque ſextam pugnatum fuiſſet, Cruciferorum acies multitudine hoſtium oppreſſa inclinare cœpit, & plane in fugam conjecti fuiſſent, niſi eodem momento, quo jam Pruſſi victores erant,

Sambienſes ſubacti.

Bethinum.

erant, Livonienſes ſuperveniſſent. Illi a tergo hoſtem adorti, Cruciferis jam cedentibus animum addunt. Redintegratur pugna tanto animorum fervore, quanto vix unquam res geſta fuerat, nec prius a cædibus temperatum, quam Betinenſes ad unum omnes interfecti. Ea enim erat hominum iſtorum ſtupenda ferocitas, ut ex tanta multitudine ne unus quidem arma abjeciſſet, vel vitam deprecatus fuiſſet, vel captivum ſaltem ſe duci paſſus eſſet. Sic tota gens deleta, pueri, mulieres, & fæminæ paſſim in cætera Pruſſia diſperſæ, territorium penitus evaſtatum, ut ibidem hodie omnia plena ſint ſylvarum. Eadem calamitas fuit territorii
Rinow. Rinow, cujus incolæ eadem ferocitate reſiſtentes ad internecionem cæſi ſunt. Hac maxime ratione Sambienſes denuo ſubjugati, & qui ſupererant ſupplices facti ad officium redierunt. Et tum temporis Cruciferi duas munitiones Tapiam & Lochſtetum in Sambia conſtruxerunt.

An. 1266. Anno 1266. diem obiit Swantepolcus Dux Pomeraniæ & Caſſubiorum, de quo plura ſuperius loco ſuo commemorata fuere, cum ætatis annum ageret nonageſimum & ſeptimum. Is moriturus filiis ſuis Meſtvino & Vartislao quam optime proſpicere & cautiores eos reddere volens, ne temere bellis inteſtinis cum Ordine fratrum Teutonicorum ſeſe implicarent, hiſce verbis eos adhortatus eſt: Si exiſtimatis, cariſſimi Filii, me pro paterno erga vos amore quam optime vobis conſultum velle, aut etiam longo rerum uſu tot jam annos edoctum poſſe vobis, quod e re veſtra maxime ſit, conſulere, audite quæſo præcepta mea, quæ vobis moriturus do, vivens ipſe mihi ſatis mature dare non poteram. Ego vobis relinquo principatum per ſe quidem ſatis amplum, ſi eo eſſetis animo, ut majorem imperantem minor ferre poſſet. Verum quoniam uterque veſtrum ſui dominii partem per ſe gerere mavult, in duabus rebus ſalutem & dignitatem utriusque mihi credite ſitam exiſtimabitis. Unum eſt, ut concordes ſitis, quod quo difficilius eſt inter multos, & tamen nihil ad conſervandam omnium potentiam efficacius: ita inter duos nihil facilius, modo ne vel ſuperbiæ vel ambitioni locus in animis relinquatur. Quod quo magis præcaveatur, rurſus in eam ſententiam ſum proclivior, ut natu major Rempublicam gubernet, minor laborum ſit ſocius, & majoris auctoritatem ſequatur. Alterum quod vos hortor, hoc eſt, ut cum Ordinis Teutonici fratribus Marianis pacem & amicitiam perpetuo colatis, idque meo potiſſimum adducti exemplo. Equidem per complures annos cum illis bellum geſſi, non virtute ſolum & aperto marte, ſed variis etiam artibus & inſidiis, quibuscunque illis incommodare poſſem. Quinimo omnem ferme Pruſſorum gentilium vires & potentiam adverſum ipſos concitavi. Et quanquam ſæpe victor fui, re ipſa tamen expertus ſum, ab eo tempore, quo cum illis belligerare cœpi, me paulatim & fortuna & opibus, & quod maximum judico, vicinorum favore & amicitia fuiſſe deſtitutum. Enim vero quid bono vicino eſt optabilius, qui etiam fratre potior eſt abſente? quid odio vicinorum pernicioſius? Ego his poſthabitis vicinos Cruciferos hoſtiliter ſum perſecutus, ſummis utique viribus, quibus nihil profeci, & tandem hoc ſenſi, fruſtra me pugnare adverſum eos, quibus Deus ipſe, quibus

Suantepolcus moriturus.

bus multi Reges ac Principes religionis cauſa eſſent certiſſimo auxilio ſubſidioque. Quo circa magno meo malo, & non parva ſubditorum & opum jactura detrimentoque, tandem ſapere fidemque colere didici. Quod ne vobis etiam uſu veniat, peramanter vos hortor, ut vicinos Cruciferos, Dei & Divinæ Genetricis ſervos reverenter colatis, ametis, & omni benevolentia complectamini, inter vosmet ipſos autem fraternam concordiam perpetuo conſervetis. Hoc, ut opinor, modo bonis vicinis ex commodo veſtro utemini, & principatum vobis a me traditum integrum ad filios quoque veſtros per manum, qua accepiſtis transmittetis. Neque diu poſt, ſcilicet tertio Idus Januarii ejusdem anni Suantepolcus inter vivos eſſe deſiit, in Olivenſi monaſterio ſepultus, ubi adhuc ejus monumentum remanſit, quod tale eſt.

Epicedion Suantepolci.

Erat Suantepolcus vir bellicoſus, & adverſus omnes ſibi infeſtos victorioſus, qui etiam victrici manu ſe de ſubjugio Principum Poloniæ excuſſit, ſe & ſua viriliter defendendo. Iſte fuit Monaſterii hujus fautor piiſſimus & Dominus gratioſus, multa ei impendens opera pietatis. De hujus benigniſſimi Principis virtutibus antiqui monachi Olivenſes, patres noſtri, ejus contemporanei, qui vitam ipſius optime noverant, talia nobis reliquerunt in ſcriptis. Quod ſcilicet fuit homo miſericors, amator Dei & ſervorum ejus, maxime autem Religioſorum: fuit etiam pius protector, primo viduarum & orphanorum, deinde aliorum, fuit inſuper ſtrenuus defenſor terrarum ſuarum & hominum, clemens judex, nec ſeverus ultor injuriarum perſonæ ſuæ propriæ illatarum, unde & metrice ſic ſcribitur de eodem:

Dux Suantepolcus perſolvit debita mortis,
Ingenuus, ſapiens, ac ad certamina fortis,
Atque Dei cultor, fidei defenſor & ultor,
Veri Zelator, magnus Cleri venerator.
Oſor iniquorum, vehemens corroſor eorum,
Juſte cenſebat, oppreſſis ſubveniebat,
Sicut debebat, oppreſſores reprimebat.
Cauſas cunctarum primo tractans viduarum,
Juri cauſarum poſt intendens reliquarum.
Terram defendit propriam mira probitate,
Nullum ſuſpendit, quia plenus erat pietate,
Sed delinquentes & contra jus facientes
Carcere claudendo, ſpoliando bonis, capiendo,
Sic caſtigavit, nullum vita ſpoliavit.
Immo prodentes hunc tradere qui voluerunt
Non nece damnavit aliquos ſicut meruerunt.

Hujus Ducis temporibus anno ſcilicet Domini 1224. Pruteni Pogarani irruentes in Pomeraniam, totam eam vaſtaverunt incendiis & rapinis. Inter quæ mala etiam Conventus fratrum de Oliva usque in Gdantzig per eosdem ductus eſt, ibique trucidatus pro fide & nomine Jeſu Chriſti. Unde ad ipſorum ſævitiam refrenandam vocati ſunt fratres de

Domo

Domo Teutonica in Pruſſiam anno Domini 1226. Quibus in perſecutione gentilium Prutenorum Dux Suantepolcus fidelis cooperator exſtitit & adjutor, ita ut collecto in unum exercitu ipſi fratres & Dominus Suantepolcus cum aliis peregrinis magnam Prutenorum multitudinem proſtraverint, anno Domini 1234. Circa idem tempus anno ſcilicet 1236. combuſta eſt iterum Oliva a Prutenis Warmienſibus & ſex converſi cum triginta quatuor ſervis igne & gladio ſunt miſerabiliter interempti ipſo die circumciſionis Domini. Poſtea vero circa annum Domini 1243. tempore coronationis Domini Innocentii Papæ quarti, humani generis perſecutor, apoſtata veritatis, pacis & concordiæ inimicus, Diabolus, graviſſimam inter Ducem Suantepolcum & fratres de Pruſſia excitavit permittente Deo diſcordiam, quæ fere ad annos undecim ſtetit. In qua quidem diſcordia Dux prædictus fratribus de Pruſſia intulit damna multa, ſed multo plura ipſe vice verſa pertulit ab eisdem. In hac igitur tempeſtate Oliva iterum ac iterum cum omnibus ſuis granariis & horreis concrematur, ablatisque inde equis & pecoribus univerſis ad extremam deducitur paupertatem. Hoc etiam tempore Domini Cruciferi caſtrum Ducis, quod Sartowitz dicebatur, in nocte Sanctæ Barbaræ occupantes, omnibus illic repertis, occiſis, pretioſas reliquias, caput videlicet glorioſæ ejusdem virginis S. Barbaræ, inter cætera ſpolia invenerunt, ſecumque in Culmam cum ſolennitate & ingenti gaudio detulerunt. Anno inſuper 1252. ipſo die Converſionis S. Pauli multitudo non pauca Pomeranorum fuit per Dominos de Pruſſia & eorum homines interfecta, & Oliva iterum rebus omnibus ſpoliata. Tandem miſerante altiſſimo inter Ducem & fratres prædictos per Reverendum virum D. Jacobum Archidiaconum Leodienſem, ſedis Apoſtolicæ Legatum, qui poſtea factus Papa dictus eſt Urbanus quartus, pax & concordia firmata eſt, quæ poſtea inconcuſſa ſemper permanſit, in qua concordia & pace Dux Suantepolcus pluribus ſupervixit annis, & ſerviens Deo in operibus miſericordiæ, ſervitio grato, deceſſit fine beato, anno Domini 1266. tertio Idus Januarii, & ſepultus eſt, in ſepulchro patrum ſuorum in Oliva. Ob cujus merita ſcribuntur talia metra:

Sexaginta ſex annis & mille ducentis
Virginis a partu fluxis Chriſtum parientis
Suantepolcus obit, Dux inclytus, & miſerator,
In miſeros, & ob id juſtorum ſorte fruatur.
Hic Gdantzik moritur, & in Oliva ſepelitur,
Par ſed non oritur, ſimili Gdantzk non redimitur,
Dum ruit hoc ſydus, terno Jani fuit Idus,
Urbis in Eccleſiam Gedanenſis fertur honeſte,
Presbyterique canunt Miſſæ ſolemnia moeſte,
Fertur & ad fratres qui magnopere venerantur
Corpus, ubi Miſſæ devote concelebrantur.
Hinc ad Burgenſes perducitur, ac in eorum
Eccleſia miſſas canit ordo Presbyterorum,

Fletus

Fletus miſcetur, quo ſexus uterque repletur,
Sclavi, Teutonici flent, fletus ubique videtur,
Flent juvenes pariterque ſenes, cuncti lacrymantur,
Qui longe corpus extra portam comitantur,
Quod geſtaverunt Sclavi, qui nobiliores
Extiterant, e militibus ſimul & probiores,
Tandem ponentes corpus flendo redierunt,
Hinc Olivenſes illud venerando tulerunt,
Pulcra fit ad portam proceſſio, cuncta moventur,
Suſcipiunt, pulſant, plorant, cantant, in eorum
Eccleſia ponunt, ubi conventus monachorum
Inſiſtit precibus, ſex noctibus atque diebus
Continuis, Domino miſſam ex mœrore canendo.
Abbates bini præſto ſunt, qui celebrarunt
Illius exequias corpusque ſuum tumularunt,
Cui tu propitia pia ſis cum prole Maria. Amen.

Hactenus Olivenſe Suantepolci monumentum.

Suantepolcus eo quo paulo ante diximus modo filios ſuos tam paterne & fideliter, quam ſapienter & pie moriturus admonuerat. Verum illi vel naturæ vitio vel dominandi cupiditate corrupti, neutrum parentis præceptum diu memoria conſervarunt. Major enim natu Meſtvinus vel Meſcingus Cruciferorum potentiam maxime ſuſpectam habens, cum Prutenis rebellibus ſocietatem coiit, & iis adjuvantibus Culmenſem & Pomezanienſem agrum crudeliter vaſtavit. Verum non ſatis feliciter hæc illi populatio ceſſit. Vix dum enim citra Viſtulam redierat, cum illum Magiſter provincialis Helmericus Reichembergenſis, collectis ſubito copiis acerrime infectatus, & Pomerelliam omnem ſecundum Viſtulam usque ad agrum Gedanenſem par pari referens crudeliter depopulatus eſt. Meſtvinus ipſe tam cito in has anguſtias redactus, ſupplex pacem petiit, quam ea conditione impetravit, ut damnum Ordinis territorio illatum, luculenter ad extremum usque denarium reſarcire cogeretur. Meſtvinus contra Cruciferos.

His rebus vixdum compoſitis, inter fratres etiam, quod pater in extremis conſtitutus haud falſo præſagierat, diſcordia de principatu exorta eſt. Quanquam enim, ſecundum patris voluntatem Meſtvinus in dominatu præcelleret, Vartislaus tamen junior regnandi cupidus & ſtudio procerum quorundam adjutus, fratrem cepit & in carcerem conjecit. Verum id factum adeo diſplicuit omnibus bonis & honeſtis viris, qui omnino æquum cenſebant, parentis voluntatem inter filios ſancte conſervari, ut continuo ſeditione populariter excitata, Meſtvinum carcere per vim educerent, Vartislaum autem profligarent. Vartislaus cum ſuorum ſpe plane ſe deſtitutum, nec a fratre ſatis tutum videret, ad ſocerum ſuum Otthonem, Marchionem Brandenburgenſem confugit, ejus opem implorat, petit ſe contra fratris injuriam defendi, & in dominatum reponi, pollicetur impenſas belli reſtituturum, ejusque rei Gedanenſem Vratislaus contra Meſtvinum.

danenſem civitatem & arcem pignus futuram, utpote quæ Vartislao in diviſione principatus paterni inter cætera jure hæreditario obvenerant. Marchio conditionem accipit, copiis celeriter collectis cum Vartislao per Pomeraniam quam tutiſſimis poteſt itineribus, nemine impediente, Gedanum usque pervenit, arcem & civitatem tradente Vartislao in poteſtatem redigit. Hoc comperto Meſtvinus nihil cunctatus cæteras fratris ditiones omnes, excepto agro Gedanenſi, per deditionem capit. Deinde cum ſe Marchioni imparem agnoſceret, auxilium Boleslai Palatini Caliſienſis conſobrini ſui, cui cum eodem Marchione ſimultates & inimicitiæ intercedebant, implorat, eumque ad opprimendum communem hoſtem in Pomeraniam invitat. Quod præſentiens Marchio, & ne reditus ſibi præcluderetur metuens, Vartislaum ſtipendia exercitus importunius efflagitat, ac niſi militibus ſatisfaciat, non obſcure civitatis deprædationem comminatur. Vartislaus hac etiam ſpe deſtitutus, cum alibi nunquam eſſet auxilii locus, nec meliora a ſocero quam a fratre expectaret, omnibus jam ditionibus exutus, Elbingam ad Cruciferos confugit, eorum Ordini ſe ſuasque res & ditiones omnes, vel ſaltem jus ſuum omne, & nominatim agrum Gedanenſem, quem fraude ſibi a ſocero querebatur ereptum tradit. Sed paulo poſt, antequam aliquid Cruciferi moverent, gravius enim cum Pruſſis bellum incumbebat, animi mœrore conſumptus deceſſit. Hic primus eſt titulus ejus juris, quod Cruciferi aliquanto poſt in Gedanenſem & alias Vartislai ditiones habere ſe prætenderunt.

Vartislaus ad Cruciferos confugit.

Gedanum deditum.

Interim Meſtwinus & Boleslaus exercitum contra Marchionem duxerant, & arcte Gedanum obſidebant, Meſtwinus civitatem, Boleslaus arcem. Marchio tandem deficiente commeatu, ubi Vartislaum quoque mortuum comperit, incolumitatem ſibi ſuisque pactus, arcem Boleslao tradit, & citra provinciæ detrimentum ad ſua revertitur. Cives paulo poſt ſecuti Meſtvinum recipiunt. Conventum deinde eſt, ut Boleslaus, quoad illi ſumptus belli per Meſtvinum refunderentur, arcem & civitatem Gedanenſem hypothecæ loco obtineret, quam ille per complures annos retinuit, ac quoad vixit per ſuæ gentis homines adminiſtravit. Illo diem functo, priusquam de ejus obitu conſtaret, Meſtvinus arcem dolo intercipit, & iisdem artibus ad civitatem capiendam accedit, ſed primum a Civibus excluſus, ſecunda vice cum duobus millibus militum, ipſa nocte, quæ natalem Dominicum antecedit, per proditionem admiſſus, magnam edit ſtragem, & hoc modo Civibus partim interfectis partim ſeſe dedentibus, Gedano potitus eſt, & deinceps quoad vixit in arce domicilium habuit. Hæc inter Suantepolci filios poſt patris mortem acta ſunt iis annis, quibus Hanno Sagerhuſienſis & ejus ſucceſſor Hartmannus Heldrungenſis rebus Cruciferorum præfuerunt. Quæ unum in locum ideo congerere volui, ut & hiſtoriæ ſeries magis appoſite conſtaret, & quoniam annales prutenici hac in parte cum cæteris, qui rerum harum mentionem faciunt, in annorum ſerie longe lateque diſſentiunt, quod exactam temporis rationem in rebus ſcriptorum incuria confuſis ſuperſtitioſe nimis inveſtigare ſupervacuum ſum arbitratus.

Interim

Interim in Livonia præfuerunt Magiſtri anno 1267. Wernerus de Breithuſen, qui cum Ruſſis difficile bellum geſſit, & Tramatum Samogetharum Principem in acie cecidit. Anno 1269. Conradus de Mandern, qui Witteſthenum (quaſi albam rupem dixeris) arcem munitiſſimam conſtruxit, cujus tempore Mendavus Rex Litvanorum, a quodam ex proceribus ſuis, quos illi Bojaros vocant, crudeliter inſtar canis obtruncatus & mercedem apoſtaſiæ debitam conſecutus eſt. Anno deinceps 1272. Otho de Rodenſtein, qui uno prælio quinque Ruſſorum millia cecidit, ipſe viciſſim a Litvanis & Semigallis, qui Oſilias inſulam hyeme invaſerant, prælio ſuper glaciem congelati maris commiſſo cruenta pugna cum quinquaginta duobus Ordinis fratribus cæſus eſt. Quem ſequitur anno 1274. Andreas quidam, cujus cognomen & familiam vetuſtas obliteravit; eodem autem anno cum prædeceſſoris necem ulciſci vellet, a Lituanis cum viginti Ordinis fratribus cæſus occubuit.

Promagiſtri Livoniæ.

Mendavus.

Antea dictum eſt, quanto cum labore Sambienſes a rebellione ad Ordinis imperium reducti fuerint, interim autem Pruſſi Barthenſes minime quieſcebant, ſed Cruciferos vehementiſſime exercebant, arcibus & civitatibus aliis per vim aliis per deditionem captis, direptis, evaſtatis. Interim Cruciferi munitionibus, quas retinuerant, ſe continebant, levibus tamen prœliis & eruptionibus ſæpe dimicabatur. Inter cæteros Prutenus quidam erat præcipuæ nobilitatis Girdo dictus, is arcem tenebat a ſe conſtructam & de nomine ſuo Girdaw dictam. Manſerat vero hucusque conſtanter in fide Cruciferorum, nec unquam vel minis vel perſuaſionibus adduci poterat, ut cum rebellibus ſe conjungeret, & ideo vicinis utebatur plane inimicis. Illi enim agrum ejus depopulabantur, pecora abigebant, arbores ſuccidebant, & omnino quantum damni poterant, rebus ejus dabant. Ille etiam metuens, ne aliquando arcem ſuam obſiderent, caperent, ſeque cum omnibus familiaribus trucidarent, collectis itaque rebus omnibus & arce incendio conſumpta in montem Regium cum tota familia commigrat, cujus opera Cruciferi deinceps in perdomandis Barthenſibus ſæpius opportune ſunt uſi. Eodem tempore Cruciferi Prutenis Barthenſibus munitionem quandam ademerant, quam illi ſua lingua Waiſtotepul nominabant. Eam omnibus modis recipere ſtudebant, & oppugnationem quidem dies noctesque continuabant, ſed parum proficiebant. Converſi igitur ad alias artes, & diſceſſum ſimulantes majorem copiarum partem in inſidias collocant, ex quibus pauci poſt aliquot dies prope dictam munitionem prædium quoddam diripiunt ac incendunt. Cruciferi conſpecta illorum paucitate, mox animoſe potius quam prudenter erumpunt, Pruſſi continuo fugam capeſſunt, & Cruciferos acriter inſequentes ad inſidias pertrahunt, ubi illi undiquaque circumdati, poſtquam egregie ſeſe ulti fuiſſent, ad unum omnes trucidantur. Cæteri qui intra munitionem remanſerant, cum ſe defenſioni impares viderent, eam ſponte incendunt, & in pacatum concedunt. Eadem illorum fortuna fuit, qui arcem Wiſeburgum præſidio tenebant. Pruſſis enim circumcirca omnia devaſtantibus Cruciferi

Barthenſes rebelles.

Girdo.

Cruciferi ex inſidiis cæſi.

cum vires hoſtium ignorarent, nec auderent re non ſatis explorata cum omnibus copiis in aciem deſcendere, levibus ſaltem præliis hoſtes laceſſebant, nec longius ab arce progrediebantur, donec tandem unum ex Pruſſis caperent, cui vitam & libertatem pollicebantur, modo verum fateretur, quantæ eſſent Pruſſorum copiæ. Ille vero non tam vitæ ſuæ rationem habens, quam Cruciferos ulciſci cupiens, perſuadet illis, nullas adeſſe juſtas copias, prædatoriam ſaltem manum circumvagari, ex qua interdiu diſperſi prædam ſectentur, noctu vero in caſtra ſimul conveniant, affirmat eos omnes facili negotio inopinantes opprimi poſſe, locum ubi ſtationem habere ſoleant indicat. Cruciferi nimium creduli prima luce exeuntes ad commonſtratum a proditore locum contendentes, a maxima hominum multitudine, quorum ductor erat Diwanus circumdantur, & ad extremum, cum diu fortiter pugnaſſent, cæduntur, viginti inter cæteros milites fratribus Ordinis trucidatis. Qui fuga elapſi fuerant cum propter paucitatem caſtrum defendere nequirent, proditore prius fruſtillatim conciſo, verſus Maſoviam diſcedunt. Diwanus ubi illos fugam capere ſenſit, electis expeditioribus ſuorum, continuo inſequitur, ac varie cum illis manum conſerens donec lethaliter vulneraretur, tandem a perſequendo deſtitit, & arcem relictam occupavit. Interim etiam a Pruſſis obſidebatur Chriſtburgum, eaque obſidio jam triennium ferme duraverat, cum Cruciferi commeatum amplius non haberent nec ullum auxilium ſentirent, itaque noctu clam diſcedunt, quod Pruſſi ſentientes cum omnibus copiis inſequuntur, & Cruciferos ac eorum milites omnes, duobus tantum exceptis, trucidant. Durabat adhuc etiam obſidio arcis & civitatis Barthenſtenii, ubi quadringenti milites erant in præſidio, Pruſſi autem Duce Mattingo Principe circiter mille quingenti in obſidione, qui circum circa vineas, aggeres & turres conſtruxerant, ut obſeſſis omnis exitus præcluderetur. Erat apud Cruciferos Miligedo Prutenus, qui jam pridem Chriſtianam fidem ſuſceperat, homo inuſitatæ magnitudinis & ſtaturæ prorſus Giganteæ. Hunc unum Pruſſi fortiorem cenſebant, quam dimidiam partem totius præſidii, & ab iſthoc uno plura, quam a cæteris damna accipiebant. Itaque conſilium capiunt, Gigantem iſtum vel vi vel dolis perdendi & e medio tollendi. Erat apud illos Wango quidam haud ferme diſſimilis miles proceri corporis, quem & ipſi Gigantem vocabant, non tamen Miligedoni comparandus. Huic perſuadent, ut illum ad pugnam provocet, auxilia interim in inſidiis locant. Is in apertum campum ſolus progreſſus æmulum ſuum, vir virum, ad conſerendam manum provocat. Miligedo nihil cunctatus in campum deſcendit, cætera quidem armis egregie contectus, ſed inprimis uti ad pugnam conſueverat ingenti & ponderoſa clava, cujus caput infuſo plumbo ponderoſius fecerat, in ea libranda tanta hominis vis erat, ut quem ſemel tangeret, is ſecundo ictu nihil indigeret. Ubi ad hoſtem pervenit, ictum ejus nihil reformidans, ſed clavam librans primo ictu & galeam & cranium conterit. Victor circumſpiciens continuo animadvertit ex proximis fruticibus viginti viros armatos proſilire, & ſe unum petere. Cum fugam præoccupare poſſet, minime tamen conſternatus, cum illis congreditur, & ita quidem

Chriſtburgum deſertum.

Obſidio Barthenſtenii.

Miligedo Gigas.

dem fortiter pugnat, ut brevi paucis acceptis vulneribus quindecim antagoniſtas proſtraverit, reliqui fuga ſibi conſuluerint. Nihilominus Pruſſi deinceps varie rem & ſæpius tentarunt, ut vel vi vel dolis eum circumvenirent, interim vero non pauci ab ipſo conſumebantur. Tandem cum ille nimium fortunæ & viribus confideret, & ſæpe longius quam res ferebat inconſulte plerumque progrederetur, in eum tandem locum pertractus fuit, ubi cum decem fortiſſimis viris ſibi ſimul confligendum videbat, quibus fortiter ac ſtrenue confectis, & ad unum occiſis tum demum a quinquaginta aliis, qui in inſidiis latuerant, mediocriter jam vulneratus & priori prælio defeſſus multitudine hoſtium opprimitur, ac fortiſſime pugnans, interfectis & vulneratis prius illorum plus quam viginti, occiditur. Dolendum profecto tam egregium militem non meliori fortuna uti potuiſſe, quam ut ex inſidiis perfide a ſuis gentilibus trucidaretur. Et ſane Cruciferis in tantum doluit iſte viri caſus, ut continuo tribus furcis ante arcem erectis, triginta Prutenos, quos hactenus obſides habuerant, in hoſtium conſpectu ſuſpendi & ſtrangulari juſſerint. Subſecuta deinde ferme ſunt aliquot leviora prælia, quibus tantum effectum eſt, ut intra annum vertentem hoſtes pene omnes, quos mille quingentos fuiſſe diximus, paulatim abſumerentur, reliqui obſidione ſoluta diſcederent. Itaque e veſtigio illorum opera & munitiones militares a Cruciferis ſubverſæ ac ſolo æquatæ. Sed non multum temporis interceſſit, cum Pruſſi redeunt tria circiter millia ſecum adducentes, & arcem denuo obſident. Cruciferi cum animadverterent, nec tantæ multitudini ſe pares eſſe, nec commeatum diutius ſuffecturum, nocte quadam priusquam arx tota operibus circumdaretur, clam diſcedunt, & hoſte nihil ſentiente Elbingam usque pervadunt. Pruſſi Bartheſtenum vacuum occupant, & præſidium imponunt.

Bartheſtenum occupatum.

Eodem tempore Natangiorum Dux Hercus Monte cum ingenti exercitu in agrum Culmenſem excurrit, & populationibus ac incendiis omnia longe lateque vaſtat, hominibus, qui extra munitiones deprehenſi eſſent, interfectis, jumentis, autem & pecoribus abactis, & hinc inde ingenti præda collecta. Magiſter provincialis, ea de re certior factus, ſubito quas poterat copiis contractis prædones inſequitur, eosque primo impetu, ut ſine ordine incedebant, ſic diſpergit, & in fugam conjicit. Et jam Cruciferi, & eorum milites ad prædam recuperandam ſe convertunt, Hercus cum aliquanta manu initio injectæ trepidationis in vicinum montem ſeceſſerat, unde cum paucitatem Cruciferorum deſpiceret, hortatus ſuos, ut animum reciperent, neque prædam ſuam hoſti relinquerent, continuo decurrens a tergo eos aggreditur, ibi denuo atrociter pugnatur, Pruſſi fugitivi ſe quoque convertunt, & certamen ineunt. Ibi Cruciferi & eorum milites a multitudine circumventi ad unum omnes cæduntur, inter quos etiam Helmericus fortiſſime pugnans occubuit. Hercus autem prædam integram domum pertulit. Helmerico Magiſtro ſufficitur ſeptimus Provincialis Pruſſiæ Ludovicus de Ballersheim.

An. 1269.

Cruciferi cæſi.

Promagiſter cæſus.

7.

Cum in Germaniam rumor allatus eſſet de rebus Cruciferorum adverſis & Prutenorum inſolentia, continuo Princeps Brunſuicenſis,

Nova Ordinis auxilia.

Lantgravius Thuringiæ, ac Marchio Brandenburgenſis, qui etiam ſuperiori expeditione cum Ottocaro Bohemo in Pruſſiam venerat, novas copias conſcribunt, & quod omnibus modis cuperent Pruſſiam in fide Religionis Chriſtianæ integram retineri, ipſimet auxilio Cruciferis proficiſcuntur. Verum totus hic annus tam æſtivo quam hyberno tempore adeo fuit imbribus & pluviis maximis deditus, ut excreſcentibus plerisque fluviis, lacubus & paludibus, omnis pene deeſſet facultas cum hoſtibus rem bene gerendi. Itaque Principes relictis in præſidio civitatum & arcium copiis ſuis domum revertuntur. Marchio etiam Brandenburgum extruxit, & de ſua familia nomen impoſuit. Quanquam alii ſcribant in priori expeditione id factum. Primus Commandator ibi conſtitutus fuit Fridericus de Holdenſtet. Arx quidem, utpote primis initiis adhuc non ſatis munita, paulo poſt a Pruſſis hac occaſione capitur ac evertitur. Commandator cum præſidio ſuo Natangiam excurrerat ad intercipienda pecora, quæ Pruſſos in certum locum paſcendi cauſa compuliſſe per exploratores cognoverat. In arce autem captiva erat Prutena, culinæ miniſterio deſtinata. Ea interim profugit, & Glaponi Varmienſium Duci abſentiam præſidii enunciat, is absque mora eo profectus, arcem vacuam nullo labore captam evertit. Commandator rediens prædam quidem interceptam attulit, ſed ubi eam tute aſſervaret non invenit. Itaque in montem Regium contendit, & auxilio Cruciferorum arcem inſtaurat & munitiorem reddit. Et hinc factum autumo, quod de prima Brandenburgi conditione auctores diverſum ſentiant. Petrus quidem Duisburgenſis, qui omnium primus, quantum mihi conſtat, res Cruciferorum ſcripſit, affirmat Brandenburgum poſt hanc demum everſionem ab ipſo Marchione fuiſſe reſtauratum.

Brandeburgum captum.

Paulo antequam hæc contigerunt, Anſelmus primus Varmiæ Epiſcopus civitatem & arcem Brunſpergum, de cujus prima conditione ſupra dictum eſt, tumultuario opere communiverat. Pruſſi autem petere nolentes, ut Cruciferi plures arces & civitates in provincia erigerent, agminatim eo contendentes ſumma vi oppugnationem aggrediuntur, ſed magna clade repulſi incepto deſiſtunt. Cum ab hoſte metus aliquis amplius eſſe non videretur, quadraginta equites cum aliquot curribus exeunt, pabuli convehendi gratia, qui ab hoſtibus per inſidias circumventi & oppreſſi ad unum omnes trucidantur. Inde Pruſſi majoribus cum copiis ad oppugnationem redeunt. Incolæ & milites, qui in præſidio erant, cum ob commeatus inopiam de obſidione pertoleranda deſperarent, urbi & arci ignem injiciunt, ipſi cum rebus omnibus, quæ agi ferrique poterant, Elbingam verſus contendunt. In itinere ſexaginta Cruciferos cum aliquot militibus ſubſidio venientes obvios habent, qui re intellecta, cum ipſis retro abeunt. Et ſic Brunſpergum in cineres redactum permanſit usque ad annum 1296. quo Heinricus Epiſcopus civitatem & arcem eo loco, ubi hodie ſitæ ſunt, denuo reſtauravit. Scribit Duisburgenſis, adeo tenuem ab initio fuiſſe Epiſcopatum illum, quod iſte Epiſcopus Heinricus Brunſpergi annuatim in pecunia numerata non amplius quam unicam marcam ex unico molendino proventuum percepit.

Brunſpergum concrematum.

perit. Eodem tempore belli Duces Barthenſium Diwanus, Pogeſanorum Linko, in Cruciferorum ditionibus præſertim circa Chriſtburgum & Mariæburgum duobus agminibus incedentes omnia late populabantur, & prædas paſſim agebant. Cruciferi hoc ſibi diutius tolerandum minime rati, obviam hoſti exeuntes in Linkonem primo incidunt, & illum commiſſo prælio in fugam vertunt, majori exercitus ejus parte cæſa. Sed non undique diuturna fuit victoria. Cum enim a conflictu quieti ſe dediſſent circa ſolis occaſum, eo enim usque pugna duraverat, ingruente nocte ex improviſo a Diwani copiis invaduntur, & priuſquam ad arma expedire manum vel equos frenare poſſent, magna ſtrage cæduntur, cæteri profligantur. Deſiderati duodecim fratres Ordinis & milites quingenti. Inde ambo Duces conjunctis copiis Chriſtburgum obſident, & milites præſidiarios mox in eas anguſtias conjiciunt, ut de conſervanda ſtatione pene deſperarent, ac ob commeatus inopiam de facienda deditione ſæpius conſilia conferrent. Habitabat in vicinia Nobilis Prutenus Nalubo dictus, jam pridem Chriſti militiæ adſcriptus, qui cum rebellibus conſilia communia habere, & ſervos ſuos ad bellum ſubminiſtrare cogebatur, idque ſimulate præſtabat, ne bona & agri vaſtarentur, quamvis clam & in Chriſtiana religione & in Cruciferorum fide permanebat. Hic obſeſſis commeatum paulatim per ſuorum clandeſtinas invectiones ſuppeditabat, quo a nemine animadverſo, utpote quod de illo tale quid nemo vel cogitaret vel ſomniaret, obſeſſi præter hoſtium ſpem diutius obſidionem tolerabant. Re tandem per domeſticam proditionem detecta, & aqua ferventi per gulam infuſa, multisque tormentis excruciatum tandem lento igne torrent, & ſic aſſatum & in fruſta conciſum obſeſſis in arcem mittunt, ut ſcirent nullam ſibi amplius ſpem eſſe commeatus per Nalubum vel ejus familiares ſupportandi. Interim Cruciferi, qui Elbingæ erant, de inopia obſeſſorum certiores facti quantas poſſunt copias contrahunt, & ſilenti agmine profecti eo quidem itinere ad hoſtem contendunt, ut ſperarent nocturna impreſſione Pruſſos tum ſecuros, ut fieri ſolet, quando nullus hoſtis timetur, vel opprimi, vel cum commeatu ad obſeſſos perumpi poſſe. Favit conſilio fortuna. Hoſtes enim intempeſta nocte excubiis repente cæſis, inopinato oppreſſi, & priusquam quid rei eſſet ſentirent, vel ad arma devenire poſſent, paſſim cæduntur, mox in fugam conjiciuntur. Dywanus ipſe amiculo ſaltem interiori amictus, cum quod res erat ſuſpicaretur, ex lecto in equum nudus ferme inſiliens vix elapſus eſt, quo minus in Cruciferorum manus perveniret. Linko jam antea cum ſuis copiis alio prædatum abiverat. Caſtra hoſtium capta, direpta, & obſidio importato commeatu ſoluta. In qua quidem obſidione illud memorabile contigit, quod cum fames in ſumma rerum inopia ingrueret, & Pruſſis, qui conſtantes in fide & officio manſerant, poteſtas fieret exeundi, & ſi vellent ad hoſtes impune tranſeundi, ut hoc ſaltem modo vitam a fame conſervarent, illi tamen cum Cruciferis extrema pati, quam fidei vitam præferre maluerint.

Pruteni cæſi.

Cruciferi cæſi.

Nalubo.

Pruſſi cæſi ad Chriſtburgum.

Dum

Dum hæc ad Chriſtburgum aguntur, Pruſſi rebelles inter cæte-
Mariæ inſu- ras populationes Mariæ inſulam quoque divexabant, & cum aperta vi
la devaſtata. civitatem capere nequirent, dolo aggrediuntur. Majorem enim exercitus ſui partem in molendino quodam occultaverant, cæteri palam crebras excurſiones ad portas usque faciunt. Milites qui in præſidio erant, his injuriis irritati & paucitatem hoſtium contemptui habentes ſubito erumpunt. Pruſſi cum non diu reſtitiſſent, fugam verſus molendinum capeſſunt. Præſidiarii effuſe inſequentes, & ad locum inſidiarum pertracti, ſtrenue exipiuntur, pugnatur aliquamdiu acriter, tandem illi Prusſorum multitudine victi ad civitatem fugam intendunt. Pruſſi veſtigiis illorum inſiſtentes in ea omnium trepidatione ſimul in urbem irrumpunt. Ibi jam non pugna, ſed cædes oritur, cives omnes & incolæ nullo ſexus vel ætatis diſcrimine crudeliter trucidantur, qui cædem evitarunt in arcem ſe receperant, quam cum Pruſſi capere non poſſent, civitatem diripiunt & igne injecto diſcedunt. Duisburgenſis ſcribit Mariæ inſulam hoc durante bello bis a Pruſſis captam & deletam fuiſſe.

Eodem tempore Cruciferi arcem ad ripam Oſſæ fluminis recens
Starcken- conſtruxerant, eamque Starckenbergam, quaſi montem fortem dicas,
berga. nuncupaverant, unde Pruſſos ab ulteriori in agrum Culmenſem excurſione prohiberent. Eam ut diruerent Pruſſi copias contrahebant. Arcem tenebat Conradus de Blindenberg, is cum præſidio egreſſus & cum Pruſſis prælium committens occiditur, arx a Pruſſis diruitur, quam Cruciferi poſtea in alteram fluminis ripam tranſtulerunt.

Culmſeh. Poſt hæc Pruſſi oppidum Culmenſehe aggreſſi, cum nihil proficerent, ad artes ſuas converſi, exſpectato tempore, donec frumentum in agris maturum eſſet, in circumjacentibus ſylvis ſeſe abſcondunt, & dum oppidani rerum omnium ſecuri cum uxoribus & familiis ad faciendam meſſem exeunt, eos ſubito circumveniunt, mares & fæminas ſine diſcrimine trucidant, frumentum injecto igne corrumpunt, & his perpetratis domum revertuntur.

Reden. In eo reditu arcem etiam & civitatem Reden Pruſſi capiunt, & omnes incolas crudeliſſime trucidant, paucis exceptis, qui fuga vitam
Martini mi- conſervarent. Inter quos arcis ejus Commandator Martinus Solmenſis
rabilis for- mirabili fortuna uſus eſt. Is enim cum uno comite eo usque in remotis-
tuna. ſimas ſylvas curſu citato profugerat, ut viam ex ſylva ſe recipiendi nullibi viderent. Dum hinc inde equitantes ambo aberrant, forte fortuna in tres Pruſſos incidunt, & duobus interfectis tertio vitam condonant, ut ipſos extra ſylvarum anfractus in pacatum perduceret. Ille fidem dat jurejurando, interim inter medios hoſtes illos perducendi conſilium capit. Nec multum progreſſi, quinque Pruſſos armatos & in equis expeditos obviam habent. Martinus ubi ſuſpicatur ſe proditum, continuo ducem itineris gladio confodit, eoque momento & ipſe & comes a Pruſſis dejiciuntur, capiuntur & vinculis conſtringuntur. Duo Pruſſi relinquuntur cum eis, ut eos trucidarent, tres equos inſequuntur, qui

qui feſſoribus dejectis fugiebant. Cum igitur unus ex duobus Martino caput acinace amputare vellet: quin tu (inquit ille) veſtem mihi exuis, ne ſanguine maculetur, ſic enim & pretioſam & mundam habebis. Prutenus ejus conſilio obſecuturus manus colligatas reſolvit, ut veſtem puram detraheret. Ibi Martinus ducto quam validiſſime pugno, tanto ictu carnificem tangit, ut quaſi exanimatus concideret, mox arrepto ejus gladio alterum, qui jam ſe ad comitis necem parabat, medium diſſecat, ſuum deinde carnificem conficit, & comitem vinculis eliberat. Vix ambo occiſorum arma induerant, cum repente ſuperveniunt illi tres, qui equos profugos inſecuti fuerant, itaque cognita ſociorum cæde ultionis avidi maximo cum impetu in Martinum & comitem invehuntur, qui irrumpentes adeo fortiter exceperunt, ut iſti tres brevi eorum virtute fuerint interfecti. Martinus autem & comes conſcenſo quisque equo, ſylvis diu pererratis in pacatum tandem reverterunt.

Dum haſce calamitates admodum ægre ſuſtinent Cruciferi, haud Sudinorum
multum poſt nova exoritur tempeſtas, Prutenis Sudavis ſive Sudinis, irruptio.
Duce Scumando, viro in bellis exercitatiſſimo, recenti cum exercitu in ditiones ordinis erumpentibus, & quicquid ferme reliquum adhuc erat longe lateque devaſtantibus. Direptæ & exuſtæ ſunt ea incurſione civitates & arces Lobavia, Wartenburgum, Birgela, Hamſotum, Zipella, Schoneſeh, quod quaſi lacum pulchrum vel amœnum dixeris, in cujus obſidione Diwanus, qui Sudinis ſe conjunxerat, Barthenſium Dux, ſagitta lethaliter vulneratus interiit, Recinum denuo, Lipa, Lesſum, Curnicium, Clementisburgum, ubi hodie trajectus eſt Nogati, quem Clementis pontonem vocant, Grudentum, Mariæ Inſula, Zantirum & Chriſtburgum, de cætero quicunque extra muros civitatum Elbingæ, Torunii & Culmæ deprehenſi fuiſſent, miſera conficiebantur morte. Quin & Culma prope per proditionem occupata fuiſſet. In expugnandis iis oppidis & arcibus plurimi mortales, tam Chriſtiani quam Pruteni converſi, absque ſexus vel ætatis ullo diſcrimine cæſi ſunt, vel in ſervitutem abducti.

His adverſæ fortunæ calamitatibus oppreſſi jam erant Cruciferi, An. 1272.
usque ad annum ſalutis 1272. cum interim in Pruſſia plurimum Chriſtiani Nova auſanguinis paſſim profunderetur, quanquam non omnes inulti morerentur, & Pruteni ex ſuis quoque non paucos deſiderarent. Hinc demum meliori fortuna Cruciferi adverſum hoſtes uti cœperunt. Etenim Theodoricus Marchio Misnenſis, religionis zelo commotus ordinem profeſſus eſt, & cum tribus millibus armatorum in Pruſſiam advenit. Interim Magiſter etiam alios Germaniæ Principes de auxiliis ſolicitare non deſierat, a quibus eodem tempore duo equitum millia conquiſivit, præter aliquos viros nobiles, qui voluntariam operam Cruciferis ferebant. Adveniebant etiam duo Comites de Reiffenſtein, qui & ipſi Ordinis inſignia ſuſcipiebant, cum quingentis equitibus. Hi omnes cum Crucifero-
rum copiis reliquis conſociati recta in Pomeſaniam ducunt. Conſtru-

xerant ibi Pruteni munitionem & amplam & copioſo præſidio inſtru-
Pruſſi rebel-ctam, ex qua aſſiduas in ordinis terras excurſiones faciebant. Hanc
les domiti. aggreditur Marchio ab una parte, ab altera Cruciferorum milites, tribus continuis diebus munitio oppugnatur, Pruſſis fortiter defendentibus per ſummam tandem pertinaciam utrisque contendentibus vi capitur. Ex Marchionis militibus ducenti quinquaginta deſiderati, ex Cruciferorum parte circiter centum ſexaginta. Prutenorum ultra duo millia cæſa, cæteri omnes ferme capti, munitio diruta & ſolo æquata. Dehinc cum Prutenis triplici prælio, cum omnibus copiis pugnatum fuit, ſemel prope Chriſtburgum, iterum ad Brunſpergam, & tertio ad Brandeburgum Cruciferis ſemper victoriam ſed ferme non incruentam reportantibus, in quibus præliis ultra duodecim millia Prutenorum cæſa dicuntur. Sunt auctores, qui viginti millia cæſa affirment, & inter alios Linconem Ducem fortiſſime pugnantem occubuiſſe ſcribant. His cladibus Pruſſi denuo fracti non multum amplius reſtiterunt, ſic, ut Cruciferi cum auxiliaribus copiis intra proximum biennium, Pomeſaniam, Varmiam, Natangiam, Barthiam & Sambiam omnem recuperarent & civitates & arces a Pruſſis concrematas vel direptas reſtaurarent, & plurimas accuratius munirent. Eodem victoriæ curſu Principis Gellonis munitionem & vicum expugnarunt, & ab ejus nomine Gellonisburgum appellarunt, quod corrupto vocabulo poſtea Gilgeburgum vocari cœpit. Expugnarunt etiam Pruſſorum vicum patria lingua Stranſparon dictum, quem illi deinceps Pruſſicum forum, id eſt Preuſchmarck nuncuparunt. Intra quod tempus etiam Varmienſium & Natangorum imperatores, viri profecto, niſi idololatræ fuiſſent ac ethnici, meliori fortuna digni, alias vero fortiſſimis bellorum Ducibus annumerandi, qui per complures annos cum Cruciferis bellum feliciter geſſerant, eodem pene momento diverſis in locis in-
Hercus feliciter hunc in modum perierunt. Natangiorum Dux Hercus Monte,
Monte oc- qui magnitudine animi & rerum geſtarum felicitate omnes Pruſſorum
ciditur. Duces haud dubie ſuperavit, proximo apud Brunſpergam prælio & ejus copiis pene ad internecionem deletis, in fugam actus, paucis comitantibus in remotiores ſylvas conceſſerat, ibique hactenus in quodam ſpecu procul ab hominum veſtigiis deliteſcebat, ſic ut nihil prorſus de eo num vivo num mortuo conſtaret. Accidit demum, ut cum pro more comites ob victum conquirendum, in ferarum venationem emiſiſſet, forte fortuna Commandator Chriſtburgenſis Heinricus de Schonberg & Helwigus de Goltbach, qui & ipſi eo venationis ſtudio cum aliquot equitibus delati fuerant, canum procurrentium inveſtigatione & clamore in eum inciderent. Extractus ex ſpelunca & continuo agnitus ad arborem ſuſpenditur, proprio inſuper gladio per pectus adacto. Hunc Hercum ferunt inter cætera ſtratagemata hoc etiam dolo adverſus Cruciferorum ſubditos, ſæpius uſum fuiſſe. Quoties Pruſſi in terras Ordinis excurſiones facerent, & homines ex pagis & villis in ſylvas & vepreta confugerent, ille cum ſociis tacite eo progreſſus, ubi profugos latitare conjectabatur, tum lingua Germanica, quam exacte callebat (nam puer adhuc a Cruciferis captus per multos annos apud eos educatus fuerat) proclamabat, hoſtes jam abiiſſe, ſi qui Chriſtiani latitarent tuto egrederentur, nullum eſſe periculum. Hoc dolo multos eliciebat & necabat. Varmi-

Varmienſium Dux Glappo, vir impiger & manu promptus a Glappo ſu-
Stenone domeſtico admodum ſibi familiari Cruciferis hac occaſione pro- ſpenditur.
ditus fuit. Obſidebat Glappo cum paucis militibus arcem in agro Sambienſi, quæ ſita erat non procul ab eo loco, ubi nunc eſt Brandenburgum, quæ & ipſa non magno præſidio tenebatur. Hac occaſione Steno proditor arrepta, ut neſcio quas injurias a Glappone acceptas ulciſceretur, clam ad Commandatorem Regiomontanum evolat, docet Glapponem cum exiguis copiis arcem oppugnare, & parva manu facile opprimi poſſe. Commandator re intellecta armatis continuo fratribus & militibus, quos in præſidio ſecum habebat, adjunctis etiam Civium promptioribus, feliciter magis quam prudenter proditori fidem habens, poſt ſolis occaſum ſilenti agmine profectus, intempeſta nocte Glapponem improviſo opprimit, militum ejus majorem partem, priuſquam ad arma venire poſſent, cædit, cæteris fugatis Glapponem ipſum vivum capit, & ſecum abductum in adverſo colle, qui contra civitatem Regiomontanam eſt, in crucem agit, unde collis iſte hodie nomen retinet, ut Glapponis mons (vulgo Glappenberg) nuncupetur. His itaque Ducibus, quorum fiducia tum res Prutenica nitebatur, e medio ſublatis, rebelles Pruſſi, qui reliqui erant, nec ullum ferme Ducem habebant, haud magno labore in Cruciferorum poteſtatem rurſus conceſſerunt.

Anno deinceps ſupra milleſimum ducenteſimum ſeptuageſimo An. 1275.
quinto, Magiſter generalis Hanno Sangerhuſienſis, gubernationis anno
duodecimo, diem obiit Treveri, & ibidem humatus eſt. Succeſſit ei VIII.
octavus Magiſter Hartmannus Comes in Heldrungen, anno tertio Im- Hartman-
peratoris Rudolphi Comitis Habſpurgenſis, & triceſimo tertio Boleslai nus Hel-
pudici Poloniæ Regis. Pruſſiam pro Magiſtro provinciali tum regebat drungus.
Theodoricus a Gattersleven, qui paulo poſt ſucceſſorem habuit Conra- 8.
dum de Tierburg ſeniorem. 9.

Cæterum quo tempore Hartmannus Magiſterium generale ſuſcepit, vel paulo ante, novum Cruciferis ſuccrevit bellum cum Sudinis, Nadrowiis, & Schalawoniis, in ditionem ordinis erumpentibus. Hæ gentes ex Prutenis reſtabant, quas antehac Cruciferi nondum ſubegerant, nec armis quidem eas tentaverant.

Sudini Barteſtenium oppugnantes arcem & oppidum vi cepe- Sudini.
runt, & omnibus incolis trucidatis diripuerunt. Cruciferi tamen arcem
& oppidum brevi reſtaurarunt, & deinceps ab hoſtium incurſu fortiter
defenderunt. Interim Nadrowii obſidebant arcem Beſeledam in ſylva, Nadrowii
quam Kertenen vocitabant, non procul a Bartenſtenio diſſitam, ſed a victi.
Cruciferorum præſidiariis fortiter repulſi duobus circiter millibus amiſſis receſſerunt. Nec diu poſt Magiſter provincialis Prætorem Sambienſem Theodoricum, cum expedita manu in Nadrowios mittit. Ad cujus adventum Caſtellanus Welavienſis imbecillitatis ſuorum non ignarus, nobilibus vicinis, qui inter primores erant, perſuadet, ut pacem quam bellum mallent, & in amicitiam potius quam indignationem Ordinis veni-

rent. Quod illi consilium secuti sponte se dediderunt. Theodoricus nihilominus in cæteros progressus, qui armis se tueri auderent, aliquot oppida & vicos capit & incendit. Mox Magister provincialis cum novis copiis subsequitur, & bipartito agmine hostes invadit. Ibi tota provincia devastata, omnes quicunque resistèrent trucidati, munitiones omnes eversæ, pauci captivi per Prussiam passim divisi, atque adeo Nadrowiorum nomen ad internecionem deletum, provincia ipsa omnibus habitatoribus destituta, in hunc usque diem adeo deserta fuit, ut præter sylvas nihil ejus regionis reliquum remanserit.

Schalawonii domiti.

Nadrowiis perdomitis, Cruciferi cum omnibus copiis ducunt in Schalawonios, qui utramque ripam Memelæ fluvii habitabant, & ampliori aliquanto regione, quam Nadrowii degebant. Oppidum illorum munitissimum erat Ragnitum, provinciæ metropolis, quod aliquando Russi, priusquam Cruciferi in Prussiam adventarent, novem continuis annis obsedisse dicuntur. Et quoniam omnes undique vias & aditus præcluserant, ne quid omnino importari posset, obsessos nihilominus nullum dare signum, nec famis nec deditionis, vehementer mirabantur, nec ulla occurrebat ratio, qua commeatus illis tamdiu superesse potuisset.

Ragnitum captum.

Tandem ex captivo cognoscunt, esse intra oppidum piscinam profundam, tam longitudine quam latitudine viginti passuum, eam omni piscium genere abundare, quod omnibus incolis in alios novem & plures annos ad famem avertendam satis esset. An verum iste dixerit, ac desperationem expugnandi oppidi Russis injicere voluerit, incertum est. Russi certe diutinæ obsessionis tædio commoti continuo motis castris abierunt. Petrus Duisburgensis scribit, quod suo tempore (annis scilicet circiter centum octoginta post) lacus saltem paluster fuerit, ranarum domicilium, qui vix tantum aquæ habuerit, quantum alendis piscibus sufficeret. Ejus hæc ipsa verba sunt: Ecce mira res est, tunc abundabat piscibus, cum essent Schalowitæ infideles, nunc autem fovet ranas, cum sint Christiani, nec habet dicta piscina tantum de aqua, quæ sufficiat piscibus ad manendum. Cur hoc sit nescio, Deus scit, cujus incomprehensibilia sunt judicia, & non investigabiles viæ &c. Idem auctor est, Ragnitum istud Prutenicum eodem loco situm fuisse, ubi postmodum, a Cruciferis recens fuerit constructum. Ragnitum igitur ut quoquo modo in potestatem redigeret, Prætor seu præfectus Sambiensis sibi audendum existimans, copias omnes navibus & scaphis imponit (terra enim per impeditissimas sylvas eundum erat) & secundo flumine, non procul ab oppido, nemine animadvertente militem exponit. Et adeo fortuna homini favit, ut noctu oppidanis secure dormientibus, admotis scalis repente militem immiserit, priusquam illi arma capere, vel quid rerum ageretur, certo scire possent. Ultra duo millia oppidanorum cæsa, mulieres & impuberes per Sambiam & Natangiam passim distributi, Ragnitum, ut erat trabibus ferme contextum, flammis concrematum. Aliam habebant Scalawonii munitionem in altera fluminis ripa, quam ipsi Ramigam vocabant. Eam idem præfectus Sambiensis eadem alacritate, sed paulo minori fortuna oppressit ac cepit.

Ramiga.

Nam

Nam qui in præsidio erant, adventum ejus præsentientes, jam ad arma convolaverant, itaque ultra ducentos milites a propugnatoribus cæsos desideravit, priusquam munitionem expugnaret, Dehinc non pugna sed cædes eorum, quicunque resisterent, munitio eversa & solo complanata, cujus hodie ne vestigium quidem reliquum mansit. Schalawonii his malis affecti consulere cœperunt, quo pacto & ipsi Cruciferis damnum inferre possent, eo ex tempore animos inclinant. Construxerant non ita pridem Cruciferi post Sambiam domitam ad Curonien-
sem lacum arcem Labjaw, ad reprimendos Sudinos, qui isthac in Sambi- Ars Labjaw.
am populationes consueverant. Hanc Schalawonii traductis clam militibus noctu aggrediuntur. Erant in præsidio circiter ducenti milites, qui cum diu fortiter propugnassent, hostium tandem multitudine oppressi ad unum omnes cæsi sunt. Arx diruta & in cineres redacta. Hoc facto Promagister Conradus de Tierburg in tantum fuit offensus, ut continuo copiis omnibus collectis, recta Schalawoniam ingressus territorium longe lateque devastaverit, omniaque ferro ac flammis misere perdiderit. Multa hominum millia absque commiseratione cæsa, plures familiæ nobilium ad internecionem redactæ, oppida, villæ & prædia flammis exusta, nec certe antehac ullius in Prussia provinciæ miserabilior fuit facies. Schalawoniorum Dux erat Stinegota vel ut alii vocant Se- Stinegota
genota, is reliquias suorum hinc inde colligens quiquid gerendis armis Dux.
idoneum erat, aliquantam militum manum confecerat, cum quibus Promagistrum cum eximia præda revertentem clam insequi cœpit, eo consilio, ut cum securiores aliquanto esse cœpissent Cruciferi, noctu eos opprimeret. Sed Promagister, qui jam veteranus & non minus callidus erat miles, quod ei aliquid suboluisset, ejusmodi insidias prævenire constituit. Captato igitur idoneo loco, ubi qua transeundum erat, utrinque convalles erant densissimis sylvis obsitæ, suos utrinque in insidiis locat. Schalawo-
Schalawonii cum nihil amplius cogitarent, quam ut primo quoque tem- nii cæsi.
pore Cruciferos nihil tale opinantes opprimerent, inconsulti in insidias prolapsi una cum Duce suo ad unum omnes trucidantur.

Sarecta proditor.

Ultra Memelam habitabat Sarecta quidam, Schalawoniorum facile Princeps, qui arcem ejusdem nominis egregie sed suo more constructam tenebat. Is cum vicinis inito consilio, qua ratione Christianorum servitutem evitare, & Cruciferos saltem a suis agris, quos alioquin objectu fluminis satis tutos existimassent, avertere possent. Cum inter omnes constaret, armis & aperto Marte resisti non posse, Sarecta dolis rem experiri tutissimum putavit. Mittit igitur clam nuncios ad Promagistrum, qui significarent, cupere Sarectam cum tota familia & cognatione Cruciferis se subjicere, & Christi fidem profiteri, sed præ metu vicinorum id palam non audere neque absque vitæ periculo solum inde abscedere copiam esse. Quod si Magister velit cum aliquanta manu, quæ vicinis opprimendis sufficeret, ad se trajicere, paratum se ostendit cum suis non solum in ejus castra transire, sed consilium etiam daturum, quo totam eam regionem nullo negotio posset occupare. Promagister præ cupiditate hostium opprimendorum avidius quam prudentius indicium

 amplexus,

amplexus, continuo partem copiarum expeditiſſimam paratam eſſe, naves & ſcaphas ad trajectum expedire jubet. Cum omnia ferme parata eſſent, forte fortuna capitur Schalawonius quidam explorator, quem Sarecta poſt nuncios ſuos ſpeculatum emiſerat, quo citius de rei ſucceſſu certior fieret. Ex eo cognitum eſt, illam a Sarecta proditionem concinnatam eſſe, qua Magiſter cum copiis ſuis in inſidias illectus ad internecionem cæderetur, conſpiraſſe cum eo Schalawonios transmemelanos omnes, omnesque copias in unum locum contraxiſſe trajectum Ma-
Schalawonii oppreſſi. giſtri exſpectantes. Magiſter cognito, quantæ eſſent copiæ illorum, qui apparatus, quæ munitiones, quo in loco hoſtes conveniſſent, ſemel debellandum ibi ratus, plures naves continuo expedit, & retentis Sarectæ nunciis totum exercitum trajecto flumine exponit, mox ductu captivi Schalawonios inopinato opprimit, primaque irruptione multi inermes & imparati cæſi, deinde ubi ad manus ventum eſt, inito acriter prælio, cum utrinque magnis animis decertaretur, cum utrisque vel victoria vel honeſta mors eſſet propoſita, Schalawonii tandem victi & cæſis quam plurimis, reliqui in fugam conjecti, nonnulli ex primoribus & inter eos ipſe Sarecta vivi in hoſtium poteſtatem devenerunt. Sarecta ſequenti nocte in caſtris Cruciferorum ſub tentorio arbori alligatus ad ſupplicium cuſtodiebatur, is cum eſſet magna corporis vi, & membrorum robore præditus, dormitabundis jam cuſtodibus, vinculis ruptis ſeſe expedit, & apprenſo humi dormientis cujusdam gladio, ne inultus abſcederet, Cruciferum quendam proxime jacentem confodit, plures deinde ante pedes priusquam expergiſcerentur obtruncat. Interim cuſtodes & alii ſtrepitu excitati extemplo hominem circumdant, ut rurſus caperent, ſed cum ſe vivum dedere nollet, & jam octo ex promptiſſimis illorum interfeciſſet, in ipſo tumultu lethali ictu confoditur. Magiſter poſtero die ad arcem Sarectæ copias admovet, & cum pauci eſſent, qui reſiſterent, nullo negotio capit, diripit, & ſolo æquat. Itum deinde ad
Saſſowia expugnata. munitionem Saſſowiam non procul inde diſſitam, ea per vim expugnata & bis mille circiter ac quingentis hominibus cæſis, munitio flammis concrematur. His ita confectis & regione tota pervaſtata cum nemo hominum amplius compareret, Magiſter exercitum cis flumen reducit. Ibi ad eum Principes Surbantius, Suisdata, Surdeta & Mindeta conveniunt, qui ex Schalawoniis ſupererant, & ultro ſeſe dedunt, quorum exemplum cæteri ſtatim ſunt ſecuti. Sed quia illorum provincia penitus eſſet devaſtata, familiæ paſſim per Sambiam diſtributæ ſunt, & hoc pacto Schalawoniorum nomen penitus exterminatum. Ac hodie ſane in illa regione cis Memelam præter Ragnitum & Tilſam nihil ferme conſpicuum nunc videtur. Ultra vero Memelam regionem eam Litvani plane deinceps devaſtarunt, ac occuparunt, ut hodie ne quidem adnumerari Pruſſiæ ſoleat.

An. 1277. Bellum in Sudinos. Supra non ſemel eſt facta mentio Sudinorum, qui durante cum Pruſſis generali ferme bello, ſæpius in Cruciferorum provincias eruperant, prædas egerant, oppida & villas incenderant. Eos Cruciferi nunc volebant ulciſci, & quia ſoli adhuc inter Pruſſos ethnici & idololatræ erant,

erant, ſuo imperio adjicere & ad religionem Chriſtianam compellere. Erat tum Sudavia regio ampla & hominum multitudine præpotens, ut- Sudavia
pote ex qua belli tempore equitum ſex millia, peditum millia duodecim qualis regio.
in aciem educi poſſent. Colebatur paſſim a nobiliſſimis familiis, quæ ut plurimum regionis dominatum inter ſe partiti fuerant. Deinceps autem injuria bellorum ſic ferme devaſtata fuit, ut etiamnum incertum ſit, quibus finibus tam præpotens regio circumſcripta fuerit, & hodie anguſtus ſaltem tractus eo nomine cenſeatur, qui ſparſim a piſcatoribus & egenis hominibus, paucis villis habitatur. Promagiſter Conradus de Tierburg contractis circiter mille quingentis equitibus & totidem ferme peditibus, qui plerumque Pruſſi erant baptiſati, ſed in officio & fide ſuperioribus bellis perſtiterant, territorium Kymenaw ingreditur, is enim Kymenaw
primus totius regionis erat aditus, & illud totum populabundus perva- territorium.
gatur, homines & pecora abigit. Sudini qui in vicinia degebant, mox tumultuario trium millium exercitu contracto Cruciferos diſcedentes inſequuntur, qui pugnam minime detrectabant. Fit atrox prælium ad ſylvam, quam illi Winſe vocabant. Ibi Sudinorum duo millia cæſa, cæteri partim capti, partim in fugam conjecti. Sed nec Cruciferis incruenta remanſit victoria. Magiſter reparatis copiis & advecto ſupplemento & in territorium Meruniſkam ducit, octo nobiles viros primarios cum Meruniſka.
omni familia cecidit, villas & prædia eorum ſubvertit, territorium totum devaſtat, & ingentem hominum ac pecorum multitudinem abducit. Haud diu poſt Sudini in Natangiam erumpunt, & omnia late ferro & igni devaſtare incipiunt, ſed ſtatim occurrente Magiſtro cum mediocri clade repelluntur. Quos ut ab ejusmodi eruptionibus cohiberet, Magiſter fratris filium ejusdem nominis Conradum, de Tierburg juniorem, tum Pruſſiæ Mareſcallum cum copiis immittit. Is hyemali tempore territorium Pokymen populatus & magnam adeptus prædam, per lacum Ne- Pokymen.
wotin tum glacie concretum revertitur. Hunc illum putant eſſe lacum magnum, qui hodie Leventin nuncupatur. Sudini ſubito congregati veſtigia abeuntis inſequuntur. Veſperi Mareſcallus lacum tranſierat, ea vero nocte glacies vi ventorum confracta fuit, Sudini mane ad lacum venientes cum ſpe ſua ſe fruſtratos viderent, re infecta domum revertuntur.

An. 1279. Promagiſtri. Anno 1279. Promagiſter electus fuit, tum in Pruſſia tum in Livonia, Conradus de Feuchtwang, ſed cum utrique officio ſupereſſe nequiret, relicta Pruſſia Livoniæ curam ſuſcepit. Anno ſequenti ſubſtitutus eſt in Pruſſia Promagiſter undecimus Mangoldus de Steimberg, vel Sternberg antea Commandator Regiomontanus. Is Zantirum arcem deſtruxit, & ex ea materia arcem Mariæburgum, eo in loco, ubi hodie ſitum eſt, ædificare cœpit.

Livoniæ Promagiſtri. In Livonia interim Magiſtros agebant: anno 1275. Waltherus de Nordeck, qui Semigallos ſubegit, anno 1278. Erneſtus de Rasborg, qui Duneburgum arcem conſtruxit & anno ſequenti a Litvanis cum uno & ſeptuaginta fratribus Ordinis & compluribus viris nobilibus in acie cæſus

ſus eſt. Anno 1279. Conradus de Feuchtwang, qui poſtea ad generale Magiſterium evectus eſt. Anno 1281. Willeke de Schurborg. Is a Semigallis cum tribus & triginta Ordinis fratribus cæſus eſt. Capti inſuper ſedecim fratres, quorum aliqui equis nudi injecti & allegati fuſtibus interempti, alii cratibus ligneis impoſiti & igne concremati fuerunt.

Sudinorum eruptio.

Quo tempore Mangoldus Promagiſter dictus eſt, Sudini cum ſociis Litvanis in Sambiam irruperunt, ferro, igni, & rapinis omnia pervaſtantes, & cum ingenti præda receſſerunt. Cruciferi qui aſſidue tum in armis erant, non diu morati ſunt, quin e veſtigio illos perſequerentur, & in fugam conjicerent, adeo ut prædam omnem relinquere cogerentur. Sed eo Cruciferi non contenti, ſed ſimul cum ipſis hoſticum ingreſſi par pari referunt, ac iterum nobilium aliquot prædia & villas diripiunt & incendunt, Dominos cum ſervis, quicunque ſe non ſtatim dederent, cædunt, magnam prædam abigunt, captivos fæminas & pueros paſſim per Pruſſiam diſtribuunt. Ac ne reſpirandi vel denuo erumpendi facultas eſſet, Promagiſter eodem adhuc anno ingentem exercitum adverſum Sudinos ducit in territorium Craſima. In eo Princeps erat Scumandus, ejus arcem & habitaculum, ipſo abſente, Cruciferi primo impetu capiunt, diripiunt ac incendunt. Ipſe ad primum adventantium hoſtium rumorem ad interiora ſeceſſerat ad copias colligendas. Quibus quanto maximas poterat coactis, Promagiſtro occurrit, & cum eo pugnam committit. In qua licet Cruciferi poſt atrocem dimicationem eſſent tandem ſuperiores & Sudini in fugam conjicerentur, tantam tamen Promagiſter fortiſſimorum militum jacturam fecit, ut fugientes inſequi non auderet. Neſciebat enim quantæ eſſent hoſtium copiæ, quæ ſupplementa, & num quis recens exercitus illis in promptu eſſet. Audierat vero Scumandum hunc inter cæteros Sudinorum Principes & territorii magnitudine & copiarum multitudine præcellere. Ipſe certe vir erat corporis & animi viribus paucis conferendus. Itaque Promagiſter tutius conſilium ſecutus, cum copiis in Sambiam regreditur, nec deinde quoad vixit cum Sudinis congreſſus eſt.

Craſima territorium.

Scumandus Dux.

Ulricus Bantfar.

In ea quam diximus pugna inter cæteros etiam cæſus eſt Ulricus Bantfar Commandator in Tapjaw, qui ſæpius antea Sudinos acerrime infeſtaverat, eumque illis terrorem incuſſerat, ut quoties illum adventare accepiſſent, ne triginta quidem illorum, hominem unum eſſent præſtolati. Ejus cæde accepta, Sudini mirum in modum ſunt exhilarati, & æque læti triumphum cecinerunt, ac convivia ſolenniter celebrarunt, ac ſi victores acie exceſſiſſent.

Ludovicus de Libenzelle.

In eadem etiam pugna captus fuit frater ordinis, eques percelebris, Ludovicus de Libenzelle, qui ad Scumandum perductus cui & facie & ſtatura corporis perſimilis erat, animi certe magnitudine non inferior, Scumando usque ad ſtuporem hominis formam admirante, primo ſtatim aſpectu gratiam ejus promeruit, ſic ut ultro Scumandus & vitam & libertatem illi concederet, modo ſecum maneret. Quod ille hac lege pollicitus,

pollicitus, ne contra Chriſtianos arma ferre cogeretur. Accidit paulo poſt, ut primores Sudinorum ferme omnes ad ſolenne convivium inter ſacra ſuo more convenirent, ad quem conventum uti maxime celebrem Scumandus Ludovicum una ſecum honoris gratia deducit. Inter cæterorum hilaritatem Sudinus quidam Nobilis ex præcipua familia, qui & Ludovico vehementer invidebat, & mirum in modum ſe ipſum admirabatur, rixandi occaſionem quærens, Ludovicum verbis contumelioſis & honeſto viro minime dignis inſectari cœpit. Is ut erat animo generoſo & injuriarum impatiens, commoto vultu ad Scumandum converſus: Tene, inquit, auctore hæc fiunt, an ideo me adduxiſti, ut honoris loco contumeliam paterer? Profecto (refert ille) & ego vicem tuam doleo, & ſi vir viro congredi voles, vindicandæ injuriæ copiam tibi facio. Idem probantibus cæteris, qui ſperabant hominem hoc modo perdi poſſe, Ludovicus e veſtigio hominem provocat, nec is pugnam detrectat, ſed longe viribus inferior primo ſtatim congreſſu proſternitur & necatur. Cæteri victori gratulantur, & mire hominis fortitudinem laudant, animo tamen parum ſincero, niſi enim Scumandum reveriti fuiſſent, dubio procul malo Ludovicum affeciſſent. Et ab eo tempore manifeſto cœperunt ei capitales ſtruere inſidias, quod Scumandum minime latebat, ideoque accuratiorem ejus curam habebat. Veritus autem, ne tandem aliquando publicum erumperet odium & illi vel invito ſeſe hominem opprimerent, communicatis cum ipſo conſiliis, Ludovicum noctu cum fidiſſimo ſervo luculentiſſimis muneribus donatum, notis itineribus in Sambiam ad Magiſtrum libere dimittit, cauſatus apud cæteros, illum contra datam fidem clam elapſum eſſe. Quod eum non minus ſuæ quam Ludovici ſecuritatis cauſa feciſſe poſtea compertum eſt. Cum enim jam pridem ex Ludovico de Cruciferorum ſtatu, viribus & copiis omnia explorata haberet, & inde facile conjecturam facere poſſet, Sudinos ad extremum nolentes volentes, vel jugum accepturos vel ad internecionem deletum iri, ac jam incendium in viſceribus ſuæ ditionis verſaretur, hoc uſus internuncio, clam ſalutem & libertatem pactus, paulo poſt cum univerſa familia ad Promagiſtrum profugit, ac religionem Chriſtianam complexus propter animi magnitudinem & generis nobilitatem Ordini initiatus fuit, ac in ea profeſſione quoad vixit conſtans ac fidelis permanſit. Promagiſter eo facto adeo exhilaratus eſt, ut deinceps, omnem Sudinorum curam omitteret. Nec diu ſupervixit, ſed anno proxime ſequenti vitam cum morte commutavit. Falluntur itaque illi, qui ſcribunt, hunc Promagiſtrum in Palæſtina Ptolemaide in præſidio fuiſſe, cum Sapherapes Sarracenorum Sultanus Babylonius urbem eam obſideret, & in quadam Chriſtianorum eruptione a Sarracenis interfectum eſſe. Nam qua occaſione vel cauſa is eo profectus fuiſſe putetur, nulla omnino ratio conſtat. Neque vero ſimile eſt, quod tum temporis Pruſſia relicta in Aſiam excurrerit, quo non ſolum cum Sudinis bellum erat, ſed a Litvanis etiam cotidie incurſiones fiebant, ut jam pridem novum in eos bellum Cruciferi meditarentur. Equidem ea in re manifeſtum errorem & temporis & perſonæ verſari exiſtimo. Magnus enim Magiſter, qui proxime ſequitur Burcardus a Schwenden cum ingenti exerci-

Scumandus ad Cruciferos tranſit.

Error de morte Promagiſtri.

tu Christianorum adversus Sarracenos in Asiam trajecit, & ibidem, re infeliciter gesta, periit. Ea expeditio incidit in annum ferme octavum post hujus Mangoldi mortem. Unde factum opinor, ut isti scriptores, quorum alias diligentia sæpius in vulgatis Chronicis desideratur, Promagistrum pro magno Magistro posuerint, nec exactam rationem temporis animadverterint.

Promagister Prussiæ in Sudinos ducit.

Diem functo Mangoldo novus Magister Conradus de Tierberg junior nihil antiquius habuit, quam ut Sudinos in ordinem redigeret, præsertim quod augurabatur, pacem & amicitiam, cum vicinis Litvanis non fore diuturnam. Itaque ne simul cum utroque hoste dimicandum esset, alteri prævertendum ratus coactis omnibus copiis, quotquot ex Prussia conficere poterat, in Sudinos ducit, eo nimirum proposito, ut vel ad fidem Christianam & Cruciferorum obedientiam eos cogeret, vel totam provinciam, omnibus ad internecionem cæsis penitus devastaret, ac feris sylvestribus inhabitandam relinqueret. Enim vero ex omnibus Prussis nulli adeo fuerunt in superstitionibus suis & præsertim in capri cultu idololatrico adeo obstinati & ad mortem usque pertinaces, atque hi Sudini, quorum etiam reliquiæ nostra adhuc memoria superstitionem eam non penitus abjecerunt. Litandi autem cum capro talis erat ritus. Congregato populi cœtu in horreo quodam adducebatur caper, quem Wesichaites illorum sacrificulus mactaturus, imponebat victimæ utramque manum, & invocabat ordine Dæmones, quos ipsi Deos esse credebant, de quibus alias commemoratum est. His Dæmonibus invocatis, quotquot aderant in horreo omnes simul extollebant caprum, sublimemque tenebant, donec caneretur hymus, quo finito rursus demittebant ac sistebant caprum in terram. Tum sacrificulus admonebat populum, ut solenne hoc sacrificium a majoribus pie institutum summa cum veneratione facerent, ejusque memoriam religiose ad posteros conservarent. Hac conciuncula ad populum habita, ipse mactabat victimam, sanguinemque patina exceptum dispergebat, carnem vero tradebat mulieribus eodem in horreo coquendam. Hæ interea dum caro coqueretur, parabant e farina siliginea placentas, quas non imponebant in furnum, sed viri focum circumstantes hinc illinc per ignem jaciebant absque cessatione, tam diu quoad illæ indurescerent & coquerentur. His peractis epulabantur & helluabantur tota die ac nocte usque ad vomitum. Ebrii deinde summo mane extra villam progrediebantur, ubi reliquias epularum certo in loco terra operiebant, ne vel a volatilibus vel a feris diriperentur. Postea dimisso cœtu suam quisque domum repetebat.

Litandi ritus apud Sudinos cum capro.

Siliam territorium.

Conradus igitur territorium Siliam ingressus æque ut in cæteris antea factitatum erat, totum ferro & incendiis devastabat. Ducebat enim ingentem exercitum, qui universum territorium facile operiebat. Occurrit quidem illi Princeps Sudinorum Wadola, sed primo congressu cum maxima copiarum parte cæsus est. In eo prælio Ludovicus de Libenzelle, de quo antea dictum, a Sudinis denuo capitur, & ad Principem Cantigendam adducitur. Is hominem statim agnoscens, sæpius enim

enim apud Scumandum eum viderat, maximopere lætatus est, optimam sibi oblatam occasionem consilii sui, quod jam pridem clam coquebat, maturius expediendi. Cum enim videret & Cruciferorum vires ac fortunam & Sudinorum in omnibus expeditionibus infelicitatem, decreverat se Cruciferorum fidei committere. Hunc igitur auctorem & ducem nactus cum tota familia, propinquis & vicinis, sic ut totus comitatus mille sexcentis hominibus utriusque sexus constaret, recta in Sambiam proficiscitur. Vix unius diei itinere progressi Conradum cum copiis obvium habent, qui in Cantigendæ territorium ducebat. Is a Ludovico rem omnem edoctus jubet eos in Sambiam pergere, ipse in territorium Kimenaw, id Cantigendæ proprium erat, copias ducit, munitiones evertit, villas & prædia incendit, incolæ pacem petunt & ea lege impetrant, ut in Sambiam commigrent, & Christi fidem profiteantur. Quod cum promitterent, ducem itineris illis attribuit, qui eos in certum locum deducat. In itinere vero duce trucidato ad Litvanos profugiunt. Interim Conradus ad interiora progreditur, omnia passim devastans. Nec multo post occurrit ei Princeps Jedecus cumque jam in procinctu starent acies, Jedecus animadvertens se viribus longe inferiorem esse, quam ut cum tanto exercitu dimicandum sibi censeret, ultro cum omnibus copiis se dedit, & fidem Christianam amplectitur. Ex eo certior fit Conradus, unum adhuc & solum supereſſe Sudinorum Principem Scurdonem, illum quidem maximæ auctoritatis & potentiæ hominem, sed qui cæteris jam devictis aut deletis, solus tantam belli molem sustinere minime posset. Itaque Conradus jam semel tandem debellari posse ratus, continuo in eum ducit. Sed is Scurdo quid exspectandum sibi esset haud ignarus, alia ratione rem aggreditur. Convastatis enim rebus omnibus, munitionibus, villis ac prædiis incensis, agris devastatis, cum toto populo per lacum Curonienſem glacie tum concretum, ad Litvanos commigrat. Et sic quidem bellum hoc diuturnum in subigenda per annos quinquaginta quatuor Prussia tota Prussia exantlatum finem tandem habuit, ac Cruciferi deinde Prussiam totam pacifice possederunt. Sudavia vero eo quo dictum est modo semel evastata in hunc usque diem deserta mansit, & adeo quidem, ut etiam antiqui ejus regionis fines ignorentur. Condiderunt tamen postea Cruciferi in illorum finibus (ut creditur) Liceam, Joannisburgum & Insterburgum. Illa autem peninsula, quæ hodie Sudaviæ nomen habet, in quam fortassis reliquiæ rebellium relegatæ fuerunt, mari & lacu Curonienſi concluſa, paucis constat pagis & piscatorum casis, nec alio nomine sunt celebres, quam quod ibi succinum ex mari colligitur. Cujus rei meminit etiam Cornelius Tacitus, ubi de moribus Germanorum agit. Sed & mare scrutantur (inquit) ac soli omnium succinum, quod ipsi glesum vocant, inter vada atque in ipso littore legunt. Nec quæ natura quæve ratio gignat, ut barbaris, quæsitum compertumve diu, quin etiam inter cætera ejectamenta maris jacebat, donec luxuria noſtra dedit nomen &c. Cæterum hic locus expostulat, ut quoniam de Succino & prisci & recentes scriptores variant, de ejus ortu & natura pauca hic subjungamus.

Cantigenda Princeps Sudinorum.

Jedecus Princeps.

Scurdo Princeps.

An. 1283.

Succini materia & ortus.

Succinum de quo loquimur, vel e terra effoditur, vel ex mari hauritur, & fluctu ejectum in littore colligitur. Quod effoditur, præsertim in Neringa peninsula, quæ mari & lacu Hab alluitur, alterius plane generis est, quam electrum, quod in Anglia, Hispania, Germania & in Asia minori effoditur, nigro colore, unde nigrum electrum & Gagates nuncupatur, sed nec eam naturam nec vim habet, quam succinum, & quovis alio quam succini nomine censeri debet. Hoc autem quod in Neringa effoditur, ejusdem est naturæ, coloris, operationis & efficaciæ cum eo, quod ex mari provenit. Itaque non adeo extra fidem positum est, hoc etiam aliquando fluctu maris ejectum & quia propter bellorum tempestates & locorum vastationes lectum non fuerit, sabulo & arenis rursus obrutum fuisse. Nec a vero multum abhorret, quod nonnullis videtur, totam aliquando Neringam a mari fuisse occupatam, & interim succinum ibi desedisse, quod recedente mari & insula enata in terra occultatum remanserit:

— — — Nec enim illa prioris
Permansit facies orbis, multumque profundi
Illuvies, multum potuit mutare vetustas.
Regna cadunt, nova consurgunt, terræque marisque
Se variant habitus, pater & Neptunus iniquas
Exercet sine more vices, nunc littora pandit,
Deducitque alio, siccasque relinquit arenas,
Nunc cumulo assurgens angusto interluit æstu,
Et sese insinuat terris, nunc insula surgit,
Et mediis libratur aquis circumflua ponto.

Hoc autem succinum in Neringa altitudine unius vel duorum virorum subtus terram reconditum effoditur. Et habent fossores peculiaria instrumenta ad extrahendum idonea, habent etiam certa indicia, quibus quopiam loco succinum subesse explorant. Fossas satis longas agunt, quadrangulares, plerumque puteorum instar, & prout necessum est, profundas. In fundum autem fossæ palos acuminatos magno conatu immittunt, quos huc atque illuc manibus ducunt, fortiterque commovent, ut hoc modo fundum fovearum & fossarum pertundant, ac satis ampla foramina relinquant. Id ubi sæpius factitarunt, palos extrahunt, subsequitur & scaturit statim aqua, cum qua simul succinum, si quod latebat ac tectum erat, eructatur. Tunc reticulis totam fossam aqua impletam explorant, ac succinum extrahunt. Colligitur alias succinum in littore Pomeranico, Prussico, Memelico & Livonico, ut plurimum autem in Prussico inter ostium Vistulæ, quod Gedani est & Memelam. Præcipua vero succini copia provenit in littoribus Sudaviæ, ubi ex fundo maris reticulis extrahitur. Habet autem isthæc Sudinorum peninsula sinus præcipuos septem, in quos diversis tempestatibus succinum appellitur. Eas isti piscatores egregie callent, & statim ab ipso vento dignoscunt, in quem locum illis ad succini capturam sit conveniendum. Quantum succini capiunt, tantum salis ad pisces saliendos

endos mercedis loco recipiunt. Ventos quidem Africum aut Favonium ferme spirare necessum est, si fluctibus succinum in littus ejici debet. Verum Circius, Corus & Boreas ad hanc capturam noxii sunt, utpote qui succinum a littore denuo removeant, arenisque involvant & æstui. Quibusdam in locis nudi toti absque ullo vestimento mare ingrediuntur isti piscatores, etiam acerrima hyeme, sic enim expeditius in mare procurrunt & in ejusmodi hominibus consuetudinem multum valere & quasi alteram naturam facere non est dubium, juxta illud maximi Poetæ:

Durum a stirpe genus, natos ad flumina primum
Deferimus, sævoque gelu, duramus & undis.

Sed ne nimium frigeant maritis præ frigore rigentibus uxores, in promptu sunt, quæ viris mare egressis stragula & pelliceas vestes ad prunas interim calefactas superinjiciunt, eosque tegunt, & quantum possunt frigus arcent. Alibi casulas quas vicinas habent propere ex fluctibus petunt, & ad focum sibi præparatum se recolligunt. Alibi etiam vestibus induti mare ingrediuntur, ubi scilicet non nimia est profunditas, quanquam hyberno tempore exigua est ibi vestimentorum commoditas. Cum ad expiscandum succinum conveniunt, quilibet rete secum apportat in circulo unius ulnæ extensum & palo prælongo appensum, quo & profundum scrutari & latius piscaturam extendere possint. In maris ingressu hunc servant ordinem. Quoties magna maris tempestas est, afflante nihilominus optato vento, quiescunt: nisi metus vel cautio sit, ne ventus mutetur, tunc enim neglecta etiam quantumvis acri tempestate, fluctibus confertim occurrunt, & quantum Deus dat quasi ex igne petunt. Sin autem signa tempestatis sint meliora (quæ ipsi ad superstitionem usque observare solent) tempestatem & æstum maris & ipsum propitium ventum quieturum tantisper exspectant, donec fervor & æstus maris nonnihil subsideat. Tum bonis auspiciis mare ingrediuntur, & transverso latere in obvios fluctus se immittunt, verriculum ipsum præ se ferentes, & quantum possunt in ipso fundo ducentes. Qua ex re duplici venantur commodo, cum quod succinum in fundo subsidet, tum quod palo innitentes impetum fluctus facilius sustinere possunt. Ubi iste impetus aquæ primum transierit, confestim ulterius procedunt, & secundum fluctum æque excipiunt, & sic tam diu progrediuntur, quoad loci qualitas patitur, quam ipsi optime callent. Fit nonnunquam, ut plane fluctibus obruantur, & procul aspicientes, de vita illorum timeant. Sed ipsi palo suo quilibet innitentes, & conglobatim, latera prætendentes obliquant sinum, & totum corpus contrahunt, eoque modo fluctui in littus erumpendi liberius potestatem faciunt, refluxum vero parum curant. Sæpe autem quinquaginta viri, interdum pro loci qualitate plures vel pauciores venatum in mare proficiscuntur. Natura Sudini littoris hæc est multis hactenus experimentis cognita & perspecta. Juxta littus mare non est admodum profundum, quippe ubi piscatores inambulant, mox profundum aliquot orgyiarum succedit, sed non latum,

ita ut facile ſuperari poſſit, inde dorſum arenoſum occurrit, poſt quod iterum profundum, & iterum aliquod dorſum arenoſum, ſic ut hiſce vicibus aliquando piſcatores iſti, milliario germanico & amplius mari ſe committant. Etenim in iſtis foſſis & interſtitiis. quæ intra littus & dorſa arenoſa interſunt, maxime ſuccinum colligitur, ibique latet. Et communiter validis tempeſtatibus ad biduum triduumve mare agitari oportet, antequam ex ipſo tandem fundo erui & eructari poſſit. Sic ex fundo maris projectum, piſcatorum uxores, liberi & ſervi ex alga marina colligunt.

Succinum Sudavicum.

Quod autem ad naturam & ortum ſuccini noſtratis attinet, cum veteres ſcriptores per varias opiniones varia opinati ſint, eo a plerisque decurſum, quod exiſtimaverint reſinam eſſe ex arboribus diſtillantem.

Contra eam opinionem de diſtillatione ex arboribus.

Quæ opinio plane ſibi non conſtat. Etenim ſi ſuccinum ex arboribus profluit, neceſſario conſequitur, ejusmodi arbores vel in Pruſſico littore naſci, ubi quidem ſuccinum reperitur, vel in aliis littoribus maris Baltici vel ſeptentrionalis reperiri, a quibus arboribus ſuccinum in mare primum decidens deinde ventorum vi ad littus Pruſſicum & maxime Sudavicum propelli. Nec deſunt, qui exiſtiment, ejusmodi arborum copiam in adverſis littoribus Norvegiæ & Sueciæ naſci. Atqui certo conſtat, in toto tractu Sudini littoris nullas tales arbores gigni, ex quibus tanta reſinæ copia ſingulis annis profluere queat. Neque certe tantus eſt ſolis calor in Pruſſicis littoribus, quo calore ex arboribus reſinam vel liquorem alium extrahi neceſſum eſt, ut tanta reſinæ copia elici poſſit. Præterquam quod ipſa natura his arboribus aqua marina eſt maxime adverſa. An vero in adverſis littoribus ejus generis arbores reperiantur, id quidem incertum eſt. Ac ſane ſint, cur non etiam ibidem ſuccinum reperitur, vel in vicinioribus, aut etiam recta oppoſitis littoribus, puta Livoniæ, Gotlandiæ, Bornholmi, Pomeraniæ, Megalopolenſibus? Cur in ſolam ferme Sudaviam ventis toties variantibus ſuccinum appellitur? Tum illud etiam in conſiderationem venire neceſſum eſt, quod juxta ſcopulos Suedicos & Norvagicos maris profundum eſt centum & ampius orgyiarum, maris autem tempeſtatem vel æſtum inferius quam triginta aut ad ſummum quadraginta orgyias vim ſuam exercere non poſſe nautæ teſtantur. Cum igitur in littore Sudavico, quod ipſa dictat experientia, ventus infra quadraginta orgyias ſuccinum e fundo movere vel eruere nequeat, qua quæſo ventorum vi ex profundo centum orgyiarum inde ex Norvagia in Sudaviam usque propelletur? Proinde hæc de

Succinum unde.

diſtillatione ſuccini ex arboribus opinio, jam pridem exploſa eſt. Cæterum diligentes rerum naturalium indagatores qui Sudavicum littus curioſe perſcrutati ſunt, & multa per experientiam præſentes cognoverunt, ita ſentiunt: Quod ſuccini materia ſit terræ ſuccus pinguis & lentus, temperato calore coctus & a natura elaboratus, ejusdem cum bitumine ſubſtantiæ & materiæ. Nam ex puriſſimo & mero bitumine generatur, quæ cauſa eſt, ut ignem concipere, & accenſam flammam alere & emittere poſſit. Et hic ſuccus partim ipſius terræ calore interno in cavernis deliteſcente, partim ſolis ardore atque operatione liquefactus

ctus effluit per ſuos canales purior vel impurior, prout materia per ſe pura vel impura eſt, & vel ſponte per ſuos canales exudat, vel mare lambens ſecum ex venis terræ effert atque educit, vel copia ſuccedentis ſucci protruditur atque egeritur. Et quam primum ſuccus hic mare tangit, aquæ frigore induratur, quod frigus etiam albedinem procreat & ſuccinum magis excoquit. Et hujus oleoſa & tenuior pars ſuperficiei maris innatat, ut ſæpe videre eſt mari tranquillo, reliqua craſſior & coacta pars fundum petit; non ſecus ac fit in deſtillationibus per deſcenſum, ubi oleum aquæ ſubjectæ innatat, craſſa & terreſtris materia in fundo hæret. Quod autem fluidum primo ſit ſuccinum hoc argumento eſt, quod in eo diverſa genera vermium, muſcæ, culices, araneæ, ranæ & alia affluente copioſo humore involvuntur, dum vel ſuaviori halitu affecti eo pelliciuntur, atque ita fluitanti materiæ inſident, vel dum in ſpecubus ſubterraneis acriori exhalatione ſuffocati concidunt, & liquidæ maſſæ implicantur. Deinde quod ſuccinum, quantumvis frigoris vi congelatum ignis tamen adminiculo rurſus liquefieri poteſt. Cæterum quod littora Sudinorum ignem ſubterraneum, quo ſuccus iſte elaboratur, contineant, vel hoc indicio eſt, quod hinc inde venæ minerales, aluminis, vitrioli, ſulphuris, inveniuntur. Et piſcatores auctores ſunt, quod in Sudinorum mari cælo ſereno, etiam in ipſa lunæ conjunctione noctu quaſi ex ſcaturigine aliqua ſcintillando extillare quiddam inſtar pellucidi bituminis aut aliquid ſulphureis radiis eisque cæruleis præditum effundi videri, quod ſuccinum eſſe ex ipſis fontibus erumpens dubium non eſt. Nec tantum iſti vulgares homines hoc modo ſuccinum erumpere ſæpe viderunt, ſed viri etiam fide digni & magnæ auctoritatis. Præterea ſæpe evenit, ut mari tranquillo & ſole ſereno piſcatores in fundo maris ſplendorem quendam quaſi collucentis ignis animadvertant, quod & ipſum dubio procul emicantis ſuccini indicium eſt. Neque ignotum eſt, quod aliquando piſcatores hoc ſplendore animadverſo complures perticas colligaverint, quibus fundum attingere poſſent, & hinc inde profundum explorantes materiam lentam & viscoſam inſtar terpentini perticæ infimæ adhærentem extraxerint. Referunt etiam annales, ſuperioribus aliquot ſeculis inter Cruciferorum fratres quendam fuiſſe ſuccino colligendo præfectum, qui anxie perſcrutatus ſæpe fuerit, quæ ſuccini eſſet materia, & unde gigneretur. Et cum ali-Berg-Hartz.
quando maſſa bituminis montani liquida, ex terra effoſſa fuiſſet, conjectari cœpit, ex hac materia, ſi in mare projiceretur, ſuccinum generari poſſe, & ut rem experiretur, eidem maſſæ ſchedam quandam inclu- Maſſa cum
ſiſſe hiſce verbis conſcriptam. Anno 1332. ego frater Hermannus de incluſis litteris in mare
Arfenberg præfectus colligendo ſuccino in Lochſtet experimenti cauſa projecta.
maſſam hanc, in monte ſabuloſo effoſſam in mare projeci, an ſcilicet futurum, ut ex ea forte Succinum generetur. Hanc maſſam cum incluſa Schedula poſtea repertam & inter Succini ramenta reticulo captam aſſerunt anno 1498. An autem interim ſuccinum ſit effectum, vel ſuccini naturam redoluerit, id vero ſilentio prætereunt auctores. Atque hæc de natura & ortu ſuccini hoc loco ſubjeciſſe ſufficiat. Qui plura deſiderat, Medicos noſtræ ætatis, qui ea fuſius & accuratius executi ſunt, conſulat.

conſulat. Fieri poteſt etiam, ut generatio hujus ſuccini occultam habeat in natura cauſam, de qua nemini liqueat, uti multa ſunt per rerum naturam miraculoſa, quæ hominum ingeniis parum poſſunt explorari. Cujus rei ſimile exemplum vel potius miraculum eſt in comitatu Mansfeldenſi, & Islebii in patria mea, ubi fodinæ ſunt lapidis fiſſilis, ex quo cuprum, argentum & aurum etiam certis portionibus per ignem eliciuntur. In iis fodinis reperiuntur lapides, in quorum ventre ſeu concavitate, poſtquam fiſſi ſunt, reperiuntur figuræ cupreæ omnis generis eorum piſcium, qui in vicino ſtagno capi ſolent, & apparent ea ſpecie, quaſi piſcis fuiſſet lapidi incluſus, qui formam ſuam vel ſquamas ſuas impreſſam vel impreſſas reliquiſſet. Cujus rei cauſam naturalem quis quæſo Phyſicus explanabit? quomodo iſtæ piſcium imagines in lapides hos ſubterraneos, ubi piſces verſari nequeunt, deveniant. Et quantumvis iſti lapides aquis extraherentur, ſæpe contingit fodinas iſtas aqua oppleri, quis ullam rationem adferet, qua piſcis clauſo firmiter lapidi tanquam conchæ ſe inſinuet, aut inde rurſum ſe eximat? aut ut hoc fieri caſu aliquo poſſit, unde piſcium cuti vel ſquamis cuprum iſtud adhæſit, quod in lapide apparet? Illud certo conſtat, quod omnes ii lapides reperiantur inanes, ſic ut figuras eas a quopiam piſcium corpore imprimi prorſus dictu ſit abſurdiſſimum. Ut cuprum ex ipſo lapide generetur ſecundum calorem ſubterraneum, qui id in metallis operetur, id quidem natura dictat: Sed unde imaginum impreſſiones? Cur autem in iis lapidibus ſaltem iſtorum piſcium effigies reperiantur, qui in vicino lacu ſunt, non autem aliorum, neque cæterorum animalium, qui in vicinia illic converſantur, id omnibus rerum naturalium exploratoribus mea quidem opinione impoſſibile fuerit explicare. In ſumma Deus eſt mirabilis, & opera ejus abſcondita. Sed ſatis jam philoſophatum. Nunc ad hiſtoriam noſtram revertamur. Eodem anno, quo diximus bellum Pruſſicum a Cruciferis confectum fuiſſe, diſcordia nova exoriri cœpit inter Ordinem & Meſtvinum Pomeraniæ Ducem, Suantepolci filium, ex ea cauſa, quam etiam ſupra commemoravinus, quod Meſtvinus poſt fratris Vartislai mortem omnia ejus hæreditaria bona occupaverat, eo penitus poſthabito, quod Vartislaus vivens patrimonium ſuum Ordini conceſſerat. Nunc igitur Cruciferi rebus ſuis ſecundioribus ſeverius aliquanto Vartislai patrimonium petere cœperunt. Nec procul aberat quin ea res in apertum bellum prorumperet. Etenim Cruciferi Pruſſos jam in univerſum omnes ſubegerant, & jam ex uſu diuturno continue arma tractabant. Pruſſi vero converſi veteres adhuc alebant ſimultates contra Pomeranos, & omnem navare velle videbantur operam, ut itidem Pomerani, ac ipſi, a Cruciferis ſub imperium redigerentur. Et profecto difficile tum fuiſſet Meſtvino rem æquo marte cum Cruciferis gerere, & ſua contra illorum vires jam coalitas tueri vel defendere. Erat tum aliarum rerum cauſa Legatus Romani Pontificis in Pruſſia, Philippus Epiſcopus Formianus. Is interceſſorem egit, & omnem movit lapidem, ut Meſtvinus & Cruciferi amicis conditionibus ſine cæde & ſanguine componerent, & pacem amplecterentur. Tandem etiam poſt multas tractationes hac obtinuit lege, ut Meſtvinus Cruciferis

Diſſenſio cum Meſtvino.

An. 1283.

Epiſcopus Formianus interceſſor.

arcem,

arcem, oppidum & territorium Mevenſe, cum omnibus juribus, fructibus ac proventibus cederet ac traderet. Quo facto poſtea Cruciferi Mevam arcem & oppidum ſuo arbitrio ſuoque commodo munitiorem fecerunt & hoc pacto tum quidem utrinque fuit amicitia conſervata. Et hunc quaſi primum pedem ex Pruſſia Cruciferi trans Viſtulam in Pomeraniæ ditiones tum fixerunt. Oppidum autem Meva prius nuncupatum fuerat Gneva, a priſco quodam Vandalorum Principe Gnevo, qui illud primum condidit, cujus etiam Helmoldus cap. 19. meminit. Polonici ſcriptores nominant eum Gnevocomirum, qui anno 1107. cum Rege Boleslao Crivowſti bellum geſſerit ac ejusdem inſtinctu fidem Chriſtianam amplexus fuerit. Eodem quo diximus anno 1283. decimo quarto die ante Calendas Septembris, vitam cum morte commutavit Magiſter Generalis Hartmannus Comes de Helderungen, cum octo præfuiſſet annos. Obiit Venetiis, & ibi ſepultus eſt. In ejus locum ſufficitur communibus ſuffragiis nonus, Burchardus de Schwenden, vel ut alii volunt de Swaden, Cæſare Rudolpho Habſpurgenſi Comite, cum in Poloniæ regno Leſcus niger quartum jam annum imperaret. De rebus, quæ ſub hujus Magiſtri principatu a Cruciferis in Pruſſia & Litvania geſtæ ſunt, ſequenti libro fuſius explicabitur.

Magiſtri Hartmanni obitus.

IX. Burchardus de Schwenden.

HISTORIÆ RERUM PRUSSICARUM

LIBER SECUNDUS.

Initium belli Litvanici.

Cruciferi cum totam jam obtinerent Pruſſiam & arces ac civitates in omnibus ditionibus ſuis ita muniviſſent, ut ibi perpetuam & immobilem imperii ſedem absque ullo deinceps Pruſſorum ſubditorum rebellionis metu, ſibi perſuaſiſſent, ad bellum porro Litvanis inferendum animos & conſilia adjicere cœperunt. Belli inferendi cauſam hanc potiſſimum habebant, quod iſte ipſe Cruciferorum Ordo in eum finem inſtitutus fuerat, ut adverſus gentiles & paganos pugnarent, & Chriſtianam religionem, quam maxime poſſent, armis proferrent. Accedebat huc partim ſtudium tuendi fratres Livonicos, qui tempore belli Pruſſici non parum a Litvanis fuerant afflicti, partim vindictæ cupiditas, quod Sudinis adverſus Ordinem Litvani ſemper hactenus opem & ſuppetias tulerant.

An. 1283. Promagiſter itaque Conradus Tierbergenſis, rebus ad bellum comparatis, primam ſuſcepit expeditionem hyemali tempore, & cum Memelam fluvium glacie concretum tranſiiſſet, proximam Litvanorum munitionem, quam illi Biſenen vocabant, corona cingit & oppugnat. Biſene. Qui in præſidio erant, fortiter primum reſiſtere, hoſtem jam jam irruentem dejicere, tandem autem oppugnantium multitudine victi, viribus deficere. Duraverat oppugnatio a ſummo jam mane poſt meridiem, tum demum Cruciferi vi perrumpunt, plerosque trucidant, reliquos capiunt, munitionem rebus & hominibus aſportatis incendunt ac complanant. Mox circumjacentem regionem omnem depopulantur, & cum luculenta præda domum revertuntur. In hac oppugnatione non pauci ex militibus fortiſſimis ſunt deſiderati, & cum per Memelam reverterentur, fracta glacie quatuor Cruciferi præcipui nominis equites cum aliquot 1284. miniſtris, equis & ſarcinis ſubmerſi perierunt. Sequenti æſtate Promagiſter rurſus in Litvaniam profectus, ductu Scumandi Sudini, qui lo- Garthinum. corum & viarum erat peritiſſimus, caſtrum Garthinum obſedit, & poſt duram oppugnationem non absque jactura militum ſuorum tandem cepit, diripuit ac ſolo æquavit. In ea expeditione vitam cum morte com- Scumandi mutavit is, quem diximus, Scumandus Sudinus, cujus mortem acerbe obitus. tulerunt Cruciferi, utpote qui ab eo tempore, quo primum Chriſtianam religionem amplexus erat, in fide & officio Cruciferorum conſtantiſſime permanſerat, & ejus opera gentilibus Sudinis & Pruſſis multum incommodi fuerat illatum. Sub vitæ finem interrogatus, nunquid ante Chriſtianam profeſſionem ſuſceptam boni operis unquam feciſſet, illud unum commemoravit, cum aliquando Sudini templum Chriſtianorum ſpoliarent, & imaginem divæ virginis ac Salvatoris ad crucem affixi in luto conculcarent, ſe utrumque ſuis veſtibus expurgaſſe, & in locum ſuum reſtituiſſe. Interim dum Promagiſter expeditionem contra Garthinum parat, Pruſſi nonnulli Pogeſanienſes & Barthenſes cum vicinis Litvanis clam latrocinii conſpirationem coiverant, & mox poſt Promagiſtri abitum cum Litvanis in Poloniam prædatum excurrerant, ubi longe lateque omnia depopulati ingentem prædam reportaverant. Super qua inter Litvanos & Pruſſos exorta diſcordia rem omnem perturbavit. Nam cum Litvani, utpote qui duces ejus irruptionis fuerant, præcipuam ſibi prædam vindicarent, & Pruſſis reliquias ſaltem non maximi valoris concederent, Pruſſi ira accenſi, cum ob nimiam inæqualitatem prædæ, tum quod verebantur, facinus iſtud inſciis dominis privato conſilio perpetratum haud impune ipſis ceſſurum, præſertim cum jam expugnatio Garthini rumoribus afferretur. Interim dum cum Litvanis ſui conſilii ignaris de præda dividenda varie tempus trahunt, Duces ſuos Nunnonem & Dirſkonem clam celeribus equis ad Promagiſtrum mittunt, rem omnem exponunt, facinoris veniam petunt, & de eo ſe cum Litvanorum pernicie ſatisfacturos oſtendunt. Veniam eo facilius conſecuti ſunt, quod Promagiſter de fide illorum non parum dubitabat, ne hæc ex compoſito cum Litvanis agerentur, quodque exiſtimabat etiamſi propoſitum ipſis ex ſententia non cederet, non multum intereſſe, an ipſe in eos animadverteret, an a Litvanis latrocinii pœnam lucrifacerent. Nunno igitur & Dirſko, cum jam in eorum arbitrio res eſſet, celeriter ad ſuos reverſi cum iis hoc conſilium ineunt, ut ſequenti nocte, cum jam Litvani ſuo libitu prædam partiti fuiſſent, & nihil tale ſuſpicarentur, tumultu in caſtris repente excitato, Litvanorum maximam partem trucidarent, priusquam illi ad arma venire poſſent, paucis qui a Promagiſtro ſe oppreſſos autumabant fuga elapſis. Et hoc modo Pruſſi præda Polonica ſoli potiti in ſua quisque loca ſunt reverſi.

Pruſſorum facinus in Litvanos.

An. 1285. Connivente ad hæc Promagiſtro & ſatisfactum ſibi exiſtimante, ſi modo Litvani quam maximis cladibus afficerentur, ut fieri aſſolet, ac dolus an virtus quis in hoſte requirit? Gudilo Scalowita quidam Nobilis illum adit, qui cum adhuc inter gentiles idololatras verſaretur, & propter corporis fortitudinem & ingenii ſolertiam & prudentiam celebris inter ſuos habitus fuerat, oſtendit conſilium apprime commodum ſibi ſuggeſtum, quo munitionem hoſtium, quam illi Otekayn vocitabant, facili negotio occupare poſſet, modo centum viri ex Germanicis militibus & iis quidem optimis adjungerentur. Promagiſter facilius, quam par erat, homini fidem adhibens, continuo milites, quos volebat, illi aſſignat. Sed proditor iſte, qui jam antea cum hoſtibus clam convenerat, viros fortiſſimos locorum ignaros in eum locum perduxit, ubi a multitudine hoſtium circumventi pedem nec proferre nec referre poſſent, & ibidem quisque ſuo loco fortiter præliantes & non inulti cadentes ad internecionem ad unum omnes cæderentur. Unius Chronici manu ſcripti auctorem habeo anonymon, qui refert a centum iſtis militibus mille & quadringentos hoſtes, priusquam omnes occumberent, egregio certe vindictæ exemplo, inter quos etiam Gudilo proditor perierit, interfectos fuiſſe.

Gudilo Scalowita proditor.

An. 1286. Hanc proditionem anno ſequenti Cruciferi Litvanis expenſam retulerunt, eodem exemplo & eventu non diſſimili, niſi quod ex illis ipſis perfidia fuit exorta. Peluſus erat nobilis Litvanus, in familia Principis cujusdam, quos illi Bajorones & Kneſos vocant, apud quem in honore habebatur. Accidit forte, quam ob cauſam neſcio, ut inter illos inimicitiæ intercederent, inter quas Princeps Peluſo mortem ac necem jurato minabatur. Peluſus qui hominis ferox ingenium & ad quamlibet vindictam præceps non ignoraret, & ipſe eodem vitio laborans prævertendum ſibi exiſtimaret, cum quibusdam familiaribus & cognatis clam ad Prætorem Sambienſem profugit, ac docet, inſigni clade Litvanos affici poſſe, ſi militum aliquanta manus ſibi committeretur. Prætor Sambienſis Gudilonis recentem proditionem expertus, non facile primum adduci poterat, ut homini fidem haberet. Tandem multis atteſtationibus & juramentis perſuaſus, cum eſſent etiam inter primores Cruciferorum, qui rem tentandam exiſtimarent, & ſeipſos periculo exantlando offerrent, Peluſum retentis ejus familiaribus & cognatis cum aliquanta militum manu dimittit, ductoribus Martino Golino & Conrado Teuffelio, hominibus alias vitæ prodigis & nihil non audentibus. Sciebat Peluſus Principem ſuum eodem tempore cuidam aulico ſuo nuptias ſolennes facturum, ad quas multi Bajorones & nobiles invitati fuerant. Hanc occaſionem optimam ſuoque inſtituto maxime convenientem ratus, ita rem aggreditur, ut ipſam noctem, quæ nuptias conſequeretur, ad præmeditatum facinus eligeret. Totum qui præceſſerat diem & maximam noctis partem hoſpites & domeſtici commeſſationibus, potationibus & ludis conſumpſerant, poſt mediam noctem, cum altiſſimus apud omnes eſſet ſomnus, Peluſus cum ſociis advenit, ibi ſummum ſilentium, portæ & januæ omnes apertæ, nullæ excubiæ. Peluſus qui loci gnarus erat, militem ſuum ita paſſim circumducit, ut Princeps cum ſeptuaginta nobilibus & multis aliis in ſomno obtruncarentur. Ubi illuceſcere cœpit, quicquid reliquum erat, erant autem ut plurimum mulieres, virgines, impuberes & ſervi inermes, hi omnes capti & cum inſigni præda auri, argenti & pretioſarum veſtium, quæ ad nuptiarum pompam congeſtæ fuerant, in Sambiam abducti. Hoc facinore Peluſus & ſemet ab indicta cæde vindicavit, & eam apud Cruciferos fiduciam contraxit, ut deinceps in ſimilibus rebus ejus opera fideliter uterentur.

Peluſus proditor.

1288. Promagiſter Pruſſiæ 13. Poſt Conradum Tierburgenſem Provincialis Pruſſiæ Magiſter deſignatus eſt Meinardus vulgo Meinike vel Mangolt Querfurtenſis, ex familia comitum Heldrungenſium & Mansfeldenſium, vir conſilio & manu promptus, qui undecim annos Pruſſiæ præfuit, & Litvanis propter frequentes victorias ab illis reportatas valde fuit formidabilis. Hujus nativitas, ut hoc etiam obiter addamus, plane ſtupenda fuit, & merito inter rariſſima mundi miracula annumeranda. Nobilis Matrona in eo comitatu Querfurtenſi trigeminos uno partu filios ediderat. Id Comitiſſa hujus Meinardi mater palam dixit rem eſſe præter naturam ex uno marito tres ſimul naſci filios, mulierem eam dubio procul cum pluribus conſueviſſe. Atque hunc in modum honeſtæ iſti matronæ vel ex invidia vel ex inſcitia,

Promagiſtri mirabilis nativitas.

tia, cum per rerum naturam trigeminos naſci poſſe jam dudum exemplis compertum ſit, eam infamiam inurebat, ut apud complures adulterii ſuſpicione laboraret. Tum illa multis diris Comitiſſæ, quæ tunc uterum & ipſa gerebat, imprecata dicitur, facerent Dii omnes, ut ad oſtendendam ſuam innocentiam, ipſa tertrigeminos ederet. Nec imprecationi defuit eventus. Comitiſſa cum pariendi tempus adveniſſet, novem edit filios, ſanos & vivos omnes. Miraculo rei perterrita, ne ipſa proprium, uti putabat, dedecus, in publicum proderet, & matronarum fabula fieret, unum ex infantibus ſibi deligit educandum, cæteros in ſacco confertos obſtetrici, quam fidam ſibi dictoque audientem fore jurejurando & magnis pollicitationibus adegerat, committit in profluente ſuffocandos. Dum ad fluvium mulier pergit, forte fortuna comes pater ex venatione rediens ſolus ei ſit obvius, quærit quid in ſacco portet, illa pene exanimata timore, muliebre tamen mendacium ex tempore fingit, eſſe fœtus catulorum ait, quos mandato Dominæ in profluentem velit abjicere. Comes aliud quiddam ex mulieris ſtupore ſuſpicatus, ipſa diu fruſtra renuente, ſaccum inſpicit, infantes reperit, unde gentium hi ſint ſeverius inquirit. Mulier ubi mendacio locum amplius ſupereſſe non videt, rem omnem de partu & conſilio Comitiſſæ prodit. Comes ipſam dimittit, ac diſtricte mandat, ut ad Dominam revertatur, & ei modis omnibus perſuadeat, ſe juſſa perpetraſſe. Alii ſcribunt, eum gladio mulierem confodiſſe, & in fluvium projeciſſe, cum ut tanti ſceleris adminiſtram juſta afficeret pœna, tum ut res infantium deinceps eſſet occultior. Ut ut hoc ſit, Comes clam pueros enutriri curat, quos ſubinde ſolus inſpiciebat, ex oris forma & corporis lineamentis magnam filiorum inter ſe ſimilitudinem. Elapſo tandem anno circiter ſeptimo, omnes eodem veſtitu, quo filium domeſticum clam exornat, & inter convivandum cum amicis, una cum illo mixtim introduci jubet, quærit ex Comitiſſa quis inter illos hactenus domi pro filio ſolus ſit habitus, & unde illi tam repente tot fratres extiterint? Illa ſtatim conſcientia teſte rem intelligit, neque ſane in ea animi perturbatione ſuum ab expoſitis facile diſcernere poterat, mox veniam facti petit, monaſterium deinceps ingreſſa pœnitentiam egit, quoad vixit. Pueri liberaliter educati, omnes viri effecti ſunt prudentes & celebres, ex quibus unus fuit hic, de quo loquimur, Promagiſter, qui ex rei geſtæ fortuna Mangoldi nomen itidem, ut fratres, ſortitus intelligitur. Saxonum enim lingua Mangolt vocatur ein Aus-wurfling, ita canum & luporum fœtus nuncupantur. Cæterum de hac narratione ſuum cuique judicium eſto. Simile quiddam recenſetur in Chronicis comitum Altorfenſium de Iſenbardo Comite, qui vixiſſe creditur tempore Caroli Magni anno DCCLXXX, quod ejus uxor Irmentrudis, cum mulierem trigeminos enixam adulterii falſo inſimulaſſet, & ad culeum damnatam in profluentem abjeciſſet, iſta poſtea liberos duodecim pepererit, unde ex talione adulterii infamiam metuens promæcondæ undecim projiciendos atque enecandos tradiderit, unicum ipſa educandum retinuerit: Atque hæc res eum habuerit eventum, quem recenſuimus, & Welforum nomini originem dederit. Unde ſuſpicari quis poſſet, illam ex Chronicis Altorfenſibus narrationem a quopiam ſcriptore

ptore huc in annales Prussicos tralatam esse. Ego penes auctores fidem relinquo. Quamvis nec illud existimandum sit, rerum naturam adeo in angustum concluſam esse, ut una eademque res etiam miraculosa tot seculis non nisi semel contingere possit. Sed ut Ecclesiastes Salomonis testatur:

Quæ facimus quandoque etiam fecere priores,
Accidit hoc nobis, sed & hoc prius accidit illis,
Quodque olim fuit, hoc iterum quandoque futurum est.
Sic redit assidue primum labor actus in orbem,
Et nihil est sub sole, novum quod dicere possis,
Quod non præteritis fuerit quandoque diebus.

Aggeres primum ducti. Cæterum hic Promagister primus aggerem duxit prope Elbingam per sylvam spaciosissimam, & utramque ripam Nogati hoc opere concluſit. Inde paulatim etiam Vistula coarctari & aggeribus includi cœpit. Quo pacto effectum est, ut coarctatis fluminibus insulæ antea aquis submersæ detegerentur, in quibus coloni passim fossas ducentes quibus aqua derivaretur, agrum tandem fertilissimum produxerunt.

An. 1289. Ragnitum. Litvani cæsi. Anno 1289. Promagister Mangoldus arcem ad Memelam Landishutum, quod hodie nomen a profluente Ragnitum sortitur, quo scilicet iste locus, ad cohibendas Litvanorum eruptiones esset munitior, sed & Schalawoniis in eundem usum ad Memelam fluvium arcem munitissimam erexit. Quibus operibus dum occupatur, alibi Litvanorum equitum octo millia in Sambiam erumpunt, & intra quatuordecim dies igni ferroque omnia longe lateque devastant. Hominum tamen eo minor cædes perpetrata, quod de hostium irruptione mature certiores facti, in loca munita cum rebus, quæ ferri aut agi possent, se contulerant, unde etiam rariores prædæ hostibus obvenerunt. Eos retro ducentes dum trajectu fluminis nonnihil impediuntur, Promagister postremum agmen assecutus tanto impetu aggressus est, ut multis cæsis, multis in fluvio demersis, vix dimidia pars hostium evaserit.

1290. Expeditio in Litvanos. Sequenti anno Promagister ne hostes quiescere pateretur, rursus in Litvaniam ducit vastabundus, usque ad munitionem Colaynam cum quingentis equis & duobus millibus peditum. In præsidio erat Surminus quidam vir egregie fortis & celebris bellator cum exigua manu centum & viginti militum lectissimorum. Hi adeo egregie stationem suam tuebantur, ut Mangoldi militem aliquoties non fortiter modo rejicerent, sed in continuatis oppugnationibus majorem peditum partem conciderent, & equites non ausi manum amplius conserere, invito Promagistro domum diffluerent. Quo facto ipse etiam invitus, gemens & fremens obsidionem solvere coactus fuit. Ignorabat enim quantæ propugnatorum vires essent, & opinabatur illorum more longe plures adesse, qui inter oppugnandum sessis integri succederent. Sed in eo vehementer errabat, & pauci illi totius oppugnationis molem continuam soli sustentabant, ea interim jactura, ut discedente Mangoldo

do duodecim saltem supereſſent, qui in muro stare possent, cæteri vel cæsi vel lethaliter vulnerati essent. Quod si ille compertum habuisset, neglecta equitum fuga oppugnationem continuasset, nec mehercule pauci isti jam defatigati diutius laborem ferre potuissent. Haud diu post Promagister Henningum Commandatorem Ragniti adverso flumine cum decem Ordinis fratribus & viginti quinque armatis emittit speculatum, quid hostes agerent, vel quo in loco commode invadi possent. Surmini dolus. Hos arcem Colaynam præternavigantes conspicatus Surminus, qui post discessum Promagistri novum præsidium accersiverat, cum navigiis destitueretur, quibus illos aggredi posset, ad dolum convertitur, quo Cruciferos ad ripam elicere posset. Nodam igitur unum ex familiaribus Litvanum hominem & manu promptissimum & ingenio vaferrimum, & qui linguam Polonicam exacte calleret, muliebri veste induit, & non procul a ripa loco idoneo collocat, jam antea quid agendum esset satis edoctum: ipse non procul ab eo cum sexaginta expeditis militibus in insidiis latet. Quamprimum Cruciferi cum sociis secundo flumine reverterentur, & Nodam jam in conspectu haberent, ille assimulata ad fœminæ morem voce Polonica quiritari primum, deinde ejulare & fictis lachrymis misericordiam implorare, se captivam Christianam esse, & adeo toto corpore excruciatam, ut pedem ultra proferre nequiret, miserarentur ejus, & ex infidelium manibus ereptam secum abducerent. Motus hac querela Commandatarius continuo navem ad ripam jubet appellere, exscendit ipse primus, cæteri sequuntur, & recta ad mulierem contendunt. Vixdum colloqui cœperant, e vestigio Surminus ex insidiis prosilit, Cruciferi & socii circumcirca invaduntur, & in orbem pugnare coacti, postquam aliquandiu fortiter se defendissent, tandem ad unum omnes cum Commandatario trucidantur. Nodas. Nodas iste proditor post aliquot dehinc annos a Cruciferis captus, & fidem Christianam professus, ea conditione vitam depactus dicitur, ut decies tot ethnicos sua manu interficeret, quot Christiani suis dolis tum periissent & hoc modo manibus cæsorum singulis, decem hostium cædibus parentaret, quod non solum egregie & bona fide postea præstitit, sed numerum longe supergressus quasi usuras etiam adjecit. Alioquin etiam in quibuscunque expeditionibus, prœliis & oppugnationibus fortem & fidum Cruciferis semper se præbuit militem, quoad vixit, & religioni Christianæ, quam semel amplexus fuit, constantissime immortuus fuit. Surminus quanquam dolus hic ex sententia cessisset, plures tamen quam Cruciferi, ex suis militibus desideravit, & cum non dubitaret, quin illi ad ulciscendam cladem eam reversuri essent, & arcem cum paucis præsidiariis, ut antea forte fortuna evenisset, iterum eadem fortuna tueri se posse diffideret, ne priorem laudem majori in posterum infamia commutaret, neve a Christianis captus certissimæ se morti obstringeret, arcem vacuam deseruit, & ad interiora se cum militibus recepit, jurejurando affirmans, se cum Cruciferis in acie quidem manum deinceps conserere non recusaturum, sed ex quavis obsessa arce cum iisdem pugnare, extremæ dementiæ adscripturum.

Vicini

Litvani a Duce ſuo proditi.

Vicini nihilominus Litvani quidam adeo fuerunt elati ſucceſſu Surmini, ut ſex & triginta præſidiarii ex arce Onkaym usque ad Ragnitum prædabundi excurrerent, ſed nullo ferme labore repulſi, viginti quinque ex illis deſiderati ſunt. Alia prædatorum manus quingentorum circiter equitum eodem tempore in Poloniam excurrerat, & magnas prædas egerat duce Jesbuto. Is priusquam cum copiis exiret, conſilium ceperat omnem eam manum Cruciferis ad internecionem prodendi, & ideo per ſecretum & fidum hominem Promagiſtro hanc eruptionem renunciaverat. Cur adeo gentilibus ſuis infeſtus fuerit, vel eos tam fœde ad necem hoſtibus objicere voluerit, ejus rei cauſam annales non tradunt, niſi quod Petrus Duisburgenſis breviter innuit, eum cum Cruciferis amicitiam occulte contractam habuiſſe, licet (inquit ille) eſſet cum infidelibus, occulte tamen dilexit fratres. Cæterum quoniam ad Cruciferos non tranſiit, ſed domum profugit, ac deinde hoſtilia contra eos geſſit, aliam fuiſſe proditionis ejus cauſam potius exiſtimaverim. Promagiſter igitur re comperta triginta fratres Ordinis cum mille ducentis militibus expeditis mittit, qui Litvanos cum præda redeuntes interciperent. Hi in denſiſſimis ſylvis inter Licam & Narevum fluvios hoſtem præda onuſtum offendunt, & ſecurum ex improviſo adoriuntur, cæſi trecenti & quinquaginta, cæteri per ſylvas dilapſi aut fame plerique perierunt, aut ut miſeriæ finem invenirent, ſuſpendio ſemet ipſos confecerunt, præda Polonica omnis recepta & in Sambiam abducta.

Magni Magiſtri obitus.

Eodem anno cum Burcardus Magiſter generalis ſeptimum annum rebus Cruciferorum præfuiſſet, ingens Chriſtianorum exercitus circiter quadraginta millium ex Germania & Italia collectus fuit adverſus Saracenos. Huic præfectus ſummo cum imperio Burcardus Venetiis in Palæſtinam trajecit, ut Chriſtianis Ptolemaide, quam tum Sultanus Babylonicus Mulech Sepherapes arcte obſidebat, ſuppetias ferret. Sed eum adverſa excepit fortuna ſemper egregiis cœptis infidiſſima. Primo enim congreſſu exercitus fuſus fugatusque, ipſe Rhodum elapſus ibidem ex vulneribus deceſſit.

Livoniæ Promagiſtri.

Ejus regiminis tempore in Livonia Promagiſtri erant anno 1287. Conradus von Hertogenſtein, qui Semigallos ad officium & fidem reduxit anno 1289. Boltho von Hogenbach, cujus tempore cum alias a vicinis Ethnicis, Ruſſis, Litvanis, Samogetis pax eſſet, inteſtinum illud & ambitioſum bellum inter Ordinem & Epiſcopos reſuſcitatum eſt.

X.

Conradus de Feuchtwangen.

Burcardi morte divulgata, in ejus locum decimus Magiſter Generalis Conradus de Feuchtwangen, qui in Livonia Promagiſtrum egerat ſubſtituitur, eodem anno quo Boleslaus Maſoviæ Dux in Poloniæ Regem electus, ſed paulo poſt depoſitus fuit. Hunc ſequebatur Heinricus Probus Sileſiæ Dux, qui eodem anno veneno interiit, poſt illum Vladislaus Locticus ad regnum pervenit, qui ipſe quoque exauctoratus eſt, & ſucceſſorem habuit Premislaum, ſed is etiam non diu regno ſupervixit.

In

In Germania tum imperabat Rudolphus Habſpurgenſis, cui poſt ſesqui annum vel circiter Adolphus Naſſovienſis Comes in imperio ſucceſſit.

An. 1291. In Litvanos.

Promagiſter Pruſſiæ Mangoldus, quamprimum de ſucceſſu militum ſuorum contra Litvanos tendentium cognovit, non diu ſibi quieſcendum ratus, ſtatim initio ſequentis anni Commandatorem Regiomontanum, Bertoldum Brunhanium cum aliquot fratribus & mille quingentis militibus exercitatiſſimis in Litvanos emittit. Is ad arcem Colaynam profectus, quam antea Surminus obtinuerat, eam, cum inveniretur vacua & ab habitatoribus deſerta, incendit ac ſolo æquavit. Junigedum. Itum eſt deinde in territorium Junigedum, idque longe lateque devaſtatum, magna præda abacta, & iis ſubitaria expeditione peractis, Commandator domum reverſus eſt. Litvani, quod ægre ferrent, eo loco Cruciferis viam ad interiora aperiri, poſt Bertoldi diſceſſum ibidem munitionem quam ampliſſimam excitant, & de territorii nomine Junigedam appellant. Quo comperto Bertoldus recollectis copiis advolat, ut opus impediret. Verum major erat Litvanorum numerus præſidii cauſa excubantium, quam ut Bertoldus congredi cum eis auderet. Mox itaque ſe recipiens, Litvanis minime inſequentibus, alio itinere deflectit ad munitionem Mederabum, unde Litvani jam antea in Cruciferorum ditiones eruperant, & prædas egerant. Eam improviſo oppreſſam primo impetu capit, diripit, evertit, præſidiariis omnibus ad unum cæſis. Eodem tempore Promagiſter utrumque territorium Paſtovum & Gerſovum longe lateque ferro ignique devaſtat, & ingentem hominum ac pecorum vim abducit. Litvani contractis in propinquo quam maximis poſſent copiis, diſcedentem inſequuntur, bona ſpe freti prædam omnem recuperandi. Non animus, non multitudo, ſed fortuna deerat. Commiſſo prælio, complurimis cæſis, magna cum ſtrage rejiciuntur. In eodem prælio aderat Jesbutus, cujus paulo ante mentionem fecimus, unus ex primariis Ducibus. Is cum Heinrico Zuckſchwert, Commandatore Balgenſi congreſſus, primo ictu manum ejus dexteram vulnerat. Iratus ille haſta hominem trajicit. Jesbutus mortem inſtare ſibi ſentiens, & prius ulciſci ſe cupiens, totis viribus ferrum in hoſtem impingit, ſed eo ictu id ſolum profecit, ut Heinrico digitum ejusdem manus præcideret, eoque facto viribus jam ex profluente ſanguine deſtitutus ſubito collapſus animam exhalaret. Neque diu poſt Commandator Bertoldus cum viginti fratribus & mille quingentis equitibus verſus munitionem Junigedam contendit, præſidiarios autem arcis Ragniti expanſis ſignis præmittit, qui hoſtem eliciant, ipſe cum ſuo agmine in inſidiis tam diu commorari conſtituit. Conſilium erat hoſtibus omnino pernicioſum, niſi milites ejus cædis nimium avidi maturius quam par erat, ſeſe oſtendiſſent. Litvani enim, qui contempta prioris agminis paucitate, jam exierant, ubi alterum agmen animadvertunt, continuo retro cedunt, ne uno quidem deſiderato. Bertoldus quod ſecus ac volebat res cecidiſſet, nec expugnandæ munitioni par eſſet, copias reducit, & in territorium Onkaym declinans, villas aliquot diripit ac incendit, & cum mediocri præda in Sambiam revertitur.

Mederabum.

An. 1292. Inteſtinæ proditiones.

Anno ſequenti Promagiſter Mangoldus majore vi rem tentandam ſibi ratus, quantas maxime poteſt ex univerſa Pruſſia copias contrahit, eo omnino propoſito, ſe præclari aliquid hac expeditione contra Litvanos effecturum. Ubi vero ad fines pervenit, ex quibusdam captivis, quos exploratum Litvani miſerant, rem miram & minime tum ſperandam cognoſcit, Pogeſanos & Schalawonios cum Litvanis conſpirationem clam coiviſſe, qua Promagiſtrum cum univerſis copiis proderent ac delerent, rem ita diſpoſitam eſſe, ut Litvani quam maximum poſſent exercitum cogerent, & cum Promagiſtro congrederentur, eumque cum copiis, vel ad internecionem cæderent, vel ſaltem profligarent, reliquias Pogeſani & Schalawonii exciperent, iisque deletis de rebus ſuis porro conſtituendis conſilium ex tempore caperent. Et Litvanos quidem tantum jam quantum antea nunquam exercitum in procinctu habere, & opportuno loco Cruciferos præſtolari. Promagiſter cum captivis per omnia fidem non haberet, homines certos emittit, qui & Litvanorum copias, & domeſticorum conſilia explorarent. Ubi a compluribus idem renunciatum eſſet, malum inteſtinum prævertendum ratus, exercitum reducit ſub ſpecie novas copias comparandi. Interim conjurationis Principes ſigillatim evocat, qui quidvis potius quam conſilia ſua detecta exiſtimabant. Eos Promagiſter ſigillatim inter ductores exercitus & fratres Ordinis ita diſtribuit, præcipuos etiam alæ ſuæ aſſcribit, ut omnis illis adempta facultas eſſet aliquid moliendi. Hoc modo per Pogeſaniam & Schalawoniam cum incederet, vulgus hominum, qui ad ſignum ſeditionis, jam pridem intenti erant, tam ſubitum Promagiſtri adventum vehementer primum admirari, deinde cum auctores ſuos & ad ipſius latus verſari, & paſſim in exercitu inter ductores incedere, minime jam dubitare, quin ipſimet conſilium mutaſſent ac propoſito deſtitiſſent, & ſic ultro cogitationem rerum novarum omnem abjicere. Hac prudentia Promagiſter conſpirationem deterrimam ſuppreſſit, & in eum annum Litvanicam expeditionem omittens finibus ſaltem contra hoſtium incurſiones communitis, domi rem ita compoſuit, auctoribus conſpirationis, alia atque alia de cauſa e medio ſublatis, ut ne metus quidem ullus ad cæteros perveniret, Promagiſtro autem in futura expeditione domi nulli motus eſſent pertimeſcendi.

1293. In Litvanos.

Anno ſequenti cum iisdem copiis Promagiſter Junigedam contendit, & agris circumcirca depopulatis arcem oppugnare aggreditur, cum expugnare nulla vi poſſet, vicina ſuburbia, alterum in monte, alterum in valle prope ſitum diripit ac incendit. Interim Litvani cum alio agmine Scalawoniorum urbem obſidione cingunt, ſperantes vel vi vel proditione ſe ea potituros. Neutrum ex ſententia ſucceſſit, quin imo ab erumpentibus oppreſſi, profligati, & fugati non paucos ex ſuis deſiderarunt. Promagiſter Junigeda diſcedens Piſtam arcem & oppidum improviſo opprimit, capit, diripit, incendit & magnam vim pecorum & hominum abducit. Eandem expeditionem ſequens etiam annus ex-

1294. cepit. Quoniam autem hoſtes nusquam aperto Marte congredi auderent, Promagiſter exercitum dividit & alterum agmen in territorium Paſtovum,

Paſtovum, alterum in Girſovum immittit. Ibi agri paſſim vaſtati, villæ incenſæ, præda ingens conquiſita, pauci mortalium cæſi vel capti, quoniam ad primum hoſtilis adventus rumorem plerique deſertis agris & pagis in ſylvas profugerant. Inde alia cauſa Promagiſtrum cum parte copiarum in Maſoviam pertraxit. Dux Boleslaus Wisnam arcem in finibus erexerat, in quam Litvani ipſo connivente receptum habebant, quoties Cruciferorum agros depopulati fuiſſent. Sæpius hac de re Promagiſter cum Duce egerat, ut vel arcem demoliretur, vel hoſtes inde ſuos excluderet. Cum precibus nihil hactenus profeciſſet, nunc tandem eo proficiſcitur, & arcem haud magno præſidio munitam capit & evertit. Interim Commandator Ragnitenſis Ludovicus de Libenzelle bellum contra Litvanos proſequitur. Cognoverat is ex captivis vicinum eſſe territorium Owſtechum, quod adhuc bello intactum erat, & in eo celeberrimum pagum, quem illi Romanium vocabant. Incolas omnes nobili genere natos pro ſanctis & Deorum miniſtris vulgo haberi. Nam & magicis artibus ſtudebant & diabolicis præſtigiis homines dementare conſueverant. Hunc pagum didicit non quidem procul a ripa Memelæ abeſſe, ſed eo loco ubi tum copias habebat propter denſiſſimas quæ interjacent ſylvas inacceſſibilem eſſe. Unde facile intelligebat adverſo flumine ſibi progrediendum eſſe. Extemplo ſcaphas, pontones, & rates, quantum ad deportandum militem ſufficeret, undique conquirit, & bidui itinere progreſſus non procul a Romanio copias exponit, inde per nemus opacum progreſſus in ipſum pagum incidit, quem continuo irrumpit, incolas omnes rerum omnium ignaros & imparatos ad internecionem cædit, ut ne nuncius quidem tantæ calamitatis ſupereſſet, nec illis vel ſanctitatis opinio vel deorum tutela profuit.

Wisna.

Romanium.

Samogithæ victi.

Vicinum erat territorium Pogandeinum, ubi Samogithæ arcem & oppidum habitabant, ac firmo præſidio communiverant. Ludovicus cum oppugnationem difficiliorem futuram animadverteret, ne diutius hærendum eſſet, ad pugnam hoſtes elicere quoquo modo ſtatuit. Itaque prædatum emittit aliquam copiarum partem, majorem in inſidiis, quæ eo loco erant aptiſſimæ, collocat. Qui emiſſi fuerant, circa arcem & oppidum ferro & incendiis graſſantur, prædas hominum & pecorum abigunt. Samogithæ vehementer indignari in conſpectu ſuo tantam ſibi injuriam inferri, tum animadvertentes, nequaquam tantam hoſtium multitudinem adeſſe, cui ipſi pares eſſe nequirent, capto ex tempore conſilio uno agmine omnes erumpunt. Illi primo aliquantum reſiſtere, mox ſenſim pedem referre, & quam minima poſſunt clade recedere, tandem ubi longe ab inſidiis aberant, totos in fugam ſe conjicere. Ibi Samogitæ effuſe inſequi, & injuriam ulturi, & prædam recuperaturi. Quamprimum locum inſidiarum prætergreſſi eſſent, Ludovicus a tergo erumpit, ac hoſtes invadit, qui in fuga erant & ipſi ſe convertunt, ita in medio hoſtes circumventi ſex tantum exceptis ad internecionem omnes cæduntur. Hac clade fracti Pogandinenſes ultro ſe Cruciferis dedunt, & oppidum pacate, pacto tributo, ut antea habitare jubentur. Eadem fortuna Ludovicus territorium Waikeinum, & totum illum tractum,

ctum, quem Samogitæ in ripa Memelæ incolebant, in poteſtatem redegit, & Cruciferis fecit tributarium. Deinde a Lithvanis duas munitiones cepit, unam quam Cidar appellabant, eamque a defenſoribus vacuam nactus eſt, alteram Kimel vi expugnatam ſolo æquavit, præſidiariis omnibus vel cæſis vel captis. Quibus omnibus proſpere peractis, Ludovicus maximam trahens prædam & ingentem captivorum numerum ſecum ducens domum revertitur.

Cidar. Kimel.

An. 1295. Natangiorum tumultus.

Dictum eſt ſupra, qua de cauſa Promagiſter arcem Wiſnam in Maſoviæ finibus everterit. Eam rem ægerrime ferebat Boleslaus Dux, itaque Litvanorum auxilium implorabat, utpote quorum præcipue cauſa arx everſa fuerat, & iisdem auxiliantibus eam reparare incipiebat. Promagiſter modis inceptum impedire conatus omnibus, ſubditis, qui arma per ætatem & ſexum ferre poſſent, expeditionem indicit. Sed quo minus mandato ſatisfieret, novum & inopinum malum obſtitit. Natangi enim communiter contra Cruciferos conſpiraverant (cauſam ejus conſpirationis annales non referunt) Duce quodam Sabino, homine impigro & magni ſpiritus & corporis prævalidi. Is alios ſui ſimiles oppidatim Duces præficit. Hi vicinis paſſim multum damni inferunt villas diripiunt, ac prædas agunt. Rumor erat, cum Litvanis & Maſoviis Natangos conſpiraſſe, & eorum auxilio in libertatem ſeſe vendicare cupere. Unum eorum agmen ab initio Barteſtenum arcem & oppidum proditione capit, arcis præfecto & præſidiariis captis & in vincula conjectis. Alii Schalawonios ſocios adſciſcunt, & cum iis in Sambiam irrumpunt, villas diripiunt, prædas pecorum & equorum abigunt. Alii alibi diſperſa manu eodem modo graſſantur. Quamprimum vero Commandator Regiomontanus ea de re certior factus eſt, tumultuario milite collecto in Natangos, ubi ex quibusdam captivis totum conſpirationis ordinem & factionum capita & auctores cognoſcit, eos potiſſimum perſequendos, multitudini autem parcendum ſtatuit, ne deeſſent qui agrum colerent. Vix dum rem aggredi cœperat, ecce Schalawonii ſubito pœnitentia ducti Commandatorem ſupplices adeunt, veniam orant, omnis prædæ reſtitutionem pollicentur, & deinceps in fide perpetuo ſe manſuros juramento promittunt, eaque lege veniam conſequuntur. Interim Promagiſter in Natangiam cum copiis advenerat. Ibi vero tumultuantibus animus deficere, nemo mutire, nedum in lucem cum telo prodire. Oppidatim ad pedes Promagiſtri projecti veniam petunt. Venia illis & multitudini data, auctores ſaltem dediti, vincti & ſupplicio affecti. His omnibus, uti rebantur, quiete compoſitis, cum Promagiſter & Commandator ad montem Regium contenderent, repente novus illis motus nunciatur. Sambienſes enim ruſtici vicatim coierant & in perniciem nobilium atque adeo totius Ordinis conjuraverant, Litvanos etiam in ſocietatem acciverant, ut Ordine prorſus deleto vel expulſo, perpetuæ ſocietatis jure cum Litvanis confœderarentur. Eam ad rem Ducem ſibi per tumultum creant virum alioquin induſtrium & manu promptum, Nandiottam Joduci, qui antequam Cruciferi provinciam ſubjugaverant, Sambienſium longe princeps habitus fuerat, filium, nunc ad ruſtici conditionem

Sambienſium ruſticorum motus.

Nandiotta Dux.

nem redactum. Is ut erat haud incallidus, cum facile ad animum adduceret, haud felicem ejus ſeditionis exitum futurum, imperium primo detrectare, deinde cum renuenti mortem minarentur, honorem eum magno animo ſuſcipere ſe ſimulat, gratias agit, quod dignum præ cæteris habuiſſent, conſilia ad bellum, ubi, quando, quibus copiis, auſpicandum publice proponit, certum diem deinde indicit, quo omnes viritim cum armis & equis ſibi præſto ſint. Fit undique apparatus, pro ſe quisque arma expedire, familiam, liberos, ſervos, armare. Interim dum illi de Duce ſuo nihil niſi magnum & egregium ſibi perſuadent, cum jam dies, quo conveniendum erat, inſtaret, Nandiotta clam ad Promagiſtrum & Commandatorem in montem Regium proficiſcitur, ruſticorum conſilia prodit, auctores ejus turbæ indicat, ubi locorum minimo negotio opprimi poſſint edocet. Illi vix gratiorem ullum tali tempore nuncium optare poterant. Itaque copiis diviſis duplici irruptione ſeditioſos invadunt, & nullo ordine rem gerentes, neque ducem habentes, facile profligant. Auctores ſeditionis paſſim comprehenſi, & ad ſupplicium abducti, multitudini venia data. Nandiotta in Nobilium Ordinem cooptatus, & prædiis ac Poſſeſſionibus, quas olim pater ejus habuerat, donatus.

Meſtvini obitus.

Dum hæc in Natangia & Sambia geruntur, eodem quo diximus 1295. anno, Gedani Meſtvinus Pomeraniæ Dux, qui ſine liberis decedens ante annos aliquot Primislao majoris Poloniæ Duci (qui jam Rex erat) Pomeraniam legaverat, inter homines eſſe deſiit. Acceſſionem Pomeraniæ Primislao maxime invidebant Marchiones Brandeburgenſes, quanquam ille ſororem illorum Bielſam (vel Eliſabetham) in matrimonio haberet, adeo ut illorum opera per ſicarios ex inſidiis, cum Bachanalia ageret, excubitoribus vino ſomnoque ſepultis interfectus, dicatur. Rem geſtam hiſce verbis Cromerus deſcribit: Premislaus, inquit, recens Rex deſignatus, quoniam Crucigerorum Pruſſienſium vicinitatem ſuſpectam habebat & moliri eos jam nonnihil de adipiſcendo Gedano (quod ipſi propter portus commoditatem ac transmarina commercia fructuoſius multo quam tunc erat, fieri a ſe poſſe intelligebant) quin potius ad Pomeraniæ totius dominatum aſpirare ſenſerat, munire Gedanum orſus eſt. Tam præclaros autem conatus ejus mors immatura præcidit, ſeptimo vel octavo regni ſuſcepti menſe. Mortis ejus auctores Marchiones Brandenburgenſes fuiſſe exiſtimantur, qui veteribus odiis incitati, & potentiam vicini & inimici Principis, novi regni & Pomeraniæ acceſſione auctam veriti, cum eum per dolum e medio tollere ſtatuiſſent, locum atque tempus ad peragendum facinus idoneum nacti ſunt, cum ille feſſum Reipublicæ curis atque negotiis animum apud Rogosnum Polonicum in vicinia Marchiæ Brandenburgenſis oppidum relaxaret, quod continentes ei loco ſylvæ jucundas venationes præbebant, tempore etiam ad id invitante, quo vulgo more ex priſca liberalium ſeu Bachanaliorum ſuperſtitione, majore licentia genio indulgetur. Ut igitur ibi eum ſecurum & incautum opprimerent, Otho longus Elector Marchiæ, cum Othone altero & Joanne, Conradi fratris filiis ex Conſtantia

Primislaus Meſtvini ſucceſſor cæſus.

Premisli ſorore ſuſceptis, & valida ſuorum manu nocturno itinere per ſylvas & avia profecti, diluculo ejus diei, qui cinerum eſt, armati locum circumdant, rati omnibus qui circa Regem erant, longa vigilia & crapula pridiana ſopitis, nihil ſibi negotii fore in peragendo ſcelere. Expergefactus tamen primo tumultu Premislus, nec ſubita & inopinata re conſternatus cum paucis, qui evigilarunt, in hoſtes ad ſe venientes, neſciens quinam quamque multi eſſent, inſiluit, & multis ſtrenui fortisque viri operibus in eos editis, cum unus omnium telis cominus eminusque peteretur, obrutus cecidit. Ibi diffugiunt Poloni, attollunt ſemianimem Regem Saxones, & equo imponunt, ut eum ſecum abducerent. Sed cum jactationem nullam ferre poſſe videretur, pugionibus immaniter confoſſum reliquere. Volunt nonnulli, quemadmodum Dlugoſſus memorat, Zarembas quosdam & Nalencios (equeſtres eæ ſunt apud Polonos familiæ) cædis Premisli, ſi non adjutores, conſcios certe quidem fuiſſe, quod ſeveriorem eum vindicem ſcelerum, & inhoneſtas parandæ rei familiaris rationes refrenantem non ferrent, manſiſſeque patrati ſceleris notam in his familiis, ut neque rubris veſtibus uti, neque inter equeſtres homines in acie conſiſtere eis liceret, usque ad id prælium, quo Caſimirus ſecundus Rex cum Ruſſis conflixit. Hæc Cromerus.

Meſtvini monumentum Oliveníe.

Meſtvini Ducis, qui ejus familiæ fuit ultimus, defuncti monumentum hoc, quod ſequitur, in Olivenſi monaſterio in hunc usque diem remanſit: Dux Suantepolcus moriens duos filios reliquit ſuperſtites, Meſtvinum ſeniorem & Wartislaum juniorem. Hunc Pomerani primum in dominum habere voluerunt, & ideo auxilio ipſorum Wartislaus fratrem ſuum cepit, & in Redzk eum tenuit vinculatum. Poſtea vero potiores milites Meſtvinum liberaverunt, fidelem ſibi ex tunc ac deinceps aſſiſtentiam facientes, Wartislaum autem perſequentes de terra Pomeraniæ fugaverunt. Qui fugiens in Elbingam peregre ibi demortuus eſt, ſicque dominus Meſtvinus hæreditatem progenitorum ſuorum, ducatum videlicet totius Pomeraniæ pacifice gubernavit. Et fuit monaſterio Olivenſi beneficus & multum favoroſus, libertates eidem & multas gratias conferendo. Hunc Ducem Meſtvinum, quia illegitime vixerat, & ſponſam Chriſti ſanctimonialem de cænobio Stolpenſi, Fulcam nomine, ſuo matrimonio adoptaverat, Deus privavit ſui ſeminis legitimo ſucceſſore, tanquam indignum, quamvis alias eſſet competenter dignus, & ideo tempore vitæ ſuæ jam ſenex deſignavit ſuum ſucceſſorem Dominum Primislum Ducem Poloniæ, cui milites Pomeraniæ vivente adhuc Domino Meſtwino homagium præſtiterunt. Tandem Dux Meſtwinus in ſenectute bona moritur, & in Oliva ſepulchro progenitorum ſuorum ſepelitur, anno Domini MCCXCV. octavo Calendas Januarii.

Premislai monumentum Olivenſe.

Poſt Meſtvinum ibidem ſubſequitur monumentum Premislai, quod hiſce verbis perſcriptum eſt: Premislaus Dux Regni Poloniæ in Gdanſk veniens, & Ducatum totius Pomeraniæ ſibi per Ducem Meſtwinum reſignatum ſuſcipiens, ipſam civitatem Gdanſk plancis muniri procurat. Qui poſt hæc coronam Regni Poloniæ a ſede Apoſtolica conſecutus,

cutus, uno tantum anno ſupervixit, captusque per ſatellites Woldemirii Marchionis de Brandenburg occiſus eſt in ultionem ſanctæ Lucardis conjugis ſuæ, quam ille male ſuſpectam habens, fecerat jugulari. Iſte fuit monaſterio huic Dominus gratioſus. Nam omnes poſſeſſiones, quas habuit ex donatione priorum Principum ei ſuis privilegiis confirmavit.

Hactenus habent Olivenſia monumenta.

An. 1297. Anno deinceps 1297. magnus Magiſter Conradus de Feuchtwang anno regiminis ſeptimo diem functus eſt Pragæ, Drogewitii ſepultus. Livoniæ Promagiſtri. Ejus tempore Promagiſtri Livoniam gubernarunt anno 1294. Heinricus von Dumpshagen & biennio poſt Bruno, cujus deinde mentio facienda erit. XI. Gotfridus Comes de Hohenloh. In locum defuncti Conradi ſuffectus eſt magnus Magiſter undecimus Gotfridus Comes de Hohenloh, cujus meminit Lazius de migrationibus Gentium lib. ſeptimo, eamque Comitum familiam locat in finibus Franconiæ, Wirtenbergiæ & Nariſcorum, eodem anno quo Cæſar Adolphus Comes Naſſovienſis, a ſucceſſore Cæſare Alberto primo Auſtriaco in acie cæſus eſt, ſtatu Regni Poloniæ tum admodum perturbato, cum poſt Premisli cædem Vladislaus Locticus ad regnum denuo revocaretur, denuo autem repudiaretur, & Wenceslaus Boëmus Rex Poloniæ crearetur, cui poſt ſextum tandem annum Vladislaus iterum ſucceſſit, & regnum deinceps quietum obtinuit. Eodem quo diximus anno bellum in Livonia cœpit inteſtinum, & utrique parti vehementer damnoſum inter ordinem Gladiferorum, qui jam dudum eum Cruciferis eadem utebantur profeſſione, eodemque imperio tenebantur, adverſus Archipræſulem Joannem von der Fechte & Clerum ac civitatem Rigenſes. Hi enim cum Litvanis & gentilibus adverſus ordinem conſpiraverant, eorumque ope Ordinem maxime infeſtabant. Quo facto commotus Promagiſter Bruno fratres ordinis ad defenſionem armat. Concurſum dicitur acie prope Villam Treiden, ubi Clerus & cives Rigenſes adjuvantibus Litvanis victoriam adepti fuerint, & Promagiſtrum Brunonem, ac ſexaginta fratres Ordinis præter ſtipendiarios milites ceciderint, eaque victoria elati arcem Ordinis Novum Molendinum oppugnaverint, inde autem repulſi fuerint, ibique ultra quadringentos Rigenſium partim cæſi ſint, partim fluvio perierint. Hæc in Livonicis annalibus totidem fere verbis recenſentur. Verum Petrus Duisburgenſis, qui per ætatem bellum iſtud attingere potuit (etenim ipſius Commentarii trigeſimo circiter poſt hoc bellum anno finiuntur) ſcribit, tantam fuiſſe tum utrinque animorum exacerbationem, ut intra ſesquiannum novies conflixerint, nunc hoc nunc illo victore: intra id tempus Vithen Litvanorum Regem (ſic enim hunc nuncupat) a Rigenſibus auxilio fuiſſe accerſitum, qui arcem Ordinis Newkirchhauſen, quaſi dicas Eccleſiæ novæ domum, vi ceperit & ibidem, longe lateque omnia diripuerit, vaſtaverit, & multos mortales captivos abduxerit: Recedentis autem cum præda veſtigiis Brunonem repente inſtitiſſe, & ad amnem Dreideram prælio commiſſo tria millia captivorum fuiſſe recepta, & octingentos Litvanos interfectos:

Livonienſe bellum.

ctos: Tandem cum Vithene victoriam ſtetiſſe, & Brunonem cum duobus & viginti fratribus ejus Ordinis ac mille quingentis militibus Chriſtianis fortiter nec inultum quidem occubuiſſe.

Livoniæ Magiſter.

Poſt cædem Brunonis Livoniæ Promagiſtri præfectus fuit Gotfridus, cujus agnomen oblivioni traditum, qui & ipſe hujus inteſtini belli haud exiguam molem ſuſtinuit. Enimvero poſt cladem quam diximus acceptam, ut auctor eſt idem Petrus Duisburgenſis, Promagiſter Pruſſiæ Bertoldum Commandatarium Regiomantanum cum ingentibus copiis in Livoniam auxiliatum miſit. Is Rigenſes & eorum ſocios Novum Molendinum arcem ſumma vi oppugnantes invaſit & illorum plus quam quatuor millia cecidit. Neque diu poſt aliud Litvanorum agmen in Pruſſiam irrupit. Hi Strasburgum oppidum diripuerunt, partim captivos abduxerunt. Eos copiis ilico contractis inſecutus Conradus Sack præfectus terræ Culmenſis, & nocte intempeſta adeptus ad internecionem occidit & captivos cum omni præda recuperavit.

Strasburgum direptum.

An. 1299. Promagiſter Pruſſiæ. 14.

Anno 1299. diem functo Promagiſtro Mangoldo Querfurtenſi in locum ejus ſubſtituitur, quartus decimus provincialis Pruſſiæ Magiſter Ludovicus de Schippen, qui vix annum unum rebus præfuit, quo Litvani iterum in Natangiam irruperunt, agros vaſtarunt, & multos mortales in ſervitutem abduxerunt. Priusquam damnum daretur, Cuno Commandatarius Brandenburgenſis de hoſtium adventu certior factus haud impiger copias non exiguas collegerat, quibus hoſtes facile ſe repulſurum exiſtimabat. Ubi ad fines pervenit, hoſtis nullus apparet, dimiſſis paſſim exploratoribus, cum ii ne veſtigium quidem ullius hoſtis renunciarent, vanum ad ſe rumorem perlatum exiſtimans copias dimittit, ipſe domum revertitur. Hoc ipſo Litvani clam explorato, tum demum irrumpunt, & ad populationem agrorum & prædarum rapinam convertuntur. cum nemo jam eſſet, qui vim arcere vel reſiſtere poſſet.

1300. Promagiſter Pruſſiæ. 15.

Anno ſequenti poſt deceſſum Ludovici quintus decimus Pruſſiæ Promagiſter dictus eſt Helwigus de Goltbach, qui & ipſe unico tantum anno officium geſſit, quod anno exacto ſponte reſignavit & in Germaniam ad res domeſticas profectus eſt. Initio regiminis ejus ſeptuaginta ſeptem Litvani homines omnium audaciſſimi & plane vitæ prodigi villam Glottow in agro Varmienſi adoriuntur, diripiunt, ac homines cum pecoribus abducunt. De quo certior factus Walterus de Goldin præfectus Commandatoriæ Brandenburgenſis, ilico tumultuariis copiis collectis prædonum antevertit viam, qua illis redeundum eſſe ſciebat, cum cætera itinera ob frequentes autumni pluvias aquis paſſim eſſent oppleta, ibi ſecuros opprimit, & omnibus cæſis, tribus ſaltem exceptis, quibus fuga ſaluti fuit, prædam & captivos recipit. Interim Cruciferi ex arce Ragnito in Litvanorum territorium Oukaym populabundi excurrunt, ſex villas diripiunt, incendunt, & cum levia aliquot prælia cum Litvanis prædam recipere tentantibus, feliciter commiſiſſent, res abactas in pacatum abducunt.

Oukaym vaſtatur.

Eodem

Litvani Dobrinum invadunt.

Eodem tempore Litvani cum exercitu ſex millium Dobrinum invadunt, & agrum omnem crudeliter depopulantur, multis mortalium millibus partim trucidatis partim in ſervitutem abductis. Ex iis domum revertentibus centum equites vel nimio prædandi ſtudio vel audaciæ oſtentandæ cauſa ab exercitu ſecedentes, Drewantiam flumen tranſeunt, & in agro Culmenſi pagos duos diripiunt, ſed concurſu ad conclamationem agreſtium facto ſeptuaginta ex illis trucidantur, cæteri per flumen elapſi, & præcipiti fuga ad exercitum procurrentes tantum terroris ſecum intulerunt, ut omnes Cruciferorum copias inſequi exiſtimarent. Itaque raptim ad Narevum fluvium contendentes, dum quilibet tranſitum præoccupare nititur, multum prædæ præ ſtudio accelerandi relictum, multi etiam hominum mutuo incurſu in fluvio perierunt.

An. 1301. Promagiſter Pruſſiæ. 16. Oukaym Caſtrum dolo captum.

Anno deinceps ſequenti ſextus decimus Pruſſiæ Promagiſter, Conradus Sack, cujus regiminis initio Litvanorum arx & munitio Oukaym haud poſtrema Cruciferis proditione tradita fuit, eo quidem auctore, quem illi ne ſperare quidem auſi fuiſſent. Erat ibi in præſidio quidam ex proceribus Litvanorum Draiko, qui vel inſtinctu divino peculiari, vel ut quidam autumant, quod jam antea nonnihil religione Chriſtiana fuerit imbutus, cogitare ſecum ſubinde cœpit, quonam pacto gentilem Idolorum ſuperſtitionem projicere, & ad meliorem veri Dei cultum accedere poſſet. Cum aliquandiu in omnes partes animum verſaſſet, tandem conſilium, quod ſibi maxime ſequendum eſſet explicat. Filium natu majorem ejusdem ſecum nominis clam ad Volratum Commandatorem Ragnitenſem emittit, utque ſe & familiam in ſocietatem & amicitiam recipiat petit, munitionem Oukaym absque magno labore ſe traditurum in manus ſpondet, ac quo magis fidem dictis habeat, filium obſidem usque ad rei eventum retineat permittit. Volratus minime ſibi in tanta rei gerendæ opportunitate ceſſandum ratus, copias contrahit, & tantas quidem, ut etiamſi proditio ſubeſſet, aperto nihilominus Marte cum hoſtibus congredi haud dubitaret. Militibus omnibus quam optime inſtructis ex condicto ad munitionem pervenit ea nocte, qua Draikoni & ejus cohorti excubiæ agendæ erant. Is adventu Volrati percepto continuo portam aperit, ingreditur cum milite Volratus, omnes quicunque arma ferrent, vel obſiſterent trucidati, inter quos Sudarus etiam alter Draikonis filius, qui contra patris interdictum temere cubiculo egreſſus fuerat, occiditur. Capta arce & oppido vicino, Cruciferi maximam prædam captivorum hominum, equorum, pecudum abducunt, Draikoni & ejus familiæ res ſuas integras relinquunt, arcem & oppidum diruunt & complanant, Draiko cum familia Ragnitum deductus baptizatur. Mechovita ſcribit, bina vice caſtrum Oukaym proditum, ſemel a Dracolito iterum a Swirtilo. Hac adepta victoria, Conradus etiam Promagiſter Litvanos acerbiſſime infeſtare cœpit, & primum quidem territorium Carſovum continuis cladibus ac deprædationibus afflixit. Litvani interim alibi qua poterant reſiſtere, alibi munitionibus ſe defendere, interdum etiam in vicinas Cruciferorum ditiones irrumpere ac prædas agere, ſic totum ferme triennium utrinque popu-

Carſow.

lationibus datum, & levibus ut plurimum præliis res acta, nunquam alicubi acie depugnatum, vel memorabile quidpiam geſtum.

An. 1303. Terræ motus prodigioſus.

Inter cætera, quæ tum accidiſſe putantur, rem miram commemorat Petrus Duisburgenſis, quod anno 1303. die ante Idus menſis Auguſti ſexta, hora tertia poſt meridiem tantus fuerit per totam Pruſſiam terræ motus, ut paſſim ædificia tribus intervallis adeo vehementer concuterentur, ut homines nullibi pedibus conſiſtere vel erecti ſtare potuerint. Et quoniam hanc rem præter naturam accidiſſe putat, quod Pruſſia terræ motibus minime ſit obnoxia, loco miraculi ponendam cenſet, quo inſequentia bella & tumultus, quæ plurimum Cruciferos exercuerunt, portenderentur.

1304. Expeditio in Litvaniam.

Anno ſequenti ex Germania ſubſidium Ordini miſſum fuit peroportune, ductore Wernero Comite Hohemburgenſi, cui ſe Barones quidam & complures nobiles viri voluntariis armis adjunxerant. Cum hac manu Commandator Regiomontanus, Eberhardus Vinnenburgenſis, ſuis copiis conſociatis iterum in Litvaniam irrumpit, & territoria Pograndum & Garthinum longe lateque devaſtat, ac ingentem prædam nanciſcitur. Litvani collectis ſubitariis copiis continuo abeuntium veſtigia inſequuntur, rati ſe rerum omnium ſecuros facile oppreſſuros. Sed aliter evenit. Cruciferi enim cum a tergo Litvanos inſequi animadverterent, ſignis ſubito converſis impetum in eos faciunt. Nec diu reſtiterunt Litvani, haud magno negotio fuſi fugatique, ex primoribus, quos illi Bajarones vocant, ſeptendecim cæſi, ex vulgo reliquo mille circiter & quingenti deſiderati. Cruciferi capto mox ex tempore conſilio ad majorem hoſtibus terrorem incutiendum, fugientes rurſum inſequuntur, cum tumultus hic paſſim in agris homines exciret, & palantes ut plurimum ad oppidum Gartinum peramplum confugerent, Cruciferi veſtigia fugientium urgentes, magno clamore, majori impetu, oppidum irrumpunt, a cæde, quod oppidani ultro ſupplices ſe dederent, temperatum, oppidum prædæ militibus datum, ingens vis hominum ac pecorum abacta, oppidum dirutum. Arx etiam oppido imminens a Cruciferis tentata, ſed quod valido præſidio munita erat, capi nequivit. Ita re infecta diſceſſum. Mechovita auctor eſt, quod Promagiſter Heinricus Plocenſis (cui ille expeditionem hanc, ſed perperam adſcribit) arcem primo impetu ceperit, ac incenderit, deinde Commandator Regiomontanus denuo eo proficiſcens eandem funditus exſcindere voluerit, interim autem Litvani arcem receperint ac recens communiverint, ſic ut illi re infecta fuerit diſcedendum.

1307.

Anno deinceps 1307. poſtquam Conradus Promagiſter ſexennium officio præfuiſſet, & jam illum continuorum cum Litvanis bellorum tæderet, quod non magnum in iis fructum animadverteret, atque adeo infinita futura perſpiceret, Magiſtratu ſe abdicavit, & deinceps quietiorem vitam amplexus in arce Golubenſi, quam ipſe condiderat, conſenuit. In ejus locum ſubſtituitur Heinricus Plocenſis, qui Promagiſtrorum

giſtrorum Pruſſiæ fuit ultimus. Eodem anno Livoniæ pro Magiſtro præficitur Conradus de Jocke, vir admodum bellicoſus, qui Pleſcovium urbem a Ruſſis cepit, diripuit, & inſignem omnis generis prædam ibi nactus eſt, eoque pacto Ruſſi ad petendas inducias volentes nolentes compulſi. Heinrico Plocenſi, quamprimum Magiſtratum iniit, ex Germania cum haud contemnendis copiis ſubvenerunt, Heinricus Bavariæ Dux, Ioannes Comes Spanheimenſis, & aliquot Barones. Hi cum Promagiſtro expeditionem in Litvaniam aggreſſi, territorium Carſow vaſtant & depopulantur, nemine uſpiam vel defendente vel obſiſtente. Interim Volradus Commandator Ragnitenſis cum ſuis copiis adverſo flumine navigans, arcem & oppidum Putenikam invadit, oppidum primo inſultu captum & direptum, arx ne quidem tentata eſt. Recedentibus Cruciferis Litvani oppidum reſtaurant, majores copias eo contrahunt. Poſt meſſem cum frumenta jam ex agris in oppidum & arcem eſſent comportata, Volratus de improviſo cum majori militum manu revertitur, oppidum irrumpit, diripit, ac incendio conſumit, major Litvanorum pars cæſa, cæteri cum conjugibus ac liberis in Pruſſiam abducti. Arx etiam tum demum capta per proditionem Spudonis cujusdam, qui in famulatu præfecti arcis erat. Huic cum præfectus ſuſpendium minatus fuiſſet, ille ſibi potius quam patriæ conſulendum ratus, compoſitis dolis, nocte intempeſta Cruciferis portam aperit, ita dum omnes ferme ſomno conſopiti ſunt, ingens præſidiariorum cædes edita, arx incendio conſumta & ſolo æquata.

Promagiſter Pruſſiæ ultimus.

Livoniæ Promagiſter.

Expeditio in Litvaniam.

Putenicam.

Dum hæc ad Putenikam aguntur, Promagiſter & Bavariæ Dux Vielunum petunt, quod caſtrum erat territorii Carſowienſis longe munitiſſimum. Cum iſtud prima oppugnatione Cruciferi capere non poſſent, munitiones binas, quarum alteram Fridburgum (quaſi pacis caſtrum) alteram in Ducis honorem Bavariam nuncupabant, ſubitario opere & vallo adverſum erigunt, undererum inopia coactos tandem præſidiarios expugnari poſſe credebant, omni commeatu intercepto. Qua re comperta Gediminus magnus Litvaniæ Dux (erat is pater vel anteceſſor Vitenis, aut certe Litvanici exercitus præfectus ſummus, non alter Gediminus, qui Vithenen occidit, prout Mechovita perperam aſſerit (dubio procul ejusdem nominis errore deceptus) cum de ſuorum conſtantia dubitaret, eam vero arcem eripi ſibi & ad interiora inde aditum hoſtibus patefieri vehementer metueret, ingenti exercitu conſcripto ad Cruciferorum munitiones contendit, ut iis expugnatis vi ad obſeſſos perrumperet. Neque ſegnes erant milites ejus ad oppugnandum, neque Cruciferis animi deerant ad defendendum. Continuata jam fuerat arcium oppugnatio diebus viginti duobus, neque perrumpi poterat, neque Cruciferis integrum erat rei ſummam prælio committere. Gediminus ſemel debellandum exiſtimans, dato ad quietem militibus tempore, copias omnes iterum educit, & utramque arcem corona circumdat. Egregie & fortiter Cruciferi quisque ſtationem ſuam tuentur, multi Litvanorum incautius ſubeuntes trucidantur, Gediminus novos ſubinde milites ſubmittit ipſemet undique circumequitare, nunc virtutem militum hortari, nunc inertiam incuſare, omnibus animum ad-

Vielunum obſeſſum.

Gediminus Litvaniæ Dux.

Gediminus cæſus.

dere: interim ignea ſagitta a Cruciferis compoſito in illum emiſſa per dorſum transfixus illico animam exhalat. Cæſo Duce, quaſi ſignum receptui datum eſſet, Litvani continuo oppugnationem deſerunt, vaſa conclamant, & inordinato agmine non una via, ſed quo quemque impetus tulerat, abſcedunt, Cruciferi poſtremum agmen carpentes non paucos interficiunt. Mox etiam Velunenſes obſeſſi cum famem diutius tolerare nequirent, deditionem faciunt, dedititii omnes in Pruſſiam

Carſowienſe territorium vaſtatum.

tranſlati, caſtrum dirutum ac ſolo æquatum. Reſtabant in territorio Carſowienſi duæ munitiones, Scroneitum & Biveratum. Eas cum præſidiarii defendi vel retineri poſſe deſperarent, rebus omnibus ſecum aſportatis hoſti vacuas relinquunt. Promagiſter eos diruit ac flammis abſumit. Et ſic territorium iſtud ab eo tempore in hodiernum usque diem iſtorum bellorum injuria devaſtatum permanſit, nec deinceps cultum, ſed arboribus ac feris conceſſum fuit.

An. 1309.

Anno deinceps ſupra milleſimum trecenteſimo nono magnus Magiſter Gotfridus in Pruſſiam veniens, Elbingæ Conventu fratrum Ordinis publice habito, propter ſenium & ingraveſcentem ætatem, cum in duodecimum annum imperio Ordinis præfuiſſet, Magiſtratu ſe abdica-

Sigfridus de Feuchtwangen.

vit. Sublectus eſt in ejus locum Sigfridus de Feuchtwangen in eo ordine duodecimus, Imperatore ſeptimo Heinrico Lucelburgenſi, & Rege Vladislao Loctico tertium jam aſſumpto. Hic Sigfridus Heinricum Promagiſtrum ultimum, officio mutato, Commandatorem magnum (alii Comitem magnum perperam interpretati ſunt) quaſi præfectum prætorio nuncupavit, cum adhoc usque tempus Pruſſia per Magiſtros provinciales gubernata fuiſſet annos circiter octoginta. Sigfridus enim primus omnium ſedem & domicilium Magiſtri magni Venetiis Mariæburgum in Pruſſiam tranſtulit. Hic etiam Sigfridus non tantum armis rem Cruciferorum augere, ſed legibus etiam publicis ſtabilire conatus eſt. Eas, quoniam & memoratu dignæ ſunt, & quaſi fontes earum legum, quibus etiam hodie, plerisque ſaltem, in Pruſſia vivimus vel vivere certe debebamus, ſummatim hic recenſere non abs re videtur. Conſtituit in primis: Ne quis Judæus, magus, incantator, ſtellio vel ethnicus cujuscunque ſectæ in ditionibus Ordinis tolerarentur, neve pro Civibus aut inquilinis reciperentur, receptatoribus eandem quam illis pœnam irrogando: Ut qui Prutenos bello captos in famulatu vel ſervitio haberent, juberent ac cogerent eos feriatis diebus ſacris intereſſe, & fidei Chriſtianæ initiari: Neve gentili Pruſſorum lingua ferme cum illis colloquerentur, ſed Germanicæ quam omnino poſſent adſuefacerent: Ne quis Prutenus bello captus in quacunque provincia, caſtro, oppido vel pago ad ullum publicum munus admitteretur, neve cui illorum tabernam vel cauponam exercere fas eſſet, ſed ut omnes illi agrum tantum colerent, & rei pecuariæ operam darent: Ut ſervorum & ancillarum merces pro ſervientium conditione certo pretio circumſcriberetur: Ut domino fas eſſet ſervum fugitivum ubicunque locorum perſequi, & ubicunque deprehenſum clavo per aurem trajecto affigere, & domum nemine moram faciente reducere: Ut Domini ſervis, quos ante condictum tempus ſine

XII. Magiſter generalis.

Sigfridi Conſtitutiones.

ſine illorum culpa dimiſiſſent vel expuliſſent, integram mercedem condicti temporis exſoluere tenerentur: Ut omnes, qui ſine labore & certa victus ratione in otio & deſidia viverent, vel mendicato victum quærerent, finibus exterminarentur: Ut res omnes, quæ vendibiles ſunt, in foro publico venum exponerentur, neve clandeſtinæ vel furtivæ commercationes fierent, nec ulli propolæ annonam onerarent: Ut ſumptuariæ leges in nuptiis, conviviis, natalitiis epulis firmiter ab omnibus obſervarentur: Ut omnes opifices operas ſuas, ſuo quilibet peculiari charactere inſignirent, quo cuilibet appareret, quid quis male vel perperam eſſet operatus: Ut mulctæ pecuniariæ, quæ a corporibus & collegiis opificum exiguntur, non in commeſſationes & ſymbola converterentur, ſed ex iis arma & tela unicuique contubernio in uſum publicum compararentur: Ut diebus feriatis contractus profani non coirentur, neve commercationes publice aut privatim fierent, & ſi quæ factæ fuiſſent, pro irritis haberentur: Ut neque nobiles neque pagani mercaturam exercerent, neque cereviſiam coquerent venalem, ſed ſua quisque conditione rem familiarem facerent: Ut ſervos & colonos fugitivos nemo reciperet, aleret, occultaret: Ut pecudes agro colendo vel rei familiari tuendæ deſtinatas, nullius debiti colore vel prætextu detinere vel pignori capere, ducere jus fasque eſſet: Ut nemo ſylvam exſcinderet vendendorum lignorum cauſa, niſi agrum eodem loco culturus: Ut cuique liceret de damno injuria dato recte reſarciendo ad arbitros, viros bonos a quocunque judice provocare: Ut ſingulis annis fines inſpicerentur, regerentur, & qui corrupti vel moti fuiſſent reſtituerentur: Ut nemo aleam vel chartas luderet, aut ludentes receptaret, etiam minimo lucro propoſito: Ut prætores pagani ſtato die parochiales decimas in ſacerdotis uſum exigerent & contumaces absque provocatione punirent: Ut Epiſcopi tertio quoquo anno profectionem ſuſciperent, ad convertendos gentiles & paganos, & ad eccleſiarum ſtatum reſtaurandum: Ut in omnibus civitatibus, oppidis & pagis Conſtitutiones publicæ quotannis promulgarentur.

Hujus Sigfridi tempore Cruciferi cum Pruſſiam omnem obtinerent, ad eam quoque Pomeraniæ partem, quæ in ripa Viſtulæ citeriori nobis ſita eſt, animum adjicere cœperunt, eo ſcilicet prætextu, quod hæreditas Vartiſlai, qui Suantepolci filius natu minor fuerat, ad Ordinem ſpectaret. Itaque mortuo Meſtvino, qui jam antea Mevenſi territorio ab ipſis mulctatus erat, varia inter ſe contulerant conſilia, totum eum tractum ab agro Stolpenſi usque ad Viſtulam occupandi & cum Pruſſia conjungendi, ſed quia occaſio deerat, hactenus quidem ea conſilia clam habebant. Interim etiam Poloni & Marchiones Brandenburgenſes Waldemarus & Joannes, Pomerelliam impetebant, & utrinque infeſtis armis eam ſibi vendicabant, Vladislaus Locticus inprimis, qui eam Pomeraniæ partem Premiſlao legatam eodem ad ſe jure pertinere volebat. Ac Marchiones quidem jam antea cum exercitu Pomeraniam ingreſſi plerasque omnes ejus regionis munitiones partim per deditionem acceperant, partim expugnaverant. Ad Gedanum deinde caſtra admota

Cruciferi Pomeraniæ inhiant.

Arx & civitas Gedanenſis.

mota ſunt, & oppidani cum magna jam ex parte Teutones eſſent, & cum Teutonibus plurima haberent commercia portas urbis aperuerunt. Arcem tenebat Vladislai nomine Boguſſa Judex Pomeraniæ terreſtris cum præſidio Pomeraniæ nobilitatis. Is veritus ne obſeſſi extrema pati cogerentur, neve aut moleſtia diuturnæ obſidionis fracti, aut largitione corrupti arcem hoſti dederent, maximis itineribus ad Regem excurrit, repertumque Sandomiriæ de ſtatu rerum & periculo Gedanenſis arcis edocet, & auxilia obnixe petit. Pollicetur Vladislaus brevi ſe iis adfuturum. Sed quia tardius id fore judicabat Boguſſa, quam præſens neceſſitas poſtulabat, pro tempore conſilium Vladiſlao ſuggerit, ut Cruciferorum opera ad defendendam arcem tantisper uteretur, quoad ipſe bellum commodius adminiſtrare poſſet. Approbat conſilium Vladislaus, extemploque Boguſſa cum mandatis Regiis ad Sigfridum Pruſſiæ Magiſtrum proficiſcitur. Dato concilio commemorat Polonorum & maxime Vladislai majorum in Cruciferos beneficia, pro iis unam illam gratiam poſtulat, ut arcem Gedanenſem adverſus Marchiones defendendam ſuſcipiant, non immemorem nec ingratum erga ipſos futurum Vladislaum. Prolixe illi omnia polliciti, conſtituunt cum Boguſſa, ut dimidiam arcem ipſi tenerent, & annum integrum ſuis ſumptibus defenderent, deinceps vero poſt exactum annum quæcunque impendia feciſſent, ea Vladiſlao expenſa ferrent, nec prius arce decederent, quam exſoluta illa ſibi eſſent: damnorum vero ſi quæ acciperent ratio nulla duceretur. Erant pacta amica dignamque religione & profeſſione homi-

Cruciferi in arcem Gedanenſis recepti.

num erga patronos gratitudinem ac pietatem præ ſe ferebant. His igitur conditionibus in arcem recepti, magnam vim commeatus ſecum important. Ac munera domiciliaque cum Pomeranis quemadmodum convenerat partiti, non habebant ſatis defendere munitionem, ſed crebris eruptionibus hoſtem laceſſebant, ita ut is in oppidum ſe recipere cogeretur, & ad extremum inſtante hyeme obſidionem ſolveret, relictoque oppidanis aliquanto præſidio diſcederet. Verum oppidum quoque non ita multo poſt expugnatum & præſidium interfectum eſt, ac de auctoribus defectionis ſumptum ſupplicium. Marchione hunc in modum abacto, Cruciferi impenſas belli ſibi reſtitui poſtulant. Cum Boguſſa quod daret, non haberet, Vladiſlaus etiam alibi eſſet occupatus, Cruciferi plures armatos in arcem ad ſe recipiunt, & cum ſuperiores ſe jam eſſe Pomeranis animadverterent, iterum de refundendis impenſis multo quam antea ferocius inſtant, ad extremum totam ſibi arcem vendicant, & primores nobilitatis Pomeranicæ ipſumque præfectum arcis, Boguſſam, in carcerem conjiciunt. Qua neceſſitate adductus Boguſſa nova cum ipſis init pacta, nimirum ut totam eis arcem concederet, ipſi vero eam Vladiſlao ad primam ejus petitionem redderent, cum is belli impenſas eis exſolviſſet. Ea erat ſumma centum millium marcarum latis quod vocant groſſis Bohëmicis exſolvendarum. Vladiſlaus Rex ubi rem geſtam accepit, pœnitere cœpit illum prioris conſilii, voluit tamen quamprimum ea de re tranſigere. Et hanc ob cauſam, cum Sigfrido loco & die condictis convenit. Commemorat majorum ſuorum beneficia in Ordinem eum collata, exprobrat deinde ingratitudinem & perfidiam in

Civitas Regi dedita.

Cruciferi arcem occupant.

eripien-

eripienda arce Gedanenſi, & avaritiam in poſtulandis impenſis. Monet ut ſincere ſecum agat, & rem omnem ad arbitrium bonorum rejiciat. Magiſter Sigfridus vehementer iſthac exprobratione commotus, ſummam ſibi injuriam fieri oſtendit, arcem Gedanenſem iis ſe ſervaſſe, qui ipſimet defendere non poterant, nunc impenſis etiam Regem ex pacto debitis defraudare ſe velle, exprobrat viciſſim inopiam rei pecuniariæ, quod ſcilicet tantus Rex tantillum pecuniæ nequiret exſolvere. Sic per ſummam utrinque offenſionem abrupto colloquio re infecta diſceditur. Cruciferi continuo cum Marchionibus pactum ineunt, ut quicquid Marchiones in Pomerania occupaſſent, ſuo jure ſibi haberent, Cruciferos autem in acquirendis Gedano, Dirſavia & Swece oppidis non impedirent. Eo pacto decem millia marcarum Brandenburgenſium Marchionibus exſoluta literis proditum eſt. Tandem etiam venditio talis interceſſit, qua Cruciferi totam eam Pomeraniæ partem a Marchione Waldemaro, quanquam is, ut Polonici Scriptores tradunt, tum in eam parum juris haberet, centenis millibus marcis latorum groſſorum emerunt. Ea venditio ſive vera ſive ſimulata fuit, ſumma iſthæc certe quæ in emptionem venit, Cruciferorum impenſas in ſolam arcem Gedanenſem factas vel uno nummo adæquat. Et extant ejus venditionis literæ, quæ ſcriptæ reperiuntur in vigilia beati Jacobi Apoſtoli anno ſupra milleſimum trecenteſimum undecimo. Pacto utcunque convento, ſatis conſtat civitatem Gedanenſem in ipſis nundinis Dominicis proditione captam ac direptam, atque inde coloniam e veteri oppido eductam, quaſi novam ad Motlæ fluvii ripam melioribus auſpiciis per Cruciferos tranſlatam fuiſſe, quo in loco etiam hodie principalis urbs communita cernitur. Derſchavia, quod arx nec militibus nec commeatu ſatis eſſet munita, præfecto Caſimiro ſub prandii ſpecie per dolum in Caſtris detento, continuo dedita eſt, Swece per vim expugnata. Horum trium oppidorum expugnationem aliquanto prolixius pro inſtituto ſuo recenſens Cromerus, Deinde (inquit) Crucigeri ad Gedanenſe oppidum, quod in poteſtate Vladiſlai erat, & a Pomeranica nobilitate defendebatur, caſtra admovent, eo potiſſimum tempore quo plurima eo multitudo hominum undique ad mercatum & anniverſarias nundinas confluxerat, hoc eſt primis Auguſti menſis diebus. Idque eo maxime conſilio fecere, ut ex direptione opulenti oppidi & mercatorum atque nobilitatis, quæ facultates ſuas, eo importarat, pecuniam in ſtipendia militum & in cæteros uſus belli conquirerent. Defendebatur quidem oppidum ſtrenue, plurimumque negotii in expugnando eo habituri eſſe videbantur Crucigeri, ni proditio interveniſſet. Etenim nocte quadam hoſtes a civibus quibusdam Teutonici generis aperta porta intromiſſi, oppidum ceperunt, ingentemque cædem hominum omnis Ordinis, ætatis atque ſexus ediderunt, ut eo crudelitatis exemplo reliquos a defenſione cæterarum munitionum deterrerent. Nec in ulla munitionis cujuspiam expugnatione plus Polonici ſanguinis effuſum eſſe proditur ab ullis barbaris, quam tunc a religioſis illis & Polonorum beneficiariis effuſum ſit. Gedano potiti ad Derſchaviam, quæ Tſciovum appellatur a Polonis, ducunt exercitum, neque tamen interim populationibus & incendiis pagorum & villarum homi-

Pomeraniæ emptio.

Gedanum captum.

An. 1311.

Gedanum proditione a Cruciferis occupatum.

Derſavia obſeſſa & dedita.

numque

numque cædibus abſtinent. Præerat arci Caſimirus Dux, cui cum Præmiſlo fratre Pomeraniam a Vladiſlao commendatam fuiſſe ſuperius memoravimus. Is igitur de adventu hoſtium factus certior ad caſtra eorum cum Vincentio Decano Gnesnenſi proficiſcitur quod non parva ei erat cum Cruciferis & Magiſtro conſuetudo. Sperabat enim eos ſua cauſa ſuſceptum bellum depoſituros eſſe, propterea quod meminerat, prolixe eos ſibi fratrique ſuo de ſtudio & benevolentia ſua polliceri. Admiſſus in conſpectum Magiſtri & Commandatorum (nam ſic ipſi vocant eos, qui rectius legati vel præfecti dicerentur) ſupplicis habitu, Magiſtri erga ſe fratremque Præmiſlum benevolentiam atque pollicitationes commemorat. Ejus hortatu ſe adminiſtrationem Pomeraniæ ſuſcepiſſe, nihil unquam hoſtile, ſed bonam vicinitatem & auxilium ab eo ſperare juſſos. Orat deinde ut pollicitationum ſuarum & officii memor eſſe velit, exercitumque deducat. Si quid ipſe fraterve ſuus aut Pomeranorum quisquam, aut patruus denique ſuus Vladiſlaus in eum vel Ordinem Crucigerorum deliquiſſet, cumulate ſatisfacturum eſſe. Superbe & improbe ei Magiſter reſpondit, faſſus ea, quæ ille commemoraverat, verum eo id ſe feciſſe, quod ipſos quam potentiorem quempiam vicinum habere mallet. Nunc ſe quam illos Pomeraniam obtinere malle, ſibi ſe amiciorem eſſe quam ipſis. Verum eam tamen ſe eis gratiam facere, ut eis præſidium deducere, & res ſuas ſalvas auferre liceat, aut ſi id nollent, ſeſe ſuaque defenderent. His dictis menſam apponi jubet, invitat hominem comitesque comiter. Dum illi prandent, interim exercitus Crucigericus arcem obſidione cinxit. Peracto prandio cum Caſimirus nihil æqui a Magiſtro impetraret, & in arcem cum ſuis reverti vellet, videt aditum obſeſſum ab hoſtibus. Mittit ad Magiſtrum, qui eum admoneant præter officium & jus gentium id ſibi factum videri, quod interim dum ipſe de pace agit arx obſeſſa ſit, & ipſe ab ea excludatur. Reſpondet Magiſter, erraſſe Caſimirum, ſi exiſtimarit ſe cum tanto exercitu ad quietem ſomnumque capiendum eo veniſſe, ullumque tempus vacuum a rebus gerendis intermiſſurum eſſe, donec Pomeraniam in ſuam redigat poteſtatem. Si ille ſibi auſcultare vellet, arcem ſibi deducto præſidio rebusque exportatis traderet. Ibi Caſimirus cum ſciret arcem non ſatis munitam eſſe adverſus tantam vim hoſtium, neque commeatu inſtructam, conſilium cepit dedendæ arcis, ſalvisque rebus & hominibus ad Præmislum fratrem in Suecenſem arcem ſe contulit. At Cruciferi Derſavia incenſa ulterius progreſſi Novum, Choiniciam & alia quædam ignobilia oppida, partim per deditionem acceperunt, partim expugnata exuſſe-

Suece oppidum obſeſſum ac direptum.

runt. Deinde ad Suece caſtra moverunt, quæ una erat arx reliqua in Pomerania, natura arteque bene munita, & ad ferendam longiorem obſidionem inſtructa, quod in eam ſe Præmiſlus & Caſimirus Duces & Pomeranica nobilitas omnis, quæ ſupererat cum copiis & facultatibus ſuis contuliſſent. Quod cum intelligerent Crucigeri, majore cura ad expugnationem ejus animos intendere cœperunt, excitatisque machinis aliquot mœnia arcis, quæ lignea ſed limo oblita erant, quatere inſtituerunt. Ac duobus patibulis e regione arcis poſitis exitium obſeſſis, ni arcem dederent, minabantur. Quo vero majorem terrorem eis incuterent, quotidie aliquot ruſticanos homines captos appendebant. Nihil tamen Crucigerorum illa crudelitas minæque, eorum, qui in præſidio erant, animos a defendenda arce & obſidione perferenda retardabat. Crucigeri cum animadverterent, ſedendo ſe tempus terere, & aperta vi nihil proficere, ad dolos ſeſe convertunt. Andream Cedrovicium quempiam de Pomeranis auro corrumpunt, ut arcem ſibi proderet. Is autem nocte quadam chordis catapultarum & baliſtarum, quibus noſtri maxime hoſtium vim eminus reprimebant, ſucciſis, ad Cruciferos transfugit, & quid egerit, exponit. Igitur poſtero die Crucigeri magna fiducia turres, quas excitarant, ad mœnia arcis propius provolvunt ab ea parte, quæ interrupto fluminis ambitu liberiorem præbebat aditum. Noſtri cum ſummovere hoſtem ſolito ferocius urgentem oppugnationem vellent, reperiunt baliſtas & catapultas redditas eſſe inutiles. Re nova perculſi, tamen oblatis fortuito telis extremum conatum faciunt, & partim contis mœnia ſcandentes hoſtes detrudunt, partim ſaxis & molibus dejectis audacius ſuccedentes obruunt, ita ut receptui canere Magiſter cogeretur. At noſtri periculi ejus diei admoniti, ac veriti, ne gravius in ſe a Crucigeris capta arce conſuleretur, miſſo caduceatore menſtruas inducias a Crucigeris impetrarunt, deditionem pacti, ni ſibi intra id tempus ſubveniretur. Vladiſlaum de omnibus rebus certiorem faciunt, niſi celeriter opem ſibi ferat, actum eſſe de ſe ac de arce docent. At ille cum domi quietas res non haberet, Andream Roſpirenſem Caſtellanum cum aliquanta manu in auxilium Pomeranis proficiſci jubet, ut bellum modo duceret. Verum is negligentius agens, neque auſus per hoſtilem exercitum in arcem perrumpere, priusquam conſpexiſſet hoſtem retro abiit. Finitis induciis cum nulla ſpes auxilii obſeſſis oſtentaretur, poſt ſeptuageſimum obſidionis diem excedunt arce Præmiſlus & Caſimirus Duces cum Bogumilo præfecto arcis & Ottone Lexico Caſtellano, atque omni præſidio armisque & facultatibus ſuis ad Vladiſlaum profecti, humane ab eo recreati ſunt. Hæc Cromerus. Atque hoc maxime modo Cruciferi Pomerelliam omnem occuparunt, & deinceps pro ſua mordicus defenderunt, ad id usque tempus, quo hæc cum cætera Pruſſia Cruciferis ejectis ad Poloniæ Regnum reverſa fuit.

Dum hæc ibi geruntur, eodem quo proxime diximus, anno, Vithenes magnus Litvaniæ Dux cum ingenti exercitu Sambiam & Natangiam ingreſſus, omnia ferro ac igni devaſtavit, homines quam plurimos paſſim trucidavit, & circiter quingentos cum eximia præda captivos ſecum abduxit. Quanquam non pauci militum ejus ſpe prædæ a ſignis longius dilapſi & hinc inde palantes a ruſticanis & colonis oppreſſi & cæſi fuerint. Re comperta Sigfridus continuo Cruciferos ad arma vocat, & quantas omnino copias poteſt celeriter cogit, cum quibus Commandatorem Regiomontanum Fridericum de Wildemberge Litvanos perſequi jubet, ipſe aliam manum inſuper colligit, quæ alio loco in Litvaniam viciſſim impreſſionem faceret. Litvani jam Cruciferorum fines exceſſerant, & ideo ſecuriores erant, quam ut hoſtem ſubſequi ſuſpicarentur. Ad prædam igitur dividendam animum adjiciunt. Vithenes militi

An. 1311. Vithenis irruptio.

militi epulum præbet, agunt Diis ſuis pro re bene geſta magnas gratias, partem prædæ more ſuo tam homines quam pecudes immolant, deinde ad commeſſationes ſe parant, & nullis excubiis diſpoſitis tanquam in pacato diſcumbunt. Hoc tam hilari rerum ſtatu repente Cruciferi interveniunt, & magnam Litvanorum partem, priusquam ad arma venire poſſent, primo impetu trucidant, deinde aliquandiu pugna fuit, mox cædes inter medias dapes & pocula, tandem Litvani fuſi & fugati, Vithenes ipſe parum abfuit, quin in Cruciferorum poteſtatem deveniret, niſi pernicis equi curſu ſeſe proripuiſſet. Sic non ſolum captivi & omnis præda recepta, ſed etiam ex hoſtibus arma & equi quam plurimi capti, territorium etiam iſtud fœde vaſtatum tantam obtulit prædam, ut Cruciferi Litvanis non ſolum parem cladem intuliſſe, ſed etiam cum inſigni lucro ultionem exercuiſſe viderentur. Altera manus Duce Ottone de Monte ex Natangia iter faciens, quod viarum ignorantia in errorem prolapſa hoſtem non reperiſſet, in territorium Gartinum populabunda pervaſit, & agris vaſtatis ac præda nonnulla parta, paulo poſt retro ceſſit. Haud diuturna fuit hæc victoria Sigfrido, qui paulo poſt tertio nonas Martii diem obiit Mariemburgi, in Culmenſeh ſepultus, cum jam tertium annum Magiſtratui præeſſet. Veruntamen tam brevi tempore eas res geſſit, quas vix alius Magiſter plurium annorum ſpatio proſpere geſſiſſe reperitur. Hunc Polonici ſcriptores improbitatis & crudelitatis elogio maxime commendant. Unde Cromerus: Facile, inquit, omnes alios Sigfridus (ubi tamen repente ex Magiſtro Commendatorem eum facit) optimus ſcilicet pietatis & humanitatis præceptor, nam & hoc ſibi nomen vindicant, crudelitate anteibat, qui quotidie pluribus funibus atque reſtibus in equum impoſitis devovebat, non prius ſe ſumpturum eſſe cibum, quam omnes illos funes atque reſtes in ſuſpendendis Polonis ſive Pomeranis expendiſſet. Verum hanc ejus plus quam barbaricam immanitatem juſta numinis vindicta diutius impune graſſari paſſa non eſt. Etenim quadam die, cum ad focum adſtaret furiis derepente exagitatus in ignem ſe projecit, & ſic infelix, qui permultos injuſte perdiderat, juſte periit. Hæc Cromerus. Addunt alii de funeſta illius morte, quaſi malus Dæmon illum in ignem conjecerit, ac mirabili more concremaverit. Cum una dierum (inquit Mechovita) ad focum ſtaret, corpus calefaciens, & ſua flagitia efferret, ſubito a Dæmone correptus jugulatus eſt, & tandem in ignem projectus, ut qui alios ſuſpenſione jugulabat, ipſe jugulatus in igne, non in terra, incendio abſumeretur. Hæc ille. Neutrum apud alios auctores, quibus fides haberi merito debeat, usquam relatum invenio, niſi quod hoc etiam æque, ut alia hujus generis, ut aſſolet fieri, ex affectu ſcribentium proficisci potuiſſe exiſtimaverim. Annales Pruſſici, quotquot ego vidi, in eo conſentiunt, Sigfridum naturali morte conſumptum in eo ſaltem diſſentiunt, quod alii dyſenteria alii apoplexia mortuum ſcribunt.

Litvani oppreſſi.

Sigfridi obitus.

Vithenis irruptio.

Quamprimum Vithenes de morte Sigfridi compertum habuit, quaſi unius hominis fortuna res Cruciferorum ſtaret, denuo cum quatuor millibus Pruſſiam ingreſſus, repente Sambiam & Natangiam pervaſtavit, & inter cæteram prædam circiter mille quadringentas mulieres &

& fœminas abduxit. Cum domum ſe reciperet in ſylva quadam ſtativa habuit, ubi & prædam recognoſceret, & miles poſt aliquot dierum continua itinera quieſceret. Ipſe paſſim captivos, uti vincti ſtabant vel jacebant, contemptim percontatus, num Chriſtiani eſſent? ubinam Deus illorum, qui eis in ea calamitate opem ferret nullam? tum hoſtiam ſacram ex pretioſo loculo, quem illi ex templo quodam rapuerant, depromptam humi abjecit, & pedibus proculcavit, exprobrans Chriſtianis, quam nihil Deus illorum eſſet panaceus. Et hæc quidem ille per blasphemiam profudit, ignarus Deo nunquam vel rationem vel locum deeſſe Numinis ſui injuriam ab hoſtibus ſuis vindicandi. Quæ quidem vindicta pari ferme exitu cum ſuperiori expeditione, majori etiam cum clade in promptu fuit. Priusquam enim Vithenes rem ſentiret, magnus Commandator cum octoginta Cruciferis & duobus millibus equitum ſupervenit, & a tergo hoſtem cædere cœpit. Vithenes uti animus illi nunquam in periculo deerat, minime fugam ut antea circumſpectare, ſed ſuos inſtruere, ordines circumire, hortari ad pugnam, ipſe manu promptiſſima primus in hoſtem ferri. Fit atrox pugna, non aliter atque pro focis & aris utrinque dimicaretur. In ipſo prælii fervore captivi alter alterum vinculis liberant, & arreptis cæſorum armis ipſi quoque hoſtem invadunt, nec viri ſolum, ſed etiam mulieres in aciem ruere, nec ſecus ac viri de ſuo tergo decertare. Fuſi tandem fugatique Litvani, in fuga plurimi trucidati, nonnulli capti, Vithenes in adverſo capite graviter vulneratus, cum duobus fugæ comitibus per nota itinerum compendia in pacatum evaſit. Et auctor eſt Mechovita, neminem ex eo prælio præter Ducem & duos comites evaſiſſe. Tantus in altera parte vindictæ ardor erat, ut ne quidem a captivis temperaretur, ſed eorum aliqui ferro obtruncati, alii paludibus ſubmerſi, alii ab arboribus ſuſpenſi fuerint. Ob cujus victoriæ memoriam, ex præda Cruciferi Veſtalium virginum Cœnobium Torunii extruxerunt. Haud diu poſt iterum in Litvanos duplici agmine itum eſt. Gebhardus Comes Mansfeldenſis, tum Commandator Brandenburgenſis, in territorium Pograndum irruptionem fecit, & devaſtatis agris citato agmine receſſit. Heinricus Plocenſis Magnus Commandator territorium Salſenicum ferro & igne devaſtavit, tria caſtra incendio abſumſit & multis Litvanorum occiſis ſeptingentos in captivitatem abduxit.

Vithenis exercitus fuſus.

Pograndum.

Salſenicum.

Sigfridus ſucceſſorem habuit Carolum Beffart, nobilem Trevirenſem, tertium decimum Ordinis Magiſtrum generalem, Imperatore Heinrico ſeptimo, & Rege Poloniæ Vladiſlao Loctico. Reipublicæ præfuit annos tredecim, difficilia geſſit bella cum Litvanis, domi interim maximis moleſtiis afflictus. Nam præterquam quod Commandator Gedanenſis David de Kammerſtein, qui in electione magni Magiſtri a Sigfrido uno ſaltem voto ſuperatus erat, manifeſtas cum eo ſimultates exerceret, & res novas moliretur, inſtigante etiam Archiepiſcopo Rigenſi, qui cum Poloniæ Epiſcopis in eum conjuraverat, Avenionem evocatus, & adverſariorum opera plurimis ſimul litibus diu divexatus fuit, donec tandem ipſemet, præſens coram Joanne viceſimo ſecundo Pontifice, cauſam

An. 1312. XIII. Carolus Beffart Trevirenſis.

Ordinis sui dixerit ac vicerit eo maxime adminiculo, quod Italicæ linguæ non secus ac Germanicæ peritus esset. Avenione reversus Viennæ in Austria rebus humanis exemptus est.

Pestis & fames inauditæ.

Initio regiminis ejus, quod alii in annum tertium referunt, gravis pestilentia Prussiam vehementissime vexavit, passim autem colonos ad necem rapuit, sic ut agris desertis & incultis, sementis & frugibus etiam continuo imbre corruptis, sequentis anni maxima fuerit omnium rerum quæ ad victum pertinent, penuria, caritas, & inde fames inter paganos & fortunæ tenuioris homines tanta, quantam vix ulla secula meminerunt, & nisi plurimi scriptores, quos sequimur, quique ea privatim etiam & diligenter annotarunt, plane fidem adhiberem, ipse nec aliis, ut crederent, persuadere vellem. Scribunt, homines extrema fame coactos, fures sententiam passos ex patibulo detractos, & recens sepulta cadavera mox effossa comedisse, sæpius etiam alterum ab altero, fame ad eam crudelitatem impellente, trucidatum & devoratum esse, exemplum profecto famis & inopiæ maxime abominandum, liberos a parentibus quod panem, quem flagitabant, præbere nequirent, calentibus balneis inclusos ac necatos, non raro etiam in solatium famis adhibitos fuisse. Referunt annales Livonici, quod Rusticanus quidam Estensis in pago Pugget patrem suum interfecerit, & coquendi ac comedendi ergo in frusta conciderit. Adeo fames omnem naturæ pietatem & storgen præoccupaverat. Sed is in facinore deprehensus & extremis suppliciis excruciatus fuit. Ac duravit ea fames per Prussiam & Livoniam integro ferme triennio, intra quod temporis spatium innumeri mortales inedia perierunt. Cæterum non desunt etiam exteri Historici, qui commemorant eodem tempore eandem famem per pleraque regna, atque adeo per totum orbem terrarum quasi generatim pervagatam fuisse, & inde rationem colligunt, quod intra paucos publicæ famis ejus annos haud dubie tertia pars omnium in terris hominum absumpta fuerit. Quæ certe res si fidem auctorum meretur, equidem tam miseram & omni commiseratione dignissimam, mortalium conditionem & cladem, non ex astrorum influxu, nec cælestium corporum operatione, quam omnibus fastis Astrologi prætendere solent, sed ex justissimo Dei judicio, innumera scelera punientis absque astrorum præscripto provenire potius crediderim. Mirum autem & illud dictu est, quanta post triennalem eam in Prussia famem, deinde subsecuta fuerit annonæ vilitas, adeo ut memoriæ proditum sit, post famem integrum onus frumenti (quod sexaginta modiis circumscribitur) tribus marcis Prutenicis sive duobus florenis Polonicis vendibile fuisse, cum in fame unus saltem modius octodecim marcis sive duodecim florenis ægre & vixdum potuerit comparari. Sed æque hoc divinæ bonitati atque illud justitiæ adscribemus.

Vilitas annonæ.

An. 1313. Christmemela constructa.

Anno 1313. Magister magnus Christmemelam ad ripam Memelæ supra Ragnitum construxit, & connexis navibus ponte fluvium stravit, quo commodius & opus expediret & Litvanos, si impedire structuram vellent, propelleret. Barbari non tam castri extructionem quam subitaneum

taneum & navalem pontem, qualem nunquam viderant, admirabantur. Interim aliunde cladis aliquid acceptum est, quoniam naves haud paucæ commeatu, milite, armis & aliis rebus ad novum castrum instruendum necessariis oneratæ, vi ventorum in mari, priusquam portum tenerent, fractæ & submersæ sunt. In iis quatuor fratres Ordinis & cæterorum quadringenti viri perierunt.

Bisena frustra tentatur.

Castro perfecto Carolus Magister exercitum ducit contra munitionem Litvanorum Bisenam, classe interim adverso flumine tendente, qua pedites & alia ad oppugnationem idonea subvehebantur. Acriter quidem munitio oppugnata fuit, multi etiam utrinque cæsi, re tamen infecta & fortissimis quibusque militum amissis Cruciferi loco cesserunt.

Cruciferi cæduntur.

Minus etiam felicior fuit Werneri Commandatoris Ragnitensis expeditio, qui classe comparata inter cæteras navem unam habebat onerariam, insignis magnitudinis, vallo, pluteis & propugnaculis instructam. Hac ratione passim milite expositio prædas ad classem convehebat. Si qui hostium insequerentur, statim miles ad classem se recipiebat, ubi contra omnem hostium impressionem sola ea navis pro muro erat. Cum hoc modo Wernerus impune grassatus esset, & jam se reciperet, Vithenes Ducem Surminum cum centum circiter navibus & scaphis immittit, qui Cruciferos usque ad arcem Memelam persecutus, ibidem cum eis prælium committit, & præter cæteras inhanc unam navem maxime invadit, cum Cruciferorum milites fortiter aliquandiu restitissent, donec tandem funis, quo navis in ripa fuerat alligata, rumperetur, & ita navis nullo certo gubernaculo deferretur, undique circumventi, ad unum omnes cæsi sunt. Cæteri passim dissipati & in fugam conjecti, navis illa magna cum cæteris, quæ capi potuerunt, incendio consumpta.

Captura halecis evanuit.

Eodem anno scribunt Petrus Duisburgensis & alii, captum halecis in littore Prussico evanuisse, cum antehac ibi fuisset abundantissimus. Cæterum etiam alibi compertum est, piscem eum nonnunquam transire & locum mutare.

An. 1314. Medenicum.

Vixdum novus initus fuerat annus, cum Magnus Commandator cum exercitu in Litvanorum territorium Medenicum impressionem fecit, & omnem agrum passim depopulatus ingentem prædam domum retulit. Castrum autem ejus territorii capere non poterat. Mense Februario deinde cum majoribus copiis ad castrum reversus summa vi oppugnare cœpit, sed parum profecit. Itaque cum integram pene æstatem frustra, ibi sedendo tempus trivisset, & non paucos milites amisisset, alibi meliorem se fortunam inventurum sperans, initio autumni obsidionem solvit, & in territorium Kriwitzum, quod adhuc intactum & ideo ex recenti præda magis fructuosum futurum erat. Expugnat ibi Novogrodum, pro more gentis satis tum opulentum, & omni præda capta, & incolis deditis, flamma injecta in cinerem redegit. Inde populabundus

Kriwitz.

Novogrodum.

ad interiora penetrat, & nemine reſiſtente hominum & pecorum vim innumeram capit. Cæterum tanta erat captivorum multitudo, ut in reditu nihil prius quam defectum annonæ ſentirent. Nam ut auctor eſt Mechovita, ultra centum milliaria in hoſticum proceſſerant, in reditu, nihil erat commeatus, nam quæ prius ferri agi ſecum non poterant, ea omnia corruperant. Itaque ob inediam plurimi captivi relicti, pecora & jumenta complura paſſim dilapſa. Una ſaltem in re ſpem extremam repoſitam habebant, quod commeatum ex Pruſſia exportatum, ac deinceps prædam prima impreſſione collectam, loco tuto cum impedimentis & præſidio reliquerant. Nam in agrum hoſtilem intrantes, & quod injuria belli nondum eo penetraverat, omnia habituri eſſent integra & copioſa, nolebant commeatum eo ubi abunde per ſe eſſet importare. Nunc cum nimia vaſtatione ſibi ipſis in reditu omnia deteriora feciſſent, quam tum poterant agmine citato, fugientibus quam iter agentibus ſimiliores ſe recipiebant, & in ea feſtinatione multi fame & frigore ſubinde deſiderabantur, multi præſertim pedites itineris continuatione defatigati mox inedia peribant. Cum eo tandem perveniſſent, ubi commeatum & impedimenta primum relinquerant, ibi omnia demum adverſa & mœroris plena compererunt. Litvani Garthenſes rem omnem per exploratores cognoverant, & præſidio cæſo circiter mille quingentos & triginta equos, jumenta & pecora cum omni commeatu abſtulerant. Tum demum milites ab ordinibus & ſignis catervatim dilabi, qua quisque proximo itineris compendio in pacatum ſe venturos ſperabant. Pauci equites cum Magno Commandatore metu magis hoſtium, ne palantes ſinguli facilius opprimerentur, quam ſponte ſua remanſerunt, ſed hi quoque in tertium usque diem inediam pati cogebantur, interim equos aliquot mactabant, ac panis loco herbis & pomis ſylveſtribus veſcebantur. Enim vero & horum non pauci & eorum complures, qui dilapſi fuerant, partim fame enecti, partim ab hoſte cæſi, perierunt, ſic ut nusquam alias Cruciferorum milites miſeriori conditione & prope deplorata ex hoſtico revertiſſe proditum ſit.

Cruciferorum calamitas.

An. 1315. Samogetæ ad Ragnitum.

Anno ſequenti circa feſtum Aſſumptionis Mariæ, Litvani coacto, ex Samogetis exercitu, priusquam Cruciferi quidquam præſentirent, Ragnitum obſidione cingunt. Qui in præſidio erant, eruptione facta cum hoſte confligunt, ſed quod numero longe ſuperabantur, paulatim ſe recipiunt, nonnullis deſideratis, plurimis vulneratis, tutius exiſtimantes a mœnibus hoſtem arcere, quam in campo a multitudine ſuperari. Et ſane hoſtes non erant expugnandæ munitioni pares, itaque ad populationem converſi omnem circa agrum & Schalawoniæ provinciam devaſtantes prædis inde abactis domum revertuntur. Vithenes eo comperto, quod Samogethæ tanto cum exercitu tam parum profeciſſent, ipſemet majoribus copiis & apparatu bellico inſtructus, in Pruſſiam contendit, & arcem Chriſtmemelam obſidet. Inter cætera inſtrumenta advexerat machinas duas ingentis magnitudinis, quibus veluti fundis ſaxa ingentia rotabantur. Et baliſtarum ingens erat numerus. Quibus fretus oppugnationem ſeptendecim diebus continuabat. Interim Cruciferi cum

Vithenes ad Memelam.

cum præſidiariis militibus fortiter reſiſtebant, ſed cum metuerent, ne dum ipſi in dies deficerent, contra tantam multitudinem (rumor enim erat, Vithenem ſexaginta millia hominum in armis habere) mœnia tueri non poſſent, cives omnes cum tormentis, familiis & rebus ſuis in arcem transferunt, oppidum diruunt ac incendunt: Litvani quantum poſſunt incendium reſtinguunt, ut ad obſidendam arcem tutiorem haberent ſtationem. Interim aliquot naves cum militibus & commeatu in ſubſidium obſeſſis ſubmittuntur, ſed cum præ multitudine hoſtium nusquam appellere poſſent, qui advecti fuerant, partim ab hoſtibus circumventi & trucidati, partim infecta re diſcedere coacti ſunt. Hoc rerum ſtatu ab exploratoribus Vitheni nunciatur, Magiſtrum magnum cum ſex millibus Germanorum equitum, & ingentibus peditum copiis, quas e Germania acciverat, adventare, non ſolum ut obſeſſis opem ferret, ſed etiam aperto Marte fortunam vel ſuam vel hoſtium, ſi congredi auderent, experiretur. Vithenes qui utriusque vires probe perpenderet, ac ſatis intelligeret inconditam ſuorum multitudinem, levibus præliis quam ſtatariæ pugnæ aptiorem, Germanos etiam milites ipſis maxime formidoloſos eſſe, acie decertandum ſibi non exiſtimavit, ſed repente foſſam arcis ſtramentis, virgultis, fœno, lignis, & alia materia ad ignem concipiendum idonea repleri ac incendi jubet, exiſtimans hoc modo arcem incendio ſe deleturum. Sed præſidiarii, quamvis eorum non pauci flammarum vi perirent, tam prompte tamen & audacter & igni & hoſti reſiſtebant, ut Litvani re prorſus infecta diſcedere, & majores baliſtas relinquere cogerentur. Magiſter cum copiis ſuis ſuperveniens, ubi Litvanos obſidione ſoluta diſceſſiſſe cognovit, nonnihil eos inſecutus extremum agmen carpere cœpit, & in eo complures interfecit. Sed cum eo celerius cæteri procederent, inter ſylvas & loca incognita diutius inſequendum non ratus, copias in territorium Junigedam convertit, ubi arcem cum ſuburbiis cepit ac diruit, homines & pecudes abduxit, deinde Chriſtmemelam reverſus civitatem reſtauravit, in oppida & pagos ab hoſtibus incenſos cives ac colonos reduxit, & dimiſſis copiis ſatis actum hac expeditione cenſuit, quod & obſeſſis in tempore opem tuliſſet, & eum Vitheni metum injeciſſet, ne ſecum acie congredi tanto exercitu ſtipatus, auſus fuiſſet.

Sequentes deinceps aliquot anni mutuis irruptionibus & agrorum populationibus ferme conſumpti ſunt, qua quisque urere & prædas agere poterat. Eoque pacto Litvanorum territoria Paſtow, Medenick, Biſena, Gedemin, Piſtinum, denuo devaſtata fuerunt, arces dirutæ, pagi incenſi, quamvis interim Cruciferis omnia non impune cederent, & ſæpius in pecoribus abigendis fortiſſimi cujusque militis jacturam paterentur. Quæ omnia particulatim perſequi, plus tædii lectori quam utilitatis, fuerit allaturum. Duo ſaltem in iis tumultuariis excurſionibus acciderunt, quæ hoc loco commemorare haud abs re fuerit. Commandator Magnus juſſu Magiſtri, non exiguis copiis ex Sambia, Natangia & Barthenia contractis, in Litvaniæ territorium Waykam contendebat. Id ubi Vithenes mature per exploratores cognovit, per inſidias id inceptum antevertendum ſtatuit. Itaque circiter centum millibus armatis

Eruptiones variæ.

Cruciferi magnum evitant malum.

matis per nota ſylvarum itinera progrediens, locum quendam idoneum occupat, qua Cruciferis tranſeundum erat, quos nocturno tempore de improviſo opprimi & ad internecionem deleri poſſe ſperabat. Exploratum habebat intra triduum illos eo venturos, ibique eos ſollicite exſpectabat. Cruciferi nihil prorſus de hoſtibus cognoverant, & facile potuiſſent circumveniri ſi tantum fortunæ, quantum animi conſiliique Vithenes habuiſſet. Biduo ante quam Cruciferi ad locum inſidiarum acceſſuri eſſent, ingruente nocte in caſtris illorum tanta exorta fuit tempeſtas tonitru, fulguribus, & vi ventorum inter ſe commiſta, ut præter hominum terrorem etiam equi abruptis loris undique e caſtris ſe proriperent, & hinc inde per ſylvas libere diſcurrerent. Cruciferi optima ſuæ fiduciæ parte, equis ſcilicet privati, rem in omen verterunt, ac quantum poterant diſperſim domum contenderunt. Neque tum ſane ſciebant, quantum effugiſſent infortunium. Nam ſi eo rerum ſtatu hoſtis ſuperveniſſet, procul dubio penitus de illis actum fuerat. Vithenes cum triduo Cruciferos præſtolatus fuiſſet, & mox ab exploratoribus cognoſceret, illos retro ceſſiſſe, neque tamen cauſam intelligeret, ipſe quoque in pacatum ſe recepit.

Cruciferi cæſi.

Triennio poſt idem Commandator Magnus Heinricus Plotzke novo collecto exercitu cum quadraginta fratribus Ordinis in territorium Samogetarum Medenickam expeditionem fecit, ubi primum agmen ingens damnum dedit, & maximum incolis terrorem incuſſit. Sed ea res paulo poſt in Cruciferorum calamitatem converſa fuit. Etenim Samogetæ & Litvani collectis ſubito quantis poterant copiis, nunc agmen oſtentare, nunc retrocedere, donec hoſtes in locum ſibi opportunum pertraxiſſent, interim in anguſtiis ſylvarum, qua redeundum erat Cruciferis, arbores ſuccidunt. Inde retro cedentibus ſumma vi inſtant, donec ad anguſtias perventum eſſet. Cruciferi prædam ante ſe agebant, in tergo hærentem hoſtem ſentiebant, ex ſtrage arborum nusquam ſe expedire poterant. Ibi a lateribus & tergo circumventi quantumvis fortiter reſiſterent, defeſſi tandem labore & itineris & pugnæ, quod pauci cum multis & recentibus dimicabant, victi & ad unum cæſi ſunt. Deſiderati ſunt inter cæteros triginta fratres Ordinis, & inter illos una Commandator Magnus, reliqui ferme omnes capti, paucis per anguſtias effugium patuit. Ex primoribus in hoſtium poteſtatem devenit præfectus Sambienſis Gerhardus Rode, quem ſplendidiſſimis armis indutum & equo inſidentem Litvani pro victoria, quam adepti fuerant, Diis ſuis ſuo more immolarunt, & vivum concremarunt.

An. 1322. Nova Cruciferorum eruptio.

Biennio poſt in Pruſſiam advenerunt Dux Schweidnicenſis Bernardus, & Comites nonnulli Juliacenſis, Lichtenbergenſis, Hatzkerodenſis, & quidam Boëmici generis, quorum nomina ſcriptores non commemorant, & Baro Fridericus de Wildemberg, cum copiis egregie inſtructis ad ſuppetias Cruciferis contra Litvanos ferendas. His ſociis Cruciferi Duce Mareſcallo generali in territoria Varcken, Ruſiggen, & Klogen, impetum faciunt, multos hoſtium, qui reſiſtere audebant, trucidant,

cidant, cæteros captivos cum ingenti præda abducunt. Deinde arcem Piſten deditione capiunt, incolæ datis obſidibus, & jurejurando, ſe poſthac in Cruciferorum poteſtate manſuros, agrorum & villarum vaſtationes tum quidem averterunt. Sed paulo poſt a Litvanorum Duce coacti ſunt Cruciferis fidem reſignare.

Litvani in Livoniam.

Eodem tempore Litvani in Livoniam irruperunt, & diſtrictum Torpatenſem crudeliter & immaniter adeo pervaſtarunt, ut præter complures cæſos, quinque Chriſtianorum millia in miſeram ſervitutem ſecum abduxerint. Hanc cladem ulturi Cruciferi Livonienſes, licet hyems ſubeſſet, ingentem cogunt exercitum & in Litvaniam ducunt. Cæterum tanta ſubito incidit hyemis ſævitia, quantam homines memoria repetere non poterant, qua plurimi milites inconſueto frigore perierunt, ut neceſſario cogerentur Cruciferi hoſticum relinquere. Scribunt eam vim ejus hyemis fuiſſe, ut pleræque arbores frugiferæ in Livonia & Pruſſia præſertim in locis maritimis, frigore victæ, exaruerint, nonnullæ poſt aliquot demum annos ad frugem redierint.

David Garthinenſis.

Hoc autem frigore minime abſterritus fuit Litvanorum præfectus Garthinenſis David, quin in Livoniam denuo irrumperet, & agrum Revalienſem, Hargenſem, & Wirlandenſem, qui tum in Regis Daniæ ditione erat, pervaſtaret, oppida, monaſteria, villas, quaqua verſum diriperet, incenderet, multos mortales ferro abſumeret, plures captivos, cum omnis generis præda abduceret.

Litvanorum eruptiones.

Alia ex parte Litvani & Samogetæ in Pruſſiam excurrunt, oppidum Memelam, excepta arce, & tres alias arces in vicinia capiunt, diripiunt, ac incendunt. Inde in territorium Welavienſe progreſſi ſex villas pervaſtant, homines & pecudes abigunt. Occurrit quidem illis præfectus Tapiawenſis, ſed longe viribus impar, itaque cum omnibus ſuis copiis conciditur. Hoc rerum ſucceſſu elati Litvani in Dobrinenſem diſtrictum, qui tum ad viduam Ducis Maſoviæ pertinebat, pervadunt, arcem provinciæ Dobrinum & alia quædam oppida cum villis diripiunt, & circiter ſex hominum millia aut trucidant aut captivos abducunt. Sunt auctores, qui affirment, intra hoc biennium ultra viginti millia Chriſtianorum a Litvanis & Samogetis cæſa partim, partim in ſervitutem abducta. Eodem impetu & furore in Maſoviam penetrant, Pultoviam oppidum Epiſcopale cum centum triginta pagis & triginta templis exurunt, & circiter quatuor hominum millia in prædam abripiunt. Quibus rebus adductus Poloniæ Rex Vladiſlaus Locticus pacem & amicitiam cum eis contraxit, nimirum ut illorum auxilio cæteris ſuis hoſtibus, Ducibus Maſoviæ, Marchionibus Brandenburgicis & Cruciferis Pruſſiæ, adverſus quos jam pridem bellum coquebat, facilius reſiſteret. Fœdus in eam rem factum, ut Gedimini Ducis filia Regis filio nuberet, ac dotis nomine Gediminus omnes captivos Regis ſubditos cum rebus ſuis libere reſtitueret. Hic eſt Gediminus, qui magni Ducis Vithenis ſtabuli Magiſter fuerat, & interfecto domino Vithene, Ducatu & uxore ejus, quæ & ipſa in mariti necem conſenſiſſe dicitur, potitus erat. Illæ vero nuptiæ Cracoviæ ſunt celebratæ anno ſalutis ſupra milleſimum trecenteſimum viceſimo quinto. An. 1325.

Cruciferorum excursiones.

Eodem tempore Cruciferi ex Natangia cum ſeptingentis militibus in territorium Gartinenſe profecti, Davidis Ducis domicilium ceperunt, diripuerunt, ac ſolo æquarunt. Præter eos, qui cæſi ſunt, capti ibi circiter quadraginta homines, equi centum, plurimum vero pecoris & omnis generis prædæ, quam ille per aliquot hactenus annos ex Livonia & Pruſſia eo comportaverat. Eadem fortuna præfectus Ragnitenſis cum quatuor & quadraginta fratribus & trecentis militibus in Litvaniam progreſſus, cepit ac diripuit ſuburbium arcis Gediminæ, quam antehac magnus Dux Gediminus Vithenis pater condiderat, & de ſuo nomine nuncupaverat.

Obitus M. Magiſtri.

Carolus Beffart magnus Magiſter, ob negotia quædam Ordinis fui jam antea Romam profectus fuerat, quibus expeditis, cum in Pruſſiam reverti vellet, in itinere morbo correptus, Viennæ diem ſupremum obiit, & ibidem, ut nonnulli volunt, ſepultus eſt. Alii ſcribunt, Treverin in patriam delatum fuiſſe, ibique mortuum ac ſepultum. Poſt ejus obitum quartusdecimus Magiſter electus eſt Wernerus de Orſelen, quo tempore Ludovicus Dux Bavariæ, & Fridericus Auſtriacus de imperio decertabant, quod diſſidium continuos triginta duos annos duravit, cum adhuc Vladiſlaus Locticus in Polonia regnabat. Hic Magiſter licet poſt Anteceſſoris mortem anno ſuperiori 1324. ſexta die menſis Julii in Capituli conventu Mariæburgenſi electus fuerit, hoc tamen anno 1325. demum in Pruſſiam venit & adminiſtrationem ſuſcepit, tum, cum hæc, quæ modo diximus, cum Litvanis agerentur.

XIIII. Wernerus de Orſelen.

Cruciferi igitur animadvertentes ſibi deinceps cum utrisque fœderatis hoſtibus Litvanis & Polonis rem futuram, ſumma cum diligentia omnia præparare intendunt, quæ ad tutandos fines ſuos neceſſaria videbantur, easque operas inter ſe principes Ordinis partiuntur. Heinricus de Eiſenburg præfectus Regiomontanus conſtruit ac munit arcem Girdawen in Barthenia: Erhardus Epiſcopus Varmienſis per fratrem ſuum Fridericum de Libenzell, arcem Wartemburgenſem in Galindia ad fluvium Piſſam, & civitatem Guttſtadium Alla fluvio circumfluam: Jordanes Canonicus Varmienſis arcem Plutum prope oppidum Melſacum: Rudolphus Epiſcopus Pomeſanienſis Epiſcopi Inſulam ad fluvium Oſſam, & Ludovicus terræ Culmenſis Mareſcallus civitatem Neomarcum ad fluvium Drewantzam. Quæ civitates & arces omnes diverſis in locis uno ferme anno vel recens exſtructæ vel certe contra hoſtilem irruptionem fortius communitæ fuerunt.

An. 1326. Eruptio in Marchiam.

Anno ſequenti Vladiſlaus Rex, qui jam icto cum Litvanis fœdere Maſoviam ferro & igni longe lateque vaſtaverat, & oppidum Plocenſe incenderat, majoribus copiis coactis, & magna Litvanorum & Ruſſorum auxilia ſecum habens, in Marchiam Brandeburgenſem populabundus pervaſit, & ad Francofordiam usque cum infeſto exercitu progreſſus, cum nemo contra prodiret, munitionum quidem oppugnationibus abſtinuit, populationes vero in omnes partes exerceri juſſit. Direpti & exuſti

exuſti ultra centum quadraginta pagi & totidem ferme templa ac monaſteria, ingens inde præda capta, & circiter ſex millia Chriſtianorum captivorum abducta. Crudelius in eo ſe bello geſſere barbari Litvani & Ruſſi, & magnam hominum ſine diſcrimine ſexus vel ætatis cædem fecerunt, matronas, atque virgines ſacras & profanas contumelioſe conſtuprarunt, delubra ac templa paſſim profanarunt, diripuerunt, incenderunt, & nullum pene crudilitatis genus intermiſerunt. Accidit tum unum & alterum exemplum, quod quamvis ad annales noſtros proprie non pertineat, tamen ob rei memoriam non alienum fuerit hoc loco paucis commemorare.

Davidis Gartenſis facinus.

Inter captivas virgines, quarum formoſiſſimam quamque Ruſſorum & Litvanorum primores, quos Bojaros vocant, in prædam & libidinem ſibi deligebant, una erat genere nobili, cæteris forma præſtantior, de qua in poteſtatem redigenda duo Principes vehementer contendebant, adeo ut niſi alterutrius nece alter cupiditatem explere non poſſe videretur. Hoc contemplatus Imperator tum exercitui datus David Gartinenſis qui Gedimini erat prætorio præfectus, & indignum ratus, unius mulierculæ cauſa viros duos e re militari clariſſimos in ſemet ipſos ſævire, extemplo litis arbitrium ad ſe revocat, ubi illi conſenſiſſent, mox virginem homo truculentus acinace mediam diſſecat, ac jubet, ut uterque corporis ejus tam vehementer & perdite deſiderati ſemiſſem accipiant, & a contentione muliebri deſiſtant. Equidem non ſum neſcius, factum hoc ab aliis in aliud tempus & in alium locum referri, ſed ubi ubi & quando factum ſit, fides penes autores eſto, neque mihi in animo eſt, de cujusque opinione in rebus dubiis multum contendere. Hoc certe inter omnes conſtare video, tam eos qui res Polonicas, quam illos qui Ordinis Teutonici hiſtoriam ſcripſerunt, quod in hac ipſa expeditione, cum Litvani per Maſoviam domum reverterentur, & ibidem multa crudeliter & libidinoſe perpetrarent, nullo habito vel hoſtium vel fœderatorum diſcrimine, idem David exercitui præfectus a nobili quodam Maſovio Andrea Goſcio, neſcio quibus injuriis irritato, in mediis caſtris inter ſui corporis cuſtodes pugione confoſſus fuerit, & percuſſor in turba tumultuantium & concurrentium quaſi aliud agens incolumis evaſerit. Habeo nihilominus auctores Davidem in itinere faciundo, dum equum potandi cauſa in fluvium ageret, ab Andrea fuiſſe confoſſum. Hunc habuit exitum iſte David inter Litvanos bellica laude & militari fortitudine clariſſimus, eo procul dubio divinitus judicio, ut qui per tot annos Chriſtianorum ſanguine millies impune ſeſe commaculaſſet, ſemel inter tot Ethnicorum millia per unum hominem Chriſtianum, crudelitatis diutinæ pœnam expenderet. Sed ad propoſitum revertamur.

Davidis cædes.

Veſtalis caſta.

Altera erat virgo Veſtalis e monaſterio rapta, quam unus ex primoribus barbarorum in prædam abduxerat, cum que nec precibus nec minis puellæ animum ad libidinem ſuam implendam expugnare poſſet, ad vim ſe convertit, & jam jam violenter eam comprimere conabatur, illa cum violentiæ reſiſtere nequiret, barbarum tamen precibus & fictitiis blandimentis exorat, ut pudicitiæ ſuæ parceret, quam ipſa Deo dedicaſſet,

ſe ipſum viciſſim remuneraturam alio tam inſigni dono, ut merito ſe mortalium omnium ubique gentium feliciſſimum prædicare poſſit. Quærenti quid hoc muneris eſſet tam præclari, reſpondet illa, artem eſſe myſticam, quam ſi ab ea perciperet, nullis illum armis, nullo ferro, nullo telo lædi aut vulnerari poſſe. Barbarus quanquam omnino conſtituiſſet libidini ſatisfacere, tamen ut artem illam una cum virgine uſu caperet, tantiſper cunctatur & libertatem illi promittit, ſi ſe artem eam doceat. Virgo, quæ mortem quam ſtuprum pati mallet, pauca ſunt (inquit) verba magica, quibus res tam præclara conficitur, atque adeo in me ipſa potes periculum facere. Mox in genua procumbens, ſeque cruce notans, Domine Deus (inquit) in manus tuas commendo ſpiritum meum. Quibus verbis a barbaro non intellectis, Virgo ad eum converſa, & exporrecta ad ictum cervice, nunc (ait) feri quam fortiſſime, & artis experimentum præſentiſſimum videbis. Ille rem ita eſſe exiſtimans, ſublato gladio virginis caput eodem ictu abſcindit, & tum demum animadvertit, ſe ſpe ſua deluſum & virginem ignominiæ pudoris, quem a ſua libidine ſalvum ſervare nequiret, mortem prætuliſſe. Dignum certe exemplum, quod præ Romana etiam Lucretia celebretur, quod illa quidem vim jam paſſa in ultionem læſi pudoris ſemet ipſam interfecerit, hæc autem pudicitia conſervata violentum raptorem ipſum, ut ſua manu a ſtupro ſe vindicaret, blanditiis induxerit.

Cruciferorum munitiones.

Interim dum hæc tempeſtas per Marchiam deſævit, Cruciferi tempore, quod ſe nactos commode rebantur, ad ſeſe contra vim hoſtilem muniendos, minime abutebantur. Cum enim haud ita pridem non aliter rationes ſuas inſtituiſſent, quam Regis primum impetum in ſe converſum iri, nunc cum eam tempeſtatem alio profuſam cernerent, magis ac magis rebus ſuis communiendis invigilabant. Theodoricus Comes Oldenburgenſis, Commandatarius Balgenſis, in Barthenia, ubi fluvii Govius & Savus confluunt, conſtruebat arcem Luneburgum, & civitatem Barteſtenum communiebat. Luderus etiam Dux Brunſwicenſis, Commandatarius Chriſtburgenſis, qui poſtea Magiſter magnus electus fuit, arcem Eilenburgum ædificabat. Anno inſequenti Hermannus Commandator Elbingenſis civitatem Morungen exædificabat & muniebat, cui a ſtagno vicino nomen indidit. Cruciferi igitur rebus domi ex ſententia proviſis, cum Venceſlao Maſoviæ Duce in Cujaviam impetum faciunt, & Covalam arcem capiunt & incendunt, vicinos deinde agros populantur, & cum ingenti præda uterque ad ſua revertitur. Quæ res eo magis Vladiſlaum permovit, ut bellum diu cogitatum tandem aliquando Cruciferis inferret, propter Pomeraniam, quam illos fraudibus & dolis a ſe abalienaſſe prætendebat.

An. 1327. Cruciferorum eruptiones.

Promagiſter Livoniæ.

Eodem anno Promagiſter in Livonia creatus eſt Eberhardus de Monheim, antea præfectus Goldingenſis, cui cum Rigenſibus ſimultates primum ortæ, deinde graviſſimum bellum exarſit, per quod tandem Riga civitas libera Ordinis imperio fuit ſubjecta.

1328.

Anno ſequenti cum Cruciferi jam certo comperiſſent, Davidem Garthenſem, præfectum in expeditione Brandeburgica cæſum eſſe, non

non tam de interitu infenſiſſimi hoſtis gaudere cœperunt, quam ſperabant arcem, quam accurate cuſtodire ſolitus erat, nunc aliquanto negligentius haberi, & facilius occupari poſſe. Itaque ſexaginta fratres cum tribus millibus militum Garthinum proficiſcuntur, ſed cum intelligerent adventum ſuum ab incolis animadverſum fuiſſe, quadringentos emittunt, qui ad oppidum & arcem usque prædabundi excurrant, cæteri inter ſylvas in inſidiis latent. Qui emiſſi erant, nonnihil prædæ abigunt, & mox recedunt fugientibus ſimiles, quaſi metuerent, ne quis ſe perſequeretur, & mox itidem in ſylvis ſe occultant. Litvani quod inſidias ſuſpicabantur, nihil tum loco ſe movebant. Poſtero die ſpeculatores emittunt, qui rem exactius cognoſcant. Illi renunciant, ſe nec hominum nec equorum indicia vidiſſe, exiſtimare manum illam tumultuariam fuiſſe, & ut temere procurrerit, ita cum rapto celeriter ſe in pacatum retuliſſe. Nimium facile creditum fuit. Itaque Litvani tam in arce quam in oppido ſecure agere, nihil præſidii comparare, exire frequenter in agros, & quo quemque rerum ſuarum cura vocabat. Interim Cruciferi locis diverſis undique proſiliunt, plerisque reditum intercludunt, iisque vel cæſis vel captis tam oppidum, quam arcem præſidio & defenſoribus vacuam nullo ferme negotio occupant. Dedunt ibi ſe quatuor & nonaginta nobiles Litvani, & Chriſtianam religionem profeſſi, cum familiis ad Cruciferos commigrant. Neque diu poſt octoginta fratres cum nonnullis militibus Ragnito profecti nocturna impreſſione oppidum, quod prope arcem Putenicam ſitum erat, capiunt & omnibus ferme incolis una cum ducentis præſidiariis interfectis igne concremant. Ubi res ad hunc modum ſucceſſit, ad arcem Oukaym progrediuntur, eamque eodem noctis beneficio irrumpunt, excubias cædunt, ac tandem ignem injiciunt. Quatuor ſaltem viri capti, cæteri ferme omnes, paucis elapſis, vel flamma vel ferro perierunt.

Cruciferi Garthenſem ditionem capiunt.

Putenica.

Onkaym.

An. 1329. Auxilia Cruciferorum.

Anno ſequenti auxiliatum Ordini venit in Pruſſiam Ioannes ex Duce Luzelburgenſi, Boëmiæ Rex, cum multis proceribus & nobilibus regni ſui, & non mediocri militum ſtipendiariorum manu. Aderat etiam Dux Sileſiæ Falckenbergenſis, & nonnulli comites ac Barones de Lungen, de Holach, de Walnot, Hanaw, Wirtemberga, Stawenberga, de alta rupe, Kerpen, Gera, de Monte, de Misnia, & Burggrabius de Dona, quorum auxiliis Magiſter octodecim millia armatorum præter lixas & calones confecit, quibus ducentos quinquaginta Ordinis equites adjunxit, & cum hoc exercitu, ad munitiſſimam Lithvanorum arcem Mednagum contendit. Eam noctu dieque continuo oppugnando, & feſſis militibus recentes ſubinde ſubmittendo, ne ullam propugnatoribus requiem concederet, eo tandem incolas compulit, ut deditionem facerent, & fidem Chriſtianam amplexarentur. Sex millia hominum baptismi ſacris initiata, quorum tamen plurimi paulo poſt, & ab Ordinis obſequio & a fide Chriſti rurſus defecerunt.

Vladislaus in Pruſſiam ducit.

Interim Vladiſlaus Poloniæ Rex cum auxiliis a Carolo Rege Ungarorum genero ſuo impetratis, & cum Litvanis ac Ruſſis finitimis Pruſſiam

ſiam invadens Culmenſem tractum omnem usque ad Oſſam amnem flammis, cædibus, & populationibus pervaſtavit. Non erant ibi Cruciferis tantæ copiæ, quibus in aciem prodire auderent, itaque civitates & arces munitas aſſervabant, ad quas expugnandas Poloni penitus erant imparati. Neque diu poſt Vladiſlaus auxiliarios dimiſit, ſuis vero præcepit, ut Maſoviam infeſtarent. Quo facto Cruciferi cum Ioanne Boëmiæ Rege ex Litvania advolantes, ut par pari referrent, Cujaviam populabundi invadunt. Arx erat in ripa Viſtulæ Viſſegradum, quo receptaculo latrones utebantur, qui ex Vladiſlai exercitu dimiſſo eo ſe collegerant, ac inde vias publicas circumquaque infeſtabant. Hanc primo impetu Cruciferi ceperunt, & latrones omnes ultimo ſupplicio mactarunt, arcem autem funditus everterunt. Deinde agrum Breſtenſem ingreſſi eodem modo rem gerebant, uti Poloni in Culmenſi tractu egerant. Alia pars copiarum arces Naclum & Razianzum ceperunt ac diruerunt. Arx etiam Dobrinenſis diu & acriter oppugnata deditionem tandem fecit, ejectisque Polonis, permittente Rege Boëmico, Cruciferorum præſidio munita eſt. Motis ex Dobrino caſtris transmiſſoque Viſtula flumine, Vladiſlaviam oppidum adorti primo impetu ceperunt & exuſſerunt, & ab Epiſcopi quidem & ſacerdotum cæde abſtinuere, cæterum edixerunt eis, ne quod omnino ædificium ibi denuo excitarent. Deinde in Maſoviam pariter ingreſſi Boëmi & Cruciferi, eamque crudeliter depopulantes eo adegere Ducem gentis, Vladiſlaum, ut ſe Ioanni quaſi juſto Polorum Regi ſubjiceret. Eodem etiam titulo idem Rex Ioannes Cruciferis Pomeraniam omnem perpetuo habendam & poſſidendam donavit, & Dobrinenſem quoque terram quatuor millibus & octingentis ſexagenis Boëmicis ea conditione vendidit, ut eos privilegio Pontificio a penſione decimarum ex eo territorio liberaret, nec aliter pacem faceret cum Vladiſlao Cracovienſi Rege (ſic per contemptum illum appellabat) quam ſi is itemque Ziemoviti fratris ejus filius, omni jure terræ Dobrinenſis ſeſe abdicaſſet.

Cruciferi contra veniunt.

An. 1330. Vladislaus redit in Pruſſiam.

Anno ſequenti Vladiſlaus cum ingentibus copiis & octo millibus Ungarorum auxiliarium in Pruſſiam denuo rediit, & in agro Culmenſi exerceri longe lateque populationes juſſit, nec ullum crudelitatis genus ab iratis omiſſum eſt. In transmittendo Drewantia flumine aliquantum difficultatis fuit. Nam vada ejus ripasque Cruciferi caudicibus ac ſudibus per longum ſpatium impediverant, ipſique in ulteriori ripa caſtra metati, tranſire Polonos prohibebant. Rex facta ibi decem dierum mora, inventoque vado liberiore ad moletrinam Lubiciam, cum animadverteret, quo ſe cunque ipſe verteret, hoſtem ſibi occurrere, delectas aliquot turmas ſexcentorum circiter equitum occulte prope id vadum reliquit. Ipſe cum cætero omni exercitu averſo ab eo loco itinere verſus Brodniciam ire pergit, conſequuntur Cruciferi nihil de fraude ſuſpicati. Ibi Poloni, ut juſſi erant, e latebris prorumpentes vadum præſidio vacuum ſuperant, fumoque ſignum dant ſuis. Quo viſo Rex citato agmine retro unde profectus erat, revertitur, & fluvium trajicit. Gravioribus utebantur equis Cruciferi, itaque non potuere in tempore ad vadum

Drewantziæ trajectus.

vadum Polonis occurrere. Cumque ex re ſua minime ipſis videretur rem prælio committere, quod longe viribus & copiis eſſent inferiores, conſilium ex tempore capiunt, Golubam concedunt, atque inde militem paſſim in præſidia civitatum & arcium dividunt. Satis enim intelligebant, nec Polonos ad expugnandas munitiones ſatis eſſe idoneos, nec tantum exercitum in agro hoſtili ferme jam devaſtato, propter pabuli & commeatus inopiam diu conſiſtere poſſe. Itaque cum pugnandi copiam nullam facerent, Rex ad oppidum Schonſeh (quaſi ſtagnum amœnum dicas) contendit, ratus ſi id expugnare poſſet, quod paſſim ex agris omnia eo comportata fuiſſent, ſe non inutilem militi prædam comparaturum. In oppido maxime trepidabatur ab iis, qui ex agris eo confugerant, præſertim quod ex mœnibus ſpectarent vicinos ſuos, qui nonnihil remorati fuerant ab hoſtibus intercipi, trucidari, & rebus omnibus ſpoliari. Cæterum præfectus arcis Hermannus ab Oppen, Saxo genere, vir magni animi, oppidanorum trepidationem, & timiditatem graviter caſtigans, tantum aberat, ut timoris ſpeciem aliquam præ ſe ferret, ut Civibus ad arma coactis, & præſidio ex arce deducto portam aperire juberet, qua hoſtes adventabant, & aciem in eadem platea adverſus hoſtem inſtrueret. Non audebat exercitus Regius oppidum ſubire, nec in eas ſe anguſtias conjicere, ubi explicandæ multitudini ſuæ locus non eſſet. Itaque caſtris locum ceperunt, unde poſtridie quidam progreſſi prædium quoddam in altera oppidi parte ſitum, cum vacuum reperirent, nec prædæ quidquam ineſſet, incenderunt. Quo viſo oppidani alia porta erumpentes plerosque conciderunt, reliquos usque ad caſtra fugarunt. Rex cum jam quartum diem ibi ſedendo fruſtra contriviſſet, quod oppidum opinione ſua munitius intelligeret, ad arcem Lippam contendit, cui præerat Guntherus, Comes Schwartzburgenſis, Commandatarius Chriſtburgenſis. Ibi Rex oppugnationem acrius inſtituit, ac concutiendis muris, atque igni immittendo multum negotii propugnatoribus fecit. Illi vero & virtute militum & caſtri munitione freti, ne latum quidem unguem cedere, nec tela nec ignes formidare, ſed fortiter obſiſtere, nec hoſtem modo propellere, ſed recedentem ultro rurſum provocare. Nusquam alias ut in hoc bello conſtantia & virtus præſidiariorum enituit, ita enim ex compoſito Cruciferi præſidia in omnibus arcibus & civitatibus diſtribuerant, ut omnibus idem animus eſſet, locum ſuum potius ad internecionem tuendi, quam vel minimum oppidulum Polonis dedendi. Interim in Regiis caſtris parum erat commeatus & pabuli, ſic ut milites aliquanto longius & latius pabulatum excurrere cogerentur, unde fiebat, ut palantes & diſperſi cotidie a Cruciferis interciperentur. Itaque juſſit Rex, ut majori manu & ea copia caſtris exirent, qua hoſtibus etiam committendo prælio pares eſſe poſſent. Illos cum majori quam conſueviſſent numero arcem prætereherentur, Cruciferi nihil morabantur. Exinde illis animi crevere, quaſi jam formidini Cruciferis eſſent, & ideo latius & ſecurius circumvagari cœperunt. Cruciferi vero tacite egreſſi revertentes & præda onuſtos, ac ſine ordine palantes ex inſidiis opprimunt, complures cædunt, prædam omnem recuperant, pauci ægre elapſi in caſtra vacui revertuntur. Cum jam rerum omnium inopia in caſtris

Schonſeh.

Lippa.

caſtris eſſet, qua & equi generoſiſſimi perirent & milites inedia paſſim contabeſcerent, Cruciferi etiam hoſtes quoquo modo averti percuperent, eo facilior conciliandæ paci ratio occurrebat. Rex cum præfecto & primoribus Ordinis, qui in præſidio erant colloqui cupiebat, & ut in caſtra ad ſe venirent poſtulabat. Nemo ſeſe hoſti dubio committere audebat, nec ſane absque Magiſtri magni conſenſu tuto colloqui licebat, Rex autem obſidem dare dedignabatur, inventus eſt unus, ipſius præfecti frater Sivardus Comes Schwartzburgenſis, qui ſolam eam ſecuritatem paciſceretur, ut Rex manum ſibi porrigeret, id ſibi majoris momenti, quam centum obſides futurum dictitans. Accepta conditione in caſtra veniens a Rege non clementer modo ſed comiter etiam exceptus, inde ad Magiſtrum magnum, qui tum Grudenti commorabatur profectus & ultro citroque commeans, eo usque rem perduxit, ut rebus utrinque amice compoſitis, Magiſter ipſe Regem in caſtra accederet. Ibi factæ induciæ annuæ & rei totius controverſia ad arbitrium Regum Ungariæ & Boëmiæ rejecta. Vladiſlaus interim exercitum abduxit, & Cruciferi ditionum ſuarum poſſeſſionem retinuerunt.

Induciæ annuæ.

His ita peractis recens malum & quidem domeſticum Cruciferos vehementer perculit, Wernero magno Magiſtro nefarie & perfide trucidato. Erat iſte Wernerus vir pius & religioni maxime deditus, qui fratres Ordinis ſecundis jam rebus laſcivientes enixe ad meliorem vitam hortari ſolebat, ſed apud complures, ut fit, non modo parum proficiebat, ſed tandem etiam a pietatis ſuæ diſciplina percuſſorem ſibi comparavit. Erat ex fratribus unus militiæ nondum adſcriptus, Ioannes de Biendorf, ex Marchia oriundus, homo malitioſus & impuriſſimæ libidini deditus, is, quoties in expeditionem vel in oppidorum & arcium præſidia fratres mitterentur, enixe ſollicitabat Magiſtrum, ut ipſe quoque mitteretur, ſperans futurum, ut eo majorem haberet libidinum exercendarum occaſionem. Wernerus, qui ſciebat hominem lupanari quam bello aptiorem eſſe, ſemper ejus petitioni adverſabatur, cauſatus interim equum ſibi nullum ſupereſſe, quem ipſi ad expeditionem daret. Ille in Marchiam ad propinquos clam mittit, equos duos generoſos impetrat, quibus ad Magiſtrum adductis denuo petit, ut ſe cum cæteris in expeditionem emittat. Recuſat iterum Magiſter, & aperte jam, melius eſt, inquit, te domi manere, & in choro pſallere, quam militiæ prætextu libidines ſectari, ac continuo equos illi adimi juſſit. Sunt qui ſcribant, eum equos duos extra numerum vel ordinem aluiſſe eaque de cauſa ademptos fuiſſe. Quam ob rem vir omnium ſceleratiſſimus, eo furoris proceſſit, ut Wernerum ſacello ſuo poſt preces privatas ſolum egredientem, in ipſis foribus nihil tale ſuſpicantem pugione in pectus adacto obtruncaverit. Accidit hoc facinus in vigilia beatæ Eliſabethæ, vel ut Petrus Duisburgenſis ſcribit in octava ſancti Martini hyemalis, anni ſupra milleſimum trecenteſimum triceſimi, cum Wernerus Magiſtratum geſſiſſet, annos ſex, menſes quatuor, dies duodecim. Unde ſcriptorum illorum error detegitur, qui Wernero tres ſaltem regiminis annos adſcribunt. Petrus Duisburgenſis ejusdem ordinis & profeſſionis ſacerdos tum temporis vixit, hiſtoriam

Magiſtri Werneri cædes.

ſtoriam ſuam huic Wernero inſcripſit, eundem cæſum vidit, & poſt ejus mortem res cæteras Ordinis continuavit, itaque merito illi præ cæteris omnibus fidem adhibendam minime dubitaverim. Latronem iſtum canum latratu cæteris proditum, & in recenti facinore comprehenſum Papa Ioannes viceſimus ſecundus ad perpetuos carceres condemnavit, in quibus vitam miſeram aqua & pane ſaltem ſuſtentaret. Magiſter in Cathedrali templo Marianæ Inſulæ terræ commendatus fuit.

Wernero ad eum, quem diximus, modum nefarie trucidato, quintus decimus Magiſter generalis ſucceſſit anno 1331. ipſa die dominica Invocavit Lotharius Dux Brunſvicenſis, vir non minus pietatis quam juſtitiæ amans, cujus rei inſigne & dignum ſcriptu exemplum, ſtatim ab initio ſui regiminis edidit hujusmodi. In oppido Salfeldo conſtitutus erat Judex, frater quidam Ordinis, ut nonnulli volunt, in cujus judicio cauſa quædam de bonis hæreditariis ventilabatur, inter civem ejus loci ſatis locupletem & viduam plane inopem. Civis locuples, qui licet in mala cauſa, viduam tamen per fas & nefas bonis ſpoliare vellet, uxorem habebat juvenculam & venuſtam, quam Judicis obſequio & libidini jam diu proſtituebat, ut ſecundum ſe litem judicaret, eamque ob cauſam ille, ut ad fatietatem mulieris uteretur conſuetudine, ſententiam hactenus & plus quidem juſto ſuſpenderat. Viduæ erat filia unica, virgo eximie formoſa, ſed pie ſimul pudiceque educata, cujus pudicitiæ judex, quem prioris libidinis ſatietas jam ceperat, cum hanc conſpexiſſet, inſidiari cœpit. Clam ad ſe matrem vocat, cauſæ victoriam & inſuper luculenta munera promittit, ſi morem ſibi gerat, & filiæ copiam faciat. Illa tantum ſcelus abominari, quod nefas eſſet in Deum & impium in liberos, filiam a matre proſtitui, & judicis poſtulatum plane repudiare, illo etiam in faciem adjecto, malle ſe non ſolum ob calumniam & injuriam ea cauſa cadere, ſed ad extremam etiam egeſtatem adigi, quam hanc filiæ pudoris maculam inurere. Judex ægre ferens ea ſpe falſum, ſententiam pro adverſa parte non corrupte minus quam improbe pronuntiat. Vidua non ita diu poſt, quanquam rebus jam deploratis bonorum tamen virorum auxilio, rem tam indignam ad Lotharium defert. Is re accuratius cognita & ſeverius explorata, civem, qui uxoris pudicitiam ſponte proſtituerat, quadrifariam concidi jubet, Judicem autem iniquiſſimum equis in diverſum actis diſcerpi, quali ſupplicio primus omnium Tullus Hoſtilius Romanorum Rex, Metium Suffetium Reipublicæ proditorem affeciſſe legitur, adulteram ſtigmate in faciem impreſſo notat, viduæ jus ſuum reſtituit, & ſemiſſem omnium bonorum condemnati civis adjecit. Exemplum profecto judicibus, qui vel amori aut odio vel aliis affectionibus dare quid conſueverunt, memoria perpetuo conſervandum.

An. 1331. XV. Lotharius Dux Brunſvicenſis. Pœna mali judicis.

Simile juſtitiæ exemplum hoc de Cambyſe Perſa narrat Herodotus, qui Præſidem Siſamnem, qui pecunia corruptus injuſtam ſententiam tulerat, interfecit, & toti corpori cutem detraxit, eamque inſtravit tribunali, poſtea filium Siſamnis Otanem in eam ſedem collocavit, ac juſſit eum intuentem patris exuvias juſte judicare, ne ſimili ſupplicio afficeretur.

Vincentii Samotulii facinus.

Vladiſlaus Rex haud falſo opinabatur, Cruciferos novo Magiſtro novi quid molituros, ætatem autem ſuam ingraveſcentem & vires laboribus ac rebus adverſis attritas & afflictas conſiderans, Caſimirum filium, unum & viginti annos natum, toti majori Poloniæ præfecit, ut fama nominis ejus Boëmi & Saxones, qui plerumque Cruciferis adverſum Polonos opitulabantur, non tam facile ſe commoverent: ad hæc ut tutus is eſſet, ſi quid adverſi ex Pruſſia ſibi accideret. Graviter tulit Vincentius Samotulius, Palatinus Posnanienſis, gente Nalencius præfecturam illam ſibi ademptam eſſe, ignominiæ loco id ducens. Simul autem verebatur, ne privatus invidia & odio populari conflagaret, cum non usque quaque inculpate Magiſtratum geſſiſſet. Itaque ira & metu, peſſimis conſultoribus, uſus, clam ad Magiſtrum Cruciferorum Mariæburgum profectus eſt, & cauſis adventus ſui expoſitis, molienti ſua ſponte bellum adverſum Polonos facile perſuaſit, ut in majorem Poloniam copias expeditas mitteret, quod ibi non modo magna præda potiri, ſed & munitiones plerasque, & Caſimirum Regis filium ſua ſuorumque opera facile in poteſtatem poſſet redigere. Præfecti copiis Theodoricus de Oldenburg Mareſcallus generalis & Otho de Luterberg Commandator magnus, de ſententia Vincentii omnia facere juſſi ſunt. Aderat iis etiam Thomas Ovardus, Comes Anglicanus, qui paulo ante Cruciferis cum centum equitibus adverſum infideles auxiliatum venerat. Hi trajecta apud Torunium Viſtula profecti parum abfuere, quin Breſtam & Vladislaviam ex improviſo caperent, ni citato curſu armorumque & vexillorum forma proditi, ab ipſis usque portis, concurſu civium cum ignominia, ducentis amiſſis repulſi eſſent. Nec eis tunc vacabat oppugnationi oppidorum inſiſtere, ad aliud longe majus facinus profectis, cujus peragendi ſpem omnem in celeritate & hoſtium ſecuritate ponebant. Itaque magnis & occultis itineribus in majorem Poloniam perveniunt, & capta primo impetu Slupcia, Posnanienſis Epiſcopi oppido, continuato itinere Pysdros contendunt, in quo oppido Caſimirum eſſe didicerant, magnoque impetu adorti oppidum non munitum facile eo potiuntur. Sed eventus eorum ſpei non reſpondit. Paulo enim ante Caſimirus de adventu hoſtium factus certior, cum paucis comitibus oppido ſe ejecerat. Quamobrem irati Cruciferi, ac dolore amiſſæ prædæ, cujus cauſa maxime venerant, incenſi, omni crudelitate in oppidanos deſævierunt, direptumque oppidum cum templis & ſacris juxta ac profanis rebus omnibus exuſſerunt. Deinde viciniam omnem cis & trans Vartam ferro & igni depopulati ſunt, atque inde ingenti præda retro, unde venerant, abiere. Probavit ea expeditione Vincentius fidem & operam ſuam Cruciferis, itaque & tunc pro navata opera muneratus eſt, & majoribus promiſſis oneratus, in majori pretio deinceps apud eos eſſe cœpit, ſic ut ejus arbitrio multa in eo bello gererentur. Sequenti æſtate Cruciferi rurſus vexare Poloniam, qua parte intacta adhuc eorum populationibus erat, ſtatuunt. Profecti igitur compoſito & pacato agmine per Cujaviam, quod eam revertentes ſuæ ditionis facere deſtinabant, in Lencicienſem tractum inſultum faciunt, arcem vi capiunt & incendunt, pagos & oppida crudeliter vaſtant. Deinde in Caliſienſem oram iter flectunt, qua omni pervaſtata, & progreſſi longius populando

Cruciferorum in Poloniam eruptio.

Novæ excurſiones in Poloniam.

pulando Gnesnam & alia oppida ignobiliora ac circumjacentes pagos diripuerunt, ac exuſſerunt, ne templis quidem & monaſteriis abſtinentes. Mox in Siradienſem tractum impetum fecerunt, & pari celeritate univerſum percurrentes ferro & igni cuncta vaſtarunt. Inde Coninenſe territorium invadunt, ac oppidum capiunt, ibique ſtativa trium dierum ad reficiendos a labore milites habere conſtituunt. Poſtridie per exploratores cognoſcunt, Vladiſlaum cum copiis adventare ſuis opitulatum, neque procul abeſſe. Itaque conſilium ex tempore capiunt, Regem de improviſo nocturna irruptione in caſtris opprimendi, nec imparati ad eam rem erant milites, utpote fortunam hactenus propitiam ex ſententia & voto experti. Eodem veſpere iter ingrediuntur, ſic, ut ingruente jam nocte ad caſtra Regis accederent. Vladiſlaus vero, qui & ipſe per exploratores & hoſtium ſtationes, & numerum exercitus, & hoc ipſum ſui opprimendi conſilium paulo ante cognoviſſet, cum ſe viribus inferiorem eſſe animadverteret, jam cum omnibus copiis paullum receſſerat, caſtris cum omni commeatu & impedimentis in prædam hoſti relictis. Gratum erat Cruciferorum militibus ſine prælio tanta præda potiri, certiſſimum hoc fugæ & timiditatis in Rege argumentum interpretantes. Direptis caſtris iter verſus Radziejoviam intendunt, ubi Commandator magnus cum majori parte exercitus ad oppugnandum Breſtenſe oppidum ſe convertit, Mareſcallo circiter trecentos quinquaginta equites, & pedeſtrem Pruſſorum multitudinem relinquit. Vladiſlaus interim & ipſe copias reducit, & veſtigia abeuntium clam inſequitur, ſperans ſe hoſtem præda onuſtum opportuno loco oppreſſurum. Tertio demum die, cum maxima incidiſſet nebula, Mareſcalli militem adeo prope aſſequitur, ut alteri alteros audirent prius, quam viderent, itaque paulum utrinque recedunt ad inſtruendam aciem, deinde prælium committunt. Commandatori Breſtam eunti Regis adventus continuo nunciatur, itaque is converſo itinere cum prælium jam ferveret cum ſuis intervenit. Pugnatum aliquandiu acriter, tandem Cruciferorum milites in fugam ſunt conjecti, fratres Ordinis quinquaginta ſex capti, & inter eos Theodoricus de Oldenburg, quem ſolum fortuna ſalvum ſivit, cæteri omnes in Regis conſpectu crudeliter & barbare trucidati ac diſcerpti. Vixdum in fugam ſe dederunt Cruciferorum milites, ecce repente ſupervenit Heinricus Plavenius, qui primum agmen Breſtam verſus duxerat, atque is de infelici rerum ſtatu certior factus continuo ſuos ad ultionem hortatur, fugientes recolligit, & in ordines diſtribuit, ac de improviſo Regi occurrit, qui adhuc in iisdem caſtris erat, ſed de ejus adventu nihil boni hariolabatur. Hic ſecunda pugna cœpit, & utrinque obſtinatis animis multo quam antea acrius ſummis viribus dimicatum fuit. Cruciferi paſſim in acie conclamare & deteſtari immanem & barbaram cædem fratrum Ordinis a Tyranno modo perpetratam, alter alterum hortari & ſtimulare ad ulciſcendum nobilium Germanorum ſanguinem. ne cui hoſtium parcerent, ne quem captivum acciperent, ſed omnes ultore gladio abſumerent. Neque ſegnius ipſo facto dictum executi ſunt, ingens hoſtium cædes perpetrata, donec acies illorum inclinaretur, & Rex fugam capeſſeret, quem cæteri ſequebantur. Sed non minor in fuga quam in prœlio cædes fuit, & eo quidem

Vladislaus cedit.

Prior pugna.

Altera pugna.

dem major, quo facilius eſt cedentis tergum cædere, quam reſiſtentem proſternere. In ea fuga Mareſcallus Theodoricus vinculis liberatus & receptus eſt, quem Rex ingenti vi pecuniæ a Cruciferis redimendum aſſervari juſſerat. Ex Cruciferorum parte cæſi dicuntur in hoc prælio circiter trecenti quinquaginta fortiſſimorum equitum & totidem vel plures etiam pedites Pruſſici. Ex Polonis in priori pugna deſiderati fuerunt ſexcenti in altera pauci admodum e toto exercitu Regio ſuperfuerunt, quod Wigandus Wartemburgenſis hiſce rythmis teſtatur.

Polonorum antea ſexcenti,
Præter hos cæſi erant inventi,
Hi difficilius ſunt numerati,
Quam in acie & fuga trucidati.
Sic paſſim necem oppetebant,
Et in campo ſtrati jacebant,
A Breſta ſesqui milliarium,
Contractum ibi eſt prælium,
Cum fratres egregie vincerent,
Poloni turpiter fugerent.

Diverſitas ſcriptorum.

Hoc maxime eventu bis uno die pugnatum eſſe ii, qui Ordinis res memoriæ mandarunt, ſcriptum reliquere & ſane Wigandus quem diximus tum, cum pugnaretur, jam inter homines eſſe potuit. Verum polonici ſcriptores longe aliter & rei geſtæ ordinem & eventum deſcribunt, nimirum quod Rex in rerum omnium anguſtia conſtitutus clam ſibi Vincentium reconciliaverit, atque is proditione proditionis memoriam obliterare & recenti beneficio priorem injuriam obſcurare volens, in media pugna Cruciferos a tergo cum ſuis invaſerit, & prælii fortunam ad Polonos converterit, quodque etiam ſecunda vice Cruciferi in itinere Breſtenſi revertentes aciem reſtaurarint, recentes a defeſſis in fugam denuo conjecti ſint. Scribunt etiam tantam eam fuiſſe victoriam, ut his duobus præliis cæſa ferantur ex Cruciferorum exercitu viginti millia. Dlugoſſus etiam ſupra quadraginta millia refert. Ex Polonis quingentos vel ut alii triginta tantum de promiſcua multitudine cecidiſſe narrant. Hic aperte quilibet deprehendere poteſt, alterutrius partis ſcriptores ſuæ gentis affectioni plus nimio indulſiſſe. Nec ego judicium meum interpono. Illud vero mirum videri poteſt, quod tantæ Rex prudentiæ, qui cum copiis ſuis nusquam certo loco figebat pedem, qui non audebat prælio rem committere, non ignarus quantum eſſet robur Germanicarum phalangum & cataphractorum equitum, qui neque opem ullam rebus ſuis tam calamitoſis afferre, neque hoſtem ulciſci proclive ſibi eſſe arbitrabatur, inops alias omnis conſilii, ipſis ſcriptoribus Polonicis teſtibus, in una tantum proditoris perfidia & paucorum affeclarum ope, ſpes omnes & totius rei diſcrimen ponere potuerit. Deinde certo certius eſt, in hoc bello nusquam tantas fuiſſe Cruciferorum copias, quantas hi ſcriptores uno die conciderunt. Et ut demus hoc illis, Cruciferos una acie viginti, vel quadraginta millia militum amiſiſſe; unde quæſo tam cito

to rurſus tantas copias comparare potuerunt, ut denuo cum omnium maximo terrore in Poloniam paulo poſt irruperint? Nominandi quidem multa millia facilis eſt ratio, ſed in aciem educere, non æque expeditum eſt. Scribunt etiam Vladiſlaum illius victoriæ curſum mox proſequi voluiſſe, niſi eum Boëmi cum Sileſiis ab ea cogitatione avertiſſent, quamvis nec in eo ſatis ſibi conſtant. Noſtrates autem auctores ſunt, quod Cruciferi poſt eam victoriam & ſubſequentem novam irruptionem, in Polonia majori Caliſiam, Breſtam, Coninum, Siradiam, Lantziciam, Inowladiſlaviam & alia oppida ceperint, reſtaurata muniverint, & octo Commandatores ibi pro præfectis oppidorum & arcium habuerint. Vincentius proditor, ut illis placet, ob navatam bene operam, non modo impunitate donatus, verum etiam abrogata infamia priſtino honori reſtitutus eſt. Sed non impune ei ceſſit, hoſtes in patriam induxiſſe, in ſequenti enim anno conſpiratione nonnullorum equitum, quos ira & dolor rerum amiſſarum in eum ſtimulabant, interfectus eſt.

Poſt pugnam Breſtenſem tentata pax eſt in condictum diem, Carolo & Ioanne Ungariæ & Boëmiæ Regibus arbitris. Sed cum ea non conveniret, Ordinis præfecti militares Otho Kekericius, & Comes quidam Bergenſis, cum copiis ſuis Sabbatho poſt diem Eliſabethæ trajecta Viſtula, Cujaviam quatuordecim diebus ad finem Novembris populabundi infeſtarunt, nemine prohibente, & prædam ſecure domum reportarunt. Nec multo poſt initio novi anni nihil morati aſperitatem hyemis, iterum ſed majore apparatu in eandem Cujaviam ingreſſi, Breſte oppidum obſederunt, rati fame ſe oppidanos ad deditionem compulſuros. Sed cum fruſtra tres menſes in obſidione inſumpſiſſent, tertia ante feſtum paſchatos die ſumma vi oppidum oppugnare cœperunt, nec ſegnius incolæ defendebant, verum quatriduano continuæ oppugnationis labore defatigati, ipſo die paſchatos veſperi ſe ſuaque dediderunt. Cruciferi impoſito ibi præſidio ad Inowladiſlaviam caſtra movent, eamque mox dedentibus oppidanis acceptam itidem præſidio muniunt. Progreſſi ulterius Gneucoviam arcem oppugnant. Erat in ea Caſimirus Dux Vladiſlai fratris filius. Is igitur pactus cum illis, ut ſibi ſuisque res ſuas aſportare liceret, ipſe inſpectantibus & permittentibus Cruciferis arcem incendit, & cum miſerabili illo ſuo Cujavienſis nobilitatis comitatu ad Wladiſlaum Regem profectus eſt. Ignobiliora deinde oppida ſeu vicos Cruciferi facile in poteſtatem ſuam redegere. Pacoſſum arcem Albertus Coſcelecius Palatinus Breſtenſis egregie tum quidem tutatus eſt, & non parvis incommodis hoſtes affecit. Ut autem Cujaviæ ac Dobrinenſis oræ poſſeſſionem ſibi ſtabilirent Cruciferi, demoliti Breſte vetus munitiore id loco condiderunt, & arces quasdam in eo tractu cocto latere muniverunt. Interim Vladiſlaus, poſtquam copias & auxilia undique contraxiſſet, per Maſoviam in Culmenſem tractum infeſtum duxit exercitum usque ad Drewanziam fluvium. Ibi occurrit illi Magiſter cum omnibus copiis, minime pugnam, ſi ejus copia fieret, detrectaturus. Et jam utrinque res eo deducta videbatur, ut ſemel de ſumma rei Martis arbitrio decerneretur. Sed utrinque fideliſſimi Conſiliarii, qui in caſtris

Novæ in Poloniam excurſiones.

An. 1332.

Breſte.

Inowladiſlaviam.

Gneucovia.

erant, cum abhorrerent tantam Chriſtiani ſanguinis profuſionem, quæ dubio procul prælium iſtud ſecutura eſſet, & cogitarent itidem, ſi in aleam pugnæ tota res daretur, alterutri partium aut vincendum aut pereundum eſſe, hinc regnum amplum, illinc luculentas provincias in diſcrimen dari, & quod maxime eos angebat, dubium adhuc eſſe Martis eventum, & nulla ratione expendendum utri parti fortuna, quam in rebus dubiis homines Deam putant, magis propitia futura eſſet, omni ſtudio eo impenderunt operam, ne tanto diſcrimini rerum ſumma committeretur, ac tandem effecerunt, ut pactis iterum annuis induciis utrinque ab armis diſcederetur.

Induciæ.

Stolpa capta.

Obtinebat tum Stolpenſem Ducatum Marchio Brandenburgenſis, & ei ditioni virum nobilem non militarem minus quam ferocem præfecerat. Is cum præfecto Gedanenſis arcis propter colonos quosdam fugitivos in tutelam receptos, ſimultates exercebat, adeo ut colonorum loco cives Gedanenſes improviſo in publicis itineribus commeantes interciperet, ac pro mancipiis habere conaretur. Quam rem ægerrime ferentes Cruciferi, qui non minus erant quam ille feroces & animoſi, copiis tumultuarie collectis Stolpenſem præfectum, qui jam nonnihil moliri dicebatur, opprimere prius volebant, quam ipſe ad arma venire poſſet. Itaque arcem & oppidum Stolpenſe improviſo adoriuntur, ſed eventu non ſatis proſpero. Ille enim vires majores contraxerat, quam ipſi in tanta celeritate fieri potuiſſe exiſtimarent. Ita fuſi fugatique Cruciferi infecta re domum redeunt. Hac victoria elatus Præfectus Stolpenſis, majores etiam ſpiritus ſumere, neque ſolum hoſtes in fugam conjectos ferociter perſequi, ſed cum univerſis etiam copiis Cruciferorum ditionem invadere, omniaque ferro & flamma devaſtare cœpit. Cruciferi non magis provinciæ detrimento, quam adverſi prælii fama commoti, vires quam maxime poſſunt recolligunt, civibus ut plurimum Gedanenſibus & ejus territorii colonis armatis, copias quam celerrime cogunt, & jam victi victores triumphantes majoribus animis quam viribus ultro laceſſunt, progredientes in fugam conjiciunt, præfectum ipſum captum obtruncant, Stolpenſe oppidum una cum fugientibus mixtim ingreſſi mox etiam arcem defenſoribus vacuam occupant. Et hoc quidem modo ab eoque tempore Stolpenſis Ducatus in poteſtatem Cruciferorum conceſſit.

An. 1333. Vladislai obitus.

Anno ſequenti ſupra milleſimum trecenteſimum triceſimo tertio, die decima menſis Martii, vel ut Wigandus ſcribit, ipſa Dominica Reminiſcere, Rex Vladiſlaus inter homines eſſe deſiit, cum poſt ultimam aſſumptionem regnaſſet annos viginti ſeptem. Cui ſucceſſit filius Caſimirus cognomento Magnus. Eodem anno (ut auctor eſt Wigandus)

Pacoſſum captum.

Cruciferorum milites in Cujaviam denuo excurrerunt, & Pacoſſum arcem poſt gravem oppugnationem tandem ad deditionem compulerunt, ſic ut præfecto & præſidiariis vitam & res ſuas libere habere liceret. Idque deditionis pactum Cruciferi non modo firmiter conſervarunt, ſed arcem etiam ejus fidei denuo commiſerunt, filio ſaltem ejus obſide accepto.

Novus

Arbitrium interpoſitum.

Novus Rex Caſimirus pacis quam belli ſtudioſior erat, itaque Cruciferis parum aut nihil reſtitit, adeo ut, ſi Wigando credimus, nunquam adverſus Ordinem arma induerit. Poſt biennium arbitrio Caroli Ungariæ & Ioannis Boëmiæ Regum pax facta eſt hiſce conditionibus: ut Cruciferi Pomeraniam concedente Rege retinerent, atque etiam Neſſovienſem arcem in Cujavia ſupra Viſtulam, nempe ut utramque ripam & naulum in poteſtate ſua haberent, eodem jure quo Culmenſem atque Torunenſem tractum olim a majoribus Caſimiri accepiſſent, Dobrinenſem vero & Cujaviam ne ea quidem portione excluſa, quæ ad Caſimirum Ducem Ziemoviti filium pertinebat, Regi reſtituerent. Et eodem etiam anno poſt pacem confectam Magiſter Lotharius vel Luderus ſupremum diem obiit in monte Regio, ubi in Inſula Knipoviana Cathedralem Eccleſiam conſtruxerat, & in ea ſepultus eſt. Succeſſit in ejus locum ſextus decimus Magiſter Theodoricus Comes ſive Burggrabius de Oldenburg, jam octogenarius, cum per multos annos officium Mareſcalli generalis adminiſtraſſet. Huic nonnulli tribuunt, quod arcem Marienburgenſem, Magiſtri ſedem, muris, turribus & foſſa communiverit, & in ea templum exſtruxerit, primus etiam Nogatum fluvium in aditu civitatis & arcis ponte conſtraverit, arces etiam Gedanenſem & Swecenſem munitiores reddiderit. Ad Mariæburgum quod attinet, non eſt dubium, quin arx illa Anteceſſorum opera ut plurimum fuerit exſtructa. Et errorem hic irrepſiſſe puto, quod is Mariæburgum Livoniæ condidit, ut ſuo loco dicetur.

XVI. Theodoricus de Oldenburg.

Schillingi excuſi.

Ejusdem tempore in Pruſſia primum argentea moneta cudi cœpit hac occaſione: Civis quidam Torunenſis Bernardus Schilling triginta Centumpondia argenti ex fodinis Joachimicis lucratus fuerat, is permiſſu & auctoritate hujus Magiſtri, quoniam Pruſſia tum temporis cum magno ſuo detrimento groſſis Boëmicis & Polonicis utebatur, monetæ genus excudit, quod ab auctoris cognomine Schillingos vocarunt. In uno latere clypeus erat cruce transverſa inſignitus cum hac inſcriptione: Moneta Dominorum Pruſſiæ: in altero latere crux, in cujus umbilico clypeus aquila inſignitus, cum inſcriptione Theodoricus Magiſter generalis. Talis Schillingus ſive ſolidus argenteus valebat ſex denariis, ſic ut ſexaginta ſolidi marcam Prutenicam conficerent, Marca autem talis quadraginta quinque groſſis cenſebatur. Horum ſolidorum hodie pauci reperiuntur, ſed ex iis facile ratio iniri poteſt, quantum ab eo tempore hucusque moneta argentea facta fuerit deterior.

Pax in dubium vocata.

Pax inter Polonos & Cruciferos auctoribus Ungariæ & Boëmiæ Regibus nuper conciliata, quam Caſimirus plus quam dignum erat, quietis & otii cupidus acceptaverat, in Cruciferorum agro non videbatur radices altius actura, quandoquidem illi non reddebant ex decreto & pacto Cujaviam Dobrinumque Caſimiro, quamvis cum incommodo ſuo approbaſſet is ſententiam Regum ex compromiſſo latam, niſi etiam diſerte cum Senatu, nobilitate & civitatibus, diplomate & jurejurando dato, Pomeraniam, Culmenſem & Michalovienſem tractum a ſe & a

poſteris

posteris suis prorsus abdicaret. Quod cum ille ad Senatum & comitia retulisset, omnibus indigna res visa est, post tam iniquum arbitrium novas etiam durioresque pacis leges ab hoste, perinde atque a victore sibi ferri, itaque bellum malle quam tam iniquam & ignominiosam pacem. Cum autem de ratione belli gerendi consultaretur, placuit non inferre id quidem, sed si inferatur propulsare, atque ad Pontificem maximum primo quoque tempore de vi & injuriis Cruciferorum propter religionem ad ejus jurisdictionem pertinentium referre. Missa legatione impetratum a Benedicto duodecimo, ut is judices delegatos ea de re in Poloniam & Prussiam mitteret, qui Polono Regi Cujaviam ac Dobrinum reddi, & decem millia florenorum adjudicata numerari a Cruciferis curarent, de cæteris vero controversiis cognoscerent. Cruciferi vero ut prætextum aliquem injuriæ, & neque arbitrorum decreto, neque Pontificis mandatis parendi haberent, perfecerunt apud Ludovicum Cæsarem, cui tunc neque cum Regibus neque cum Pontifice conveniebat, ut is Magistro Theodorico & universo Ordini gravissima adjecta pœna interdiceret, ne cujusquam præcepto quidquam de iis terris, quas ab imperio haberent, cuiquam concedant, neve apud ullos judices de iis disceptent, præter assensum suum. Cum autem judices a Pontifice delegati Warsoviæ cognoscendæ litis causa aliquamdiu operam dedissent, refutata detrectatione & provocatione Cruciferorum, ut Cromerus scribit, adjudicarunt Casimiro & Polonis Pomeraniam, Cujaviam, Dobrinensem, Culmensem & Michaloviensem ditionem, Cruciferos autem ad centum nonaginta quatuor millia & quingentas marcas Polonicas pro damnis datis, itemque ad mille sexcentas marcas impensarum nomine condemnarunt, adhæc ut ii templa & monasteria in Polonia superiore bello direpta & exusta instaurarent. Cumque judicata non facerent, anathemate devoti sunt, & sacris interdictum omnibus locis, quæ in ditione eorum essent, & ad quæ quispiam eorum perveniset. Enimvero Cruciferi ista parum curare, neque sibi jam integrum existimare Religionem ad animum admittere vel censuras Ecclesiasticas magni pendere, sed de terris & dominiis passim quocunque modo acquirendis major incumbebat cura. Ea si modo salva sibi esse liceret haud magno sane labore Pontificis mandata, censuras, interdicta, quietis auribus transmittebant. Et sic magis modestia & patientia Regis Casimiri ad suum compendium abutebantur, quam ut vel juris, æquitatis, bonæ vicinitatis rationem admitterent, vel ea quæ injustis armis in Polonia occupassent, restituerent. Nihilominus res utrinque adhuc quietæ permanserunt, donec post paucos annos nova pax coiretur, de qua suo loco dicendum erit.

Pontifex frustra intervenit.

An. 1336. Expeditio in Litvaniam.

Cruciferi cum animadverterent, hoc rerum statu ex Polonia nihil sibi magnopere metuendum esse, & interim nova auxilia hominum nobilium, equestrium, & aliorum qui se contra Ethnicos pugnaturos devoverant, ad eos confluxissent, inter quos præcipui quidem erant Marchio Brandenburgensis, Comes Hennebergensis, & Comes Namurcensis ex Gallia, Magister Theodoricus habito consilio, ne illi frustra adveniissent, tam suis quam auxiliaribus copiis expeditionem in Litvaniam

niam edicit, & ineunte mense Aprili ipsa die dominica Reminiscere, munitionem Pullen sive Pilleven totus exercitus circumsedit, ac summis viribus oppugnare cœpit, & per dies aliquot oppugnationem continuavit, Litvanis contra impigre se defendentibus. Erant in munitione circiter quatuor millia armatorum, & promiscua multitudo hominum, qui ex vicinis pagis audito Cruciferorum adventu, cum uxoribus, liberis, pecoribus & rebus omnibus eo confugerant. Cruciferi quo cupidiores erant adipiscendæ tantæ prædæ, eo majorem vim adhibebant oppugnationi. Litvani contra obstinatis animis decreverant extrema potius perpeti, quam hostibus se dedere, quos nulla alia causa pejus oderant, quam quod illi superstitionem eorum paganicam cum Christiana religione commutare niterentur, itaque mortem sibi quam alienam Religionem tolerabiliorem arbitrabantur. Quod utique re ipsa nunc sed inhumaniter nimis & præfracte ostenderunt. Cum enim animadverterent, se diutius vim hostilem sustinere non posse, & munitionis propugnacula ob continuam oppugnationem & machinarum impulsionem paulatim dejici, & multis in locis confossa esse, pyram ingentem in arcis medio jam antea hunc in extremum usum extructam incendunt, res omnes pretiosas injiciunt, uxores deinde & liberos necant & in rogum conjiciunt, tandem se ipsos mutuis vulneribus conficiunt, major pars capita Principi suo (quem Wigandus Regem Margerum vocat) amputanda præbent. Scribit etiam Wigandus, affuisse ibi anum quandam generis & corporis gigantei, a qua ultra centum viros ab ipsa lethum sponte expetentes longa securi fuisse obtruncatos, eamque deinde cum Cruciferi irrumpere cœpissent, semet itidem sua manu obtruncasse. Rem tam tetram & abominandam Cruciferi, qui jam summitatem propugnaculorum conscenderant, coram non sine lachrymis spectabant, itaque magis ac magis milites suos properare & conniti jubebant, ut prædæ reliquias ex incendio eriperent. Ubi jam in arcem pervasissent, solus supererat Margerus cum nonnullis corporis sui custodibus, qui adhuc aliquandiu idoneo ad defensionem loco restiterunt, sed paulo post omnes ad Domini pedes interfecti sunt. Ipse cum jam solus ab omni latere telis eminus peteretur, quod nullus ferme cominus manum auderet conserere, & multis acceptis vulneribus plurimo sanguine profluente viribus se destitui sentiret, curssim ad speluncam quandam tenebrosam, ubi uxorem absconderat, se proripit, eam ex victoria hostium lamentantem uno ictu dissecat, ac eodem gladio se ipsum transverberat. Et sic quidem Margerus supra cadaver uxoris procumbens miseram & infelicem animam exhalavit. Munitio flammis consumpta & solo æquata est. Cruciferorum milites in Prussiam reverterunt, vulneribus magis quam præda onusti, nihil enim præter pauca jumenta & pecora capta, quibus insani homines potius, quam propriis corporibus pepercerant.

Oppugnatio castri Pullen.

Obsessorum immane facinus.

Margerus Rex.

Anus gigantissa.

Margerus uxorem & se ipsum obtruncat.

Eodem anno circiter festum Pentecostes Magister Theodoricus Mariæburgum arcem Livoniæ in Insula Romayne inter Velunum & Beistenum, contra barbarorum excursiones construere cœpit. Verum barbari tantam suorum manum collegerunt, tantumque impedimenti objecerunt, ut hac vice Cruciferi ab opere incepto desistere cogerentur.

Mariæburgum Livoniæ.

An. 1337. Auxiliares Ordinis.

Anno ſequenti denuo rediit in Pruſſiam auxiliatum Ordini Joannes Boëmiæ Rex cum exercitu ſatis inſtructo. Erant in eodem comitatu viri Principes, Ludovicus Burgundiæ Dux, Heinricus Bavariæ, Wenceſlaus Lignicenſis, Palatinus Rheni & Comites Pedemontanus, Hanoniæ & Bergenſis, quilibet cum manu ſua militari. Hi per Cujaviam iter facientes Regem Caſimirum Vladiſlaviæ convenerunt, & ab eo comiter excepti denuo pacem conciliarunt inter Regem & Cruciferos, quæ & ipſa haud ſane fuit diuturna. His itaque copiis auctus Theodoricus Magiſter, primum omnium in Barbaros Livonienſes duxit, qui conſtructionem caſtri Mariæburgenſis non ita pridem impedierant, & cum nemo in aciem prodiret, agrum eorum ferro flammaque longe lateque vaſtavit, ac tunc demum caſtrum absque impedimento ædificari cœptum, & tantum præſidium ibi relictum eſt, quantum ſatis eſſet ad quamlibet barbarorum irruptionem ſuſtinendam. Deinde arcem Beyern ſeu Bavariam denuo communivit, & firmum ibi præſidium collocavit. Cum cæteris copiis populabundus Litvaniam ingreſſus, multos mortales captivos, & vim pecoris ingentem in prædam militum abduxit. Ibidem etiam in ſinibus foſſam longam ac prælatam duxit, & turribus ac propugnaculis inſtruxit, & præſidium impoſuit ad reprimendos Litvanos, ne in Sambiam facile excurrere poſſent.

Excurſio in barbaros Livonienſes.

In Litvaniam.

His ita peractis cum exiſtimarent Cruciferi, ſuis munitionibus jam ſatis proſpectum, novum pene emerſit malum, quod cum ipſorum ingenti damno futurum fuiſſet, niſi res per indicium emanaſſet. In arce Bavarica inter præſidiarios milites duo erant Wittingi ejusdem nominis, ambo Pruteni jam dudum converſi, ſed homines malitioſi & fluxæ fidei. Hi nefarium inter ſe cepere conſilium arcem Litvanis prodendi, ea ſpe, id absque ingenti præmio non futurum. Rem ex compacto ita inſtituerunt, ut alter ad magnum Litvaniæ Ducem Gediminum vel quempiam ex filiis ejus proficiſceretur, & ad copias eo ducendas inſtigaret, alter ad copiarum adventum noctu ignem arci injiceret, & portam ab incendio averſam clanculum aperiret. Prior apud Litvaniæ Ducem partes ſuas egregie peregit, ſic ut homini perſuaderet, & arcem intus ligneis modo trabibus compactam, & non admodum magno præſidio munitam eſſe, ideoque hac ratione facile poſſe capi. Oſtenderat etiam, hunc unum eſſe aditum Litvanis in Pruſſiam excurrendi, qui niſi aperiatur, nunquam tuto in Cruciferorum ditiones irrumpi licere. Gediminus proditoris ſermonem ad aures libenter admittens expeditionem ſuis indicit, ingentes copias contrahit, illis duces & centuriones præficit, & Wittingum ſequi jubet. Cæterum erat apud Gediminum nobilis adoleſcens Germanus bello captus, qui nonum jam ſervierat annum, & ita ſe ex Ducis ſententia probe geſſerat, ut jam intimus eſſet ex corporis cuſtodibus. Is ſecreto ſermonem proditoris exceperat, ideoque non ſuam minus quam popularium vicem dolens, conſilium ex tempore capit, vel cum capitis ſui periculo rem ad Cruciferos deferendi, & eadem opera in libertatem ſe vindicandi. Nec diu moratus, nocte quadam, cum Dominum lecto commendaſſet, equo clanculum conſcenſo celeriter Bavariam

1338. Proditio Wittingorum detecta.

advolat,

advolat, & indicio facto, quis eſſet, præfecto arcis omnem rationem machinationis proditorum detegit, docet eorum alterum cum hoſtibus adventare, alterum ejusdem conſilii participem in arce inſidias ſtruere. Hic continuo captus & tormentis ſubjectus rem omnem fatetur, deprehenditur etiam materia, quam in abdito loco ad ſuſcitandum incendium clam congeſſerat. Iam advenerat dies Dominica, quæ ſacroſanctæ Trinitati dicata eſt, cum Litvani arcem ingenti exercitu undique circumdant, nec aliud primum exſpectabant, quam ut orto incendio proditionis eventum conſpicarentur. Dum exſpectant, ecce Wittingus, qui remanſerat, ex arce in muro fracta gula ſuſpenditur. Quo ligno facilis erat conjectura facienda rem detectam eſſe. Et proceres Litvani protinus ira perciti alterum etiam Wittingum fruſtulatim concidunt. Sed ne in ſola proditione momentum expeditionis ſuæ poſuiſſe viderentur, rem viribus & aperto marte tentandam cenſent. Itaque cum omnibus copiis oppugnationem adoriuntur, eamque per dies viginti duos continuant, novis ſemper militibus ſuffectis, quorum plurimi cotidie a propugnatoribus interficiebantur. Tandem cum omnes vires periclitari & extrema tentare decreviſſent, biduum militibus indicunt, quo corpora curent, & ad expugnationem ſe parent. Interim Theodoricus Magiſter & Palatinus Rheni cum ſuis copiis ſilenti agmine adveniunt, & ex propinquo nihil præſentientibus Litvanis, iis qui in arce erant adventum ſuum clam nunciant, & quid fieri velint docent. Itaque ſequenti nocte utrinque in hoſtium caſtra fit impetus, multi adhuc ſomnolenti trucidantur, qui ad arma venire poterant aliquandiu reſiſtunt, tandem undique circumventi quaqua evadendi copia eſſet in fugam ſe conjiciunt. Caſtra direpta, ibique multa præda & non exigua copia vulneratorum capta. Magiſter Mareſcallum Heinricum Dusmarienſem cum equitatu mittit ad perſequendos hoſtes. Ibi denuo multi cæſi, multi etiam capti & ad Magiſtrum remiſſi. Mareſcallus ubi perſequendi finem feciſſet, de improviſo in territorium Medenicum ducit, ubi tum omnia erant ſecura, ideoque plus etiam damni illatum, & præda major ac luculentior inventa, quæ eo magis etiam milites paſſim a ſignis diſperſos & palantes habuit. Et quanquam Mareſcallus quantum poterat operam daret, ut diſperſos revocaret, ac in ordines cogeret, tanta tamen prædæ cupiditas fuit, ut non prius miles ſe receperit, quam ingens multitudo Litvanorum & Samogetarum undique confluxerit ad communem hoſtem opprimendum. Et ſane quilibet ex militibus Cruciferorum cum tribus barbaris rem habiturus videbatur. Itaque præ tanta hoſtium multitudine paſſim trepidari cœptum, & tam de ſalute quam victoria deſperari. At Mareſcallus & Palatinus, viri cordati, qui non ſemel ancipitem Martis aleam experti fuerant, ordines circumire, hortari, ac monere, ne quid eam hominum multitudinem metuerent, reliquias ſaltem illorum eſſe, qui ab arce Bavaria nullo pene negotio fuiſſent repulſi, quos ut perſequerentur & penitus extirparent, in agrum hoſtilem itum eſſe: optimum quemque jam antea cæſum & captum, hos meros eſſe fugitivos, alios ſervos, alios ex agris paſſim collectos, quorum maxima pars nullum unquam exercitum ſed ne ſignum quidem viderint: Ubi primum ſigna canere, &

Litvani Ravariam arcem oppugnant.

Litvani cæſi.

Expeditio in Litvaniam.

Exhortatio militum.

tum

tum clamorem tolli audiverint, continuo ſui compotes præ terrore non facturos, & mox fugam circumſpecturos: Et ut eſſent homines in armis exercitati, in eo tamen loco rem nunc eſſe, ut aut fortiter vincendum, aut honeſte moriendum, aut turpiter ſerviendum ſit: Cogitarent ſe tanquam capitales barbarorum hoſtes pro Religione Chriſtiana, pro gloria Divæ virginis, pro laude & vita denique pugnam pugnare, præſtare vero in acie occumbere, quam in hoſtium poteſtatem venire, qui captivos non vulgari modo occidere, ſed vivos cum armis ac equis cremare & cum ingenti cruciatu dæmonibus ſuis immolare ſoleant, ac ſi cui vitam condonent, miſerabilem ſervitutem, inter quotidiana verbera, flagella, vincula, tormenta, ſerviendam eſſe, ubi canes etiam meliori conditione ſint quam homines captivi: Viderent præterea tantam & tam luculentam ſe prædam ex hoſtibus nunc cepiſſe, quantam antehac vix audiverint, eam hoſtes recuperare velle, hinc illam multitudinem ad terrorem oſtentari, hanc ſi relinquere velint, jam cum hoſte depactum eſſe, nihil illos moraturos, quo minus ſalvi omnes hinc abirent: Cur autem in hoſticum profecti fuerint? Cur huc usque periculum capitis adiverint? Nempe ut laboris & periculi ſolatium aliquod acquirerent: Miſerum utique militem eſſe, cui pro labore perpetuo nullum unquam præmium ſperare liceat. Enim vero mihi (inquit Mareſcallus) minime veriſimile eſt, ullum eſſe inter omnes, qui ſub meis ſignis militant, qui ſi vel minimam prædam, unum ſaltem equum, bovem, vaccam, aut ovem ex hiſce hoſtibus cepiſſet, & tres inſtructis equis illum circumſtarent ad prædam eripiendam, non potius auderet ſolus tres proſternere & equos inſuper illorum lucrari, quam vel vaccam vel ovem a ſe captam illis reſtitueret. Nondum dicendi finis factus erat, cum milites ſponte ſe cohortari, metum omnem abjicere, ac nullo ordine, non exſpectato
Litvani denuo cæſi. imperio pro ſe quisque in hoſtem ruere, cædere, proſternere. Mareſcallus etiam vento vela dans ab omni parte ſigna canere jubet. Tantus impetu primo terror hoſtes invaſit, ut ægre aliquandiu reſiſterent, & continuo ſeſe in fugam effunderent. Mareſcallus fugientes diutius inſequi noluit, ſed receptui cecinit, eo tantum lætus, quod militis temeritas feliciter cecidiſſet. Et ſane miles de conſervanda potius & abducenda præda, quam hoſte perſequendo cogitare videbatur. Cæſi ex hoſtibus mille ducenti & viginti circiter, ſic ut tantæ multitudini plus omnino terroris quam cædis illatum fuerit. Pugnatum eſt in campo Galekuken, vel ut alii vocant Dablawken, ipſa die aſſumptionis Mariæ, anni ſupra
An. 1338. milleſimum trecenteſimum trigeſimi octavi. Mareſcallus inde quam primum abeundum cenſens, ne hoſtis iterum a tergo metuendus eſſet, prædam & captivos cum impedimentis præmittit, ipſe inſtructa acie & compoſitis ordinibus ſubſequitur. Sic quarto die, hoſte nullibi viſo, in Sambiam perventum. Quinquennium ferme deinceps a Litvanis otium fuit.

1341. Magiſtri obitus. Anno ſupra milleſimum trecenteſimum quadrageſimo primo conventus fuit Toruniæ, ut ibi de pace inter Polonos & Cruciferos ageretur, intercedentibus arbitris Ungariæ & Boëmiæ Regibus, & Legati cum mandatis omni ex parte miſſi aderant. Vix dum rem aggreſſi fuerant nuncia-

nunciatur, Magiſtrum Theodoricum vehementer ægrotare, & hominem decrepitæ jam ætatis ab iſthoc morbo non convaliturum. Exinde Carolus Boëmiæ Regis Ioannis filius, Marchio tum Moraviæ, qui præſens erat, Mariæburgum excurrit, ut vivum adhuc conveniret. Ubi id Theodorico nunciatum eſſet, quamvis corpore infirmus, juſſit ſibi tamen veſtes pretioſiſſimas indui, & ſic ornatus in lectulo conſedit, & Marchionis adventum exſpectavit. Cum eo diu multumque collocutus, præſertim ut Ordinem ejus gratiæ & amicitiæ commendaret, initio ſubſequentis ejusdem noctis in vigilia Sancti Viti placide vita exceſſit. Vir profecto omni laude digniſſimus, qui non ſolum in adminiſtrando ſummo Magiſtratu, ſed etiam in cæteris officiis, quorum præcipua diu geſſit, obeundis, adeo bene ac præclare de Ordine ſuo commeritus fuit, ut nullus pene Magiſtrorum ipſi fuerit comparandus.

Hic eſt Theodoricus, qui eodem quo obiit anno, decretum tulit Decretum de portorio maritimo a Gedanenſibus & Elbingenſibus percipiendo, ſuper Pfalgeldo. quod etiamnum hodie extat, & hiſce verbis perſcriptum eſt: Nos frater Theodoricus Burggrabius de Aldenborg, Ordinis domus Teutonicæ Hoſpitalis Sanctæ Mariæ in Hieruſalem, generalis Magiſter, univerſis præſentium notitiam habituris fore notum cupimus, & publice profitemur, quod diſſenſio ſeu diſcordia, quæ inter fideles noſtros, honorabiles & diſcretos viros, cives in Elbinga ex una, & cives in Dantzig parte ex altera, ex parte pecuniæ, quæ Pfalgeld in vulgari dicitur, vertebatur, in præſentia noſtri & fratrum noſtrorum hoc modo eſt complanata & ſopita, videlicet quod præſcripta pecunia Pfalgeld vulgariter nominata, proveniens de bonis quæ, ſupra Viſlam pervenerint, civibus in Dantzig debet perpetuo cedere & derivari. In cujus rei evidentiam & memoriam perpetuam ſigillum noſtrum præſentibus eſt appenſum. Datum & actum in Dantzig, anno Domini milleſimo trecenteſimo quadrageſimo primo, quarta feria ante Dominicam Palmarum. Hujus rei teſtes ſunt honorabiles & religioſi viri fratres noſtri, Ludolphus König magnus Commandator, Heinricus de Kniprode Commandator in Dantzig, Chriſtianus Vice-Commandator ibidem, Fridericus de Spangenberg, Eberardus Grieffe, Ioannes Langerbeck, Dominus Heinricus Sambienſis Eccleſiæ Canonicus, Capellanus noſter, & alii quamplures fide digni.

Eodem anno quo Theodoricus diem obiit, Livoniam pro Magi- Promagiſter ſtro gubernare cœpit Burcardus de Dreileven, qui Frauenburgum ædifi- Livoniæ. cavit, Mariæburgum autem a Theodorico cœptum abſolvit & totum communivit. Idem etiam ruſticos ſeditioſos in Livonia cohibuit. Nam Ruſtici Livonienſes qui Harriam incolunt, turmatim congregati una nocte mille octingen- ſeditioſi. tos homines Germanos Nobiles, nullo nec ſexus, nec ætatis habito diſcrimine, matronas, virgines, pueros, puellas, ſervos, crudeliter obtruncaverant. Illi deinde prædia, monaſteria, oppida diripiebant. Confluxerat ad eos tanta perditorum hominum manus, ut circiter decem millium exercitus eſſet. Ex hac hominum fece Principes & Duces ſibi conſtituebant, urbes & arces obſidebant, & multa flagitia per totam

eam provinciam perpetrabant. In Oſilia inſula Germanos omnes crudeliter interfecerant. Mox præfectum & Conventum in arce Poydena obſidebant. Obſeſſi cum diutius ſufficere non poſſent, abitum liberum & arcis deditionem paciſcebantur. Conditionem ruſtici acceperunt, ſed fidem minime ſervarunt. Ad unum enim omnes plusquam barbarice immaniter contrucidarunt. Hos nebulones & publicæ pacis everſores Promagiſter cum ex Pruſſia auxiliares copias, Duce Heinrico Dusmarienſe Mareſcallo & Commandatore Strasburgenſi, ſeptingentorum equitum accepiſſet, adeo ſevere ultus eſt, ut ſeditioſorum iſtorum circiter duodecim millia hinc inde per provinciam, & in Oſilia novem millia cæderentur, eorumque ruſticorum multo maxima pars funditus deleretur.

An. 1342. XVII. Magiſter. Anni ſequentis initio triduo ante Epiphanias in locum defuncti Magiſtri Generalis ſeptimus decimus ſublectus eſt, Ludolphus Kônig, Dominus de Weitzaw, Saxo nobilis, qui cum primum ſui regiminis annum in componendis Pruſſiæ & Livoniæ rebus impendiſſet, anno ſecundo pacem cum Caſimiro Poloniæ Rege poſt multas tractationes die Mariæ Magdalenæ, quæ menſis Julii vigeſima ſecunda eſt, hiſce conditionibus coivit: Ut Caſimirus jure omni quodcunque ille a Majoribus ſuis Poloniæ Principibus haberet in Pomerania, Culmenſi & Michalovienſi ditione (in Pruſſicis annalibus Nieſſowa, Orlowa, & Murinowa nominatim adjiciuntur) ſeſe poſterosque ſuos, jurejurando interpoſito, & literarum monumentis conſignatis abdicaret, ac de ſigillo etiam, quo Regia diplomata ſignantur, Pomeraniæ nomen eraderet: Ipſe viciſſim a Cruciferis Cujaviæ & Dobrini liberam & pacificam poſſeſſionem accipe ret, juxta ipſorum inſcriptionem, quam antea Caliſiæ die Sabbathi Kiliani martyris & ejus ſociorum eodem quem diximus anno ediderant. Sic tandem pax inter Polonos & Cruciferos tum conſtituta fuit, quæ dehinc circiter ſexaginta ſex annos, usque ad Regem Jagellonem & Magiſtrum Ulricum Jungingenſem perduravit.

Pax cum Caſimiro.

Gedanum munitum. Eodem anno Ludolphus Magiſter civitatem Gedanenſem novam ſive primariam (nunc vocant die rechte Stadt) muris & foſſis communire cœpit, cum antea palis & ligneis propugnaculis, humo ingeſta, fuiſſet munita. Dies ejus operis cœpti adhuc hodie in templo ſummo Mariano ſupra ſacrarium his verbis annotata reperitur. Anno Domini MCCCXLIII. feria quarta poſt Lætare poſitus eſt primus lapis muri civitatis Dantzk & poſtea proxima feria ſexta poſitus eſt primus lapis muri Eccleſiæ beatæ Mariæ Virginis, cujus dedicatio celebrabitur Dominica proxima poſt feſtum nativitatis Mariæ. Atque ab hoc tempore civitas Gedanenſis cœpit commerciis Polonicis & transmarinis acquirere ſibi non contemnendum incrementum. Eodem anno mandato ejusdem Magiſtri arx Bavarica, quod loco haud ſatis idoneo primum inſtituta fuerat, diruta fuit, & non procul inde in locum commodiorem & munitiorem translata. Nomen vetus manſit arci Bavaricæ, quam noſtra lingua Beyern vel Beyersburg nuncuparunt.

Arx Bavarica.

Neque

Neque diu poſt Litvani cum ingentibus copiis Sambiam invadunt, ac longe lateque ferro & igni devaſtant, homines omnes, quicunque in agris extra munitiones deprehenderentur, vel cæſi vel in captivitatem abducti. Erant tum cum Ludolpho Magiſtro Ludovicus Ungariæ & Joannes Boëmiæ Reges, & aliquot Germaniæ Principes, qui omnes cum comitatu ſuo Cruciferos juvare, & in Barbaros arma vertere ſe paratos oſtendebant. Ubi in Sambiam venerunt, hoſtes jam pedem retulerant, & verſus Livoniam ſe converterant, ubi exiſtimabant, ex ſententia rem ſibi ſucceſſuram, quandoquidem Promagiſter, ut antea dictum eſt, ruſticorum graviſſima ſeditione diſtrahebatur. Reges & Principes, qui cum Ludolpho erant, ſuadebant, ut omnes copiæ hoſtem inſequerentur & Livoniæ auxilium ferrent. Cui conſilio ille obſequi nolens in Litvaniam progreſſus agros alioquin vacuos & deſertos undique populabatur, neque multum tamen proficiebat. Qua re offenſi Reges ac Principes plerique domum contenderunt. Interim Litvani, qui in Livoniam de improviſo eruptionem fecerant, arcem Tarweitum nocturna proditione Semigalli cujusdam occupant, ac ibi ſeptem fratres Ordinis cum omnibus Germanis trucidant. Deinde Mitoviam progreſſi oppidum incendio conſumunt, cumque ignis vi venti latius evagaretur, arcem ſimul comprehendit, ibique etiam fratres aliquot & circiter ſexcenti homines flammis miſere perierunt. Itum porro in territorium Doblenum, ubi omnia crudeliter devaſtata, homines partim cæſi, partim cum uxoribus & liberis, tanquam pecudes agminatim in ſervitutem abacti. Eodem furoris curſu usque ad fluvium Dunam & civitatem Rigenſem excurrunt, ubi paulo ante barbarorum adventus nunciatus & vix creditus fuerat. Omnem agrum circumcirca illi devaſtant, inde ad novum molendinum procedunt, & primo impetu ſuburbium capiunt ac incendunt, incolas autem omnes ferro crudeliter obtruncant. Eadem calamitas Segewoldenſes & Walkenſes oppreſſit, & nihil a cædibus & rapinis intactum reliquit. Atque ita barbari nemine obſtante maximam prædæ vim, & innumeros mortales in miſerrimam ſervitutem abduxerunt.

An. 1344. Litvanorum eruptio.

Magiſter conſilium bonum male ſpernit.

Livonia miſere vaſtatur.

Hæc clades Livoniæ illata eo magis Ludolpho Magiſtro dolebat, quo imprudentius ille rem geſſerat, quoque minus expeditione ſua in Litvaniam converſa profecerat, ac interim Livonenſes omni auxilio deſtituerat. Neque extranei ſolum auxiliares ipſi factum hoc exprobrabant, quod ipſos a propoſito hoſtes in Livoniam usque perſequendi averterat, ſed etiam multo magis a domeſticis & præſertim fratribus Livonienſibus crimini dabatur, quod prudens ſciens provinciam & miſeros ſubditos hoſti prædæ expoſuiſſet, ac quantum in eo eſſet ſponte prodidiſſet. Id probri genus hominem alioquin animi impotentem & ad iram proclivem adeo perculit, ut mente moveretur, & in furorem incideret. Unde multa mira & aliena ab hominum ſenſu profari ſubinde cœpit, quæ nemo vel intelligere vel divinare poſſet. Primores benignis verbis ipſum aggreſſi ſuadebant, ut Magiſtratu tantisper ſe abdicaret, donec ipſi valetudo reſtituta eſſet, ac interim alium ſibi ſubſtitui haud ægre pateretur. Neque deſunt, qui ſcribunt, eum dicto audientem fuiſſe, & in alterius electio-

Magiſter animi dolore ad inſaniam redactus.

electionem conſenſiſſe. Sed quid quæſo furioſus conſentiret, qui dubio procul ipſemet ſtatum & conditionem ſuam ignoraret? Accidit tandem, ut unum ex miniſtris incautius cum eo converſantem cultro confoderet ac perimeret. Quo facto primores Ordinis ipſum in caſtrum Engelspurg, quoad vixit, concluſerunt, eo interim colore ad vulgus prætenſo, quaſi Magiſtratu ſeſe ſponte abdicaſſet, & deinceps Commandator vel præfectus ejus arcis futurus eſſet. Neque ſane diu ſupervixit & poſt obitum in Mariæ Inſula humatus eſt.

Magiſter in caſtrum concluſus.

Sufficitur in ejus locum octavus decimus Magiſter generalis Heinricus Dusmarienſis de Arffberg Nobilis Pomeranus, ipſo die Luciæ anno ſupra milleſimum trecenteſimum quadrageſimo quinto, qui imperii fuit ultimus Cæſaris Ludovici Bavari, & Regni decimus tertius Caſimiri magni, cum quo pacem a prædeceſſore initam renovavit, & quoad Magiſtratui præfuit, firmiter conſervavit.

An. 1345. XVIII. Magiſter.

Hic primus latos groſſos, Bohemici groſſi valore, in Pruſſia excudit. In uno latere cernebantur inſignia Ordinis Crucis liliatæ cum hac inſcriptione: Heinricus tertius Magiſter generalis, Dominus Pruſſiæ: in altero inſignia Magiſtri gentilitia, cum hac inſcriptione: honor Magiſtri juſtitiam diligit. Nihil prius fuit huic Magiſtro, quam ut cladem & ignominiam nuper in Sambia & Livonia acceptam ulciſceretur. Itaque omnes ordinis vires ex Pruſſia & Livonia, quadraginta circiter millia militum contrahit, & recta in Litvaniam ducit, tanta ubique cæde, rapina, incendiis & populatione, quantam antehac Litvania nunquam fuerat experta. Occurrit magnus Dux Olgerdus Gedimini filius cum auxiliaribus Smolenſciis, Polocenſibus & Ruſſis, innumerabilem ferme multitudinem ſecum trahens, committitur prælium ingens ipſo die purificationis Mariæ anno ſupra milleſimum trecenteſimum quadrageſimo ſexto, in campo Augken vel Oukaym, ubi utrinque permultum ſanguinis tam Chriſtiani quam Ethnici profuſum eſt, adeo ut rivi defluerent, & campus cadaveribus conſtratus videretur. Vix unquam alias cum Litvanis atrocius & obſtinatius pugnatum. Inclinavit tandem ad Cruciferos victoria, & hoſtes quantumvis longe numero ſuperiores in fugam acti. Cæſa in acie plusquam viginti duo millia hominum, ut annales Pruſſici una voce teſtatum reliquerunt. Ipſe Mechovita Polonicus ſcriptor octodecim millia Litvanorum & ſociorum eo prælio ſcribit occubuiſſe. Ob hanc victoriam, & ex præda inde comparata Cruciferi cænobium monialium in oppido montis Regii Lebenicio extruxerunt, & manubiis Litvanicis locupletarunt. Magiſter ut fortuna uteretur, neque hoſtibus reſpirandi facultatem daret, ſequenti æſtate rurſus in Litvaniam duxit, ac ibi arcem & oppidum Vielunum obſedit, mox vi cepit, diripuit, ac ſolo æquavit, totum deinde territorium ferro flammaque devaſtavit, ac ingentem prædam hominum & pecorum in Pruſſiam reduxit. Deinde Ioannisburgum ad fluvium Piſſam extruxit, ut eo facilius Litvanorum excurſiones coërcerentur.

Lati groſſi.

Expeditio in Litvaniam.

1346.

Pugna cruenta.

Cœnobium Lebenicenſe.

Vielunum arx capta.

Litvani

Litvani eo accepto duplici incommodo non adeo dejiciebantur animis, quin ſe Chriſtianos egregie ulturos, & eorum ſuperbiam & dominandi nimiam libidinem fracturos minime diffiderent. Itaque Olgerdus auxilio fratris Kinſtoudi & Ruſſorum Regis Normanni, ut Wigandus ſcribit (ego vero exiſtimaverim fuiſſe Narimundum Olgerdi & Kinſtoudi fratrem, qui permagnam Ruſſiæ partem obtinebat) anno ſequenti, magnis contractis copiis Litvanorum, Ruſſorum & vicinorum Ethnicorum, circa Bachanalia in Pruſſiam populabundus denuo pervaſit, ac quantum omnino iſtis copiis fieri poterat, Chriſtianorum ſubditos, rem & agros dedit internecioni. Quarta die poſt Dominicam Invocavit Litvani iſti, cum tanta hominum multitudine Raſteburgum ſubito oppreſſerunt, ac direptum incenderunt, Chriſtiani omnes ſine ſexus & ætatis diſcrimine crudeliter cæſi, Barthenſe deinceps territorium totum depopulati arcem Girdawam oppugnarunt, quam cum capere nequirent, vicis & pagis paſſim incenſis, Luneburgum oppidum ceperunt ac incenderunt, ab arce per præſidiarios fortiter repulſi, omnem iram ac furorem in pagos & agrum effuderunt. Inde Raſteburgum eſt reditum, ubi cum unum diem ſtativa habuiſſent, in Varmiam prædabundi excurrunt, arcem & oppidum Reſſelam capiunt, diripiunt & incendunt, atque hinc cum ingenti præda, & captivorum numero diſcedunt. Heinricus Magiſter indignitate rei tam ſubitæ vehementer commotus, per totam Pruſſiam & Pomeraniam omnes omnino mares, qui per ætatem arma ferre poſſent ad ſigna cogit ac inſtruit, exiſtimans ſemel jam cum Barbaris depugnandum eſſe. Nec tamen tam cito potuit copias expedire, quin interim illi agrum Ragnitenſem devaſtarent. Inde per ſylvam Graudenſem profecti Welaviam capiunt vacuam ac deſertam, quod incolæ metu adventantium hoſtium profugerant. Oppido direpto & incenſo, per agros Wolmerienſem & Wunsdorffienſem longe lateque devaſtatos, cum præda paulatim domum ſe recipiunt. Iam Magiſter copias ſuas omnes contraxerat, & hoſtium veſtigiis inſiſtebat, cum per exploratores undiquaque dimiſſos cognoſcit, Barbaros præda onuſtos, pedetentim ſe recipere, itaque prævertendum ratus Inſterburgum ducit, ac inde notis viarum compendiis per ſylvas iter facit, ubi quamprimum hoſtes ſe conſequi poſſe cenſebat. Tertio demum die per exploratores comperit, illos ad flumen Strebam (alii Strebniciam ſcribunt) conquieſcere & prædæ partitioni operam dare. Magiſter eo quam maxime poteſt ſilenti agmine contendit, & ita ſuos inſtruit, ut hoſti a fronte eſſent turmatim, fluvius autem tergum hoſti clauderet, quo minor effugiendi ſpes eſſet. Inde repente ſigno dato hoſtes undique premuntur. Multi cæſi priusquam ad arma, ad equos, ad ordines venire poſſent. Fit atrox prælium, in quo fratres Ordinis quinquaginta & cæterorum militum circiter quatuor millia deſiderata, Litvanorum & Ruſſorum ultra octodecim millia cæſa, cæteri in fugam conjecti, quæ nullibi ferme quam per fluvium patebat, ubi alii ab aliis in aquam impulſi magnam inter ſe ipſos ſtragem ediderunt, ſic ut Mechovita ſcribat, plures in fluvio quam in pugna periiſſe, inter quos fuit Narimundus Ruſſorum ductor, (Mechovita Ducem Smolnenſem vocat) qui viribus equi alioquin eximii confiſus, qui cum alias etiam latiora

An. 1347. Olgerdi, Kinſtoudi & Narimundi in Pruſſiam eruptio.

Raſteburgum.

Luneburgum.

Reſſela.

Welavia.

Litvani & Ruſſi cæſi.

Narimundus in fluvio perit.

latiora & rapidiora flumina tranaſſet, amnem ingreſſus, armorum pondere & equum fruſtra cum aqua colluctantem & ſe ipſum oppreſſit & in voragine ſubmerſit. Cæteri qui aquæ ſe committere non auderent, abjectis armis ſe dediderunt & vitam precario ſervarunt. Omnis præda recepta & dominis ut plurimum reſtituta.

Litvania vaſtatur. Secundum hanc victoriam Magiſter Mareſcallum Sivardum de Tannenfeld cum parte copiarum in Litvaniam prædatum emittit. Is ſex dierum itinere progreſſus omnia longe lateque devaſtat, unoque prædationis tenore territoria Pervare, Geſow, Eroglen & Paſtow penitus direpta & incendiis devaſtata ac ingens numerus hominum & pecorum abVielunum denuo captum. ductus. Cum altera copiarum parte Magiſter arcem Vielunum aggreditur. Eam jam antea Cruciferi captam ſolo æquaverant, ſed Vithenes Dux paulo poſt ex cineribus reſuſcitaverat, & longe quam prius eſſet munitiorem reddiderat. Magiſter iis, qui in arce erant denunciari jubet, ut aut arcem ſibi dederent, ſeque captivos omnes ſiſterent ac imperata facerent, aut malam cædem, omni gratia deinceps excluſa, exſpectarent. Erant in præſidio armatorum mille quingenti præter imbellem multitudinem, quæ ex agris eo confugerat. Hi metu victi & malum metuentes, quantumvis tueri ſe facile potuiſſent, abjectis tamen animis etiam arma abjiciunt, & ſponte deditionem faciunt. Ita enim fieri ſolet, in bello præſertim, ubi ſemel quis vicerit, ut ea etiam, quæ vinci non poſſent, ipſa victoris fama facile concidant. Magiſter dedititios cum cæteris captivis in colonias per Sambiam diſtribuit, & ſacris Chriſtianis initiari curavit. Arx autem Vielunum ſecundo jam diruta & complanata eſt.

An. 1347. Anno ſupra milleſimum trecenteſimum quadrageſimo ſeptimo,
Promagiſter Livoniæ. Promagiſter Livoniæ creatus eſt Goswinus de Ercken, antea Commandator Velinenſis, cujus regiminis tempore magnus Magiſter, quem diximus, Heinricus a Daniæ Rege Waldemaro ejus nominis tertio, & fraHarria, Wirlandia, Narva, Revalia, emptæ. tre ejus Otthone, provincias Livoniæ Harriam & Wirlandiam cum tribus oppidis & arcibus, Revalia, Narva, & Weſenbergo, cum omni jure, proventu & fructibus, præſentariis undeviginti millibus marcarum argenti puri jure hæreditario emit & Ordini acquiſivit. Perfecta eſt venditio ipſo die Ioannis Baptiſtæ in Caſtro Mariæburgenſi Pruſſiæ, & deinde die omnium ſanctorum traditio oppidorum, caſtrorum, agrorum, ſubſecuta eſt, & Otho Regis frater Ordinis inſignia ſuſcepit.

1348. Anno ſequenti ipſo die paſſionis Dominicæ ante feſtum Paſcha-
Olivenſe Monaſterium exuſtum. tos, cum monachi monaſterii Olivenſis poſt peracta ſacra in Refectorio conſediſſent, & ſuo more ejusdem diei epulas, panem & aquam perciperent, in culina autem coqui & lixæ tubum, per quem fumus evaporat, igne expurgare vellent, ut ad feſtum inſtans purior & nitidior eſſet, eamque in rem plurimum ſtraminis & ſarmenti comportarent, ac inde ignem excitarent, ingens inde ortum eſt incendium. Flamma enim ex tubo evolans vicina domicilia corripuit, ac in tantum evaluit, ut nulla ratione extingui poſſet, donec templum etiam comprehendit, & ſic una cum templo,

templo, domicilia, dormitoria, horrea, & quicquid tandem ædificiorum in toto monaſterio erat, incendio iſthoc exuſta ſunt, ut præter muReſtauratum denuo. ros nihil omnino reliquum ejus monaſterii maneret. Magiſter Heinricus Dusmarienſis, Commandatarius magnus Heinricus ſive Winricus de Kniprode, Gerardus Abbas Pelplinenſis, Matthias Epiſcopus Cujaviæ, Ioannes Epiſcopus Varmienſis, Jacobus Culmenſis & Jacobus Sambienſis & Arnoldus Pomezanienſis, tantum pecuniæ contribuerunt, ut monaſterium iſtud intra vertentem annum reſtauraretur, & multo commodioribus ædificiis ac diætis, & templo quoque ſplendidiori exornaretur. Hinc eſt, quod deinde Cruciferi gloriari conſueverunt, ſe legitimos ac veros fuiſſe monaſterii Olivenſis conditores, cum exuſtum e cineribus reſtauraſſent, & in meliorem ac ampliorem ſtatum, additis multis ornamentis perduxiſſent.

Magiſter Heinricus Dusmarienſis poſt tantas clades Litvanis & Magiſtri deceſſus. Ruſſis illatas a barbaris vicinis pacem deinceps habuit, quam diu inter homines ſuperſtes fuit. Et Litvani cum tot homines ſuæ nationis cæſos, alios in ſervitutem abductos, agros autem vaſtatos & deſertos viderent, facile otium patiebantur, atque etiam in lucro ponebant, quod Cruciferi non acerbius victoriam exercerent. Magiſter exceſſit rebus humanis, vel ut aliis placet, Magiſtratu ſe abdicavit anno 1351., quem ſex annos An. 1351. feliciter non minus quam prudenter geſſerat, & deinde in arce Brettiana diem obiit, Mariemburgi ſepultus.

Sequitur Magiſter generalis decimus nonus, Heinricus (quem alii 1351. XIX. Heinricus Kniprodius. Winricum nuncupant) de Kniprode, anno ſexto Caroli quarti Imperatoris ac decimo nono Poloniæ Regis Caſimiri, quo eodem anno Olgerdus Litvaniæ Dux, Jagellonis pater, Tartaros evocavit, ad Podoliam & deinceps Poloniam devaſtandam. Erat hic Magiſter vir gravis, pius & juſtus, quique ſtudia pacis maxime coluit, niſi quantum a Litvanis ad bellum, quantumvis invitus ac nolens, pertraheretur. Magiſtratum geſſit ſumma cum laude, oppidis, arcibus, templis & monaſteriis, quæ ſuperiorum bellorum injuria cladem accepiſſent, diligenter reſtauratis, adeo, ut hoc Principe Pruſſiæ ſtatus longe fuerit florentiſſimus. Inter cætera opera adjecit urbi Regiomontanæ alteram in Pregelæ inſula ædificatam, dictam a ſuo nomine Knipoviam, quaſi Kniprodi aulam, ubi hodie Academia ſita eſt. Tertia etenim ibi civitas Lebenich jam antea fuerat ædificata, & ſortita nomen vel a rivo Leba, qui ibi Pregelam influit, vel a veteri pago, qui ibi ſitus fuit, ubi primum vetus civitas Regii montis cœpta fuit ædificari. Inſtituit Mariemburgi collegium Juriſconſultorum, qui de qualibet tam civili quam Eccleſiaſtica re conſulentibus jus dicerent vel de jure cujusvis cauſæ reſponderent. Sancivit illud etiam in omnibus Terrarum & civitatum Judiciis nominatim, ut quilibet, cui dicendæ ſententiæ jus eſſet, opinionis ſuæ rationem vel ex jure ſcripto, vel æquitate naturali, vel hiſtoriarum probatarum exemplo, proferret ac allegaret, alioquin jus ferendæ ſententiæ non haberet. Hic primus etiam leges veſtiarias tulit, & in ſingulis civitatibus arborem

Inſtituta Magiſtri.

erexit, qua ſingulis annis in feſtivitate Pentecoſtes baliſtis aves ligneæ dejicerentur. Inſtitutum pro iſthoc tempore ſatis utile, noſtro ſeculo pro ſclopetis in bello etiam ridiculum. Inſtituit etiam, ut pro domibus defunctorum velum album ſuſpenderetur, quod (ut opinor) peſtilentiæ tempore, quæ ſtatim ſecuta eſt, factum fuit, quo nimirum quilibet contagionem eo facilius evitaret. Sed morem hunc penes mortuos etiam extra peſtilentiæ tempus, in hunc usque diem in Tempeſtas. Pruſſia ſervamus. Eodem anno quo Magiſtratum Heinricus Kniprodienſis iniit, eo die qui Crucis exaltationi dicatus eſt, tanta fuit in mari Baltico & vicinis littoribus tempeſtas, ventis inter ſeſe vehementer dimicantibus, ut in portu Gedanenſi ſexaginta naves onerariæ ſimul & ſemel perierint, & triginta ſeptem eminentiores turriculæ templorum dejectæ fuerint. Quid alias damni in mari navigantibus datum ſit, facile eſt conjectari.

An. 1352. Peſtis. Anno inſequenti Pruſſiam alia calamitas invaſit, quam illa tempeſtas inuſitata anni præteriti portendiſſe videri poteſt, qua per hyemem per ſe laxam, non frigori multum, ſed ut plurimum imbribus continuis obnoxiam, in civitate ſaltem Gedanenſi ultra tredecim hominum millia conſumpta ſunt. Et cum ea lues per totam Pruſſiam pari ſævitia paſſim graſſaretur, Torunii quater mille & trecenti homines, Elbingæ circiter ſex millia, in monte Regio octo millia, ex fratribus Ordinis centum ſeptendecim hinc inde perierunt. Quid in cæteris civitatibus, quid in pagis & villis ea peſtilentia labis dederit, ex eo facile æſtimari poteſt, quod in tenuiorum hominum turba & converſatione ſemper iſte morbus graſſari ſolet gravius, quam apud locupletiores, qui nonnihil & medicamentis & locorum ac aëris mutatione prævenire poſſunt.

Expeditio in Litvanos. Eodem anno, quo peſtis graſſabatur, 1352. nunciatum fuit novo Magiſtro, Litvanos rurſum in armis eſſe, & de vaſtandis Cruciferorum ditionibus cogitare, quaſi ſcilicet cum defuncto Magiſtro victore victoria jam ipſis Litvanis blandiri vel ipſos ſponte vocare videretur. Itaque Magiſter melius illud exiſtimans prævenire, quam præveniri, ſtatuit ipſis in illorum finibus occurrere, & neceſſitatem in Pruſſiam erumpendi compendio facere. Erant cum Magiſtro Burggrabius Norinbergenſis & Comes Ottingenſis. Hi populabundi per territoria Geſow, Eroglen, Roſgayn, Duklen & Paſtow progreſſi omnia vaſtabant, & plurimum damni hoſtibus ad primum adventum perterritis inferebant. Sed & Cruciferis ea populatio minime ceſſit proſpere. Ingruente enim maxima vi pluviarum, cum metuerent, ne paludes & flumina gelu concreta, per quæ venerant, imbribus emolleſcerent, & ſibi reditus præcluderetur, raptim copias omnes reduxerunt, ſic ut fugientibus quam victoribus ſimiliores viderentur. Captivos & prædam ferme omnem in ea feſtinatione relinquere cogebantur, interim per loca vaſtata redibant, ubi nec pabuli nec commeatus copia ſuppetebat. Multi equi inedia & laſſitudine conſumpti, equites ipſi, qui pedites incedere non aſſueverant, fame & frigore enecti. Inter paludes etiam imbre jam reſolutas non pauci cum equis & impedimentis abſorpti: reliqui vix ægre domum repedarunt.

Litvani

Litvanorum quadripartita eruptio. Litvani cladem hanc ulturi, haud diu poſt circiter Bachanalia copias ingentes contrahunt, & per lacum Curovienſem tum etiam gelu concretum, in ditiones Ordinis quadripartito agmine impreſſionem faciunt, quibus in locis nulla omnino de hoſtium adventu poterat eſſe cogitatio. Primum agmen adverſa ripa fluvii Camiſcii usque in territorium Schaken pervaſit, ubi omnia flammis & ferro repente vaſtata, pecudes & captivi raptim abducti, qui ſequi non potuerant, pueri, mulieres, virgines, quadrupedes, conſtricti & in carpentis congeſti avehebantur. Virorum qui primo impetu reſtiterant circiter ſeptingenti occiſi. Secundum agmen juxta rivum Kuſkein incedens, territorium Powinden invaſit, ubi ſimili furore omnia proſtrata. Tertium in territorio Kaymen ſimilem crudelitatem exercuit, & ibi quoque captivi minoris & tenerioris ætatis quingenti vincti in carpentis abducti fuerunt, cæteri omnes ferme trucidati. Qui in ultimo erant agmine ſecundum ripam fluvii Deimæ progreſſi, Labiam usque populabundi pervenerunt, ſed non eadem fortuna qua cæteri. Commandator enim Heinricus Schindekopp cum præda revertentibus ſeſe objecerat.

Litvani cæſi. Hunc itaque declinantes aliam viam, quantumvis ignotam, verſus lacum Curovienſem ingrediuntur, ubi cum paludes non ſatis a gelu firmatas perrumpere vellent, plurimi eorum cum equis & carpentis in voraginibus abſumpti perierunt. Inſtabat a tergo Heinricus & poſtremos impigre cædebat. Idcirco qui ſupererant relictis paludibus, pleno gradu rurſum verſus Deimam properant, ubi cum non tanta eſſet glaciei firmitudo, ut tantam hominum & equorum multitudinem ſimul irruentium ſuſtinere poſſet, circiter quingenti perierunt. Reliquos denuo ad lacum Curovienſem properantes Heinricus ſtrenue inſecutus maximam eorum partem concidit, ſaltem quadraginta quinque per deditionem conſervatis.

Olgerdi & Kinſtoudi eruptio. An. 1353. Sequenti anno, ineunte vere, ambo Litvanorum Duces Olgerdus & Kinſtoudus in Pruſſiam populabundi venientes, circa Reſſelam omnia longe lateque vaſtabant, & magnam hominum cujuscunque ſexus & ætatis multitudinem immaniter trucidabant, mille inſuper & quingentos captivos in ſervitutem abducebant. Succurrunt continuo cum auxiliaribus copiis Præfectus ejus loci Fridericus de Obart & Commandator Heinricus de Kranichfeld, qui de improviſo hoſtem invadentes complures illorum cædunt, tandem etiam in fugam convertunt. Ipſi prævindictæ ſtudio longius præ cæteris veſtigia fugientium inſecuti mox ab hoſtibus undique circumventi & oppreſſi trucidantur. Quo facto perculſi milites illorum ab inſequendis hoſtibus deſtiterunt. Litvani etiam, quod majores copias adeſſe ſuſpicarentur, nihil aliud conati, quantocyus poſſunt iter accelerant; & quia captivi remorabantur, nec equorum curſum adæquare poterant, eos omnes, absque diſcrimine ſexus vel ætatis plusquam barbarica immanitate ad unum trucidant. Hanc tam inſignem crudelitatem non virorum modo ſed magis etiam fœminarum, & puerorum, adeo ægre ferebat Magiſter, ut extemplo publicam expeditio-

peditionem oppidatim & vicatim indiceret, facinus inhumaniſſimum quaqua poterat fortiter ulturus. Verum & totam eam æſtatem & autumnum inſequentem continui imbres adeo impeditum reddiderunt, ut neceſſario res in alterum annum eſſet differenda.

An. 1355. Expeditio in Litvanos.

Initio igitur menſis Februarii Sivartum de Tannenfeld Commandatarium Ragnitenſem cum ingenti exercitu in Litvaniam mittit. Is quinque dierum itinere in hoſticum progreſſus, territoria Medenicum, Eroglen, & Wayken, nemine reſiſtente vel in aciem prodeunte, penitus evaſtavit, & tot omnino mortales cecidit, ac tantam prædarum vim abduxit, ut calamitatem Pruſſis illatam hoc modo facile compenſaſſe videretur. Ineunte æſtate rurſus in Litvaniam irrupit, & itidem ut prius plurimum damni dedit, ſed ne ſic quidem hoſtes ad pugnam elicere potuit. In hyemem ſequentem iterum tentare fortunam decreverat, ſed aliud interim malum accidit, quo rationes ejus inſtituti plane ſunt conturbatæ. Etenim in ipſis diebus feriatis nativitatis Dominicæ, nocte quadam in arce Ragnitenſi adeo ſubitum extitit incendium, ut non prius extingui potuerit, quam & ædificia omnia & pecudes cum equis, & omnes aliæ res præter homines periiſſent, & in cineres redigerentur. Itaque Magiſter ſequenti æſtate Ragnitum denuo ſed commodiore loco, ubi hodie etiam ſitum eſt, reædificavit. Excitavit etiam rurſus arcem Schalawonicam, quam Litvani ante annos aliquot vaſtaverant, atque inde opere communito foſſam longitudinis dimidii miliarii usque ad lacum Ragnitenſem perduxit. In hac munitione cum omnia ipſemet præſens perluſtrare vellet, forte ex ſubſtructione perticarum negligentius inter ſe connexarum decidens, dextrum crus fregit. Interim Kinſtoudus cum aliquanta barbarorum manu in Pruſſiam erumpens, Allenſtenium arcem & oppidum circumſedit, cum nihil proficeret, agris circumcirca vaſtatis, ſedecim pagis exuſtis, cum captivis & præda domum reverſus eſt.

1357. Rurſum in Litvanos.

Anno ſequenti Cruciferi novis copiis ex Germania aliquot Principum, Comitum, & Nobilium aucti ſunt, quibus acceſſit etiam Comes Burgenſis ſive Biturigum ex Gallia (vel Burgundiæ fortaſſis) qui multos ſecum equites gravis armaturæ adduxit in expeditionem, quam contra infideles ethnicos ex voto ſuſceperat. His ſociis Sivartus Tannenfeldenſis in hoſticum duxit, & agrum omnem usque ad fluvium Mekovum pervaſtavit. Idem factitatum eſt in territoriis Wayken, Rosgeine, Subna, Galva, atque inde a Piſtenſi agro usque in Velunenſem, cum nemo in aciem usquam prodiret, populationes ſecure peractæ, & ingens præda reducta. Interim cum exercitus in varias partes prædæ cauſa diſcurreret, aliquanta Litvanorum manus impedimenta cum calonibus & lixis eo, quo ſubſtiterant loco, oppreſſerunt, & præſidiariis circiter
1358. centum quinquaginta cæſis, quicquid ibi rerum erat, occuparunt. Se-
1359. quentibus duobus annis utrinque fuerunt induciæ & excurſionum ceſſatio. Intra quod tempus Sivardus (quem diximus) Commandator Ragnitenſis, & idem Provinciæ Mareſcallus, quem præfectum prætorio rectius

rectius dixeris, qui quoad vixit plurima Litvanis mala intulerat, vitam cum morte commutavit ipſo die Gregorii anno MCCCLIX.

An. 1360.

Anno ſupra milleſimum trecenteſimum ſexageſimo, novus prætorio præfectus Henningus Schindekop juſſu Magiſtri binas in Litvaniam expeditiones denuo fecit. Sed cum hoſtem nusquam inveniret, & a prioribus incurſionibus omnia paſſim eſſent deſerta ac vaſtata, parum hoc tempore profecit. Variat hic Mechovita, qui ſcribit, ipſum Magiſtrum magnum Vinricum, adventu Marchionis Brandenburgenſis animatum in Litvanos expeditionem egiſſe, & Mareſcallo Pruſſiæ Schindekop exercitui præfecto, terras Litvaniæ vaſtaſſe, ſpoliaque & captivos in Pruſſiam reduxiſſe, alteram expeditionem hyeme inſtante in Litvanos reſumpſiſſe, & tertiam eadem hyeme peregiſſe: Et his tribus expeditionibus Litvaniam adeo vehementer adflixiſſe, ut pro majori parte deſertam reliquerit. Tertiam expeditionem reliquis duabus Ducis Kinſtoudi captivitate viſam inſigniorem. Sed hæc ſequenti demum anno contigit, ut mox dicetur.

Livoniæ Promagiſtri.

Eodem anno Promagiſter Livoniæ conſtitutus eſt Arnoldus a Vittinghauen, Commandator Mariæburgenſis. Cui ſucceſſit Guilelmus de Frymerſen, qui ambo continuis bellis, contra Ruſſos, Litvanos, & Semigallos conflictati fuerunt. Hunc ſecutus eſt Ludovicus (vulgo Lobbe) de Ulſen. Quot annos horum quilibet Magiſtratui præfuerit, non tradunt annales Livonici. Conſtat autem univerſum tempus regiminis eorum fuiſſe annos circiter ſex & triginta.

1361. Litvani cæſi.

Anno ſequenti Magiſter magnus Winricus ipſemet ingentem collegit exercitum & in Litvaniam duxit, eo propoſito, ut aut hoſtes ad pugnam eliceret, aut in intima Litvaniæ viſcera penetraret, & ea, quæ hactenus integra & intacta fuerant, devaſtaret. Occurrerunt illi, quod maxime optabat, ambo Principes fratres Olgerdus & Kinſtoudus, & poſt hos Patrikigus Kinſtoudi filius cum maxima Litvanorum & Ruſſorum multitudine. Nec prælii mora a quoquam facta. Concurſum fuit infeſtiſſimis utrinque animis & diu acriter & acerbe pugnatum ab ortu ferme ſolis usque ad multam noctem. Ibi maxima pars Barbarorum cæſa, cæteri in fugam conjecti, & Chriſtianis haud incruenta victoria ceſſit. In fuga Kinſtoudus ab Heinrico Curatore Eckerſpergenſi equo dejectus & captus eſt. Patrikigus etiam a Conrado Hobergenſi dejectus eandem ſubiiſſet fortunam, niſi a ſuis continuo ſuccurrentibus, ereptus & in alium equum impoſitus fuiſſet. Pugnatum fuit ipſa die Dominica Judica eo, quo dictum eſt, anno. Kinſtoudus captivus, Mariæburgum in Pruſſiam deductus, arcta admodum cuſtodia noctu dieque a Cruciferis cum præſidio aſſervabatur, nec ad illum quisquam ex ſuis admittebatur. Solus erat Magiſtri ipſius famulus, unus ex cuſtodibus corporis, cui permagnam fidem Magiſter habebat, qui cibum, potum & alia neceſſaria adminiſtraret. Hujus ope Kinſtoudus paulo poſt cuſtodiam evaſit, hoc quidem compendio. In eo conclavi, ubi aſſervabatur, Kinſtoudus

Kinſtoudus capitur.

ſtoudus animadvertit in muro ſpatium ſatis amplum, quo minus ea pars reliqui muri craſſitudinem adæquaret, fortaſſis ideo a fabris relictum, ut armarium aliquod ligneum eodem coaptaretur. Conclave totum alioquin ſignis & tapetis, ut tali Principe dignum magnifice & ſplendide apparatum erat, & hæc ipſa muri pars periſtromate contecta, de qua nemo ſuſpicabatur, Kinſtoudus autem ſolicite exploraverat. Quantum autem ſenſu conſequi poterat, videbatur murum eum in foſſam arcis deorſum protendi, ſpatium autem iſtud vacuum craſſitudine vix tertiam reliqui muri partem adæquare facile deprehendebat. Ejus itaque perfodiendi conſilium inire cœpit. Antequam autem quidquam tentaret, placuit prius adminiſtri animum explorare, ſi quibus promiſſis ac pollicitationibus eum ſibi devincire poſſet. Facilius quam putaverat homini perſuaſit, ut omnem operam polliceretur. Erat is genere Litvanus, in baptismo nomen Adolphi ei compoſitum fuerat, ſed per complures jam annos egregiam & fidelem Cruciferis operam navaverat, adeo, ut plerique jam ejus originis & gentis non meminiſſent. Hic igitur re cum Kinſtoudo compoſita, primum ferramenta quædam clam ad eum detulit, quibus ille lateres aliquot coctiles muro exemit, donec tantæ capacitatis feneſtram aperiret, quanta ſatis eſſet, ad ſe demittendum. Eadem arte Adolphus funes & alia ad rem pertinentia ſuggeſſit, & omnibus jam paratis conſtitutum inter eos, ut intempeſta nocte Kinſtoudus ex ea feneſtra in foſſam arcis ſe demitteret. Interim Adolphus, qui extra arcem ſe proripuerat, ſcalas in foſſam demittit, quibus Kinſtoudus ſurſum ex foſſa repedaret. Mox illi veſtem eo habitu quo Cruciferi utebantur injicit, ne facile cognoſceretur, & ambo conſcenſis equis ad id præparatis continuo proximas ſylvas petebant. Adolphus itinerum omnium peritus, magna celeritate præcurrens Kinſtoudum, usque in Maſoviam ſalvum perduxit, Cruciferis per aliquot dies fruſtra inſequentibus. Januſius Maſoviæ Dux Kinſtoudi filiam, vel ut alii volunt ſororem, in matrimonio habebat, a quo ille comiter & benigne habitus, & rebus omnibus, quæ ad ſecuram ejus in Litvaniam profectionem uſui eſſent, adjutus fuit. Kinſtoudus autem priusquam in Litvaniam rediret, aliud facinus aggreſſus eſt, in odium Cruciferorum, quo civitati Gedanenſi pene ultimum excidium, ex eo præſertim loco, unde minime timebatur, conciliatum fuerat, niſi Deus & Magiſtratus prudentia melius proſpexiſſent. Kinſtoudus enim cum aliquandiu in Maſovia latitaſſet, & clam auxilia contraxiſſet, cum Ruſſis, qui ſub fide publica Gedanum commerciorum cauſa ad nundinas commeabant, conſilium iniit civitatis opprimendæ. Veniunt itaque Gedanum Ruſſi circiter octingenti cum ſcaphis plurimis, qui tegendi conſilii gratia plures ſolito merces omnis generis advehebant. Res ita convenerat, ut ad diem conductum Ruſſi in civitate tumultum excitarent, & armati in cives irruerent, quotquot poſſent interficerent, Kinſtoudus cum copiis, quas ex Maſovia ſecundo flumine deportaturus erat, opportune ad urbem adeſſet ac irruptione facta ſociis ſuccurreret. Multitudo Ruſſorum per ſe primo ſuſpecta civibus eſſe cœpit. Mox, quod etiam arma frequenter ex ſcaphis exportari animadverſum fuerat, proditionis rumor increbuit. Paulo poſt ex

Kinſtoudus cuſtodia elabitur.

Tumultus Gedani per Kinſtoudium excitatus.

Ruſſis

Ruſſis duo, qui in taberna turbas dederant, & ebrii nonnihil minarum inconſultius effuderant, capti & ad Magiſtratum adducti continuo adhibita quæſtione rem detegunt, conclamatur ad arma, portæ clauduntur, Ruſſi, quo quisque loco cuipiam obvius eſſet a civibus cæſi & trucidati, qui cædi ſuperfuerant capti, & cum facinus confiterentur, gladio publice percuſſi: pauci in primo tumultu portis ſe ejecerant, qui Kinſtoudo infelicem conſilii exitum nunciarent. Is cum copiis Viſtulam navigabat, & jam jam urbi appropinquabat, ubi autem rem ante conſtitutum diem proditam accepit, continuo in pacatum ſe recepit, conſilium tam infauſtum deteſtatus. Sunt qui addant, complures etiam Polonos, qui & ipſi Gedanum ſpecie nundinarum libere advenerant, proditionis hujus conſcios fuiſſe, & eos priores tumultum concitaſſe, cum agminatim diſcurſantes, & ſubinde Cracoviam, Cracoviam ingeminantes, quaſi teſſeram proponerent. Unde factum, ut cives proditionem ſubeſſe ſuſpicantes armis arreptis Polonos ad unum omnes, quotquot in eo fervore nacti eſſent, trucidaverint. Eaque cauſa fuiſſe dicitur, qua Ruſſorum conatus ante conductum diem explorarentur. Nonnulli ſcribunt, Kinſtoudum voti compotem factum civitatem primo impetu diripuiſſe, & præfectum etiam arcis, Ioannem Collinum civibus ſubvenientem captum & abductum eſſe, Magiſtrum autem Kniprodum interveniſſe, & præfectum cum cæteris captivis omnemque ſimul prædam recuperaſſe, Kinſtoudo cum maxima copiarum cæde profligato. Addit his Mechovita, præfectos duos Raſtenburgenſem & Barteſteinenſem Kinſtoudum cum exercitu perſecutos cum eo conflixiſſe, ſpoliaque & captivos excuſiſſe, & ipſum Kinſtoudum equo dejectum denuo captum fuiſſe, ſed iterum deceptis Cruciferis captivitatem evaſiſſe. Cujus rei fides penes auctorem eſto. Illud extra dubitationem poſitum eſt, quod poſt hoc factum nundinæ Gedanenſes, quæ die Dominici, hoc eſt quinto menſis Auguſti celebrari ſolent, novo privilegio Kniprodii Magiſtri fuerint confirmatæ, ſic quidem, ut extraneis per ſolum triduum liceret cum quibusvis hominibus commercari, triduo autem expleto non niſi cum civibus commercium facere fas eſſet.

Nundinæ Dominicæ triduanæ.

Eodem anno Gedani ſupplicio affectus fuit nauta quidam natione Batavus, Gerardus Berenbaum dictus, latro publicus, qui quoad vixit variis in locis ſua manu quingentos circiter homines interemerat, neque tamen occiſos unquam, vel raro ſaltem & non niſi neceſſitatis cauſa ſpoliaverat. Rogatus quam ob rem tot innocentes homines obtruncaſſet? (videbatur enim non rapinæ vel pecuniæ cauſa cædes perpetraſſe, quandoquidem plerumque res non rapuerat, & ſic facilius tot facinora indetecta manſerant) illud ſaltem reſpondit: libuiſſe ſibi videre, quæ facies interfectis futura eſſet, qui viventes tam ſpecioſi, pulcri & hilares tamque decoro conſpectu fuiſſent. Damnatus eſt ad rotæ ſupplicium, ſic ut brachiis & tibiis confractis, rotæ vivus imponeretur, in qua magnos cruciatus, in tertium usque diem proferens, tandem infelicem animam ſine ulla ſignificatione pœnitudinis exhalavit.

Supplicium Gerardi Berenbaum.

Anno deinceps ſequenti Heinricus Kniprodius, cum audiret Kinſtoudum novas colligere copias & de irruptione in Pruſſiam denuo cogitare,

An. 1362. Expeditio in Litvanos.

tare, nihil cunctatus exercitum conscribit, quam poterat ex Prussia maximum. Huic præficit Wulframum de Baldersheim, Commandatarium magnum, ipse cum subsidiario milite postremum agmen ducit. Hoc ordine tam terra quam adverso flumine, nullo hoste conspecto, itum est Caunam usque. Arx erat illa munitissima, in qua plurimam fiduciam Litvani collocatam habebant. Hanc Kniprodius decrevit summa vi oppugnare, & oppugnatam diruere, qua deinceps ad interiora Litvaniæ facilior esset aditus. Expositis infra Caunam copiis omnibus, per triduum omnia circumcirca Cruciferi devastant. Dimicatur utrinque acriter, multi hinc inde cadunt, donec tandem victoria sed bene cruenta cum Cruciferis stetit. Sic profligatus Kinstoudus, & Cauna uti inter fluvios Memelam & Nergam sita erat, arctius obsideri, valloque & fossa cingi cœpit. Interim viæ omnes obsessæ, & aditus accurate observati, ne quod subsidium, ne quis commeatus obsessis inferri posset. Castris etiam suis egregie communitis, & castellis undique erectis, ne a tergo facile oppugnari possent, Cruciferi jam omnino decreverant, non prius quam arce capta & complanata loco se cessuros. Opere igitur omni perfecto, machinas, quibus & ignem injicerent & grandia saxa projicerent, nec non arietes, quibus muros prosternerent, undique disponunt. Harum enim solummodo machinarum ac tormentorum usus tum erat, priusquam bombardarum artificium ex inferis ad lucem produceretur, quæ post annum circiter vicesimum post hoc tempus in usu esse cœperunt. Cruciferis summa vi rem agentibus, præsidiarii Litvani haud minus strenue resistebant. Primum arcem habebant muris, turribus, propugnaculis, egregie munitam, deinde præsidium & numero & animis fortissimum, tandem & commeatus omnis generis copia suppetebat. Contra Cruciferi quo difficiliorem expugnationem futuram videbant, eo magis ac magis instare, & difficultatem omnem removere, noctu dieque militibus subinde mutatis oppugnationem continuare. Ita brevi factum, ut duæ turres prope portam, quæ fluvium Memelam spectat, assidua concussione perfractæ, cum parte muri haud exigua procumberent, sed cum insigni Cruciferorum jactura, quod multi eorum milites incautius eo processerant, nec tam mature pedem retro tulerant, quin ea ruina circiter quadringenti opprimerentur. Neque tamen cæteri destiterunt, donec turres eas & muri partem per ruinas occupassent. Ibi novis excitatis munitionibus & machinis impositis ex loco superiori plus quam antea damni propugnatoribus inferebant, ibique assidue cominus jam manus conserebantur, Litvanis nisi vel cæsis vel lethaliter vulneratis stationem impigre tenentibus. Iam mensem integrum & amplius obsidio duraverat, cum Magister habito Ducum & Centurionum consilio censuit, tribus in locis simul oppugnationem & impressionem summis viribus tentandam esse. Cum in eam sententiam omnes pedibus ivissent, mox ipso die Palmarum rem ex composito tribus diversis in locis aggrediuntur. Primum fossam ruderibus, saxis, sarmentis & arboribus passim comportatis explent, inde recta arietes mœnibus admovent, ingentes ibi meatus & januas aperiunt, quibus certatim milites irrumpunt, jam captam esse arcem pro explorato habentes. Verum haud bene cessit

Cauna obsessa.

Oppugnatio.

audacia.

audacia. Intus enim Litvani fossam & vallum recens exadverso fecerant, unde improvide & sine ordine irruentes cædebantur. Et tanta erat irruentium aviditas, ut primi a postremis rerum ignaris, vi & impetu protruderentur, ne retro cedere possent, sed telis & jaculis hostium ultro objicerentur. Re tandem animadversa, Magister receptui cani jussit, & sic plurimis audacissimorum militum amissis, ab incepto desistendum fuit.

Interim Kinstoudus novas copias collegerat, & ad Memelam usque fluvium accesserat, sperans alicubi posse perrumpi, & præsidium amplius induci. Verum præter omnem exspectationem, ita undique circumcinctam arcem offendit, ut nulla appareret ratio vel facultas militem immittendi. Castra vero Cruciferorum adeo munita contemplabatur, ut ea aggredi minime auderet, etiamsi duplo majores copias adduxisset. Nihilominus colloquendi cum Magistro copiam petiit. Id colloquium inter Regem Kinstoudum (hoc enim nomine semper eum auctor iste appellat) & Magistrum habitum, uti Wigandus qui per ætatem huic bello interesse potuit, stylo militari & rythmis germanicis describit, sic ego versibus heroicis, qui Heroum sermoni magis convenire videntur, exprimere conabor, est autem hujusmodi:

Colloquium Kinstoudi cum Magistro.

Ipsa dies aderat quondam qua Rector Olympi
Sublimis mœsta pendebat ab arbore fixus,
Pallidus, immani laceratus vulnere pectus,
Spinosamque gerens circum capita alta coronam.
Cum Rex egregiis fulgens Kinstoudus in armis
Advolat, & fossas primum camposque patentes,
Semirutamque arctis inclusam cornibus arcem,
Attonitus spectat, clara mox voce Magistrum
Evocat alloquio cupiens coram ora tueri.
Nec mora progreditur sublimi e ponte Magister
Accinctus gladio & ferrata casside tectus,
Læva tenet capulum, fulgentem dextra bipennem,
Compellare virum cupiens atque ora tueri.
Rex prior augustam faciem vegetumque vigorem
Corporis obtutus, dictis tum talibus infit:
Macte vir eximiis ausis, virtute Magistra,
Cui neque fortuna tantum neque viribus alter
Prævaluit nostri penetrare in viscera regni
Hactenus, & latos offundere milite campos.
At mihi si Mars hoc saltem concederet æquus,
Hanc intrare arcem, atque isthac defendere dextra
Nequicquam faxo vallum fossamque cieres,
Telaque conjiceres, quin me summa arce videres
Saxa inferre manu, flammisque accendere Martem,
Atque tuas, uno provolvere turbine turmas,
Tuque meos jam desereres inglorius agros.

Dixerat,

Dixerat, & paucis contra fortiſſimus Heros:
Facta virum non verba decent, quid fortia lingua
Nequicquam jactas? quid clauſam degener arcem
Suſpicis & jam jam conferto milite captam?
Rudera nonne vides, fractasque a culmine turres,
Et laceros muros vaſtam oſtentare ruinam?
Quid moliris? & his qua ſpe teris otia campis?
Tum Rex ex alto ſuſpiria pectore ducens:
Non ſum animi dubius, ſi præſens ante fuiſſem,
Quin meliore loco Dii remque domumque locaſſent,
Abſentis fortuna Ducis tibi proſpera ceſſit,
Hæc eadem noſtram ſiſtit pejoribus arcem
Auſpiciis, quam pol licet albo culmine fractam
Hacce manu eriperem cladi, clademque referrem
Hoſtibus, ac jam nunc Kinſtoudi arx alta maneret.
Tum riſu excipiens minitantem talia Regem
Compoſito ad verbum vultu ſic ſubjicit Heros:
At tu ſi tanta eſt audaci in pectore virtus,
Ut recidiva domus defendere mœnia ſperes,
Ipſe tibi juvenum fortiſſima corpora veſtris
Elige de numeris, atque arcem protinus intra,
Quaque libet defende manu via tuta patebit,
Atque armis tandem rem propulſare memento,
Experiemur utri faveat fortuna Deusque.
Hic jam Rex anceps animi pavidusque futuri,
Quæ via, qui trames clauſam perducet in arcem,
Omnia cum circum late complexus in orbem
Campus agat foſſas cumulo, vallique recurvi
Palorumque acies paſſim latera omnia claudant?
Tum placido ridens rurſum infit ab ore Magiſter:
Pone metum, facile eſt immiſſo milite campum
Æquare, & cinctos foveis diducere vallos,
Si tibi tantum animi eſt, nobiſcum hoc prælia campo,
Miſcere, & dubium ferro decernere Martem.
Huc agedum diſpone aciem, ſua cuique ſuat ſors,
Hac ſola ratione tibi ſervaveris arcem,
Hoc tibi vel nobis ſtabit victoria pacto.
Tum Rex ambiguus cœpti ceu territus hærens,
Nec certum fari, nec diſſimulare dolorem,
Multaque volventem ſecum ſic increpat Heros:
Aut Martem capito, & vanis abſcedito dictis,
Aut ſi non animi ſatis eſt, Martemque vereris,
Deſine meque tuis ſuſpendere teque querelis,
Te ſpectante tamen cineri mandabimus arcem.

Kinſtoudus cum animadverteret, nec acie ſibi decernendum, nec obſeſſis auxilium a ſe ferri poſſe, quos obſidionem haud diu laturos autumabat,

tumabat, cum copiis ſuis diſceſſit. Id eo factum propoſito, ut collecto majori exercitu ad ſubeundam prælii fortunam mox reverteretur. Itaque ſumma vi militem ad arcis expugnationem incumbere jubet. Ipſo pridie Paſchatos machinæ expediuntur, muri hinc inde arietibus concutiuntur. Alii cupas ſevo, pice, ſcandulis, & aridis gremialibus parant, & incenſas in arcem machinis ejaculantur. Ac cum intra muros pleraque ædificia eſſent lignea, ea mox ignem concipiunt, qui late vagari cœpit, eoque ipſo momento magna pars muri collabitur. Hic Litvani trepidare cœperunt, cum hic incendium, illic hoſtis urgeret, major tamen pars ad hoſtem propellendum convolat. Ibi atrox oritur pugna, Cruciferorum milites per muri ruinas confertim irrumpunt, Litvani jam pro focis & aris pugnantes extremis viribus reſiſtunt. Multi utrinque cæſi, cum neutri tam obſtinatis animis cedere vellent. Interim alia parte Commandatarius Ragnitenſis Heinricus de Schincken & Burcardus Comes Mansfeldenſis portam, quæ ad Neriam flumen ſpectabat, quantumvis intus magnis molibus occluſam & ſuffultam, ſummo tamen militum ardore perfringunt, & agmen inſtructum immittunt. Hinc jam non amplius pugna, ſed mera cædes. Nec enim quisquam captus eſt, nec quisquam ſe dedidit, præter Voidatum Kinſtoudi filium & triginta ſex primores nobilium, Litvanorum cæſa dicuntur plusquam tria millia, mille quingenti flammis abſumpti. Arx incendio exuſta & ſolo æquata eſt. Hæc eſt illa memorabilis Caunenſis arcis expugnatio, inter egregia Cruciferorum facinora haud poſtremum. Re proſpere geſta, Magiſter cum copiis ſuis triumphans in Pruſſiam revertitur. Cauna expugnata.

Anno ſequenti cum Rupertus & Wolfgangus Bavariæ Duces, cum ſelectiſſima equitum & Nobilium ala in Pruſſiam veniſſent, ex voto contra gentiles pugnandi, Magiſter conjunctis copiis profectus eſt in territoria Mitow, Eroglen & Parnrey, quibus undique devaſtatis multi mortales cæſi, capti, & ingens prædarum vis abducta. Interim Commandator Oſterodienſis cum ala ab exercitu in viciniam circiter tritum milliarium iter proceſſerat. Ubi præter ſpem offendit magnas Litvanorum copias conſediſſe caſtris undique conſeptis. Quibus animadverſis, e veſtigio retroceſſit, neque tamen adeo maturare potuit, quin hoſtes illum aliquantisper inſequentes circiter triginta viros & totidem equos trucidarent. Magiſter his acceptis, poſtquam ex captivis de ſitu loci & ratione propinquioris itineris accurate didiciſſet, intempeſta nocte cum omnibus copiis eo proficiſcitur, ſic ut illuceſcente die caſtris hoſtium immineret. Mox impreſſio facta, & primum acriter aliquandiu pugnatum, tandem Litvani fuſi fugatique, major eorum pars cæſa, multi capti, pauci ſibi conſuluerunt. Inde vicina territoria, ex quibus illi convenerant, Labuno, & Zeyme, nemine reſiſtente, penitus devaſtata, & ingens vis pecorum & hominum abacta. Cum jam copias reducere vellet, Magiſter per nuncium cognoſcit, adventare Promagiſtrum Livoniæ, ut ſuppetias ſociis ferret. Itaque diviſis copiis ulterius progreſſi in territoria Sweilow & Settin omnia paſſim eodem modo vaſtarunt, & tum demum cum duplici præda domum reditum eſt. An. 1363. Nova in Litvanos expeditio. Litvani cæſi.

An. 1364. Ad eundem modum anno etiam insequenti, Magister in territoriis Werlaw, Steiten, Kalanten, Pastow, Gesow & Surmin hostiliter grassatus est, multis hominibus cæsis, agris vastatis & prædis abactis. Eodem anno civitas & arx Warteburgum jam pridem a Kinstoudo direptum & eversum, a priori statione in alium locum commodiorem, ubi hodie visitur, & translatum & denuo reædificatum & accuratius communitum fuit. Interim etiam Kinstoudus novam munitionem in insula Wyrgall versus Nowesum instaurare cœpit, eamque novam Caunam appellavit. Litvani, ne in opere impedirentur, fluvium ponte constraverant, in cujus aditu duo propugnacula erexerant & præsidio communiverant. Magister eo comperto opus omnino disturbare constituit. Itaque Commandatarium Ragnitensem cum expedita manu præmittit, ipse cum cæteris copiis subsequitur. Commandator tam prospera usus est fortuna, ut ante Magistri adventum celeriter pontem caperet, Litvanos in fugam conjiceret, opus omne solo rursus æquaret. Magister superveniens, cum nihil agendum supereset, arcem Pisten obsedit, exitium minatus incolis & propugnatoribus, nisi propere se dederent. Illi penitus ad desperationem redacti cum nullum ex longinquo subsidium sperare possent, paucorum dierum moram pacisc untur, intra quam nisi a Principibus suis latæ suppetiæ fuissent, exinde se cum omni familia & rebus suis Ordini subjicerent, & fidem Christianam amplexarentur. Facile conditionem accepit Magister, quod & sine dimicatione vincere mallet, & certo sibi persuaderet, obsessos tot provinciis devastatis, haud facile copias, quibus tanto exercitui pares esse possent, consecuturos. Interim dum per inducias omnia negligentius, ut fieri solet, administrantur, arcis incolæ clam & ut plurimum noctu cum rebus omnibus, quæ portari, ferri, agi possent, paulatim in pacatum abeunt, Cruciferis ne vestigia quidem animadvertentibus. Cum jam tempus induciarum exisset, nec quisquam ex arce vel colloquendi vel propugnandi causa prodiret, mandat Magister militibus, ut oppugnationem occiperent, & scalas admoverent. Cum primi ascendissent, & nemine viso in arcem desilirent, deserta & vacua inveniunt omnia. Arx igitur incendio consumpta & complanata est. Hinc per Marescallum Heinricum Schindekop copiæ ductæ ad Wielunam, quæ jam tertio a Litvanis propter commoditatem loci restaurata fuerat. Ibi aliquanto plus laboris fuit, quam existimaverant Cruciferi. Duos continuos dies præsidiarii impetum omnem tanti exercitus fortiter sustinuerunt. Tertio demum die cum summa vi oppugnatio acrius etiam quam antea continuaretur, a diversa etiam parte congestis stramentis & lignis aridis incendium excitaretur, quod venti beneficio celeriter in munitiones ac inde in arcem diffusum est, rebus desperatis præfectus arcis Gastoudus Marescallum inclamat, ut se deditos potius acciperet quam igne perire sineret. Annuit Marescallus, ac mox jubet portam aperiri, & qui se dedere vellent exire, quod a majore parte factum est. Deinde milites irrumpunt, & eos quos intus deprehenderent occidunt, & prædam, quam ab incendio salvare possent, conquirunt. Gastoudus & cæteri deditii ad Magistrum missi in itinere per insolentiam militum, priusquam ad Magistri castra veniretur, trucidati sunt. Quam rem Marescallus adeo tulit

Warteburgum.

Nova Cauna.

Piste obsidetur.

Wieluna.

ægre, ut latrones istos ultimo supplicio dignos judicaret. Neque abnuebat Magister. Sed quia in hostico, loco alieno, in eos, quorum supplicium ad totam multitudinem pertinere videbatur, non satis tutum esset animadvertere, in commodius tempus & locum pœnam differri consultius visum fuit. Wieluna vero denuo flammis exusta & in cinerem redacta est.

An. 1365. Litvanorum irruptio. Kinstoudus tot injuriis continuis vehementer concitatus, & ad vindictam conversus, persuadet simul fratribus & patruis Olgerdo, Patrikego & Alexandro, ut simul secum expeditionem in Cruciferos susciperent. Copiis igitur quadripartito divisis Litvania exeunt. Primus impetus in Schalawoniam factus est, & territoria Canstritten & Splyten penitus devastata, hominum circiter quatuor millia cæsa, Cruciferi quotquot deprehensi fuerant cum armis & equis Gentilium solenni more Idolis immolati. Cæteri incolæ, abnegato Christianismo in fidem & superstitionem Litvanorum concesserunt, qui omnes ferme circiter octingenti viri cum familiis & rebus omnibus in Litvaniam commigrarunt. Interim Kinstoudus cum sui exercitus parte Angerburgum profectus civitatem & arcem prima irruptione cepit, diruit, ac omnem circumcirca agrum devastatum reliquit. Præfectus Sambiensis eum insecutus cum assequi nequiret, in Litvaniam nonnihil divertit & prædas egit. Quo tempore etiam Olgerdus & cæteri Ragnitensem & vicinum agrum crudeliter vastabant, & omnis generis calamitatibus provinciam eam afficiebant. Nusquam tamen in hac Litvanorum excursione ad pugnam deventum, sed incendiis ferme, rapinis, ac populationibus dimicatum est.

Consilia Corigalli & Butavi. Dum Kinstoudus & socii eo modo in finibus grassantur, domi patrui ejus (Wigandus filios ejus fuisse perperam opinatur) Corigallus & Butavus ex Olgerdo progeniti, novam rem moliri cœperunt. Hi conspirationem coierant cum quibusdam primatibus, quos ipsi Bajoros seu potius Barones vocant, & jam consilia conferebant, quo pacto ad Cruciferos in Prussiam transirent, eorumque Religionem & amicitiam expeterent. Sic enim eorum auxilio, patruis & patruelibus expulsis, facile totius Litvaniæ imperio se potiri, & eam pacifice obtinere posse sperabant. Suboluit nescio unde Dirsino, quem Kinstoudus cum imperio Vilnæ præfecerat, tale quiddam a Butavo agitari, de fratre & conjuratis Baronibus nihil etiamdum inaudierat. Itaque de improviso hominem comprehendit, & in vincula compingit, judicio Kinstoudi eum adservaturus. Quo comperto Corigallus, metuens ne consilia latius detegerentur, cum Baronibus, quid potissimum opus factu sit, deliberat. Illi in tanto discrimine nequaquam cunctandum, sed præsenti remedio rem expediendam rati, noctu sumptis armis Dirsunum opprimunt ac trucidant, Butavum liberant, & sic conscensis equis recta Insterburgum contendunt. Præfectus ejus loci cum cognovisset qui essent, quove contendereut, dato commeatu & idoneis comitibus Mariæburgum eos perduci curat. Magister hospites eos comiter excipit, & liberaliter tractari jubet. Nec diu post indicto conventu publico in Montem Regium, congregatis ibidem externis Principibus, Episcopis provinciæ, Commandatoribus

datoribus & cæteris primoribus Ordinis, Litvani per Bartholomæum Epiſcopum Sambienſem Chriſtianis ſacris initiantur, deinde Sacerdotibus in fide Chriſtiana inſtituendi committuntur. Quod ubi factum cognovit Kinſtoudus, in agrum Nordenburgenſem novam incurſionem fecit, eumque crudeliter devaſtavit, deinde Joannisburgum cepit, diripuit ac incendit.

An. 1366. In Litvanos expeditio.

Hanc injuriam ut ulciſceretur Magiſter, novam in Litvaniam expeditionem indicit, ac militibus imperat, ut in menſem integrum cibaria cocta quisque domo ſecum exportet. Rebus omnibus comparatis in territoria Gayſow & Labuno fit impetus, ubi hoſtes minime incolis erant in expectatione. Innumerabilis ibi hominum multitudo cæſa & capta, & maxima præda abducta. Itum deinceps in territoria Zeymen, Vielkomiergen, Kunow & Masgallen, ubi munitiones quædam expugnatæ, complures vici ac pagi direpti ac incenſi. In hac expeditione in territorio Masgallen Commandator Ragnitenſis cum quinquaginta equitibus longius ab exercitu in hoſticum prædandi cauſa excurrerat, ubi de improviſo in quadringentos Litvanos incidit. Eorum Dux Buſco paucitatem hoſtium flocci faciens cum Commandatore ad colloquium venit, eique perſuadere conatur, ut ſe cum ſociis dederet, vitamque promittit. Cum hoc ad ſocios retuliſſet, illi reſpondent omnes ſe mori honeſte malle, quam iis hoſtibus ſe credere, a quibus mox rupta fide, quam ſervare neſcirent, cum equis & armis vivi concremarentur, & fœdis Dæmonibus immolarentur. His dictis & colloquio omni ſpreto, acriter in Litvanos invehuntur, adeoque ſtrenue ac fortiter depugnant, ut ex illis ducentos quinquaginta conficerent, reliquos in fugam conjicerent. Ex ipſis Chriſtianis hoc prælio viginti ſeptem deſiderati ſunt, ſed inter cæteros vix unus, qui non graviter eſſet vulneratus. Magiſter cum jam undeviginti dierum itinere regionem longe lateque devaſtaſſet, & ingentem prædam coëgiſſet, copias reducere cœpit, ſed in itinere territorium Sloaſſen. Sloaſſen, quod in Kinſtoudi erat ditione repente invaſit, quod uti hactenus ab omni belli calamitate immune fuerat, ita eo majorem prædam populatoribus præbuit. Magiſter nova præda onuſtus recta ad fluvium Memelem contendit, ubi præda & militum parte transmiſſa, ipſe ad Montem Regium pergit, cæteri ſecundo flumine ad ſuum quisque locum navigarunt.

Paucorum victoria.

1367. Triplex expeditio in Litvaniam.

Proximo item anno tribus expeditionibus Litvania divexata fuit. Primum enim Magiſter ipſe prædabundus pervaſit territoria Setin, Warlow, Swinaren, Caleinen & Salwyſow, in quibus ultra eos, qui cæſi fuerant, octingenti circiter in captivitatem abducti ſunt. Deinde Mareſcallus binas excurſiones fecit, ſemel per Wieluniam & Eroglen usque ad Caunam novam, quam denuo Litvani inſtaurabant, & paulo poſt, ut Livonici tradunt annales, Magiſter Livoniæ Arnoldus de Vitinghove rurſum devaſtavit, & ibi Regem Conſtantinum cum filio cepit, iterum circa Caunam & conſequenter per territorium Streben populationes factæ, ubi munitio caput & propugnaculum ejus provinciæ erat

capta & exciſa. Quod reliquum anni fuit, una cum anno inſequenti ab incurſionibus utrinque temperatum eſt. Quas alioquin Cruciferi ſingulis ferme annis continuabant, non tantum prædæ cauſa, ſed ideo multo magis, ne hoſtibus reſpirandi facultatem darent. Anno vero 1369. Magiſter copias iterum trans Memelam duxit, & adverſo flumine ligna, lateres, calcem & aliam materiam ſubvexit, ad arcem trans flumen extruendam, unde facilius Litvanos ab irruptione in terrras Ordinis cohiberet. Idem conſilium paulo antea Kinſtoudi fuerat, ut eo loco novam munitionem erigeret, ad Chriſtianos a Litvania magis ac magis arcendos, & in eum uſum jam multam materiam comportari curaverat, quæ quidem Magiſtro commodum obvenit, qua ſuam augeret, atque ita arcem Gottiswerder inſtaurare cœpit. Kinſtoudus Magiſtro denunciari jubet, ut a propoſito deſiſteret: Eſſe enim rem ab æquitate alienam & inconvenientem, in alieno ſolo arces & munitiones excitare. Magiſter reſpondet, ſe cum copiis ſuis arcis conſtruendæ cauſa, in eum locum, quem occupaſſet, adveniſſe. Si cui id alienum in ſuo videretur, ei prohibendi quidem eſſe jus, ſibi vero locum & propoſitum tuendi animum non defuturum. Cæterum cum Kinſtoudus prohibere in præſentiarum non auderet, intra quintum menſem arx perfecta fuit, & ipſo die Pentecoſtes Cruciferi inſignia & vexilla ſua muro impoſuerunt, ac Magiſter primum ibi Commandatarium præfecit Cunonem de Hattenſtein, eique præſidium attribuit viginti equitum fratrum Ordinis, & equitum ſtipendiariorum quadraginta, & tot ſagittariorum, quot ad defendendam adverſus majorem vim hoſtium arcem ſufficere videbantur. Sed vixdum Magiſter domum redierat, cum Olgerdus & Kinſtoudus cum maximo gentilium exercitu, multisque machinis tormentorum, fundorum & baliſtarum advolant, novamque arcem continuis quinque hebdomadibus, indefeſſo ſtudio & ſemper commutatis militibus adeo oppugnarunt, ut præſidiarii ferme nec noctu nec interdiu quieti operam dare poſſent, eoque modo ſic fatigarentur, ut vires minime ſufficerent diutius reſiſtendi. Sic arx demum capta, major pars præſidii trucidata, cæteri capti & in Litvaniam abducti. Re comperta Magiſter ilico cum copiis Mareſcallum obſeſſis auxiliatum ire juſſit, ſed is non tam cito ſubvenire potuit, quin arx jam capta & præſidio Litvanico munita eſſet, Kinſtoudus autem in pacatum receſſiſſet. Interim illud maxime ſolatii Mareſcallo accedebat, quod hoſtes arcem non excidiſſent ſed ſuo ſaltem præſidio muniviſſent. Eodem igitur quo hoſtes antea ardore oppugnationem aggreſſus, longe tamen citius compos voti factus eſt. Intra quintum enim diem idem effecit, quod Litvani intra tantundem hebdomades præſtiterant, ut arcem deditione reciperet. Neminem vero poſt deditionem occidi paſſus eſt, ſed vivos omnes ſervavit in eum uſum, ut permutatione pari Chriſtianos captivos redimeret. Arce rurſus præſidio & rebus neceſſariis communita, Mareſcallus aliam Kinſtoudi munitionem, quam illi Beyerii appellabant, aggreditur. Et quanquam illa egregie inſtructa, & fortiſſimis propugnatoribus commiſſa, tantus tamen Mareſcalli militum in oppugnando ardor erat, ut obſeſſi jam de deditione agerent. Interim clam mittunt ad Kinſtoudum, qui non procul inde ſtationem habebat, poſtulantes ut vel ſubſidium fer-

Insula Dei conſtructa.

Insula recepta.

ret vel in deditionem consentiret. Kinstoudus e vestigio nunciari Maresscallo jussit, facesseret inde, nec amplius suis molestus esset, se enim arcem salvam esse velle, & summis viribus eam defensurum. Maresscallus ad hæc non mediocriter excanduit, cum verba dari tantum audiret, neminem autem videret, qui vel arcem defendere, vel acie secum congredi vellet. Cumque obsessi auxilium Principis omnimodo expectarent, & ideo verbum amplius deditionis causa non facerent, Maresscallus milites jubet arcem idoneo & tum ventis expositio loco congestis lignis aridis succendi, quod ita feliciter successit, ut continuo arx, utpote ex ligno plurimum substructa flammam conciperet. Dum præsidiarii ignem restinguere conantur, Maresscalli milites ne quis elabatur provident, repente Kinstoudus advolat, colloquium petit, ac multis precibus obtestatur Maresscallum, ut captivos potius præsidiarios acciperet, quam flammis tam inhumaniter perire sineret. Maresscallus fraudem subesse suspicans, severe militibus mandat, ne ab incepto desisterent, neve Kinstoudi nuncios curarent vel audirent. Hac utrinque pertinacia intercedente, arx flammis funditus absumpta est, & præsidiarii omnes, nongenti numero, eodem incendio perierunt. Damno jam accepto Kinstoudus melioribus demum verbis usus, eo tandem cum Maresscallo convenit, ut captivi utrinque permutarentur. In eo colloquio Kinstoudus inter alia sibi temperare nequivit, quin Maresscallo diceret, se anno sequenti in Prussiam venturum, & Magistro hospitem futurum. Respondit Maresscallus, illum ut tali hospite dignum sit exceptum iri. Quibus & aliis ejus generis ultro citroque habitis sermonibus, cum nullis pactis induciis utrinque discessum esset, Maresscallus aliquanto ulterius in Kinstoudi provincias populabundus processit, sperans, eum hac tandem injuria percitum in aciem elici posse. Sed cum res non succederet, Maresscallus cum bona prædæ parte in Prussiam revertitur.

An. 1370. Kinstoudi in Prussiam expeditio.

Kinstoudus ne fidem Maresscallo sponte datam, invisendæ Prussiæ causa, falleret, fratrem Olgerdum accersit, & sic ambo conjunctis animis & viribus ingentem exercitum ex Litvanis, Russis, Samogethis & Tartaris colligunt, & in Sambiam recta ducunt. Ibi divisis copiis provinciam igni ferroque longe lateque devastant. Deinde Ortelspurgum capiunt, diripiunt ac incendunt. Mox ad flumen Rudavum castra locant, ubi arx erat & pagus ejusdem nominis. Hoc loco occurrit eis Magister cum exercitu suo ex peregrinis advenis & provincialibus celeriter collecto. Habebat autem in armis circiter quadraginta millia, quibus cum prælii fortunam experiri constituerat. Ejusdem animi erat Kinstoudus, quamvis ille majorem spem in fortunæ flatu & multitudine copiarum (quæ septuaginta millia excedere dicebantur) quam in militum suorum fortitudine vel constantia positam habebat. Ipsa igitur die Dominica, qua in Ecclesia illud solenne cantari solet: Exurge quare obdormis. Instructa acie pugnatum est acriter, animis utrinque ad extremum quasi discrimen accensis, a summo mane usque post meridiem, quo tempore incertum adhuc erat, utro tandem esset inclinatura victoria. Hic Magister dum circum aciem obequitat, militem adhortatur, & quid quoquo loco opus

opus factu præcipit, cum animadverteret, sinistram alam hostium, cui præerat Olgerdus, a suis acrius premi & jam nutare, assumpta secum recenti equitum turma, quam in subsidiis locaverat, a latere in eam alam impressionem facit, & ad media usque signa perrupit, ibi tota acies inclinari cœpit. Erant apud Olgerdum in ea pugna juniores Principes Jagello filius ejus, qui postea Rex Poloniæ factus est, annos tum circiter viginti duos natus, & Vitoldus seu Vitoudus Kinstoudi filius, duobus annis natu minor. Horum majorem habebat curam Olgerdus, quam tum res ferebat. Itaque jubet eos acie excedere & saluti consulere, quos ilico fugam capientes magna pars equitum comitatur. Nec Olgerdus ipse diu restitit, amisso jam vexillo principali, cum quo tota sinistra acies in fugam est conjecta. Fusis hac in parte hostibus aliquandiu restitit Kinstoudus, sed cum sociorum fuga totam aciem turbatam videret, & rem perditam agnosceret, ipse quoque suis fugæ se ducem præbuit. Fugientes Cruciferi usque in multam noctem persecuti, magnum eorum numerum conciderunt. Cæsa sunt hoc in prælio Litvanorum & sociorum undecim millia. Neque tamen incruenta fuit Cruciferis victoria. Ex eorum enim parte præter vulgares milites & stipendiarios, quorum numerum scriptores hujus pugnæ non annotarunt, ducenti equites, Ordinis fratres, & arcium, officiorum & ordinum militarium præfecti sex & viginti desiderati. Inter quos fuerunt etiam Cuno de Hattenstein, Commendatarius magnus, & Henningus Schindekop Maresscallus, qui Kinstoudum primus in fugam compulit, & alioquin ejus ductu rem in hac pugna optime gestam omnes commemorabant. Verum hic non in ipsa acie cecidit, sed post adeptam victoriam, dum acrius fugientes persequitur, dolore vulnerum in pugna acceptorum, quæ leviter nimis æstimaverat, & vi prorumpentis sanguinis in campo inter vicos Labtow & Tramsaw oppetiit. Prout ex monumentis duorum sacellorum, quorum alterum Rudaviæ, alterum Labtaviæ extructum est, & ibi Christiani eo prælio cæsi contumulati sunt, apparet. In iisdem sacellis ad rei gestæ memoriam hi versus saxo insculpti fuerunt:

Litvani cæsi.

Exurge: Reges Olgerd, Kinstoud, duo fratres
Quando subintrarent Sambensem, & despoliarent,
Mox juncti pariter, Winricus nempe Magister,
Snitcopp Marscallus, præceptores simul ejus,
Hos debellarunt captos multosque necarunt,
Ex quibus undena perversis millia plena,
Sed proh! Marschalcus tunc corruit ut Leo vivus,
Annis M. tria C. conjunctis septuaginta. M. CCC. LXX.

Excursiones.

Sequenti hyeme circa Festum Martini, cum Ludolphus Austriæ Dux Cruciferis auxiliatum in Prussiam venisset, Magister in Samogitiam expeditionem fecit, & quadripartito agmine totam provinciam pervastavit, senes & minorennes ferme cæsi, qui virilis ætatis essent, armis gerendis vel operis præstandis in captivitatem abducti. Cum domum Cruciferi reverterentur, Kinstoudus eorum ditiones viciſſim invadens

territorium & arcem Gogelanken penitus devaſtavit, arcem etiam ſolo æquavit. Inſecutus eſt recedentem præfectus Inſterburgenſis, ſed cum aſſequi nequiret, in vicinia Litvania quicquid adhuc reliquum erat, depopulatus eſt. Quibus ultro citroque geſtis inter Litvanos & Cruciferos quatuor deinceps annorum pactæ ſunt induciæ.

An. 1375. Expeditio in Samogitiam.

Poſtquam exiſſent induciæ frater Gerike præfectus Ragnitenſis cum aliquanta manu rurſus in Samogitiam duxit, & territorium Caldenen longe lateque depopulatus eſt, atque inde ingentem prædam hominum & pecorum abduxit. Dum is & milites ejus revertuntur, Samogethæ in ſylva quadam ad locum paludoſum vias obſederant, & ſuccisis arboribus iter omne impeditum reddiderant, Cruciferos ulciſci & prædam recuperare volentes. Propter impedita loca Cruciferis equi relinquendi & peditibus pugnandum erat. Oritur atrox prælium, quod initio Cruciferis non ſatis erat proſperum. Præfectus enim ipſe Gericius in prima acie pugnans cum duodecim Ordinis fratribus in paludibus oppreſſus interiit. Cæteri quanquam Ducem amiſiſſent, nihilominus pro ſe quisque pugnam urgere, ſibi quisque dux & hortator eſſe, & adeo ſtrenue rem gerere, ut depulſis Samogethis ad equos ſe reciperent, & ſalvi per paludes cum omni præda evaderent. Cum campum nacti eſſent apertum, aciem denuo inſtruunt, & oſtentata præda barbaros ad pugnam invitant. Sed illi rem iterum tentare non auſi, præſertim quod eorum non pauci occubuerant, Cruciferos nihil morati retroceſſerunt. Neque diu poſt Gotfridus de Lindaw novus Mareſcallus cum inſtructiſſimo militum agmine Litvaniam hoſtiliter invadit, territoria Dirſinigen & Veigaw populabundus Vilnam usque pervadit, agrum Trocenſem omnem devaſtat, arcem Wirdouti Baronis expugnat ac diripit, ac cum ingenti præda & ſeptingentis captivis in Pruſſiam revertitur.

In Lithvaniam.

1376. Litvanorum eruptio. Cruciferorum irruptiones.

Anno ſequenti, primo ſtatim vere, Litvani Cruciferorum ditiones rurſus invadunt, Soldaviam & Neideburgum oppugnant, ſed neutrum expugnare potuerunt, ſed cædibus, rapinis & incendiis paſſim graſſati octingentos & octodecim captivos abduxerunt. Ineunte menſe Novembri, quod tum hyems aſpera erat, Magiſter fratrem Theodoricum Elverum, præfectum Balgenſem cum expedita manu in Ruſſiam prædatum emiſit. Is arcem Bielyagi cepit ac diruit, deinde ſex dierum itinere progreſſus usque ad Cameneciam magnas prædas egit. Interim Magiſter ipſe in Samogithiam & Litvaniam ducens territoria Miednicken, Eroglen, Arwiſten, Rosgein, Geſow & Paſtow, Caunam usque populabundus pervaſit, cum Cauna rejiceretur, per territorium Calanten in Pruſſiam reverſus eſt. Nec diu moratus, poſt ejus diſceſſum Kinſtoudus in Nadroviam irrumpit, inde tripartito copiis dimiſſis regiones vicinas paſſim devaſtari jubet. Primum agmen Inſterburgum capit & excindit, ibique nongenti Chriſtiani trucidantur, ſecundum agmen territoria Narwekiten & Dablanken, tertium Welavienſem agrum invadit. Ubique cædes crudeliter perpetratæ, villæ & pagi in cineres redacti, magna vis hominum & pecudum abducta.

Kinſtoudi expeditio.

Anno

Anno ſequenti, ipſo die Stephani, Cuno de Hattenſtein præfectus Ragnitenſis, & Wigandus Baro Heldrungenſis, Curator tum Inſterburgenſis, cum ſexcentis equitibus in territorium Sloaſſen de improviſo impetum faciunt, ibique quingentos Litvanos, qui in armis erant, opprimunt, quorum trecenti cæſi, ducenti capti ſunt. Eodem tempore præfectus Balgenſis in territorium Pelityg expeditionem fecit, & provinciæ caput, arcem ejusdem nominis cepit ac diruit, complures gentilium, qui armis ſe defendebant, cecidit, ac ducentos captivos abduxit. Interim præfectus Ragnitenſis etiam territoria Ramein & Paſtow devaſtabat, eventu haud ſane proſpero. Dum enim domum copias reducit, in ſylva quadam per Litvanos ex inſidiis oppreſſus viginti fratres Ordinis & quingentos milites deſideravit. Qua re commotus Magiſter Wartemburgum & Reinam arces eo locorum extruere cœpit, unde & ſylveſtria tutius explorari, & Litvanorum excurſiones commodius reprimi poſſent. Ac ne hoſtes opus interrumperent, emittit cum copiis Mareſcallum Gotfridum de Lindaw, & magnum Commandatorem Rudgerum de Elvern, qui cum omnia exploraſſent, nec hoſtem quempiam, qui interturbare opus poſſet, invenirent, in territorium Aliten diverterunt, idque cum villis & pagis totum diripuerunt ac devaſtarunt, ingenti hominum & pecorum multitudine intercepta. Neque diu poſt in Pruſſiam venit Albertus Dux Auſtriacus cum ſexaginta duobus equitibus nobili genere & eorum comitatu, cupiens & ipſe cum gentilibus manum conſerere. Itaque ſe comitem & Ducem itineris Magiſter profitetur. Hoſtilem agrum ingreſſi cum neminem armatum obviam haberent, devaſtatis territoriis Caltenenen & Weducke retroceſſerunt. Vixdum domum redierant cum nova Germanorum auxilia adſunt, Ducibus Gunthero Comite Hohenſteinio & Eberardo ac Ioanne comitibus de Catzenelbogen; quorum adventu Magiſter permotus, ut illis gratificaretur, eodem adhuc anno circa diem Andreæ Apoſtoli expeditionem in Litvaniam edixit. Mittit igitur exercitum duodecim millium circiter cum auxiliaribus copiis Duce Mareſcallo. Hi pervaſtato territorio Merckenpyl & agro Trocenſi usque ad arcem Trocenſem populabundi excurrunt, arcem etiam tentant, ſed cum res parum ſuccederet, Vilnam ducunt, & omnibus circumcirca devaſtatis & direptis, civitati Vilnenſi ignem injiciunt, quo tertia ferme pars ædificiorum conſumitur. Interim advolat Dux Olgerdus, ut Wigandus ſcribit, (Mechovita Kinſtoudum fuiſſe aſſerit) & habito cum Ducibus colloquio dierum aliquot inducias impetrat, inter quas Duces & primores exercitus ad convivium invitat, atque comiter, laute ac liberaliter excipit. Ibi mentio injecta de pace conſtituenda, ſed quia hac de re ſine conſenſu & auctoritate Magiſtri agi non poterat, hoc ſaltem honori Ducis Litvanici datum, ut exercitus pacate inde deduceretur, & ſine ulteriori maleficio recta in Pruſſiam reverteretur.

An. 1377. Sloaſſen. Pelityg. Wartenburgum & Reina. Aliten. Rurſus in Litvaniam excurritur.

1378. Rurſus in Litvaniam.

Anno autem ſequenti Albertus Dux Lotharingiæ cum ſeptuaginta gravis armaturæ equitibus in Pruſſiam venit. Quo comite præfectus Ragnitenſis in Samogithiam & Litvaniam exercitum duxit. Ibi paſſim devaſtata & direpta territoria Przevan, Labunow, Pedyn, Arwiſch, Paſſwyn,

Paſſwyn, Eroglen & Pervaren, magnaque hominum & pecorum vi abacta domum reditum eſt. Quanquam addit Mechovita, quod Vitoldus Kinſtoudi filius cum quingentis equitibus Cruciferorum iter prævenerit, & commeatum, quem in ſylveſtribus locis usque ad reditum ſuum reliquerant, interceperit. Unde factum, ut illi totos ſex dies absque omni commeatu fame ferme contabuerint. Ut ut hoc ſit, auctor eſt Wigandus, quod ſequenti autumno Mareſcallus Gotfridus de Lindaw iterum in Litvaniam excurrerit, & pervaſtatis territoriis Labunow & Leymen ſecundum flumen Nerigam omnia depopulatus ſit, & deinde per agrum Eroglenſem & Romejenſem usque ad fluvium Noweſam progreſſus, magnam hoſtibus calamitatem intulerit, ac tandem per territorium Paſtow cum eximia præda in Pruſſiam reverſus fuerit.

Variæ utrinque aliquot annorum excurſiones.

Hujus generis excurſiones & agrorum populationes ſequentibus etiam annis, diverſis vicibus, continuatæ ſunt, quas omnes particulatim pluribus perſequi & ſcribenti & legenti nedum tædium, ſed prope nauſeam pariturum eſſet, dum ſemper eadem recenſentur incendia, rapinæ, cædes & ſimilia. Satius igitur erit ſummatim iſta perſtringere, ut annorum ratio ſaltem nobis conſtet. Anno igitur ſequenti Præfectus Balgenſis & Promagiſter Livoniæ conjuncta manu prædas ex Litvania egere. Burcardus comes Mansfeldenſis præfectus Oſterodienſis in Ruſſiam duxit, & agrum Camenecenſem omnem depopulatus eſt. Litvani & Ruſſi viciſſim erumpentes oppidum & arcem Memelam ipſo die feſto Pentecoſtes de improviſo ceperunt & exuſſerunt. Theodoricus de Elver præfectus Balgenſis denuo in Ruſſiam ducens, territoria Pierſke, Caminetz, Drowitz, Melnicken & Brieſke devaſtavit. Deinde Mareſcallus Cuno de Hattenſtein, qui Burcardo defuncto ſucceſſerat, Litvaniæ territoria Paſtow, Geſow, Labuno & Perſyn populabundus peragravit. Idem altero anno factum in territoriis Lekemſken, Nowempyl, Simmerpyl & Kaliſken, ubi ultra tria hominum millia capta & in ſervitutem abducta. Quo tempore etiam Livoniæ Promagiſter in Samogithiam bellum movens multos gentilium morte mulctavit, ſeptingentos cepit, & mille quadringentos equos inſtructos & frenatos abduxit. Et hi quidem pro hoſtibus erant adornati, ſed qui ſero nimis ſeſſum venientes Cruciferis equos in prædam reliquerunt. Interim Kinſtoudus cum filio Vitoldo Pruſſiam invaſit, & agrum Bavaricum populatus eſt, arcem autem & oppidum fruſtra tentavit, ſed Oſterodum nocturna irruptione oppreſſit, diripuit ac incendit. Qua re magis ac magis irritatus Mareſcallus iterum in Litvaniam irrupit, territoria Salſeniken, Troken & Romayne longe lateque pervaſtavit, deinde arcem Eroglen cepit & incendio abſumpſit, quo etiam quadraginta gentiles perierunt, eodem tenore territoria Sloaſſen & Rundziſke populabundus pervaſit. Eodem anno 1382. octavo Calendarum Julii, ipſo die Ioannis Baptiſtæ inter vivos eſſe deſiit Heinricus aliis Winricus Kniprodius magnus Magiſter, quo ipſo anno etiam Ludovicus Ungariæ ac Poloniæ Rex in fata conceſſit, & filiabus Mariæ quidem Ungariæ, Hedwigi autem Poloniæ regnum hæreditarium reliquit. Præfuit Magiſterio annos unum & triginta cum ſemiſſe,

An. 1379.

1380.

1381.

1382.

Magiſtri magni obitus.

miſſe, qua in re omnes alios, ipſum etiam Hermannum a Saltza, qui triginta annos imperium obtinuerat, ſuperavit. Nec alius quisquam tot annos attigit, excepto ultimo Alberto Marchione, ſi annos Ducatus Pruſſiæ cum Magiſterio connumeres. Bellum cum Litvanis quoad vixit feliciter geſſit. Homo alioquin pius, juſtus & clemens, quique eo nomine apud omnes maxime commendaretur, quod viduarum & orphanorum tutelam accurate gereret. Quatuor monaſteria conſtituit, vel ſaltem reſtauravit. Unum in monte Regio, ſecundum Welaviæ, tertium prope Coniciam, & quartum in Heiligenbuel. Hic primus itidem monetæ genus argenteum cudit, quod marcæ Prutenicæ dextantem valebat, vulgo ſcotos nuncupabant, quindecim denariis æſtimatos, ſic ut marca viginti quatuor ſcotis ſive ſexaginta ſolidis cenſeretur. Aureus vero Ungaricus duodecim ſcotis ſive triginta ſolidis, Renanus octo ſcotis æſtimabatur. Ex quo facile ratio poteſt iniri, in quantum huc usque moneta decreverit. Si quis aurifaber eam monetam ad operas ſuas refudiſſet, ejus erat mulcta, ut manus ad operas deinceps inutilis redderetur.

Scoti.

XX. Conradus Zölner.

In locum defuncti ſucceſſit viceſimus Magiſter generalis Conradus Zölner de petra rubea, quo tempore Wenceslaus Boëmiæ Rex, Caroli quarti filius, imperio potiebatur, in Dania & Norvegia Margareta Waldemari filia cum Olavo filio regnabat, in Swecia Albertus Dux Megapolenſis, qui poſtea per Margaretam regno pulſus fuit. Circa hoc tempus, ut referunt vulgati Annalium codices, extructum eſt monaſterium Carthuſianum, Paradyſum Mariæ quod vocant, quatuor circiter milliaribus a Gedano diſtans, auctore Ioanne Ruſinicio, equite nobili, tribus pagis in uſum monaſterii jure hæreditario collatis. Templum autem ejus monaſterii Ioannes Tiergart, civis Gedanenſis, ſuis ſumptibus conſtruxit.

Carthuſia.

Simultates Principum Litvanicorum.

Eodem illo tempore ſimultas oriri cœpit inter Principes Kinſtoudum & fratris filium Jagellonem, qui non ita pridem Olgerdo patri in magno Litvaniæ Ducatu ſucceſſerat, quæ Kinſtoudo tandem exitialis fuit. Auctor ejus ſimultatis erat Voidilo quidam homo ignobilis & obſcurus, ſed aſtutus, vafer, impiger, & magni ingenii. Is apud Olgerdum primum piſtor, deinde ingenii dexteritate cubicularius, mox etiam præguſtator ejus factus ſummam apud eum obtinuerat gratiam. Hunc Voidilonem Jagello cum ad imperium evectus eſt, non minus quam pater diligebat, eoque favore proſequebatur, ut etiam ſororem Mariam in matrimonium illi collocaret, ſed invito Kinſtoudo. Eam rem Kinſtoudus graviter ferebat, quaſi genere & familia ſua prorſus indignam. Voidilo autem eo magis ſibi cavendum rebatur, ne Kinſtoudi opera a ſua dignitate excideret. Non enim ignorabat, Jagellonem gratia & favore patrui Kinſtoudi (qui alioquin principatum vulgi conſenſu facile præoccupare potuiſſet) ad magnum Ducatum evectum fuiſſe, ideoque ejus auctoritatem apud hunc plurimum valere. Neque dubium exiſtimabat, quin ſi Kinſtoudus urgeret, & ſoceri gratia excidere, & ex ſummo in infimum locum detrudi poſſet. Hoc diſcrimen ſibi prævertendum ratus inimici-

Voidilo nebulo.

inimicitias inter utrumque ſerere conſtituit, ut animis illorum disjunctis ipſe ſolidam apud alterum ſtabiliret amicitiam. Perſuadet igitur Jagelloni, Kinſtoudum ab eo prorſus alieno eſſe animo, jam illum tædere neglecti principatus, nec honori ſolum, ſed vitæ etiam & capiti Jagellonis inſidiari. Qua re permotus Jagello, & nimium propere proditori fidem habens de ſe muniendo cogitare cœpit, & cum Cruciferis adverſus Kinſtoudum, perpetuum eorum hoſtem, fœdus clam inivit. De quo Kinſtoudus certior factus per præfectum Oſterodienſem, qui pro ejus filia, Ioanni Maſoviæ Duci collocata & Chriſtianis ſacris initiata, in baptismo fidejuſſerat, cum Filio Vitoldo conſilium, quid opus facto eſſet, communicat. Vitoldus autem omnem inter agnatos diſſenſionem prævenire cupiens, quod eum pernicioſa Voidilonis conſilia laterent, primum patruelem excuſare, tempus conſultationi interponere, tandem etiam patri perſuadere, ut omnem animo ſiniſtram opinionem de Jagellone de-
An. 1383. poneret. Sed non diu poſt Jagello expeditionem ſuſcepit adverſus Polocenſes, qui Kinſtoudo parebant, ut illos ſibi ſubigeret. Promagiſter autem Livoniæ Guilelmus de Frimerſen ex fœdere Jagelloni cum auxi-
Kinſtoudus liariis copiis aderat. Kinſtoudus jam nihil amplius de inito contra ſe
contra Ja- fœdere dubitans, collectis ſubito copiis Vilnam proficiſcitur, ac repenti-
gellonem. na irruptione civitatem & arcem capit, mox accerſito Vitoldo confœderationis literas adverſus ſe conſcriptas oſtendit. Vitoldus tunc etiam quantum poterat patris animum ad mitiora conſilia flectens perſuaſit, ut titulum & partem aliquam magni Ducatus Jagelloni relinqueret, nec durius in eum ſtatueret, ſummum autem imperium ipſemet uſurparet. Kinſtoudus hoc etiam filii precibus dedit, Voidilonem autem, cujus conſilia pridem reſciverat, in crucem egit. Mox ad Jagellonem & Promagiſtrum in caſtra ad Polociam mittit ac denunciat, ne ſubditis ſuis Polocenſibus negotium amplius faceſſant. Parent uterque & obſidionem ſolvunt. Aliquanto poſt Kinſtoudus expeditionem ſuſcepit adverſus Coributum Jagellonis fratrem, qui Kinſtoudo parere obſtinate recuſabat. Jagello etiam copias colligebat, quaſi patruo ſuppetias laturus, ſed aliud interim moliebatur. Vix enim digreſſo Kinſtoudo Vilnam advolat, civitatem & arcem proditione recipit, deinde ad arcem Trocenſem ducit, ubi commorabatur Vitoldus. Is cum ad reſiſtendum viribus impar eſſet, Grodnam profugit, ac inde patrem de rerum ſtatu certiorem facit. Interim Troccum Jagelloni deditur. Kinſtoudus a Coributi perſecutione recedens novo collecto exercitu cum Vitoldo Troccum proficiſcitur, & arcem ac civitatem gnaviter oppugnare inſtituit. Mox adeſt etiam Jagello cum Livoniæ Promagiſtro, nec procul inde caſtra locat. Utrinque res ad prælium ſpectabat, & de rei ſumma ferro decernendum videbatur, cum Jagello emiſſo præcone Vitoldum ad Colloquium evocat, quem ſciebat concordiæ domeſticæ maxime cupidum, eumque inter ſe & patruum componendæ litis cauſa arbitrum conſtituit. Skirgello Jagellonis frater ſecuritatem illi interpoſita fide ſpondet. Cum varie utrinque Vitoldi opera actum eſſet, prætendit tandem Jagello, non poſſe commode de rei ſumma convenire, niſi Kinſtoudus ipſe etiam coram adeſſet. Is ſub fide publica in caſtra Jagellonis advenit. Cum nonnihil

nonnihil ultro citroque diſceptatum fuiſſet, Jagello colloquium abrumpens, non hujus loci nec temporis eſſe infert, tantam rem recte componere, ſed omnibus ſimul Vilnam eundum eſſe, ubi multo melius omnia tranſigi poſſint. Eoque dicto Kinſtoudus & Vitoldus Jagellonis & Pro- Kinſtoudus
magiſtri copiis undique circumfuſi in retia illectos ſe intelligunt. Mox & Vitoldus
in Kinſtoudi caſtris edicitur, ut miles quaſi pace jam coita domum redi- capti.
ret. Wigandus ſcribit, quinque equitum millia ex Kinſtoudi exercitu ad Jagellonem defeciſſe, eaque re conſternatos cæteros cum Principem inſuper captum audirent, caſtra deſeruiſſe. Hoc modo Kinſtoudus & filius capti & Vilnam perducti, mox in vincula conjecti, & Kinſtoudus Crevam miſſus ac in ſordidiſſimam turrim conjectus, poſt dies aliquot juſſu Jagellonis in carcere necatus eſt. Cadaver ejus a Skirgellone Vilnam Kinſtoudus
perductum ſolenni pompa, more gentilitio cum armis, veſtibus, equis necatur.
& canibus in cineres redactum eſt. Vitoldus interim in cuſtodia tenebatur, ſed honeſtiori ac liberiori, quippe quod etiam ejus conjugi Annæ Vitoldus
permiſſum, cum duarum famularum comitatu, quoties vellet, illum inviſe- carcerem
re, quod cum frequenter fieret, mulier eum tandem liberavit. Com- evadit.
mutatis enim veſtibus famulam in carcere reliquit, virum fœmineo habitu ornatum eduxit. Wigandus ſcribit, ſoli uxori permiſſum fuiſſe, ut illum aliquando inviſeret, eamque ipſam veſtes cum eo commutaſſe, & ipſam in carcere remanſiſſe, maritum autem matronali veſte indutum emiſiſſe. Vitoldus hoc aſtu liberatus recta in Maſoviam ad ſororem contendit, cujus opera facile effectum eſt, ut cum Cruciferis in gratiam rediret, ac fœdus & amicitiam contraheret. Jam pridem enim ægre ferebant Cruciferi Jagellonis crudelitatem, quod Kinſtoudum ab ipſis ferme in manus traditum ad interceſſionem illorum liberare noluiſſet, ſed trucidare maluiſſet. Itaque bonam ſpem Vitoldo faciunt, nolente volente Jagellone de provinciis ejus recuperandis. Ac ne verba ſaltem dare viderentur, haud diu poſt cum ipſo Troccum proficiſcuntur, arcem & ci- Troccum
vitatem vi expugnant, & ſuum præſidium imponunt. Sed vixdum ad captum.
propria redierunt, cum Jagello arcem valde concuſſam & nondum ſatis communitam rurſus expugnat, & præſidiarii Germani arma & res ſuas depacti libere dimittuntur. Ac paulo poſt Vitoldus Jagelloni reconciliatus eſt, qui ditiones aliquas ipſi aſſignavit, multo plura in poſterum illi pollicitus.

Anno deinceps 1386. Jagello Rex Poloniæ factus eſt, cum obti- An. 1386.
nendi Regni cauſa cum fratribus & patruis ad Chriſtianismum tranſiiſſet, Jagello Rex
& eodem totam Litvaniam adducturum ſe recepiſſet. Ipſe in baptismo Poloniæ fa-
Vladislaus dictus Hedwigem Ludovici Regis defuncti filiam in matrimo- ctus.
nium duxit, & cum ea dotale Regnum accepit. Interim dum Litvania ſuis Principibus & militibus ferme deſtituta eſſet, quod multo major pars Jagelloni honoris cauſa aderat, Cruciferi tam ex Pruſſia quam ex Livonia, incitante Andrea Jagellonis fratre, qui jam antea religionem Andreas Re-
Chriſtianam apud Ruſſos profeſſus fuerat, in Litvaniam irruptionem fa- gis frater
ciunt, & quaqua iter eſſet omnia longe lateque devaſtant ac ingentes novas res
prædas agunt, civitatem & arcem Lubomlienſem capiunt & Andreæ molitur.

tradunt. Qua arrepta occaſione Polocenſes rurſum a Jagellone defecerunt, & auctoribus Cruciferis Andream Dominum acceptarunt. Enimvero poſt Cruciferorum diſceſſum Rex Jagello Skirgellonem & Vitoldum, qui in baptismo nomen Alexandri ſuſceperat, miſit cum ingenti exercitu ex Polonis & Litvanis collecto, qui nullo ferme negotio Lubomliam & Polociam recuperarunt, & in fidem Jagellonis redegerunt. Andreas ipſe captus & per triennium in carcere & vinculis miſere habitus, intempeſtivæ ſeditionis pœnam pertulit.

An. 1387. Dæmoniorum cultus in Litvania abrogatus.

Poſt hæc Rex in Litvaniam profectus eſt, ubi conventu Vilnam indicto, ad initium quadragenarii jejunii convenerunt eo Skirgello Trocenſium, Vitoldus Grodnenſium, Wlodomirus Kiovienſium & Coributus Novogrodenſium Duces, fratres Principis & infinita equitum plebisque multitudo. Ibi de religione Chriſtiana populariter ſuſcipienda ac de exterminando cultu falſorum deorum & omni ſuperſtitione diligenter, ipſo Rege maximam ei rei operam navante, non ſolum hortando & orando & præmiis invitando, ſed etiam docendo, cum Polonici ſacerdotes linguæ imperiti eſſent ipſe autem Ruſſicam callens Polonos loquentes intelligeret. Ægre gens barbara majorum ſuorum religiones relinquebat. Sed cum juſſu Regis ſacer ignis extinctus, templum araque ejus diruta, & adytum, unde oracula a ſacerdote edebantur, everſum Vilnæ eſſet, necatique ſerpentes, & ſucciſi luci, nulla cujusquam læſione, quod præter opinionem barbarorum acciderat, tum vero illi vanitate ſua agnita, alacriores ad Principum ſuorum religionem facti, & aliquot diebus capita religionis, quod ſymbolum vocatur, pio Rege nullum laborem ſubterfugiente, edocti, Chriſtianis myſteriis initiati ſunt. Sed cum immenſi laboris eſſet ſingulos ſacro fonte tingere, nobilioribus tantum hic honor habitus, reliquum vero vulgus turmatim diſtributum aqua luſtrali a Sacerdotibus conſperſum eſt, unumque nomen cuique turmæ tam virorum quam mulierum inditum. Baſilica deinde Vilnæ condita & reditibus amplis atque ſacerdotiis locupletata, ac Divi Stanislai memoriæ conſecrata eſt. Rex totum annum propagandæ in Litvania religioni Chriſtianæ vacavit, plurimaque loca per ſe ipſe obivit ad retinendos in officio, ſi qui novam religionem contemnerent, contumaces & ſeditioſos. Inde Vilnam reverſus Skirgellonem fratrem pro ſe ſummæ rerum apud Litvanos præfecit. Ea res magnas in Litvania turbas excitavit. Cum enim eſſet æmulatio inter Skirgellonem & Vitoldum, & indignum duceret Vitoldus, excelſi animi vir deteriori parere, nec ſtare promiſſis aut reſpondere ſpei meritisque ſuis animadverteret: nec ignoraret etiam Skirgelloni homini feroci & lingua manuque prompto, & qui per ebrietatem compotores ſuos plerumque ferro peteret, viciſſim ſe ſuſpectum eſſe, metuens ejus inſidias, Grodno & Breſte arcibus ſuis valido præſidio firmatis, in Maſoviam ad Ioannem Ducem ſororis ſuæ maritum, cum Anna uxore profugit, inde ad Ziemovitum ejus fratrem ſe contulit. Sed cum ab utroque malignius tractaretur, in Pruſſiam ad Cruciferos contendit. A quibus comiter acceptus & habitus eſt, quod ii per eum facile ſe Samogitia & Litvania potituros eſſe ſperarent.

Vitoldus ad Cruciferos confugit.

rarent. Commoratus autem ibi aliquandiu adminiſtrationem rei familiaris & linguam Germanicam aliqua ex parte didicit. Interim Litvania Cruciferorum pariter Pruſſienſium & Livonienſium armis vexata eſt, & in duas factiones, quarum altera Vitoldo, altera Skirgelloni favebat, diviſa, inteſtinis diſſidiis laborare cœpit. Cæterum Vitoldus cum Cruciferorum fidem ſuſpectam haberet, & eos ſibi ipſis potius quam Vitoldo Litvanicas ditiones acquirere cupere animadverteret, clam ſibi per internuncium, Regem Vladislaum, proditionem Ruſſorum & Litvanorum metuentem, reconciliavit, & accepta ab eo ſpe adipiſcendi Principatus ſive Magni Ducatus, ut vulgo dicunt, prætextu irruptionis faciendæ copias ſuas educens in Litvaniam revertitur. Ac ut aliquo tamen cum munere ab hoſtibus ad ſuos rediret, in itinere tres arces Cruciferorum Samogitis confines, Jurgeburgum, Mergemburgum & Novam domum, cum velut ſocius & amicus intromitteretur, cepit & exuſſit, præfectis & præſidiariis militibus Cruciferorum partim cæſis, partim in ſervitutem abductis. Domum reverſus cum ſpem ſibi datam a Rege diutius duci videret, ſeque vanis promiſſis eludi exiſtimaret, conſilium cepit Vilnæ per proditionem capiendæ. Subornatis enim curribus ac vehiculis compluribus homines armatos incluſit, ac ſuper eos carnes ferinas diſpoſuit, & vehicula ſic in arcem Vilnenſem miſit, ſimulans ſe ſorori nuptias apparaturum. Verum fraude intempeſtive detecta, ſpe fruſtratus iterum in Pruſſiam reconciliatis ſibi per literas & Internuncios Cruciferis ſeſe recepit; indeque biennio Litvaniam cum auxiliis eorum infeſtavit.

Vitoldus a Cruciferis recedit.

Anno deinceps 1390. Vladislaus Rex expeditionem in Litvaniam fecit, ut gliſcens inter Litvanos & Ruſſos partium ſtudio diſſidium reprimeret, Vitoldique potentiam frangeret, atque excurſiones arceret, cujus juvandi gratia Cruciferi Pruſſienſes exercitum in Germania comparabant. Tenebantur Vitoldi præſidiis arces Breſte, Camenecia Poleſſenſis & Grodnum, e quibus crebræ fiebant in finitimas oras excurſiones. Eas igitur arces primum Rex in poteſtatem ſuam redigere adortus, Breſte intra decimum diem cepit & ibi præſidium collocavit. Inde cum Poloni milites impatientia frigoris (nam initio Februarii hæc agebantur) & pabuli commeatusque penuria miſſionem efflagitaſſent, cum aulico ſuo comitatu & paucis voluntariis, qui nongentorum numerum non explebant, ad Cameneciam caſtra movit, captamque nullo negotio Equitis Poloni cujusdam fidei commendavit. Inde porro nihil paucitate ſuorum ac dubia Litvanorum & Ruſſorum fide deterritus, transmiſſo Nemene fluvio ad Grodnum caſtra metatus eſt. Ibi convenere ad eum Skirgellonis, Wlodimiri & aliorum Litvanorum ac Ruſſorum Ducum atque procerum non contemnendæ copiæ. Coributus vero Novogrodenſium Severianorum Dux cum Ruſſis de Religione ſentiens, per ſe ipſe cum inſigni equitatu in caſtra Regis fratris venit.

An. 1390. Jagello contra Vitoldum.

His copiis Grodnum, cum non facile vi caperetur, obſeſſum eſt. Non latebant hæc Vitoldum, nec ignorabat is, Grodnenſes diuturnam obſidio-

Grodnum expugnatum.

obſidionem ferre non poſſe. Propere igitur cum non parva Pruſſorum & Cruciferorum manu in auxilium ſuis advenit, ac cis Nemenem e regione arcis caſtris poſitis novam arcem in aggeſto de terra tumulo munire inſtituit. Verum nihil ea re obſeſſi relevabantur. Et jam inferior arx inſpectante ipſo expugnata erat. Igitur intermiſſo cœpto opere ferream catenam navibus devectam per flumen ad arcem deligavit, eaque continuatis navibus in flumine pontem junxit, quo facilius laborantibus ſuis ſubveniret, commeatum ſupportaret, ægros atque ſaucios ad ſe transferret, & pro his recentes ſubmitteret. Contra id opus Regii milites ingentes piceas ſive pinaſtros in ripa ſuccifas & in amnem dejectas ſecundo flumine impulerunt, quæ impetu rapidi amnis celeriter delatæ catenam perruperunt, navesque nonnullas cum hominibus obluctantibus attriverunt ac demerſerunt. E quibus unus quispiam Germanus in ulteriorem ripam ad Regia caſtra, fruſtra inclamantibus ſuis ut in undis periret potius, quam in hoſtium poteſtatem veniret, enatavit, a quo rerum hoſtilium ſtatus omnis cognitus eſt. Inſequenti autem nocte Vitoldus cum ſuis, deſperata defenſione arcis, fugienti ſimilis diſceſſit, & arx poſt quinquageſimum obſidionis diem in ditionem Regis venit. Nec ſane multo levior ea obſidio obſidentibus quam obſeſſis fuit. Tanta enim commeatus pabulique penuria ii quoque preſſi ſunt, ut vix ater ac de ſiligine pariter cum ſpicis molita factus panis (quali etiamnum vulgus Litvanorum fere utitur,) militibus ad veſcendum ſuppeteret: equis vero frondes arborum ac vetus palea de ruſticanis tuguriis detracta, ac per quatuordecim milliaria petita pabuli loco eſſet. Matureſcentibus autem ſegetibus cum Lancaſter (ut auctor eſt Cromerus) Heinrici Regis Anglorum filius cum permagna Anglorum, Francorum, Teutonumque voluntariorum manu in Pruſſiam piæ contra barbaros militiæ opinione veniſſet, triplici agmine in Litvaniam itum eſt, Vitoldi vindicandi reſtituendique prætextu, revera autem, ut Litvaniam ſibi Cruciferi ſubjugarent. Ducebat autem unum agmen Vitoldus, alterum Promagiſter Livoniæ, tertium Conradus Wallenrodius, Magnus Pruſſiæ Mareſcallus. Apud Caunam, quod oppidum in confluente Nemenis & Viliæ fluviorum ſitum eſt, eæ copiæ convenere. Inde ad Trocos perventum, & oppidum id crematum eſt. Hinc ad Vilnam caſtra mota. Ibi Regii milites hoſti adventanti occurrere, commiſſoque prælio terga dedere, multis fortibus viris & claris aliquot Ducibus amiſſis. Deinde arx Vilnenſis inferior, quam Curvam vocant, vixdum obſeſſa a proditoribus Ruſſis & Litvanis ſuccenſa eſt. E quo incendio cum ſeſe Corigello frater Regis ſubduceret, ab hoſtibus exceptus & capite plexus eſt. Cætera multitudo omnis in ea arce partim abſumpta incendio, partim ferro hoſtili crudeliter cæſa. Ad quatuordecim millia hominum ibi periiſſe exiſtimantur. Superiorem arcem Poloni tenebant, nec aut clade ſuorum aut conflagratione arcis inferioris, aut minis hoſtium & oſtentatione capitis Corigellonis, ac ne acerrima quidem oppugnatione, qua pars muri non exigua dejecta erat, ad deditionem compelli poterant. Veriti autem proditionem ipſi inter ſe cuſtodias ac cætera defendendæ arcis munia, ſubmotis Ruſſis atque Litvanis, partiti ſunt. Loca dejecti muri vel humo

Vitoldus & Cruciferi cum auxiliaribus in Litvaniam movent.

Vilna obſeſſa.

mo ſimoque opplebant, vel coriis pecudum & jumentorum laxe prætendebant, & ſic tormentorum ictus eludebant, denique corporibus ſuis hoſti irrumpere conanti aditum obſtruebant. Skirgello quoque Regis frater noctu fere cum ſuis Litvanis & Ruſſis erumpens non parvis detrimentis atque cladibus hoſtes afficiebat. Cum autem tres menſes plus minus arx irrito labore obſeſſa & oppugnata eſſet, primis demum Octobris diebus hoſtes magna non modo profanarum ſed & ſacrarum ædium vaſtitate & inermium hominum atque infantium cæde perpetrata, ab obſidione diſceſſere. Non paucos tamen & ipſi fortes viros in ea obſidione deſideravere; in his fuit Alardus Comes Hohenſteinenſis. De Ducibus autem hinc Narimundus Jagellonis, illinc Totivilus Vitoldi frater pugnare: hic quidem tormento ex arce ictus, ille vero in ſingulari certamine victus, captus, & pedibus ex ultimo juſſu Vitoldi ſuſpenſus, & ſagittariorum ſpiculis confectus. Vitoldi & Cruciferorum diſceſſus Litvaniæ & Samogitiæ fuit funeſtiſſimus. Quaqua enim tranſibunt, omnia ferro flammisque evaſtata, & innumeri mortales, ſine ullo ſexus vel ætatis diſcrimine, cædibus crudeliter abſumpti.

Narimundi & Totivili cædes.

Æſtate ſequenti rurſus Vitoldus cum Cruciferis ad Vilnam duxit exercitum, ſpe proditionis ab iis, quibus exoſus erat Skirgello, faciendæ inductus. Cognito vero hoſtium adventu, urbem ipſe præfectus ne receptaculo eſſet hoſtibus cremavit, ſeptisque de viridi robore extructis aditum ad arces impedivit, & in venientes hoſtes ad ædem Virginis Mariæ intra mœnia urbis, quam Franciſcani ſodales obtinent, impetum fecit, nulloque de ſuis amiſſo in arcem ſe recepit. Animadverſa horum audacia deſperataque ob amotum Skirgellonem proditione (veritus enim Rex, ne Vitoldus Vilna, Ruſſorum impenſius ipſi faventium proditione, per inſcitiam & ignaviam Skirgellonis potiretur, miſerat eo Nicolaum Moſcorovium, Procancellarium Poloniæ, cum mediocri militum Polonorum præſidio & apparatu bellico, ut arcem utramque tueretur) Vitoldus & Cruciferi paucis diebus ſolverunt obſidionem. Et ne nihil egiſſe viderentur, revertentes Vilcomirium & Novogrodecum caſtella ſupra Vilnam fluvium a Skirgellone condita vi cepere & incendere. Duabus deinde aliis excurſionibus eadem æſtate Litvaniam populati Mednicos & Velzanos in Samogitia exuſſerunt. Hyeme vero ad Caunam, quæ regio tenebatur præſidio, profecti, tres munitiones in circuitu excitarunt, Neigartum, Metemburgum, & Ritterverderum. Et hæc quidem extrema Vitoldo cum ſuis conceſſa: reliquas vero duas Cruciferi ſuis præſidiis firmarunt, & ex his ſubjectam oram infeſtarunt. Miſſus eſt, ut hoſtium conatus reprimeret, Alexander Vigundus, Regis frater, cum expeditis copiis ad expugnandas eas munitiones. Et tentavit is quidem Ritterverderum, ſed mox infecta re diſceſſit, cum prope abfuiſſet, quemadmodum poſtea cognitum eſt, ut id caperet. Ceperat jam Vladislaum ejus belli ſatietas propter Polonicas occupationes, quibus diſtinebatur, & magnitudinem ſumptuum. Cogebatur enim per omne id bellum frumento, lardo, leguminibus & pecudibus ſubmittendis, non modo præſidiariorum, ſed & Litvanorum ipſorum Nobilium atque popularium

An. 1391.

Alia in Litvaniam expeditio.

Cauna obſidetur.

Vitoldus Regi reconciliatur.

pularium inopiam relevare, ne regionem hoſtilibus excurſionibus pervaſtatam & alioqui incultam tunc fere atque ſterilem deſererent, & hoſtibus occupandam permitterent, neve ipſi ad eos deficerent. Itaque Heinricum Ziemoviti Maſovii filium, Epiſcopum Plocenſem ſuborhat, ut ad Vitoldum profectus clam de pace ageret. Sublatus erat veneno per eos dies Alexander Vigundus Regis frater, qui propter induſtriam atque dexteritatem in rebus agendis & mores minime barbaros Regi charus fuerat, & Bidgoſtiam Inowladislaviamque ab eo acceperat, & Vladislai Opolienſium Ducis filiam uxorem duxerat, ſed nullos ex ea reliquerat liberos. De cujus morte Vitoldus vulgo inſimulatus eſt. Hoc igitur extincto facilius de pace inter Regem & Vitoldum convenit, cum Rex ei principatum ſive magnum Ducatum, poſthabitis fratribus germanis ſuperſtitibus, pollicitus eſſet, cum quod illos ignavos & venationibus modo atque ebrietati deditos eſſe cerneret, tum ut ſe moleſtia belli Litvanici & metu inſidiarum Vitoldi liberaret. Hac igitur conditione Heinricus Vitoldum Vladislao reconciliavit, & ipſe jam hypodiaconus repudiato ſacerdotio filiam Vitoldi Ringalam uxorem duxit, ſed paucis poſt diebus veneno extinctus fuit. Vitoldus autem rebus ſuis cum Vladislao ex animi ſui ſententia compoſitis Cruciferos atque Teuthonas mercatores in Ritterwerdero caſtello ſecum commorantes comprehendit, & incenſo caſtello vinctos in Litvaniam abduxit. Abeuntem Cruciferi ex reliquis duobus caſtellis perſecuti & adorti parvo negotio fuſi fugatique ſunt, & caſtella a Vitoldo vi capta & exuſta. Veniens inde Vilnam Vitoldus cum captivis & non contemnenda præda parta de Cruciferis, honorifice ab Olesnicio præfecto, quemadmodum Rex juſſerat, acceptus eſt. Quibus de rebus certior factus Vladislaus ad finem menſis Julii propere in Litvaniam profectus, apud Oſtrovum Vitoldum cum ſuo comitatu ſupplicem obvium habuit, & clementer eum conſolatus cum Skirgellone in gratiam reduxit, cum ei Rex promitteret, ac diplomate etiam caveret, ſe Vilnam, Vitepſcum, Mereciam & Gartenam arces, ipſo inſcio, nemini traditurum eſſe. Ubi Vilnam ventum eſt, ibi Rex Vitoldum amoto de præfectura Oleſnicio, ſummæ rerum apud Litvanos atque Ruſſos præfecit, accepto ab eo jurejurando, quod in fide & clientela Polonorum ſemper futurus eſſet. Hoc idem Anna uxor ejus pro ſe & marito ſpopondit, & litteris conſignatis cavit. Nec tamen datus Vitoldo principatus pacem Litvanis attulit. Nam Suitrigello & Skirgello indigne tulerunt, quod germani fratres Vitoldo patrueli a Rege poſthabiti eſſent. Ac Suitrigello quidem cum minus animi & virium haberet, ad Cruciferos profugit, & Litvaniam cum eis ultro in Vitoldum incitatis, crebris populationibus divexavit. Per quod quidem tempus Suraſſum, Gartenam & Stramelam arces Cruciferi de Litvanis cepere. Skirgello vero majore animo & opibus præditus ex æmulatione & jurgiis ad teſtatas cum Vitoldo inimicitias venit. Quorum malorum ſedandorum cauſa Rex rurſus cum Regina anno ſequenti in Litvaniam contendit, Skirgellonem adjecto ei Cremenecenſi, Starodubenſi & Starotrocenſi tractu placavit: in poſterum ſi quid novi diſſidii inter eos orſum eſſet, convenit, ut Reginæ arbitrio ſtaretur. Ita quidem Dlugoſſus

Vitoldi perfidia in ſocios.

Vitoldus magnus Dux Litvaniæ deſignatus.

Suitrigello & Skirgello Vitoldo infeſti.

ſus & poſt eum Miechovienſis. Verum extant Vitoldi literæ, quibus id teſtatum facit, ſe cum Skirgellone in gratiam rediiſſe, ſocietatem contra quemlibet excepto Rege Polonorum iniviſſe, ac ſe quidem Kiovienſem dominatum armis quærere, ipſique & hæredibus ejus jure ſempiterno tradi debere: Vladislaum vero Regem ſe adſentiente Cremeneciam & Stoſcum eidem donaſſe, propterea quod is patrimonio in gratiam ſuam ceſſiſſet. Litvanica hiſtoria hic Skirgellonis mentionem non facit, ſed Coributum fratrem ejus detrectantem imperium Vitoldi, comparato exercitu, cum Vitoldo conflixiſſe, victumque Novogrodecum, ubi uxorem & liberos habebat, fugiſſe, & cum his expugnata arce a Vitoldo captum eſſe. Atque hinc nata eſſe videtur ſponſio Alexandri Rezanenſium Ducis pro Coributo Regi facta & literarum monumentis, quæ extant in archivo Regio, ſignata, cum eum Rex e vinculis liberaſſet. Nec multo poſt Andreas quoque frater ejus, qui Chencinis aſſervabatur, dimiſſus eſt, Vitoldo & aliis quibusdam Ducibus intervenientibus Regique pro ipſo fidejubentibus. Vere proximo Vitoldus Zitomiriam & Kioviam in poteſtatem redegit, amotoque Vladimiro Duce, Skirgelloni eum tradidit, Skirgello autem Cercaſſos & Suinigrodum cepit. Nec multo poſt Skirgello, Vitoldi ut putant artibus in venationem profectus, & a monacho quodam Ruſſo Metropolitæ vicario ad villam invitatus, venenatoque poculo e medio ſublatus fuit. Unde factum ut Vitoldus totius Litvaniæ dominatum ſibi vendicaret, & haud mediocriter potentiam ſuam ſtabiliret. Hæc dum in Litvania geruntur, quæ quidem hic conjuncta ſunt, ne ſeries narrationis ſæpius interrumperetur, Conradus Zölnerus Magiſter generalis, cum per annos novem, quibus Ordini præfuit, continuo adverſus Litvanos bello fuiſſet occupatus, pace interim domi conſervata diem ſupremum obiit Chriſtburgi, ac pone Anteceſſorem Mariæburgi in ſacra æde conditus eſt.

Coributus captus.

Andreas liberatus.

Skirgello veneno ſublatus.

Obitus Magiſtri.

An. 1391.

XXI. Succeſſit ei Conradus de Wallenrod, Pruſſiæ ſupremus Mareſcallus, Magiſter primus poſt viceſimum, homo impius, crudelis & ambitioſus, qui nihil minus quam religionis & pietatis curam agebat, immo neminem pejus quam religioſos homines oderat infeſtabatque. Hic primus literis nomen ſuum more Principum præſcripſit, primus itidem, qui civitates ſubditas quibuscunque poterat detrimentis & præjudiciis affecit, & plurimis exactionibus civium res & facultates expilavit. Polonos, Litvanos, Curlandos & alios contra libertates a majoribus conceſſas in numerum civium aſſumi imperavit, & ex eorum ſodalitiis nova ſuburbia paſſim qvaſi colonias excitavit, qui & cæteris laborum mercedem præriperent, & quorum adminiculo civitates facilius opprimerentur. Acciſam (quam vocant) triennalem impoſuit non ſolum in fundos, res mobiles, eſculenta & potulenta, ſed etiam in hominum tam ſervorum & dominorum & univerſæ familiæ, quam jumentorum, pecudum, gallinarum, anſerum, porcorum & canum capita, eamque ſeveriſſime exegit, qua ratione intra biennium inſignem pecuniæ vim ex ſubditorum viſceribus corraſit. Tertio enim anno civitates & Nobilitas Pruſſiæ conjuratione populariter facta tam immodicam exactionem plane repudiarunt ac palam

Conradus de Wallenrod.

Acciſa antea audita.

lam detrectarunt, pœna capitis publico decreto in eos quicunque deinceps vel metu vel gratia acciſam eam penderent, conſtituta. Repreſſit ea res tyranni ferocitatem, cum quod eos, quos oderat, non minus metueret, tum quod a Cruciferis inſtitutum plane inſolens & inauditum minime probari intelligeret. Ac in tantum homo improbiſſimus Dei & honeſtatis omnis æque pertinax contemptor, rapinis & avaritiæ deditus erat, ut ne templis quidem & religioſis domibus parceret, quin eorum etiam peculia & pia donaria iisdem exactionum oneribus exhaurire conaretur. Gedani quidem templum primarium Divæ Virginis annuatim centum aureos Rhenanos pendere cogebatur, divi Iohannis octoginta, divæ Catharinæ quadraginta, & ſic cætera pro ſuis cujusque facultatibus. Torunii templum veteris civitatis octoginta Rhenanos, novæ triginta, Mariemburgi centum, Elbingæ centum & viginti, & ſic de cæteris, adeo ut in tota Pruſſia nullum eſſet templum, nullum monaſterium, nullum xenodochium, quantumvis exiguum & inops, cui non ad minimum aureorum ſex annuorum penſio tum fuerit impoſita. Atque hæ & aliæ ſimiles ac enormes exactiones etiam poſtea ſubſecutæ, quarum hic primus fuit architectus & inventor, prima fuerunt cauſa ſimultatum & odiorum inter Cruciferos & ſubditos, quæ poſtea creſcentibus in dies oneribus eo tandem eruperunt, ut excuſſo a ſubditis jugo ipſi potiorem ſuarum ditionum partem amiſerint.

An. 1393. Aurum ex frumento luculentum.

Verum in his rerum difficultatibus, quæ jam triennio duraverant, dum pro lubitu regnat Tyrannus, aliquod tamen ſolatium Gedanenſibus, qui præ cæteris premebantur, obvenit. Trecentæ enim naves ex Galliis, Anglia & Belgio appulerunt, in ſumma regionum illarum annonæ caritate, frumentum petentes, & pro eo magnam auri vim apportantes. Omne frumentum, quod penes cives fuit, & ex propinquo comparari potuit, ſtatim eſt divenditum. Onus unum (ut vocant) novem marcis tum veniit. Id cum omnibus navibus non ſufficeret, & auri ſplendor & lucrum arrideret, juſſit Magiſter Ordinis repoſitoria & granaria aperiri, in quibus immenſa frumenti vis ad bellum Litvanicum deſtinata aſſervabatur. Hoc frumentum Magiſter duodenis marcis vendidit, & naves reliquas abunde complevit. Ex eo magna vis auri comparata, quæ poſtea in monetam conflata eſt valore aurei Rhenani, in cujus uno latere effigiatus erat Magnus Magiſter totus armatus, in dextra gladium ſtrictum, in ſiniſtra clypeum cum ſuis gentilitiis inſignibus geſtans, cum hac inſcriptione: Conradus tertius Magiſter generalis. In altero latere crux duplex in quaternis apicibus liliata cum Inſcriptione: Moneta nova aurea dominorum in Pruſſia.

Litvania rurſum infeſtata.

Per hoc etiam tempus Cruciferi incitante Suitrigellone Litvaniam iterum factis excurſionibus longe lateque vexarunt, munitiones etiam nonnullas ceperunt, & caput gentis Vilnam tentarunt, ſpe ſubornatæ per Ruſſos monachos proditionis & incendendarum arcium, ſed cum ab uno ex ipſis detecta eſſet proditio, ſumptumque de conſciis ſupplicium, Cruciferi re infecta receſſerunt. Erant quidem ad manum Litvanis

tvanis non contemnenda Polonorum partim a Rege miſſorum partim voluntariorum auxilia, ſed nusquam tamen ad univerſi prælii dimicationem cum hoſte ventum eſt. Satis illi habuere ex inſidiis hoſtiles vires carpere, nonnunquam etiam ipſi in hoſtilem agrum populabundi excurrerunt. Quo factum eſt, ut hac vice non minus incommodi acceperint Cruciferi, quam dederint. Magiſter quidem Wallenrodius ſummis viribus enitebatur, nec ulli rei parcebat, ut aliquando de Litvanis egregie ſe vindicaret, ſed non ſatis proſpero, ut paulo poſt dicetur, eventu.

Albani Leandri dogmata.

Hic idem Magiſter Wallenrodius vel clericorum & monachorum odio, vel quod vitam & ſtudia eorum, nunquam alias omnibus in univerſum probata, deteſtaretur, ſive ſua potius impietate ductus, omni Religionis cultu neglecto, Leandrum quendam Albanum ex Gallia cum hæreſeos infamia profligatum in honore habuit, ſubditisque libere permiſit ejus doctrinam ſectari & amplecti. Inter cætera dogmata vel paradoxa, quorum nomine per Eccleſiaſticam, ut vocant, cenſuram condemnatus dicebatur, hæc erant fortaſſis inſulſa, ſed ad detegendam clericorum & monachorum vanitatem & ignaviam excogitata: Eos nimirum, qui clericos, monachos & moniales alerent, æterni ſupplicii reos eſſe, quandoquidem alerent homines otioſos & deſidiæ ſaltem deditos, contra Dei ipſius præſcriptum & inſtitutum, utpote qui omnes homines poſt primorum parentum defectionem ad labores ſufferendos, non ad otium agendum & deſidiam ſectandam deſtinaſſet: Eos item Principes, Duces & alios, qui ſuis impenſis monaſteria, omnium ſcelerum & libidinum ergaſtula condidiſſent, hoc opere non potuiſſe ſalutis æternæ participes fieri, illos etiam, qui inter vivos eſſent, & in hoc genere operis fiduciam locarent, non poſſe ſalvari, quamdiu monaſteria iſta, illorum impietatis indicia & receptacula in rebus humanis invenirentur: Omnes clericos & monachos eſſe hæreticos, perfidos, & a fide Chriſtiana remotiſſimos, quia nec votum nec juramentum implerent, nec implere poſſent, neque ipſi facerent ea, quæ alios facere docerent ac juberent: Omnes eos, qui cœlibatum præciperent, eſſe Diaboli mancipia, quoniam conjugalis conſvetudinis uſum, quem Deus inter homines ſancte colendum diſerte conſtituiſſet, abhorrent, & interim ſcortationibus, adulteriis & impuræ Veneris libidinibus contaminarentur: omnium item hominum vitam, fidem, & ſalutis conditionem apud Deum æqualem eſſe, nullo vel clerici vel laici diſcrimine: Miſſas, conciones, jejunia, ferias, cantiones, peccatorum auriculares confeſſiones, nullius eſſe momenti, nugas ab hominibus ſuperſtitioſis excogitatas, nihil ad æternam ſalutem ex opere operato conferentes. Hæc & alia plura, quæ ſunt etiam extra normam, & ad inſtitutum noſtrum non pertinent, Leander tum in Pruſſia docuit paſſim, & non ſemel pro ſuggeſtu publico propalam differuit. De quibus ſuum unicuique judicium eſto, mihi non eſt animus hoc loco quidquam in cujusvis injuriam vel contumeliam affirmare. Sane Wallenrodius ipſe ſuam hoc modo virulentiam adverſus clericos & monachos prodere voluit, uti alioquin in univerſum ſubditos ejus avaritiam & impietatem non probantes acerbiſſimo odio proſequebatur, æque omnino irreli-

irreligioſus ac crudelis. Quibus utique rebus magnum aliquando malum fuiſſet excitaturus, niſi Deus illi maturius vitam ademiſſet, poſtquam quatuor annis ſummum Magiſtratum tenuerat, eumque male & impotenter adminiſtraverat.

Mensa honoraria.

Alioquin hic Magiſter in vulgaribus plerisque Chronicis nulla alia re memorabili celebratur, quam quod plerique menſam ejus honorariam & pretioſa Commeſſatoribus data donaria magni faciunt, quæ revera tamen nihil aliud erant, quam ſubditorum ſanguis & ſudor per improbas & immodicas exactiones elicitus. Cum enim Litvanos ulciſci vellet, multos Germaniæ Principes, Proceres ac Nobiles ſuis ſumptibus & magnorum præmiorum ampliſſima ſpe propoſita, in Pruſſiam invitaverat. Qui & gratiam ejus inire, & ampla ſtipendia merere cupientes affatim confluxerunt, & circiter quadraginta ſex millia equitum ac peditum attulerunt, cum Magiſter ipſe jam octodecim millia in armis haberet: quibus copiis univerſam Litvaniam una expeditione prorſus ſubjugari poſſe haud dubie ſibi perſuaſerat. Multi aderant viri Principes, Comites, Barones, Duces belli maxime clari. Quorum honori ut non vulgare quidpiam daret, juſſit omnes copias trans Memelam, infra Caunam, in ipſo hoſtili ſolo caſtra metari. Ibi inter cætera tentorium unum & quidem ampliſſimum omnibus rebus ad ſummam luxuriam & abundantiam inſtructum erat. Ibi menſa honoraria & plane Regia pro Principibus, Comitibus, Baronibus & aliis illuſtribus viris, qui aderant, adjectis interim duodecim aliis ex vulgo Nobilium, quorum in ſuperioribus bellis virtus præ cæteris conſpectior fuerat, adornabatur Regio plane apparatu. Omnia menſæ inſtrumenta, vaſa & pocula, aurea erant vel argentea, in tanta quidem copia, ut ex unoquoque poculo non niſi ſemel biberetur, & quisquis ebibiſſet, ei poculum hoc dono dabatur, ſic qui plura præ cæteris evacuare ſtrenuis hauſtibus potuiſſet, præ cæteris majori donariorum copia onuſtus dimittebatur. Exceptis cæteris aureis & argenteis donis, torquibus, armillis, gladiis, ſellis equeſtribus, aureis calcaribus, armis & clypeis inauratis, quæ omnia extra ordinem ita liberaliter prodigebantur, ut nullus ex eo convivarum numero, pro ſua quisque conditione & virtutis opinione non decenter honoraretur. His tantis profuſionibus & luxu tam immodico, qui diebus aliquot continuatus fuerat, nihil prorſus perfectum, nihil hoſti nocitum, ſed omnia jam pridem per acerbiſſimas exactiones corraſa uno quaſi momento per vaniſſimam oſtentationem abſumpta & profuſa. Tandem cum aliquid tanto ſumptu & ſplendore dignum agere vellet, peſtis repentina ſuperveniens, cum homines & equos una contagione paſſim abſumeret, totus exercitus repente dilapſus eſt. Scribunt etiam nonnulli, quod ad extremum præſtantes iſti commeſſatores a Litvanis ſubito oppreſſi, & in eo convivio male tractati, in Pruſſiam usque fugati, & non minimam partem donariorum in caſtris relinquere coacti fuerint. Et ſic iſta honoraria menſa Principum velut nebula tranſiit, & dum montes parturiunt, ridiculus mus in lucem prodiit.

Cruciferi Regno Boëmiæ exacti.

Hoc eodem Magiſtro Cruciferis Marianis Ordinis hujus Teutonici per Wenceslaum Cæſarem & Boëmiæ Regem omnia bona & poſſeſſiones, quæ in Regno Bohemiæ habebant, adempta ſunt, & ipſi cum Ordine ſuo toto regno expulſi. Cujus rei cauſam pro certo affirmare non auſim. Exiſtimant alii, Regem iſtum Eccleſiaſtico Ordini fuiſſe infenſiſſimum, & ex avaritia ita laboraſſe, ut ſacra profana ad ſe rapere ſusque deque ferret. Alii vero prodiderunt, eum Huſſitis tum tempore in Boëmia tumultuantibus plus indulſiſſe, & cum ii Religioſorum bona paſſim invaderent, maluiſſe ipſum Cruciferorum poſſeſſiones luculentas & ſatis amplas præoccupare, quam Huſſitis diripienda concedere. Quibus de motibus qui plura ſcire deſiderat, hiſtoricos Boëmicos conſulat, & inter cæteros Cuſpinianum, qui hujus Regis Wenceslai vitia ſatis ſevere infectatur.

Magiſtri mors horrenda.

Hic itaque Magiſter Wallenrodius, ut ſemel monſtrum iſtud abſolvamus, uti vixerat, ita vitæ ferme finem adeptus eſt. Nam ut vivus bonis viris omnibus infeſtus erat & abominandus, ita eo moriente aër ipſe & venti naturæ totius odium adverſus tam immanem belluam conteſtari videbantur. Cum enim rebus omnibus infectis, tanta vi auri & argenti profuſa, fuga turpi a menſa honoraria, furibundus jam domum properaret, Deos & fortunam incuſaret, in ipſo itinere tanta fuit amentia & furore correptus (morbum iſtum neſcio quem currentem ignem nominare ſolent) ut non ſolum homines averſaretur, ſed humi reptans cum canibus mordicus digladiaretur, & in eo plusquam miſerabili hominis ſtatu (ſi modo ipſe ullius unquam hominis commiſeratus fuiſſet) aliquanto poſt ipſo die Jacobi divi Apoſtoli anno 1394. inter homines eſſe deſiit. Ante mortem ejus adeo frequentes & continui fuerunt imbres, ut omne ferme frumentum periret. Viſtula multitudine aquarum vehementer aucta, ſupra Grudentum totos montes arenoſos fluctu abripuit, & fauces Nogati & Habi lacus totas pene obſtruxit. In Principis etiam Inſula, quam vocant, ruptis aggeribus Inſulam Gedanenſem totam inundavit. Nogatus etiam erumpens Inſulam Nebrawienſem pervaſit, eodemque exemplo cæteri fluvii terminos & ripas excedentes multis oppidis, pagis, molendinis, agris, maximam calamitatem intulerunt. Paulo poſt ventus ſeptentrionalis per totos quinque dies continuos adeo vehementer flavit, ut portus Lochſtetienſis arena oppleretur, & novus prope Roſichembergum aperiretur. Hinc eſt quod hiſtoriæ Duisburgenſis ſuccedaneus, de morte hujus Magiſtri ſcribit: In cujus (inquit) tranſitu tempeſtas magna fulminis & tonitru facta eſt.

Et hactenus Ordinis Teutonici ſtatus fuit florentiſſimus, & deinceps paulatim res ejus deficere cœperunt.

FINIS LIBRI SECUNDI.

HISTORIÆ RERUM PRUSSICARUM

LIBER TERTIUS.

An. 1395. XXII. Conradus de Jungingen.

Conrado Wallenrodio ex hominibus ſublato, viceſimus ſecundus Magiſter generalis electus eſt Conradus de Jungingen, Theſaurarius Mariemburgenſis, qui ineunte anno ſupra milleſimum trecenteſimum nonageſimo quinto imperium ſuſcepit, Imperatore adhuc Venceslao Boëmo, anno decimo Vladislai Jagellonis, cum Margareta Waldemari filia tribus regnis ſeptentrionalibus præeſſet. Electus quidem anno ſuperiori fuerat die Andreæ Divi Apoſtoli, ſed quod non honorem ſolum ſed etiam onus ejus officii ſecum expenderet, hactenus recuſaverat. Vir alioquin pius, ſobrius & manſuetus, ſic ut vulgo Cruciferi, nihil jam aliud quam bellum & regna ſpirantes, eum monacho quam Magiſtro agendo aptiorem eſſe dictitarent, ac inter cœnandum aliquando ex primoribus nonnulli morionem ſubornarent, qui Magiſtrum cœnantem Dominam Abbatiſſam ſalutaret. Ille vero non ignorans, a quibus morio inſtructus eſſet, quorum facile princeps erat frater vel patruelis ejus, Ulricus, plurimis circumſtantibus: Non habes, inquit, hæc, o ſtulte, ex te ipſo, tu autem iis, qui te ſubornarunt, renuncia meis verbis: Eos, qui tam ſunt belli cupidi, poſt me tantum habituros, quanto ferendo pares ipſi non erunt. Huic morioni nomen erat Mirica, quem alioquin ob feſtivum ingenium, ſales & lepores Magiſter facile perpetiebatur. Is non diu poſt rurſus Magiſtrum accedens, vultum præ ſe ferebat valde commotum & triſtem, interroganti quidnam rei eſſet, reſpondit: Utinam Principem haberemus, qui res noſtras gnaviter defenderet, jam hic Poloni equos abſtulerunt, illic vaccas abegerunt, & nemo eſt, qui prædones coërceat. Tum Magiſter: Iam, inquit, equos & vaccas amittimus, vereor ne his ingeniis freti aliquando vitam ſimul & rem amittamus. Prævidebat nimirum vir acutus, & itidem modeſtus, fieri non poſſe, quin iſta Cruciferorum petulantia & inſatiabilis dominandi libido, & belli cujus juſtam cauſam habebant nullam, in exitum aliquando ipſis funeſtum eſſet evaſura. Etenim eo inſtituto in Pruſſiam primum erant evocati, ut Prutenos gentiles ad fidem adigerent, & eorum populationes ac inſultus a Chriſtianorum provinciis cohiberent: in hoc multi Chriſtiani Principes haud exiguas facultates contulerant, multi privatim ſanguinem ſuum impenderant. Verum illi victis & ſubactis Prutenis non ſolum deinceps non quieverunt, ſed etiam vicinos Chriſtianos, Pomeranos, Polonos, Litvanos jam converſos, imperii dilatandi libidine vehementiſſime cædibus & rapinis infeſtare non deſtiterunt, ſubditos autem interim acerbiſſime tractarunt. Eaque de cauſa Magiſtrum hunc ægre ferebant, quod bellum, quo jam pridem in Polonos ardebant, non maturaret.

Eodem

Res Suecicæ cum civitatibus.

Eodem quo Magiſter hic imperium ſuſcepit anno, Senatus Gedanenſis tam ſuo quam Torunenſis, Elbingenſis & Revalienſis civitatum nomine, unum ex ordine ſuo Hermannum von der Halle, virum prudentem & induſtrium, in Sueciam ablegavit, ad tutelam & cuſtodiam arcis & civitatis Stockholmenſis, quæ res quo cœperit initio, paulo altius eſt repetendum. Albertus ex familia Ducum Megapolenſium, Sueciæ Rex, nimis duriter & avare Suecis imperabat. Nullum erat genus emunctionis pecuniarum, quod ille non in ſubditos excogitaret, non tam ſuo commodo, quam improborum Conſiliariorum compendio, quos ut plurimum peregrinos ſecum in regnum adduxerat, quique cum poſſent ſua marſupia infarcire, & maxima munera ſuis cognatis transmittere, nihil prorſus curabant, an Rex glorioſus an infamis remaneret. Ubi tandem talium hominum tyrannide ita evacuatum eſſet regnum, quod antea fortunatiſſimum fuerat, ut nusquam alicujus auri vel argenti veſtigium appareret, cogebatur Rex intolerabiles exactiones ſubditis imponere. Ita factum, ut inter Regem & ſubditos exitiale odium ſit enatum. Et aliqui Procerum, quibus externorum hominum dominatus maxime diſplicebat, quod interim ipſi omnibus dignitatibus excluderentur, novas res moliebantur, ac in Regis perniciem conſilia coire non deſinebant. Margaretam demum Waldemari filiam, quæ Daniæ Norvegiæque regna tum non prudenter minus quam feliciter gerebat, ad capeſſendum tertium regnum ſollicitabant. Eo deinde deventum, ut Albertus cum Margareta bello decertaret. Albertus cum pecunia ad cœptum bellum indigeret, inſulam Gotlandiam Regni Suecici parten Cruciferis Ordinis Teutonici in Pruſſia pro viginti millibus Ducatorum duplariorum (Dublonos vulgo vocant) oppigneravit. Sed Sueci ſummum dedecus exiſtimantes, tam præclaram inſulam a ſuo corpore avulſam eſſe, facta per ſingula civium capita contributione, ipſam paulo poſt Rege capto redemerunt. Bellum autem ab Alberto geſtum contra Margaretam hunc habuit exitum, ut prælio commiſſo, Rex una cum Erico filio caperetur, & in arcem Bahuſum, quæ eſt inter Veſtgothos & Norvegianos limitanea, deportatus, deinde in arce Lintholm in terra Schoningianorum per ſequens ſeptennium arctæ cuſtodiæ manciparetur. Megapolenſes domini ſui vicem commiſerantes, quantum poterant laborantes effecerunt, ut fœderatæ maritimæ civitates intervenirent, & ex iis Lubeca, Stralſundum, Gripswaldum, Torunia, Elbinga, Gedanum & Revalia, cum Regina Margareta de liberatione Alberti & Erici agere inciperent. Poſt multam tractationem & verborum altercationem, hoc tandem, quo diximus, anno hiſce legibus convenit: Ut ſeptem memoratis civitatibus Regina Regem Albertum & Ericum filium exhiberet liberos: Ut civitates Reginæ fidem facerent ac ſponderent, quod intra triennium Rex ad Reginæ voluntatem ære vel alio quovis pacto ſe redimeret: Ni faceret, tum civitates ipſum Regem cum filio in manus Reginæ reſtituerent ſine fraude dolove. Probavit conditionem Albertus, ſed ut indemnitas etiam eſſet civitatibus fidem daturus, literis & ſigillo ſuo promiſit, urbem Stokholmum & arcem ejusdem, quæ ſolæ in fide Regis permanſerant, in manu civitatum futuras, ea lege, ut niſi intra triennium pactis conditionibus

tionibus Rex ſatisfaceret, illæ arcem & urbem Reginæ traderent. Quanquam civitates in ea formula arbitrium habebant ex parte Reginæ, ut niſi paritum fuiſſet, aut Regem cum filio ſiſterent, aut ſexaginta millia marcarum argenti puri perſolverent, aut arcem cum urbe in manum Reginæ traderent. Sic igitur inter civitates convenerat, ut Lubecenſes Capitaneum unum, Gedanenſes alterum, cum mediocri præſidio Stockholmi haberent, urbis & arcis obtinendæ cauſa, eamque in rem Hermannus von der Halle tum ablegatus fuit. Extant in archivis literæ & obligationes, quæ inter Reginam, Regem & civitates in eas conditiones ſcriptæ ſunt. Extant etiam juramentorum formulæ, quibus iſti duo Capitanei obſtringuntur, ut arcem & urbem ſuæ fidei commiſſam in poteſtate civitatum conſervent, juramentum itidem, quo Stockholmenſes iisdem Capitaneis civitatum nomine fidelitatem jurant. Exitus rei is fuit, quod cum exacto triennio, Regis filius jam pridem in fata conceſſiſſet, & Albertus regni recuperandi ſpem omnem abjeciſſet, civitates ex pacto convento Stockholmum Reginæ tradiderunt. Rex certe non tam facilem iniiſſet de tanto regno transactionem, ſi aut fidem in Regni proceribus reperiſſet, aut filium, quem ſuo loco Regem deſtinaverat, diutius ſuperſtitem habuiſſet. Sed nunc ad Cruciferos revertamur.

An. 1396. Dobrinum Cruciferis oppigneratum.

His Vladislaus Oppolienſium Dux, qui Cujaviam invaſerat, ſeque Ducem Cujaviæ nuncupabat, & cum Vladislao Rege inimicitias exercebat, primum Zlotoriam arcem & civitatem ſex millibus ſexcentis triginta duobus aureis Ungaricis, mox totam Dobrinenſem terram quinquaginta millibus oppigneraverat: non utique proprio quodam aut legitimo jure vel titulo, ſed in maximum Regis & regni præjudicium & detrimentum. Et Cruciferi quidem Dobrinum jure pignoris occupabant, neque animus illis alienus erat terram eam dominii titulo ſibi vendicare. Vladislaus Rex admodum ægre ferens, quod Cruciferi violato fœdere arma contra ſe ſumpſiſſent, Dobrinumque improbe intervertiſſent, ſimulque (& magis quidem fortaſſe) quod Litvaniam infeſtare non intermitterent, & magnam Samogitiæ partem occupaſſent, bello eos perſequi cogitabat. Sed abhorrebant ab eo bello procerum Polonorum animi, quod non ignorabant, univerſam ſe Germaniam in ſe concitaturos eſſe. Itaque re in conſultationem poſita cum maxima pars Senatus quieta conſilia magis probaret, placuit ut conventus cum Cruciferis iis de rebus Inowladislaviæ ageretur, ad eumque conventum ut Regina modo cum proceribus proficiſceretur. Verebantur enim ne Rex dolore acceptarum in Litvania injuriarum exacerbatus, aſperiore aliquo dicto intempeſtivum bellum exſuſcitaret. Neque tamen ſic æqui aliquid a Cruciferis impetrari potuit, ſed nectere ii moras & excuſationes, Polonorumque patientiam eludere, ut ſibi diuturnitate temporis poſſeſſionem Dobrini firmarent. Ibi Hedvigis reprehenſa eorum cum præſenti avaritia & fœderis atque jurisjurandi violatione, tum ſuperiorum temporum ingratitudine & impietate, qua in Patronos ſuos Polonos uſi erant, diſerte quaſi fatidico ore adjecit. Se quidem vivente nihil eos adverſi pro illis auſis paſſuros eſſe, poſt mortem vero ſuam maximis incommodis atque cladibus

cladibus ſuis illa omnia expiaturos. Ita tunc rebus infectis neque certa pace neque aperto bello Inovladislavia diſceſſum eſt.

Livoniæ Promagiſter.

Eodem anno Promagiſter Livoniæ deſignatus eſt Waldemarus de Bruggenei, qui bello Terptenſi finem impoſuit, & auxiliares ethnicos Ruſſos, Litvanos, Samogetas, cum magno utrinque ſanguinis impendio ex provincia profligavit. Eo imperante Nobiles Harrigenſes & Wirlandici peculiaribus privilegiis præ cæteris Livonienſibus a Magiſtro magno Conrado Jungingenſi donati ſunt, ut nimirum jus eſſet filiabus æque ut filiis Nobilium ſuccedendi in bonis non ſolum mobilibus ſed etiam immobilibus, tam hæreditariis quam feudalibus, fundis, prædiis, pagis & arcibus usque in quintum cognationis gradum. Qua in re a communi jure beneficiario receſſum fuit. Hoc privilegium Gedani in Pruſſia primo indultum & anno ſequenti ipſo die Margaretæ publicis monumentis ac diplomatibus conſignatum eſt.

Cruciferi Gotlandiam occupant.

Anno deinceps 1397. ex inſula Gothiæ, quæ tum varii generis piratas alebat, quod hoc rerum in Suecia ſtatu nemo eſſet, qui rem curaret, paſſim in mari cœperunt graſſari & latrocinia facere, Gedanenſes etiam & vicinos variis cladibus & direptionibus terra marique afficere. Ea de cauſa Cruciferi claſſem quatuor millium militum expediunt, inſulam vi occupant, ac prædones merito afficiunt ſupplicio. Eamque inſulam triennium obtinuerunt, fruſtra Alberto Rege expulſo reclamante. Qua de re ſic ſcribit Albertus Cranzius: Fratres Teutonicæ domus per Pruſſiam, qui hactenus terreſtrem egere militiam, nunc etiam experturi navalem, fecere expeditionem in Gotlandiam, quod cives urbium Pruſſiæ, qui tum Ordini parebant, quererentur fieri crebras mari incurſiones a Vitalianis, qui eam inſulam ab Rege Alberto tenebant. Mortuo enim Erico filio, Albertus Rex poſthabuiſſe viſus eſt regnum. Sed fratres tum expeditis navibus ac militibus, inſulam ingreſſi facile expulere gregarios, ſuisque deinde junxere ditionibus, feliciter redeuntes, cum reliquiſſent ibi militum neceſſarium præſidium. Albertus autem Rex ubi comperit, aſſumpſit de Roſtochio Wismariaque Proconſules, viros marini juris non inſcios, navigavit in Pruſſiam, querebatur ſui juris captam inſulam, eamque ſibi depoſcens reſtitui, aut ſi magno ibi Ordinis commodo eam putabitur incolere, ſolvant juſtæ pretium æſtimationis, & ſe illis permittente, ſuo ſibi jure poſſideant ſerventque. Fratres autem prætenderunt, inſulam a publicis hoſtibus inſeſſam cum jam in jure Regis non eſſet, ſeque ab illis jure gentium bello cepiſſe, & nunc ſatis juſto titulo poſſidentes, ſatis ibi magno tempore digraſſatos Vitalianos, omnium detrimento navigantium. Quod ſi Rex illos ejeciſſet, ejus paterentur eſſe dominio: nunc autem Rege quieſcente ſe illam ex manibus publicorum hoſtium cepiſſe, ſuo deinceps jure futuram. Bene proinde Regem facere, ſi quod jure belli quæſierint, id illos patiatur poſſidere. Rex præter verba nihil ab illis reportans inanis rediit in ſua. Hæc Crantzius. Poſt triennium Cruciferi inſulam ad interceſſionem Wenceslai Imperatoris, Margaretæ Reginæ reſtituerunt, ſic ut de reſarciendis & in poſterum non inferendis damnis probe caveret.

Wand. lib. 9. C. 36.

Cæte-

Expeditio in Vitalinos.

Cæterum cum poſt occupatam a Cruciferis Gotlandiam & piratas expulſos nullus adhuc latrocinandi finis fieret, ſed varie piratica & impune exerceretur, in mari tam Orientali, hoc eſt Baltico, quam occidentali (uti vulgo nos diſtinguere ſolemus) ab iis præſertim, qui paſſim ex maligna hominum fece & multitudine coiverant, & variis damnis ac injuriis navigantes afficiebant, a quibus ut quemque nacti erant, commeatum plerumque primum & ea, quæ eſui potuique eſſent (vitalia vulgo) vel amice poſtulabant, vel ſi, quid negatum eſſet, per vim extorquebant, ideoque ſeſe vocitari volebant Vitalienbrüder (Crantzius nominis ſonum imitatus Vitalianos nuncupat,) quia nolebant prædones videri, ſed aliorum quaſi commeatu indigentes, & bona quaſi gratia eo utentes, quanquam poſtea ſuis ſucceſſibus uſi & viribus aucti omnia ſimul & merces & naves diripere & auferre conſveſcerent.

An. 1398.

His, inquam, paſſim graſſantibus, ſequenti demum anno fœderatarum civitatum Legati Lubecæ congregati, manum tandem ſeverius aliquanto, quam ſuperioribus annis factum fuerat, cum plerique Principes mari confines vel conniverent, vel civitatum commoda non magnopere curarent, adhibendam cenſent, & ad oppugnandos hoſce piratas expeditionem ſibimet ipſis indicunt, illud in primis ad animum revocantes, in quem finem præcipue ſocietatem hanc ſui tuendi cauſa coiviſſent. Expeditionis hæc inſtituta fuit ratio: Lubecenſes armarent & alerent naves duas, milites ducentos. Hamburgenſes navem unum, milites quinquaginta. Sundenſes, Gripswaldenſes & Stetinenſes naves duas, milites ducentos. Gedanenſes cum Torunenſibus, Elbingenſibus & Regimontanis naves duas, milites ducentos (cauſabantur enim illi ſe extraordinariam operam in expellendis Gotlandia piratis, Cruciferis navaſſe, & in eam rem haud exiguos ſumptus impendiſſe) Livonienſes navem unam, milites centum. Conſtitutum autem, ut nautæ, vel qui miniſterio navis fungerentur, in militum numero non cenſerentur: inter centenos militum ut quadrageni eſſent baliſtarii, & in qualibet navi extra numerum ſuperſtites baliſtæ decem in omnem eventum haberentur. Quælibet harum navium adjunctum haberet myoparonem unum, vel ſcaphas majores duas, vel myoparonem cum ſcapha: Ut omnes expeditæ eſſent ad diem Aſcenſionis dominicæ proximum. Naves omnes ad inſulam Bornholmum convenirent, ibique Navarchi conſultarent de piratis inquirendis, ubicunque locorum deprehendi poſſe exiſtimarentur. Hoc expeditionis decretum nemini in poſterum ex civitatibus voluerunt eſſe præjudicio, quoniam eſſet extraordinarium, & a paucis ſaltem civitatibus ſuſceptum. Ubi vero majore vi deinceps opus fuerit, placuit omnes fœderatos in eam rem vires conferre juxta præſcriptum decreti jam antea ex æquo approbati.

Exactio Pfuntzoll.

In hujus expeditionis ſumptum inſtituta eſt exactio, uti ab initio ſocietatis ejus in hujusmodi cauſis fieri conſueverat, in omnis generis merces, quæ vendendi cauſa importarentur, in civitatibus ſingulis capienda, ſecundum aſſem vel libram, unde nomen ſuum invenit, ut Pfuntzoll diceretur, quoniam extra ordinem exigebantur, de qualibet libra Flamingenſi denarii Lubecenſes quatuor, ſic ut ſingulas libras ſex marcæ Lubecenſes æquipararent. Hoc

Hoc vectigal exigi debebat ad compenſationem ſumptuum earum civitatum, quæ naves contra piratas armarent, & de eo, quod a ſingulis civitatibus in communem uſum perciperetur, rationes in conventu publico reddendas decretum fuit. Initium ejus exactionis tum conſtitutum eſt a feſto Pentecoſtes ejusdem anni, tam diu quoad civitatibus fœderatis æquius & melius viſum fuiſſet duraturæ. Denunciabatur hæc expeditio Reginæ Margaretæ, Duci Burgundiæ & Magiſtro Pruſſiæ, ne civitates impedirent, neve piratis receptum præſtarent, ſed hominibus earum opem & amicitiam exhiberent. Ipſa Daniæ Regina ſocietatem etiam coivit, ad naves certo numero contra piratas cum civitatibus expediendas. Interim dum naves armantur, interdixerunt civitates, ne quisquam ex Pruſſia in mare excurreret, nec verſus fauces maris Baltici vela faceret, priusquam naves, quæ armabantur, exiviſſent, nimirum ne piratæ interim mercibus & navibus aliunde raptis & interceptis inſtructiores fierent ad bellum diutius protrahendum. Cæterum quia ex prædicti vectigalis exactione, quam in hujuscemodi ſumptus civitates jam antea quoque publice conſtituerant, Cruciferi exemplum ceperant, & in eandem rem vectigal iſtud in civitatibus maritimis ſuæ ditionis conſtituerant, ſed neque in hunc uſum convertebant, nec inſtitutum & ordinem cæterarum civitatum in conferendis in publicum rationibus obſervabant; itaque ex hoc ipſo conventu Lubecenſi civitates communi decreto per Legatos a Magiſtro poſtularunt: Ne vectigal hoc amplius exigeret ſuo arbitrio, neve jus in eo ſibi peculiare arrogaret, ſed in hunc, quem ipſæ inſtituiſſent uſum, civitates ſibi ſubjectas percipere, & in rationes publicas conferre pateretur. Obſecutus tum quidem eſt Magiſter civitatibus, ſed non diu poſt, prætenſa novorum ſumptuum cauſa, eandem exactionem Cruciferi, licet reclamantibus ſubinde civitatibus, deinceps ferme in Pruſſia continuarunt.

Magiſtro vectigal inhibitum.

Hoc loco non abs re fuerit lectorem admonere, ut in hiſce appellationibus Germanicæ linguæ: Pfuntzoll, Pfuntgeld, Pfalgeld (nam Latinis vectigal & portorium in his nominibus unum & idem eſt), diſcrimen animadvertat, utpote quæ longe lateque ſua natura ac rerum ordine diſcrepant. Etenim noſtro tempore meminimus ab hominibus invidis & parum amicis, inter cætera hujus etiam rationis argumentum uſurpatum fuiſſe: Non licere civitati Gedanenſi, nec ulli hominum in Pruſſia, vectigal Pfalgeld ſeu portorium maritimum antiquitus conſuetum exigere vel percipere, quoniam id generali privilegio harum Terrarum Caſimiriano diſerte prorſus eſſet abolitum & abrogatum. Nam hi duas res plane diverſas Pfuntzoll & Pfalgeld per inſcientiam vocabuli & rerum geſtarum plane confundunt. Atqui vectigal Pfuntzoll nunquam uſpiam aliud fuit niſi tale, quod antiquitus civitates maritimæ pro uſu incidentis alicujus belli vel aliæ neceſſitatis, in omnibus civitatibus fœderatis, in eas merces, quæ ex civitatibus fœderatis in alias ejusdem ſocietatis civitates venum importabantur, ſemel exigendum imponebant. In cujus locum poſtea ferme ſucceſſerunt ſtatæ contributiones in Emporiorum ſtationibus de fœderatorum ſaltem mercibus, quas Schos vulgo vocant. Utrumque neminem niſi civitatum ipſarum mercatores & cives

Diſcrimen inter Pfuntzoll & Pfalgeld.

ves afficiebat: absque detrimento tamen cujusque civitatis & Collegiorum in ſtatis Emporiis ſingularium & propriorum proventuum. Eratque vectigal iſtud Pfuntzoll, de quo loquimur, non perpetuum, ſed & temporarium & arbitrarium, quod ſolebant civitates communi decreto in rem ſuam communem imponere & abrogare, quoties placebat, vel ex uſu videbatur. Et hoc primis temporibus, quibus ad hanc ſocietatem acceſſerunt, civitates etiam Pruſſiæ per ſe exigebant, & fœderatis in rationes inferebant. Progreſſu vero temporis Cruciferi ſub eo prætextu, quaſi & ipſi naves contra piratas armarent, & pro civitatum commodo publico ſumptum facerent, civitatibus ſubditis per vim amotis, ipſi præficiebant, qui ſuo nomine exigerent, idque in partem ſuorum proventuum adſcribebant. Id quod ſemper contradixerunt fœderatæ civitates, nunc literis, nunc Internunciis, ut nunquam hac in parte Cruciferi, quod maxime volebant, præſcriptionis jus conſequi potuerint. Imo tandem urgentibus ſerio civitatibus ſponte abrogarunt. Alterum autem
Pfalgeld. Pfalgeld portorium eſt maritimum perpetuum, in uſum civitatum, certo in ſingulas merces ſecundum valorem illarum pretio, jam a ſeculis aliquot inſtitutum, quod etiam hodie in civitatibus maritimis durat, ad conſervandam navigationem & flumina navigabilia, & portus maris tuendum. Nec tantum a mercibus exigitur, quæ illatæ ſunt ad vendendum, ut illud prius, ſed ab omnibus omnino, quæ vel importantur vel exportantur, nec a fœderatis ſolum, ſed quibuscunque mercatoribus extraneis, qui fluminibus ac portubus utuntur, & in iis ſæpe per maximas tempeſtates rem & ſalutem conſervant. Nec magis quidquam commune habet hoc portorium cum ſuperiori, quam contributiones in ſtationibus Emporiorum nunc exigi ſolitæ cum ordinariis ac propriis civitatum proventibus. Sic quemadmodum bella & alia neceſſitatis genera temporaria ſunt & incidentia, navigationis autem & maris & fluminum uſus perpetuus & proprius eſt: ita in utramque rem & temporarium & perpetuum remedium a majoribus videmus conſtitutum. Itaque cum in Pruſſia Cruciferi poſt abuſum ſemel cœptum, ſuum quaſi proprium vectigal Pfuntzoll exigebant, interdum pro ratione temporis relaxabant, interdum etiam durius ſtatuebant, nonnunquam etiam plane abrogabant, nihilominus interim civitates, etiam Pruſſicæ, portorium ſuum maritimum Pfalgeldum percipiebant, nulla habita alterius illius exactionis contemplatione. Et nunc eodem modo inde a centum quadraginta annis, æque ut jam dudum ſub Ordinis regimine, poſt ſublatum & ex rerum natura penitus exterminatum vectigal Pfuntzoll, ſuo portorio utuntur fruuntur: prout etiam ex decreto Magiſtri Theodorici, quod alibi allegatum eſt, id ipſum apparet. Enimvero ſi Divus Caſimirus portorium hoc maritimum Pfalgeld ſuſtuliſſet vel abrogaſſet, qua ratione & ipſius adhuc tempore & poſt ejus tempus, Pruſſicæ civitates illud tam pacifice absque legitima ullius hominis interpellatione exegiſſent? An vero tales tum erant Terrarum Pruſſiæ Status ac Ordines, qui principale privilegium, quo libertas illorum continebatur, ſtatim ab ejus exordio, & deinceps tot continue annos, a fœderatis & conſortibus privilegii, Gedanenſibus vel aliis, tam leviter paſſi fuiſſent violari, qui ob violata jura ſua proprios Dominos

nos ejecerant? Immo ne civitates quidem maritimæ Gedanenſibus hoc indulſiſſent, ut extra commune decretum hoc oneris mercatoribus & nautis imponerent. Conſtat etiam ex Actis publicis, quod tempore Ioannis Alberti Regis, cum is ab Ordinibus Pruſſiæ contributionem peteret, non pauci fuerint, qui ſuaderent in Regis ſubſidium pecuniarium exactionem iſtam Pfuntzoll a Caſimiro abrogatam ad tempus reſtitui. Erat enim expeditiſſima conficiendæ pecuniæ ratio, quam non ipſi ſed mercatores & nautæ contribuerent. Id vero hanc ſolummodo ob causam in conſilio publico repudiatum fuit, ne privilegium Caſimirianum ulla in parte violaretur. Quid igitur opus erat, de reſtituendo iſthoc vectigali deliberationem inſtituere, ſi tunc etiam percipiebatur? Neque ſane Caſimirus illud ipſum vectigal primus abolevit, quippe quod etiam ante conceſſum privilegium annis aliquot in belli ſubſidium exigebatur, ſed jam tunc ante aliquot annos enixe ac præfracte urgentibus civitatibus maritimis, quæ hoc onere maxime premebantur, eoque ſibi frenum imponi videbant, a Paulo Rusdorfio & Conrado Erlichshuſio Magiſtris abrogatum fuerat, ſic ut Caſimirus non tam ipſe primus abolitionis auctor fuerit, quam jam antea quaſi temporarie ad aliquantam Cruciferorum conniventiam abolitum in præſenti, deinceps etiam perpetuo penitus abolitum fore, cavere voluerit. De quibus loco ſuo, cum hiſtoriæ ſeries poſtulaverit, plura commemorabuntur. Tertia, de qua diximus, appellatio Pfuntgeld prioribus duabus communis & intermixta eſt, ſic ut vulgus utrumque tam vectigal Pfuntzoll, quam portorium Pfalgeld, hoc quidem abuſive, illud magis proprie, hac appellatione cenſere & nuncupare conſueverit.

An. 1399. Diſſidium Lubecenſium cum Pruſſis in perſequendis piratis.

Anno ejus ſeculi ultimo, cum Lubecenſium & Gedanenſium naves, his enim a ſociis ſumma rerum erat commiſſa, acriter adhuc piratas infeſtarent, & undique in Baltico mari conquirerent, forte fortuna accidit, ut ſub littoribus inſulæ Gotlandiæ naves duas hominibus probe conſtipatas in ſalo hærere conſpicerent. Itaque Lubecenſium navarchus ſcapham cum militibus aliquot emittit exploratum, qui hominum & unde gentium eſſent, & quid rerum in mari agerent. Ubi ſcapha navibus appropinquare cœpit, illi qui naves tenebant, continuo telis & ſaxis eam repellunt, nec propius accedere ſinunt. Qui in ſcapha erant ad navarchum reverſi renunciant, naves viris armatis refertas eſſe, nec acceſſum ad ſe concedere. Navarchus mox arma ſuos expedire jubet, ſocios ut ſe ſubſequantur monet. Ubi propius ventum eſt, illi cum ſe viribus impares agnoſcerent, jam ſpiritus remittunt, bonis verbis agunt, Danos ſe eſſe perhibent, amicos civitatibus, & in mari ideo obverſari, ut latrocinia non exerceant, ſed ubi opus ſit modis omnibus prohibeant. Lubecenſes hoc reſponſo contenti miſſos illos faciunt, Gedanenſes autem & ſocii, quod nautarum indiciis eos ipſos prædones probe notos eſſe dicerant, fruſtra Lubecenſibus reclamantibus in eos irruunt armati, naves inſiliunt, obvios quosque, qui parumper defenſionem pararent, trucidant, vel in mare deturbant, cœteros in vincula conjiciunt, naves captas occupant. Mox cum Lubecenſibus contentio & rixa orta, quod prædo-

prædones dimiſiſſent primum, deinde nec auxilium ſibi tuliſſent. Lubecenſes contra: Danos eos eſſe utrisque amicos, ſibi veriſimile non videri, piraticam illos facere, proinde viderent etiam atque etiam Pruſſi, quodnam facinus adverſus Reginæ ſubditos inceptaſſent. Illi vice verſa: Lubecenſibus rem adverſus piratas gerendam cordi non eſſe, pluris eos facere Danorum amicitiam, quam officii demandati fidem. Ac ut iſti Dani piraticam non exercuerint, priores tamen eos vim feciſſe, & pro hoſtibus ſe geſſiſſe, cum ſcaphæ exploratoriæ aditum non præberent. Verbis per multam contentionem ultro citroque commutatis, ita tandem
Wisby urbs. inter utrosque convenit, ut cum captivis ad urbem Wisby accederent, ubi mercatorum mediocris erat frequentia, quorum judicio res determinaretur. Fuit iſthæc urbs olim omnium mercium ſeptentrionalium celebratiſſimum emporium, quo mercatores omnium ferme regionum confluebant. Et quanquam ante annos aliquot a Rege Waldemaro direpta fuerat, ubi complures maritimarum civitatum merces intercederant, quam ob injuriam civitates, quas ille ſeptuaginta anſeres per contemptum nominabat, Waldemarum bello petitum regno ejecerant, ac tandem coëgerant, ut damnorum & ſumptuum nomine Schonlandiam civitatibus per annos ſedecim obtinendam concederet, tum tamen temporis ſatis adhuc frequens ibi mercatorum erat copia, propter merces Ruſſicas, quæ eo convehebantur. Procedente deinde tempore, cum Ruſſi merces ſuas in Livonia deponerent, Livonicæ civitates Riga præſertim & Revelia creſcere cœperunt, & urbs Wisby paulatim tota intercidit. Conventum igitur fuit (ut ad rem redeamus) inter Lubecenſes & Pruſſos, ut ſiquidem ibi quisquam inveniretur, qui captivos de rebus raptis accuſare & convincere poſſet, quod ita certo futurum Gedanenſium nautæ conſtanter aſſerebant, jure piratarum in eos animadverteretur. Ubi ad terram appulerunt, mercatores in ædem Divæ virginis convocantur. Prodeunt continuo undecim accuſatores, qui piratas iſtos probe noviſſent, & latrocinii anquirerent, res ſibi per vim ereptas, commeatum, veſtes, inſtrumenta navium & alia liquido docerent, quarum rerum plurimæ adhuc in illorum navibus captis aſſervari comperto & in præſenti monſtrabantur. His indiciis editis, & re palam deprehenſa, nihilominus tum etiam tergiverſari Lubecenſes, neque ſuo calculo capitalem animadverſionem in Danos comprobare velle. Inde iterum orta rixa, Pruſſi quidam Lubecenſes proditores, hoſtium aſſeclas, prædonum ſocios per contumeliam appellare, illi viciſſim a convitiis non temperare. A verbis ad verbera deventum, mox ad arma & gladios ſtringendos properatum, in quo tumultu duo Lubecenſium occiſi, octo vulnerati, cæteri fuga ſe in naves concitato curſu conjecerunt. Ubi utrinque naves conſcendiſſent, ne tum quidem pugna deſtitum eſt. Pruſſi enim rei indignitate accenſi, ſaxa & tela in Lubecenſium naves injicere, adeo ut illi cogerentur armati ſtare, quaſi cum hoſte apertum eſſet bellum, ac ſic ubi Pruſſis viciſſim nocere poſſent, non prætermittebant, donec paulatim interventu primum noctis, deinde reſidente nonnihil etiam fervore, alteri ab alteris ſeſe expedirent. Poſtridie demum omnis in piratas ira converſa, & illi omnes truncati capite fluctibus ſepulcri loco

ſunt

ſunt commendati. Cæterum cur Lubecenſes nec ad oppugnandos, nec ad puniendos piratas, uti debebant, manum & conſenſum adhibere noluerint, certo quidem mihi non liquet. Exiſtimo tamen eos non tam Reginæ veritos offenſionem, quam exemplo ſuperioris anni cautiores factos abſtinuiſſe. Nam & tunc una cum Pruſſis Reginæ ſubditos Calmarienſes quosdam invaſerant & pro piratis habuerant, ſed falſo, ideoque cæſorum agnati jam tum litem inceptaverant, & Regina videbatur ſubditorum partibus plus æquo favere, idcirco tantisper etiam auxilia adverſum piratas promiſſa ſuſpendebat, donec ſubditis fuiſſet harum injuriarum ergo ſatisfactum. Hinc veriſimile eſt, maluiſſe Lubecenſes impune piratas omittere, quam novam aliquam priori nondum compoſita injuriarum cauſam a Regina arceſſere. De cujus facti ratione & eventu paulo poſt, cum ad transactionem ventum fuerit, dicemus.

Eodem anno diem ſupremum obiit Hedvigis Regina Poloniæ, Hedvigis matrona laudatiſſima, quarto Idus Julii, cum ante menſem enixa fuiſ-Regina obit. ſet filiam Eliſabetam Bonifaciam, quæ triduum ſaltem ſuperſtes fuerat. Rex Uladislaus ex obitu uxoris magnum concipiens moerorem, ac de retinendo regno addubitans in Ruſſiam receſſit, cogitabatque regno ſe abdicare & ad paternum Litvaniæ principatum reverti. Exiſtimabat enim hactenus uxoris reſpectu externum a Polonis ſe Regem habitum, nunc cum hæredem ex ea non haberet, proclive Polonis futurum eum regno amovere, quo ſponte potius cedere vellet, quam vi & armis ſumma cum ignominia pelleretur. Sed hæc eum cogitantem primores Poloni placide conſolati confirmarunt, cum ei ſtudia ſua in poſterum quoque detuliſſent. Quodſi quam id ei dubitationem faceret, quod alienus amiſſa uxore nihil jam hereditarii juris in regno haberet, oſtendebant ei rei remedium, quod ipſa etiam Hedvigis Regina moriens indicaſſe ferebatur, nimirum ut Annam Vilelmi Ciliæ comitis filiam, cujus ſororem jam Sigismundus Rex Ungarorum poſt Mariam in matrimonio habebat, ſecundam uxorem duceret. Eam enim juſtam regni hæredem eſſe, utpote Caſimiri Regis neptem. Cum Vladislao conſilium placeret, haud Novæ Regis diu poſt eæ nuptiæ conciliatæ fuerunt, ex eoque conjugio Vladislaus nuptiæ. filiam Hedvigin ſuſcepit. Poſt Annæ obitum tertias contraxit nuptias Tertiæ. cum Eliſabeta Piletzki, quæ res procerum animos vehementer offendit, quod hoc indignum illa ætate, & nomine ac dignitate Regia videretur. Erat enim illa vidua provectæ jam ætatis, & complurium virorum thoros experta. Virgo enim propter magnitudinem dotis (erat autem Othonis Palatini Sandomirienſis filia) a Moravo quodam rapta, eique aliquanto poſt ab alio quodam Moravo itidem erepta, & interfecto priori raptore in loco juſtæ uxoris habita, ad extremum Caſtellano cuidam Naclenſi nupſerat. Sed hæc triennio ſaltem in regis matrimonio ſupervixit, & nullos ex ſe reliquit filios. Quartis igitur nuptiis Vladislaus Quartæ. ſibi copulavit Sophiam, Andreæ Ducis Kiovienſis filiam, ex Vitoldi ſorore genitam. Ex qua ſuſcepit anno deinceps 1423. ultima Octobris die primum filium Vladislaum, anno 1426. die ſexta Maji ſecundum Caſimirum, qui puer in cunis deceſſit, & anno 1427. die Novembris viceſima

nona

nona tertium filium Caſimirum, quo poſt patrem & fratrem regnante, Pruſſia a Cruciferis ad Poloniæ regnum defecit.

An. 1400. Transactio Calmarienſis.

Anno ſupra milleſimum quadringenteſimo ea controverſia, quam obiter ſupra attigimus, inter Lubecenſes & Pruſſos cum Calmarienſibus contracta, certis demum legibus transacta fuit. Res autem ita ſe habet. Ante biennium initio expeditionis contra piratas inſtitutæ, cum ferventiores eſſent militum animi, ad prædones quoquo modo perdendos, quam ut navarchorum dicto ſemper eſſent audientes, accidit ut forte fortuna Lubecenſium & Pruſſorum claſſis in navem Calmarienſem incideret. Qui ea vehebantur primo ſtatim aſpectu pro piratis habiti, deinde de conditione rerum ſuarum interrogati, cum ſuperbe magis quam ad rem appoſite reſponderent, ſuſpicionem magis ac magis auxerunt. Itaque re nihil amplius deliberata, furore militum nimis præcipiti opprimuntur, & in fluctus præcipitantur, ex quibus pauci admodum nando ad littus evaſerunt. Conſtitit autem ex documentis & indiciis in nave repertis, Calmarienſes illos fuiſſe, & inter eos tres equeſtris Ordinis, & falſo pro piratis habitos & invaſos, ac honeſtorum negotiorum cauſa navigaſſe. Quæ res magnam civitatibus apud Danos conflavit invidiam. Nam & cæſorum amici importune vindictam ab Regina flagitabant, & Regina non obſcure præ ſe ferebat, ſe ſubditorum injurias tam atroces minime neglecturam. Re multum diuque per biennium agitata, nunc demum arbitris Regina & civitatibus quibusdam ad hoc delectis, transactum fuit. Ejus transactionis capita ſecundum iſtius temporis ſuperſtitionem erant talia: Nolunt Lubecenſes & Pruſſi vel cum Regina vel cum defunctorum cognatis jure experiri, ſed ob pacem & amicitiam conſervandam, ſalvo honore ſuo tranſigere. Defunctis loco funeris exequias domi ſuæ celebrabunt triduanas. Exequias etiam Calmariæ fieri curabunt, per quatuor hujus anni tempora. Ducentis hominibus piis ſumptum ſuppeditabunt, in peregrinationem ad loca ſancta. In ducentorum pauperum veſtitum erogabunt quinque pannos meliores, & ducenta paria calceamentorum. Atque hæc veſtimenta Calmariæ erogabuntur. Conſtituent miſſam perpetuam Calmariæ in monaſterio tribus Equitibus cæſis, Ioannis Nilſen filio, Bartoldi von der Oſten filio, & Borni Swents filio, ac eorum inſignia in templo collocabunt. Cæteris defunctis miſſam perpetuam inſtituent in templo cathedrali, pro ſalute ſcilicet animarum. Tres itidem miſſas perpetuas in tribus monaſteriis Torunii, Elbingæ & Gedani, ubi defunctorum memoria quaſi æterna celebrabitur. Tandem quatuor millia marcarum Suecicarum exolvent defunctorum cognatis, pro quibus Lubecæ mille marcæ Lubecenſes, & Gedani quingentæ marcæ Prutenicæ intra diem annuam dabuntur. In hanc transactionis rationem Lubecenſes conferent mille marcas Lubecenſes, & quinquaginta peregrinantibus ad pia loca ſumptum ſuppeditabunt. Cætera civitates Pruſſicæ præſtanda receperunt. Hi cum quibus transactum eſt, literis ſuis, & Margareta Regina diplomate Regio, civitates ab hac controverſia liberas eſſe jubent, & rem transactam teſtantur, hoc anno 1400. die Egidii Confeſſoris.

Eodem

Probatio mercium inſtituta.

Eodem anno in publico terrarum Pruſſiæ Conventu Gedanenſes & Regiomontani conquerebantur, merces ex Pruſſia trans mare paſſim evectas, non ejus eſſe plerumque bonitatis, qua deceret, & ex eo fieri, ut transmarini falſis interdum mercibus circumſcriberentur, totius autem rei culpam & infamiam ad eos redundare, ex quorum portu enavigaretur. Neque vero ſe præſtare poſſe bonitatem mercium, quæ aliunde ex Polonia vel Litvania adveherentur. Hac de cauſa conſilio publico inſtitutum fuit, ut deinceps in Pruſſiæ civitatibus maritimis viri probatæ fidei & mercium cujusque generis gnari publico ſumptu haberentur, qui merces adventitias ad examen revocarent, & earum bonitatem explorarent, nullo diſcrimine inter cives & peregrinos uſurpando. Si quæ merces non ejus, qua debebant, bonitatis eſſent, emptoris commodo defalcatio pretii fieret, ſin falſæ eſſent merces vel corruptæ, venditoris damno publice concremarentur. Atque hæc prima fuit origo officii illorum, quos probatores mercium appellant, quorum arbitrio pleræque merces hodie diſcernuntur.

Magiſtri Conſtitutiones.

Magiſter Conradus Jungingenſis etiam, quo magis a belligerandi cupiditate alienus erat, eo ſtudioſius Rempublicam legibus amplificare ſtudebat. Ejus hæ potiſſimum feruntur conſtitutiones, ex quibus aliquas jam antea latas, ſed bellorum tumultibus in deſuetudinem relapſas renovavit: Ne cui dignitates conferrentur, qui non eſſet Ordini Marianorum initiatus: Ne quis equeſtris Ordinis plures quam decem equos aleret, exceptis iis, qui rei ruſticæ vacarent, neve Commandator ullus plures quam centum aleret: Ne quis arma vel tela miſſilia, qui equeſtris Ordinis non eſſet, in itinere ſecum ferret: Ut diebus omnibus feriatis ad minimum unus vel una ex ſingulis domibus templo & ſacris intereſſet: Ne quis capitali ſupplicio condemnatus necaretur, niſi confeſſione peccatorum facta & cœna Domini participata: Ut magi, præſtigiatores, incantatores, & id genus Dæmonum cultores vivi exurerentur: Ut ne amplius quam ſemel in anno opificum contubernia coirent, præſentibus tamen ex civili Senatu inſpectoribus: Ut ſervos fugitivos liceret ubicunque locorum perſequi & comprehendere: Ut ſi proſcriptus temerario propoſito proſcriptione eximere ſe nollet, cum poſſet, impune a quovis interficeretur: Ne in loco ſacro pudendum quid admitteretur, capitis vel fortunarum diſcrimine, pro delicti qualitate propoſito: Qui quem in loco ſacro pulſaſſet, manu truncaretur: Ut opifices operas ſuas notarent, ut quod opus cujusque eſſet, a cæteris internoſci poſſet: Ut qui virginem rapuiſſet ſive volentem ſive nolentem, perpetua proſcriptione notaretur, virgo, ſi conſenſiſſet, bonis omnibus hæreditariis mulctaretur: Ut qui virgini ſtuprum intuliſſet, eandem in matrimonium duceret, ni duxiſſet capite plecteretur: Ut qui parocho ſuo decimas debitas dare malitioſe detrectaſſet, infamis eſſet, nec in quovis judicio jus ullum conſequeretur.

Dives paganus.

Circa hoc tempus Pruſſici vulgo narrant annales, extitiſſe divitem illum paganum Niclaswaldenſem, quanquam ejus nomen oblivioni datum

datum eſt, ac opes ſolummodo vel earum memoria & umbra potius ad poſteritatem conſecratæ ſunt, ac recte mea quidem opinione, cum ille non opibus ſuis dominatus fuerit, ut par erat, ſed ſervitutem ſerviverit. Res hac occaſione in publicum prodiiſſe dicitur. Venerant ad Magiſtrum Conradum Jungingenſem hoſpites & amici ex Germania, illum inviſendi cauſa, quos cum Magiſter lautius acciperet, inter potationes & confabulationes, ut fieri ſolet, illi Magiſtrum felicem prædicare etiam eo nomine, quod animadvertiſſent in itinere & diverſoriis ruſticorum etiam tuguria opulenta eſſe, & ad promendum in hoſpitum uſus quidvis neceſſarium inſtructa. Inter hoſce ſermones ultro citroque habitos, infert Heinricus Comes Plavenius, Theſaurarius tum Mariemburgenſis, ne vulgaria mirarentur, ruſticum eſſe in pago quodam a Nicolai ſylva denominato, qui undecim vaſa (tonnas vulgo vocamus) pecuniis referta poſſideret. Ab hoſpitibus adeo ridicule iſthæc oſtentatio excipiebatur (nec enim moris eſt nobilium, ut tantis divitiis ruſticos ſuos ſuffocari patiantur) ut Theſaurarius manu ſtipulata ſponderet, ſe fidem ejus rei abunde ipſis facturum. Itaque perſuadet Magiſtro, qui cum hoſpitibus varia loca jucunditatis cauſa circumibat, ut in pagum eum diverteret. Denunciatur ruſtico, ut poſtridie prandium inſtruat, quantum poſſit, Magiſtrum cum hoſpitibus præſto futurum. Ruſticus prandium parat, vel ſubolfaciens, vel præmonitus interim, quid res ſibi vellet (ſcribunt enim nonnulli ipſum jam antea in arcem Marienburgenſem accerſitum, & de tanta pecuniæ vi rogatum fuiſſe) menſam ruſtico more inſtruit, ſic ut undecim vaſis pecunia refertis, cum duodecimo ſemipleno, circa menſam diſpoſitis, aſſeres ſeu tabulam ſcamnorum vel ſedilium loco injiceret, eoque ſedilium genere Magiſtrum cum honoris præfatione, & hoſpites quotquot menſæ circuitus caperet, ut diſcumberent, rogat. Exacto prandio & menſis ſecundis jam illatis, iterum hoſpites de divitiis ruſtici mentionem inferre, & earum ſpecimen videre cupere. Ruſticus a Magiſtro ejus rei comiter admonitus, ne clam haberet, ſane nihil eſt (inquit) mearum divitiarum, quod a vobis abſconderim, quinimo palam non propoſuerim, & poſſeſſioni veſtræ ſubjecerim. Scitum enim illud ſcio, res abnegatas domino committi ſolere. Cum nihil ſibi propoſitum omnes dicerent, at videte ſaltem (inquit) quibus ſedilibus ſedeatis. Illi extemplo remotis tabulis perſpiciunt pecuniam undecim vaſis confertam, duodecimo ſemis deerat. Hoſpites mirari hominis pagani opulentiam, Magiſter autem rem admodum gratam habere, ac ſtatim jubere vas duodecimum ex fiſco ſuo compleri, nimirum ut hoſpites domi ſuæ vere prædicare poſſent, ruſticum eſſe Magiſtro Pruſſiæ ſubjectum, qui duodecim vaſis pecuniæ numeratæ polleret. Qua in re liberalem ille ſe voluit exhibere, & ſubditum augere potius quam exuere fortunis. Sed qui ipſi ſucceſſerunt, & præſertim ille ipſe Plavenius, qui paganum hunc in ſcenam produxerat, ita eundem poſtea emunxerunt, ut in ſenectute miſer ad exigendam vitam reliqui parum haberet, & plerumque emendicato oſtiatim cibo viveret. Recte quidem Plavenius pro ſua tyrannide in omnes ſubditos ſimul uſurpata, quis enim alia lege in ruſticum quam in civem uteretur? Sed æque non immerito id accidiſſe

diſſe videri poteſt huic ruſtico, qui tantis pecuniis abundans nihil corpori vel genio, quod honeſte poterat, indulgebat, nihil in pauperes erogabat, (quod Chriſtus Salvator noſter inter ſummas adnumerat divitias) nihil denique nec amicis nec vicinis commodabat. Et quoties in tabernam ibat, quod die feſto ruſticis ſolenne, & more majorum utique receptum eſt, nihil afferebat pecuniæ, ſed caſeum ſaltem unum vel alterum domi concretum, quod ebibiſſet, caſeo ſolvebat, quod ſupererat caſei, vel ipſe comedebat vel domum referebat, illud interim frequenter uſurpare ſolitus: pecuniam magnam minutule, vel ut ita dicam, minimis digitis tangendam eſſe. Ita tritum illud iſte credere non potuit, quod tenax requirat prodigum, quoad ipſemet cum magno malo ſuo verum experiretur.

Villani Lichtenavienſes.

Eodem tempore facinora villanorum pagi Lichtenavienſis in inſula majori perpetrata fuiſſe memorantur. Quæ ideo (vel recreandi lectoris cauſa) recenſere paucis, non abs re fuerit, quod ejus generis paganorum hominum facta enormia vix ab ullis omnium ætatum hiſtoricis ſunt conſcripta. Ex præcipuis quæ illi proterve admodum patrarunt, hæc memoriæ prodita ſunt: Monachus quidam Gedanenſis ex Ordine Dominicanorum in pagum eum diverterat mendicatum, ut ſolent, prie ejus diei, quem circumgeſtationi corporis Chriſti conſecrarunt. Is in tabernam irrepens, ubi pagani jam triduum evacuandis doliis impenderant, ſymbola cum ruſticis cœpit conferre, compotare, tandem etiam res ludicras agere. Ruſtici primum reverenter illum habere, & non niſi cum honoris præfatione propinare. Ille primum etiam rem gratam habere, profeſſionem religioſæ vitæ locum ibi ſuum reperiſſe gaudere, deinde inebriatus altiores ſpiritus gerere, multa quaſi pro imperio agere, ruſticos pro ludibrio habere, tandem etiam, ſi quod illis viciſſim verbum inſolentius exciderat, convicia & contumelias ingerere, dignitatem ſacroſancti ſui Ordinis ad cœlum extollere. Pagani non ſolum inſolentia hominis permoti, ſed etiam ebrietate oppleti ringere primum & naſum ducere, mox etiam ferocius indignari, cum ad extremum ille nihil niſi diras & execrationes Pontificias, vulgo hominum ejus ſeculi maxime pertimeſcendas ſpirare, cum religionis intuitu cogerentur verberibus abſtinere, aliam reperiunt ulciſcendi monachi machinationem. Ubi nox advenit, quæ lucernis accendendis copiam faciebat, ruſtici clam ſaccum adornant, qui lupulo ſolet impleri, eumque quam maxime poſſunt in orificio ſurſum & in latera extendunt, ſic ut januam cœnaculi ubi potabatur ſaccus extrinſecus totam complecteretur, mox nonnullis ſociorum in præſidio relictis in cœnaculum redeunt, ex compoſito lucernas extinguunt, gladios per rixam expediunt, & ſimulate alter alterum impetere incipiunt. Monachus cum iſthæc converſatio ſibi amplius non convenire videretur, & nonnihil corio ſuo timeret, raptim quantum poterat incurvo tergo ad januam procurrit, & recta in ſacco per belliſſimam venationem includitur, & ſic incluſus ſupra focum ſuſpenditur. Ruſtici ignem ſupponunt ex materia ſordida, & fumum naribus ingratiſſimum excitant, eoque odore monachum ſaltem non enecant. Ille rurſus diras primum increpare & omnia inauſpicata minitari, ſed ubi nihil proficit,

Monachus in ſacco captus.

proficit, & fumus illum coartare incipit, tum demum ad preces converſus, per omnia ſacra, ut ſaluti ſuæ parcant, obteſtatur. Ibi unus ruſticorum, bene eſt, inquit, Gallina jam glocitat, & bona verba dare incipit. Enimvero (excipit alius) niſi iſthæc Gallina ovum pepererit, atque ipſum coram comederit, nunquam hodie me ſoſpite ex hoc nido evolabit. Monachus e ſacco quoquo modo cupiens evadere, multis additis blanditiis ait, ſe jam ova duo peperiſſe, eaque ipſis inſpectantibus comedere velle, hoc pacto impetravit, ut eum pagani ſacco tandem emitterent. Ibi ova bina, quæ pridie inter mendicandum acceperat, & in cucullo abſconderat, promit & comedit, cum illi exiſtimarent, eum ova a ſe genita commeſſurum. Addunt hoc etiam aliqui, paganos cum ſe deluſos cernerent, ova coxiſſe & neſcio quid pulpamenti adjeciſſe, & cum ovis miſcuiſſe, ex quo monachus cum vi coactus fuiſſet, quod apponebatur comedere, paulo poſt morbum & mortem contraxerit.

Jacobita aſſatus.

Immanius deinde facinus peregerunt in peregrinantem quendam Jacobitam, quod neſcio utrum magis ruſticorum proterviæ, an iſtius fratris Jacobitani inſolentiæ ſit adſcribendum. Is cum per pagum eundem mendicatum iret, nec tantum eleemoſynarum illi daretur, quantum ejus religio ſibi mereri videbatur, in tabernam demum acceſſit, ubi paganos omnes ferme invenit ſtrenue potantes. Ubi hominem conchiliis ornatum & baſilice incedentem vident, ex habitu mox novi quid eſſe conjiciunt, invitant, propinant; potat ille largiter. Ubi incaluit, facta ſua commemorare incipit quas peregrinationes confecerit, quæ ſanctorum loca inviſerit, quæ miracula viderit, quot indulgentiarum bullas commeruerit. Deinde ab oſtentatione ad indignationem & contumeliam converſus, verum enim vero (inquit) nullibi gentium vidi pejores & magis impios homines, quam in hoc pago, adeo parce eleemoſynas in religioſos & peregrinantes diſpenſant. Itaque omnem illis Divi Jacobi mei iram & indignationem imprecor, hominibus peſtem, pecudibus morbum, agris ſterilitatem, ut nunquam felices, ſani, ſalvi, beati ſint, niſi mea interceſſione in Divi gratiam redeant. Ruſtici partim indignari, partim irridere hominem, quaſi non ſatis ſanum, mox in eam adducti ſuſpicionem, quia ſat eſſet potus, cibo illum indigere, apponunt carnes ſalitas & elixas, invitant ad edendum & imprecationes relaxandas. Ille ferocior etiam factus, non (inquit) tam facile, credite mihi, propitium habebitis Jacobum, oportet carnes aſſatas & maxime lautas eſſe, quibus me vobis reconcilietis. Pagani jam dudum de compeſcenda circulatoris arrogantia nequiter cogitantes, mox ut carnis aſſatæ mentionem ipſe ſubjecit, conſilium ex tempore capiunt, habebis (ajunt) carnes aſſatas probe, eoque dicto manus injiciunt, veſtibus illum exuunt, veru ligneum expediunt, Jacobitam alligant, & igni torrendum admovent, butyro ab igne fluente perfundunt, ſalem aſpergunt, & ita miſero per cruciatus animam adimunt. Scribunt alii, non fuiſſe eorum propoſitum hominem igne totum conficere, ſed nonnihil uſtulare ſaltem, ne unquam aſſatæ carnis oblivi ſceretur, interim leporem repente per mediam tabernam cucurriſſe, (præſtigiis nimirum diabolicis objectum) eum ruſticos

ruſticos ſimul omnes clamore & curſu aliquandiu ſed fruſtra inſecutos, non prius revertiſſe, quam Jacobita jam apud ignem animam exhalaſſet.

Hoc autem quod ſequitur nimis eſt enorme, & ab omni religione alienum. Erat in eo pago parochus ſive plebanus non indoctus, & pietati apprime deditus, Wolfgangum Lindavium annales aliqui vocant, is paganorum iſtorum perpetuam malitiam & perverſos mores in publicis concionibus frequenter & vehementer objurgabat, & cum bonis verbis nihil proficeret, ſubinde Dei iram & pœnas divinitus infligendas comminabatur. Sed laterem lavabat. Pagani enim ab reprehenſione deteriores & ferociores facti, varia ſuo more tractabant conſilia, quibus plebanum aliqua afficerent contumelia, & ob injurias ſibi factas, uti illis videbatur, ſeſe ulciſcerentur. Quoties igitur vel nuptiæ celebrarentur, vel epulum natalitium daretur, vel convivium inſtrueretur, plebanum honoris quaſi gratia ſemper invitabant, ille vero dolum ſubolfaciens, ipſorum conſortio quantum poterat abſtinebat. Accidit demum in feriis pentecoſtalibus, quas pagani noctes & dies perpotando ſingulari quadam religione celebrare ſolent, ut illi in caupona ſtrenue rem agerent, tonnis cereviſiæ pluribus exoneratis. Caupo ita uti tonnæ ſecundum ordinem erant exhauſtæ, feces in peramplo vaſe colligebat. Supervenit forte porcus ingens, & nemine multum animadvertente fecibus illis hauſtis adeo ſeſe ingurgitat, ut ſui compos non eſſet, ſed humi procumbens multa ſaltem ructaret. Hanc occaſionem arripientes pagani, ſuem ebrium ipſi magis ebrii, vel ſues ipſi, in vicino conclavi admodum tenebroſo in lectum componunt, deinde mittunt accerſitum plebanum, nunciant unum ex ipſis repente in morbum incidiſſe, atque adeo jam animam agere, veniret feſtinus & ſacramentum ſecum adferret. Plebanus rem feriam exiſtimans, continuo accurrit, ubi primum cum ægroto verba facere cœpit, fraudem ſentit, jubet omnes cubiculo excedere, penitius rem inſpicit, ſed quaſi nihil adhuc ſentiret ad paganos egreſſus, male (inquit) ægrotus iſte ſe habet, utpote qui vocis ſenſum prorſus amiſit, itaque ſacramentum adhibere plane inutile eſt adhuc quidem, donec melius ſe habere cœperit, ſed ocyus faceſſam & oleum ſacrum adferam, ut ſi morientem conſpexero, ſaltem inungam, hoc ad ſalutem illi magis proficiet, interim cum ſacramento thecam hic relinquo. Pagani ſuis artibus deluſi plebanum dimittunt. Ille e veſtigio ſe in equum conjiciens Neotychium advolat, ubi tum arcis Mariæburgenſis præfectus erat, ei quæ geſta eſſent exponit. Is cum ſatellitibus quatuor citatis equis ad rem præſentem inſpiciendam ſe mox expedit. Interim pagani cum plebanus non rediret, ipſimet agere ludos incipiunt, thecam a plebano relictam, in qua panis ſacer adſervaretur, aperiunt, ubi vacuam invenere, plebanus enim panem clam ſecum abſtulerat, panem ipſi orbiculatum ex rapa conficiunt, & ægroto tanquam ſacramentum, omnium mortalium ſceleſtiſſimi, adminiſtrant, unus illorum plebani vices agit, alius quaſi ædituus tintinnabulo perſtrepit, cæteri in circo aſſidentes veluti exequias celebraturi continue perpotant. Hoc agentibus ſubito cum comitibus ſupervenit præfectus, paganos non plagis minus quam conviciis onerat: illi

Plebanus ad ſuem ebriam accerſitus.

Præfectus Mariemburgensis a paganis male habitus.

ferociter eum excipiunt, par pari referunt, committitur pugna, pagani cum longe plures eſſent, cæteros profligant & in fugam conjiciunt, præfectum ſolum capiunt, & cum prolixam aleret barbam, eam foramini, quod ſupra cœnaculi januam erat, inſerunt, dein cuneum impingunt, ac ita ferme pendulum a barba ſua relinquunt. Mox ad compotationem redeunt, interim multis verborum contumeliis barbatum acerbiſſime ludunt & inſectantur. Ejus comites pernici equorum curſu Mariæburgum convolant, quotquot ibi erant equites, atque adeo univerſam præfecti familiam domino capto auxiliatum accerſunt, & e veſtigio in pagum revertentes majore vi ruſticos opprimunt, plurimis vulneratis, nonnullis cæſis, dominum liberant, cæteros captivos Mariæburgum abducunt, & in teterrimos carceres compingunt. Ejus deinde flagitii hæc illis dicta mulcta fuit, ut turrim in arcis pomœrio verſus Nogatum fluvium, quæ etiam hodie cæteris eminentior conſpicitur, ſuis nummis ſuisque manibus exſtruere damnarentur, ſed etiam in eadem turri per integrum annum aqua & pane macerarentur. Et hæc quidem de horum paganorum facinoribus vulgati prodiderunt annales, quæ ſi leviora cui videbuntur, quam hiſtoriæ gravitas poſtulet, benignus lector ea tanquam tædii nonnihil levandi & animi relaxandi cauſa obiter interjecta non ægre ferat. Nunc ad hiſtoriæ noſtræ ſeriem revertamur.

An. 1403. Litvania vaſtata.

Hactenus Cruciferi aliquandiu quieti fuerant, cum non minus ſibi bellum illatum iri crederent, quam ipſi inferre percuperent. Cum autem nihil in ſe moveri viderent, anno hujus ſeculi tertio, inſtigante maxime & exhortante Suitrigellone, qui uti Vitoldum maxime oderat, ita, quod ipſe non poſſet, per illos eum infeſtari ſatagebat. Itum eſt in Litvaniam duplici exercitu, tam ex Pruſſia, quam ex Livonia. Vitoldus neutris ditiones ſuas infeſtantibus occurrere auſus eſt: Verum Livonienſes cum præda revertentes veſtigiis clam ſecutus, cum ii diverſi domos abiiſſent, agros eorum viciſſim longe lateque vaſtavit, pagos vicosque incendit, oppidum munitum Duneburgum vi cepit atque diripuit, arcem oppido imminentem in deditionem accepit, incenſisque arce pariter & oppido cum ingenti præda in Litvaniam ſe recepit. Nec multo poſt rurſus Litvania a Cruciferis utriusque provinciæ vehementer pervaſtata eſt, multique mortales in ſervitutem abacti. Utrinque damnum ferme fuerat ex æquo datum, unde captivos permutandi facilis inventa fuit ratio.

Vitoldus Livoniam vaſtat.

Tandem Vladislaus Jagello Rex afflictæ patriæ vicem miſeratus, cum utrinque nihil lucri ſed per multum damni acceptum ferretur, Suitrigellonem fratrem, cujus cauſa hæc potiſſimum agi videbantur, exulem e Pruſſia revocavit, magno ære alieno, quod ibi contraxerat, exſoluto. Ac ne quid ei cum Vitoldo novi diſſidii ſeminarium relinqueret, Podoliam & nonnullas in Ruſſia & Polonia ditiones & proventus ſalinarios ei conceſſit. Nec tamen ea Regis liberalitas animum Suitrigellonis ſanavit. Conventum deinde Rex cum Cruciferis apud Raziancum Epiſcopi Vladislavienſis oppidum ad Pentecoſten anni ſequentis habuit, ubi

1404.

ubi ſic de pace convenit, ut Rex quinquaginta millia florenorum Cruciferis exſolveret, Dobrinumque & Zlotoriam reciperet: verum ut ratas tamen Magiſtri donationes atque largitiones haberet, & pacta a Caſimiro Magno cum eis conventa rata eſſe juberet: deinde ut Novogrodum magni Ducatus Regi, Samogitia vero Cruciferis cederet, ipſi vero ut omni jure, quod habebant in Litvaniam, ſeſe abdicarent: nec paterentur hoſtilem aliquem exercitum per ditiones ſuas in Litvaniam tranſire, neque ipſi per eam ſine permiſſu Regis copias ſuas ducerent, neque receptarent proſcriptos e Litvania, ac ne profugos quidem propinquos Regis: denique ut liberam mercaturam atque ſocietatem haberent inter ſe Litvani atque Pruſſi. His autem conditionibus implendis annuum tempus conſtitutum. Sed hæc pax neceſſaria magis Regi quam ſpecioſa non admodum fuit diuturna.

Pax cum Cruciferis.

Eodem anno Promagiſter Livoniæ dictus eſt Conradus de Vittinghoven, qui bellum cum Ruſſis admodum cruentum geſſit. In quo ſemel in Pleſcovienſem agrum ductis copiis, prælio cum hoſtibus commiſſo, ad Moddam flumen circiter ſeptem millia Ruſſorum in acie cecidit, fugientium autem non pauciores in ipſo flumine miſere perierunt.

Livoniæ Promagiſter

Anno ſequenti cum Dobrinum Polonis eſſet reſtitutum, ex eodem pacto convento Vitoldus Cruciferis Samogitia ceſſit, quod is ægre ſe adverſus potentiam & vim eorum defenderet. Detrectabant quidem Cruciferorum imperium Samogitæ, & nocturnis incurſionibus atque inſidiis præſidium eorum affligebant, Vitoldumque obſecrabant, ne ſe immanibus Teutonibus proderet, ſed vincebat utilitatem neceſſitas, itaque juſſu Principis obſides dedere Cruciferis. Quo facilius vero eos Cruciferi in officio continerent, tres arces in Samogitia condiderunt, duas ſupra Nevazam fluvium, tertiam vero in confluente Nemenis atque Dubecæ. Samogitæ vero prorſus ab imperio Cruciferorum abhorrentes non deſinebant occulta coquere conſilia, quibus jugum Ordinis excuterent. Quibus conſiliis maxime obſtabat provinciæ præfectus a Cruciferis conſtitutus, Martialis de Helffenbach, vir alioquin ſtrenuus & ſeverus. Is eo graviorem ſe præbebat Samogitis, quod animadverteret illos conſpirationes coire, & proditionis conſilia clam conferre, quibus Cruciferos ejicerent & Litvanos reciperent. Quod facinus priusquam radices ageret vindicandum ſtatuens, primores conjurationis comprehendit, qui quidem totius Samogitiæ erant ex familiis nobiliores, & in arce Tobyſchaym cuſtodiæ mancipavit, neque diu poſt proditionis initæ manifeſto convictos capite plecti juſſit. Tantum ea res cæteros provinciæ Barones ſeu primores commovit, ut majores inſuper ſpiritus adverſus provinciæ præſidem caperent, imperium omne contemnerent, & in omnibus ipſi rebus etiam minimi pretii vehementer adverſarentur, & non raro tales ſermones & publice & privatim in vulgus emitterent, qui præſidis animum varie afficiebant, neque is facile proſpicere poterat, qua in parte tantis in ſubditorum ſimultatibus ſummæ rei, ne quid Ordinis Respublica detrimenti caperet, absque publica ſeditione occurrendum eſſet. Erant per ſe Samogitæ homines feri, agreſtes

An. 1405. Samogitia Cruciferis tradita.

1406. Samogitarum rebellio.

agreſtes & barbari, qui ne quidem Litvanis ipſis fideles ſemper fuiſſent, eoque moleſtius Cruciferorum alienis moribus, aliena lingua, alieno imperii more utentium dominatum ferebant. Cruciferis viciſſim integrum non erat, provinciam ex pacto traditam negligere, vel ſubditorum rebellionem ferre, nedum ad eorum placita, ſed ad ſuum potius arbitrium gubernationem inſtituere. His conſultationum fluctibus dum provinciæ præſes ſecum conflictatur, in conſilium adhibet quendam ex primoribus gentis haud poſtremum, qui illorum lingua Spindoius vocabatur, alioquin ipſi præſidi familiaris, & fidei ac induſtriæ nomine haud vulgariter carus. Ex hoc cum liberius percontaretur, quænam potiſſimum eſſet cauſa hujus rebellionis ac contumaciæ, qua plerique quali ex condicto afficeretur. Reſpondit ille, ſibi nullam ejus rei cauſam aliam videri, quam cædem primorum, qui in arce Tobyſchaym ſupplicio fuiſſent affecti, hoc enim illis videri præter fas & æquum, ac præter manſuetudinem Ordinis perpetratum. Pergit ille exquirere, quidnam porro ſit conſilii, cum facta infecta fieri nequeant; Da operam, inquit Spindoius, ut hunc eis ſcrupulum eximas, ut intelligant jure non injuria factum eſſe, alioqui verendum, ne publicum inde malum aliquod oriatur. Placuit conſilium Præſidi, quoniam ii, qui cæſi erant, proditionis & perfidiæ palam fuiſſent convicti, & ſceleris ſui pœnam abunde commeruiſſent, ſe facile cæteris ſatisfacturum opinabatur. Omnibus igitur in arcem Frideburgum convocatis, benignis primum verbis recenſet, quam contumaciter hactenus erga Cruciferos ſe geſſerint, quam varie officium & fidem neglexerint, nulla prorſus juſta cauſa, nullo etiam ipſius, qui præſit, merito, cum ejusmodi ſit Ordinis in eos imperium, & ſua ipſius præfectura, ut, ſi modo ſaperent, millies Cruciferorum quam Litvanorum in ſe dominatum optare deberent, cum hic lene imperium, illic meram ſervitutem verſari jam dudum fuiſſent experti. Recenſet deinde proditionem illorum, qui publico cæſi fuiſſent gladio, profert indicia & documenta, quibus convicti meritas cogitati facinoris pœnas exolviſſent. Monet ut ipſi in poſterum officii ſui meminerint, & ab illorum exemplo proditiones & perfidiam abhorrere diſcant. Si quid autem aliud ſit, quod in ſe deſiderare videantur, jubet ut ſibi proponant, ſi æquum facto ſit, gratificaturum ſe illis profitetur potius quam cauſam præbeat ullam, qua Cruciferorum fidem & ſubjectionem merito detrectare debeant. Hæc uti per præſidem recte & appoſite dicta erant, ita per interpretem hominem nebulonem maligne primoribus referebantur, ſua enim lingua pleraque de ſenſu ſermonis in maligniorem partem detorquebat. Ajebat illos a præſide homines perfidos, malignos, proditores appellari, vincula & mortem illis palam denunciari, & ut generaliter dicatur, omnia præſidis verba ita interpretabatur, ut homines alioquin ab eo alienos plane ad rebellionem incitaret. Tandem reſpondent, & ſiquidem vellet præſes ipſos in officio & fide permanere, poſtularunt, ut fratres ſuos, qui fratres illorum proditionis accuſaſſent, & ad necem prodidiſſent, eodem ſupplicii genere afficeret. Cum diceret Præſes, nec juri nec æquitati conſentaneum eſſe, ut viri boni, innocentes & nobiles proditorum cauſa, qui ſuo merito pœnas dediſſent, in diſcrimen vocarentur, malignus iſte interpres Samogitis ita retulit: Sibi non integrum eſſe ad placitum aut voluntatem perfidorum canum ſanguinem innocentem ac nobilem profundere. Samogitæ viciſſim eo nomine ſe deſignari haud dubie exiſtimantes adeo proterve ac ſeditioſe reſponderunt, & in Cruciferos multa contumelioſe profuderunt, ut præſes omnes illos ſimul in carcerem conjiceret. Cuſtos autem carceris Litvanus erat jam dudum baptizatus, ſed qui nunquam animo paganismum penitus exuerat. Hunc Barones illi magnis pollicitationibus facile permoverunt, ut eos non ſolum emitteret, ſed armis inſtrueret, ac ducem ſe præberet, ut ea nocte præſidem dormientem cum omni ejus arcis familia trucidarent. Facta deinde populari ſeditione Samogitæ frequenter ad arma conclamant, & cum omnibus copiis ad arcem Tobyſchaym proficiſcuntur, eamque primo impetu capiunt, diripiunt & incendunt. Sed non diu fuit hoc facinus illis impune. Promagiſter enim Livoniæ juſſu Conradi cum exercitu in Samogitiam profectus tantum incuſſit proditoribus terrorem, ut juxta perpetrati ſceleris conſcientiam longe ſe viribus impares animadverterent. Itaque rurſus Vitoldi auxilium implorant. Sed cum is nullo honeſtatis colore perfidiæ patrocinium ſuſcipere poſſet, facile perfectum eſt, ut Promagiſter brevi rem omnem ex ſententia expediret, Barones illos ad unum omnes ſupplicio afficeret, arces reſtauraret, quibus cæteri facilius in officio continerentur.

Anno ſeptimo ſupra milleſimum quadringenteſimum, Conradus Jungingenſis, cum duodecim jam annos Ordini præeſſet, ſubditis charus, Cruciferis ob belli odium odioſus, in adverſam valetudinem incidit, quæ vitæ finem allatura videbatur. Medici conſulebant, ut re venerea uteretur, quod hac ratione valetudinem conſervari poſſe rebantur. Ille vero, abſit hoc, inquit, mallem enim decennio prius mortuus eſſe, quam hoc facinus contra fidem & conſcientiam admittere. Vere dictum ab homine caſtitati vere obnoxio. Sed bone Deus quantum intereſt inter hunc & alios, qui dum caſti volunt videri, caſtitatis votum ludibrio habent, ut non ſolum, non dico valetudinis cauſa, ſed ſani valentesque a re venerea non abſtineant, ſed etiam immodicis ſtupris & libidinibus omnis generis vitam ipſimet ſibi præcidant. Moriturus Magiſter & de ſucceſſore ſollicitus, magnum Commandatorem & Theſaurarium, qui duo maxime cæteris auctoritate pollebant, ad ſe accerſitos ſecreto monuit, darent operam, ne frater vel potius filius fratris Ulricus ſibi ſubrogaretur, quia videret eum cupidum eſſe belli Polonis inferendi, quod verebatur cum maximo Reipublicæ detrimento futurum. Quod illi promiſerunt quidem, ſed nihilominus poſtquam Conradus quarto die feſtivitatis Paſchalis inter vivos eſſe deſiiſſet, Ulricus ipſa Dominica, quæ tum diem Divi Ioannis Baptiſtæ ſubſequebatur ad Magiſterium evectus eſt, Ruperto Germanorum Imperatore, anno Vladislai Jagellonis, numero tertio & viceſimo. Vir animi ferocitate tumens, & ad res turbandas natus, bellum cum Polonis, quod tantopere ſemper expetiverat, infeliciſſime geſſit. Erat tum Cruciferorum Ordo florentiſſimus, ſic, ut ſi pacem colere, quam bellum gerere maluiſſent, nihil eis ad ſui felicitatem

An. 1407. Magiſtri morbus.

XXIII. Ulricus de Jungingen.

Ordo florentiſſimus.

licitatem & Reipublicæ dignitatem defuiſſet. Magiſter ſummum tenebat imperium. Secundus ab eo rebus omnibus præerat magnus Commandator, quem alii Comitem magnum appellare maluerunt, & cum hoc una Mareſcallus totius provinciæ. Res Eccleſiaſtica quatuor Epiſcopatibus nitebatur, Culmenſi, Varmienſi, Sambienſi & Pomeſanienſi. Inter civiles Magiſtratus erant Commandatores duodetriginta, Commandatores inferiores, qui civitatibus & arcibus præeſſent, quadraginta ſex; Conventuales 38. Hoſpitaliorum præfecti unus & octoginta; Cellarum magiſtri ſexaginta quinque; Culinarum præfecti 40; Curatores annonæ & proventuum triginta ſeptem: Prætores, qui jus ubique dicerent, duodeviginti: Piſcaturæ præfecti triginta novem: Molendinorum principalium præfecti 93: Antiſtites principales 35: Canonici principales Ordinis 35: Parochi Ordinis 25: Presbyteri Ordinis ad Chorum adſignati 162: Fratres Ordinis equeſtri militiæ adſcripti ter mille centum ſexaginta duo: Stipendiarii & aulici ſex mille & ducenti; Urbes ac civitates habebant in Pruſſia ſaltem munitas & bene cultas quinquaginta quinque, arces quadraginta octo, octodecim millia trecentos ſexaginta octo pagorum, pagos, quibus parochiæ adſignatæ erant, ſexcentos & quadraginta, villas & prædia quæ publicis immunitatibus gaudebant bis mille. Annuus erat proventus redituum certorum, præter exactiones extra ordinem imponi conſuetas plus quam octingentorum millium aureorum. His opibus atque facultatibus freti Cruciferi, præſertim quod Magiſtrum novæ rei cupidum nacti fuiſſent, bellum cum Polonis contraxerunt, cujus is fuit exitus, quem paulo poſt dicemus.

Cruciferi novum bellum movent.

Supra commemoratum fuit, quomodo Samogitæ nolentes volentes in poteſtatem Cruciferorum conceſſerint, cum ſruſtra rebellionem populariter moviſſent. Interim Cruciferi prorſus in eas cogitationes devenerant, quaſi Samogitæ inſtinctu Vitoldi rebellaſſent, nec ea res invito Rege acta eſſet, nimirum ut ipſi hac fraude circumſcriberentur, & poſtquam Dobrinum Regi ceſſiſſent, ne pacatam quidem Samogitiam obtinere liceret. Cumque per id tempus cum Moſcis Vitoldus bellum gereret, quo Litvania vehementer affligebatur, oportunum id
An. 1408. novo Magiſtro viſum fuit, ad injurias vendicandas. Itaque collectis copiis in Litvaniam irrumpit, & omnia longe lateque depopulatur, & facile quidem ac impune, cum nemo eſſet qui reſiſteret aut injuriam propulſaret. Quibus rebus adductus Rex Vladislaus, cum ad pacem quamvis iniquam pronior, quam ad juſtum bellum eſſet, conventum cum Ulrico Magiſtro apud Caunam oppidum egit. Sed nihil æqui a feroci homine, & ex manſuetudine aliena majores ſpiritus ſumente impetrare potuit, amice tamen miſſis ultro citroque muneribus diſceſſum eſt, Cruciferis bellum, quod meditatum nondum maturaverant, diſſimulantibus.
Naves detentæ. Nec diuturna tamen ea diſſimulatio fuit. Nam ut revertit Rex in Poloniam (ſic Cromerus hæc refert) viginti naves frumento onuſtas e Cujavienſibus horreis ſuis ſecundo flumine Viſtula ad mare miſit, ut inde porro adverſo Nemene in Litvaniam ducerentur, ſubventurus genti ſuæ, inopia ex tenui proventu frugum tunc laboranti. Eas naves Cruciferi intercepere. Miſſi ad eos repetitum tres legati, re infecta rediere, cauſificantibus & cavillantibus Cruciferis, arma iis navibus contra ſe barbaris ſupportata eſſe. Mox & alteram injuriam adjecere. Etenim Litvanos mercatores apud Ragnetam violarunt, & merces eorum diripuerunt. Hac gemina injuria irritatus Vitoldus, prior bello perſequi Cruciferos adortus, Rumboudum Mareſcallum clam cum expeditis copiis in Samogitiam miſit, præſidia Cruciferorum, quæ erant cum Michaële Cochmeiſtero novæ Marchiæ præfecto, vel cepit, vel interfecit, vel ejecit, & Samogitiam omnem jam inde ab initio a Cruciferorum imperio abhorrentem in ſuam ditionem redegit. Hanc rem non tanti faciebat Magiſter ob injurias & damna illata, quam gaudebat, juſtam nunc ſibi cauſam eſſe ejus belli, quod inde ab electione ſua ſumma ope adornaverat, inferendi. Nihilominus initio ſequentis anni Obornicos ad Regem legatos miſit, queſtum de erepta Samogitia, captisque & cæſis ibi præſidiis ſuis, & cum bello ſibi tantam injuriam ulciſci neceſſe eſſet, propterea quod res repetitæ a Vitoldo non redderentur, quærebant a Rege Legati, eſſetne illi opem laturus? Fluctuabat animo Vladislaus quid faceret: ſi deeſſet Vitoldo, Cruciferis eum atque patriam ſuam plane prodebat, ſin opitularetur, omnem difficillimi belli molem in ſe & Poloniam, commodiorem prædas agentibus & bellantibus, quam Samogitia eſt, attrahebat, & abhorrebant ab eo bello Polonorum animi. Itaque ad ampliſſimum conſilium atque comitia rem integram rejecit, neque certi quidquam Legatis tunc reſpondit. At illi elati ſuperbia, & impatientia, & proteſtati non a ſe, ſed a Rege fœdera violari, minabundi diceſſere. Comitia deinde Rex Lancitiæ ad decimam ſeptimam diem Julii habuit. Inde cum omnia prius experiri, quam ad arma venire in commune placuiſſet, tres Legati ad Magiſtrum miſſi. Poſtulabant hi a Magiſtro, ut conventu conſtituto amice cum Rege de rebus omnibus & omnibus injuriis tranſigeret. Regis enim non Vitoldi proprium & hæreditarium eſſe dominatum Litvaniæ. Excandeſcere Magiſter & moram pati nolle, confeſtimque arma ſe Litvaniæ illaturum eſſe minari. Ibi Archiepiſcopus Gnesnenſis Nicolaus Curovius legationis princeps, non ferens Magiſtri ſuperbiam: Deſinas, inquit, nos bello terrere: ſi arma contra Litvanos ceperis, viciſſim arma noſtra domi tuæ ſenties. Quod dictum in mandatisne Archiepiſcopus a Rege acceperit, an bili percitus inconſiderantius protulerit, incertum eſt: optatum quidem certe Magiſtro accidit. Quocirca ſtatim is ſubjecit: Bene ſe rem habere, cum ſententiam Regis teneat, caput ſe potius petiturum quam pedes, & culta magis quam inculta, agros uberes potius quam ſylvas & ſolitudines. Ita tunc Legati impatientia bellum approperatum eſt. Nec mora, dictis facta Magiſter adjecit. Dimiſſis enim legatis ad medium Auguſti menſis cum exercitu, Dobrinum magna vi oppugnatum cepit & incendit, Polonos qui arcem defendebant una cum præfecto arcis Iacobo Plominio capitali ſupplicio affecit. Inde Ripinum & Lipnum oppida primo impetu capta vaſtavit, magnaque in oppidanos & agreſtes crudelitate debacchatus, ne teneræ quidem ætati & muliebri ſexui pepercit. Inde motis ad Brobownicos caſtris arcem oppugnare orſus in deditionem accepit, quamvis defendi ea diutius, arte, præſidio

Vitoldus Samogitiam occupat.

An. 1409. Legatio Magiſtri ad Regem.

Legatio Regis ad Magiſtrum.

Magiſter bellum auſpicatur.

præsidio commeatu munita potuisset. Zlotoria deinde acriter oppugnata, post octavum diem in deditionem venit, cum magna pars defensorum ictu balistarum & bombardarum interfecta esset, reliqui captivi abducti. In Bydgostia expugnanda cum plusculum laboris sentirent, propterea quod arx ea munitior erat, per proditionem corrupto præfecti vicario, quem Burggrabium vocant, ea potiti sunt. Hanc tamen Poloni paulo post rursus expugnarunt, & mox refectam præsidio munierunt. Interim etiam Commandatores Osterodienses & Brandeburgenses in Masoviam irrumpunt, & quicquid ditionis erat Ducis Ioannis, totum misere vastabant ac diripiebant, is enim semper cum Cruciferis inimicitias exercuerat. Ziemoviti vero tanquam amici ditionibus parcebant. Rex nihilominus adhuc pacem non aspernabatur, præsertim quod jam hyems appetebat, nec Vitoldus cum copiis Litvanicis advenie-
Induciæ. bat. Pactæ sunt igitur induciæ usque ad vicesimam quartam diem Junii sequentis anni, ut interea Venceslaus Boëmiæ Rex de tota controversia
Induciæ ruptæ. inter dissidentes arbitraretur. Ita tunc ab armis discessum est. Quanquam Sigismundus Coributus, frater Vitoldi, cum nihil adhuc de induciis compertum haberet, e Litvania excursionem fecit cum Litvanis in Prussiam, ac tribus oppidis hostilibus plurimisque pagis direptis & incensis magnam prædam reportavit. Quos ut ulciscerentur Cruciferi,
An. 1410. qui excusationem ignorantiæ non accipiebant, mense Martio anni sequentis clam per avias solitudines atque sylvas tacito agmine progressi, transmisso Netupa amne & statione Litvanorum apud Jascrum prodente eam fumo oppressa, in Volcovisços improviso impetum fecere, multosque mortales, qui ad rem divinam festo die convenerant, vico incenso captivos abduxere. Vitoldus vero cum septem milliaribus ab eo loco abesset, de adventu hostium certior factus raptim in interiores sylvas cum uxore sese abdidit, donec discessisse eos cognovit. Interim Venceslaus Boëmiæ Rex arbiter designatus, cum arbitrium ex compromisso ad se delatum recepisset, & ita judicaret, ut neque justitiæ neque æquitatis rationem duceret, Poloni arbitrium ejus repudiarunt. Sed & Sigismundum Ungariæ Regem Cruciferi in suas partes pertraxerunt, ut is ex Ungaria bellum Polonis inferret.

Rex bellum parat. Omnibus igitur ad bellum spectantibus, cum jam dies etiam inducIarum exiret, Rex in tota Polonia expeditionem contra Cruciferos publicam edixit. Aderat jam etiam Vitoldus cum Litvanicis ac Tartaricis copiis. Neque vero is suos tantum Litvanicos Tartaros adduxit, sed Zavolgenses sive Transvolganos etiam, quos per hyemem una cum libe-
Gilgenburgum captum. ris & uxoribus eam ob rem sustentarat. Rex igitur & Vitoldus cum exercitu per Masoviam Dambrownum, quod hodie Gilgenburgum vocamus, processerunt, idque oppidum frequens tum & opulentum, & lacu in orbem fere circumfuso, & spisso muro munitum expugnarunt, direptumque incenderunt. Ubi nunciatum est Cruciferis, Polonos oppidum cepisse, ac iter Mariemburgum versus intendere, tum ira perciti vociferari indigniſſimum facinus, impune ab his ditiones suas vexari, quibus ipsi prius Pomeraniam & Dobrinum eripuissent, & quorum regionem

gionem ferro & igni longe lateque non semel pervastassent, nec ferendum amplius, quin de summa rerum cum Polonis primo quoquo tempore decernerent. Itaque in hostem se duci flagitabant, neque Magister abnuit. Rex cum biduo apud Gilgemburgum stativa habuisset, tertia die facto duorum milliarium itinere inter fruticeta & nemora prope Grunewaldum & Tannebergum pagos castra metatus est. Ibi nunciatur ab exploratoribus, hostes adesse. A Vitoldo acies instruitur, lævum cornu Poloni, dextrum Litvani tenuere, in prima acie robur totius exercitus & veterani milites collocati. Interim a Cruciferis duo caduceato- Caduceatores progressi, quod mandata ad Regem a Magistro se ferre significabant, res. ad Regem deducti sunt. Hortabantur autem ii Regem Magistri nomine, ne tam cunctanter & meticulose pugnam iniret, & quo incunctantius id faceret, duos gladios strictos & cruentos ei & Vitoldo obtulere, ut vel iis adversus Cruciferos uterentur. Ne quam vero angustiarum ad explicandos ordines excusationem necterent, neve inter nemora latitarent, concessurum ipsis esse Magistrum plus campestris spatii. Hæc tam superba mandata dum caduceatores exponunt, interea Cruciferorum exercitus, ut fidem dictis eorum præstarent, non modico intervallo retrocessit. Rex (nam Vitoldus aberat Litvanicam aciem obequitans) communicato cum his, quos circa se habebat, consilio, placide & modeste caduceatoribus respondit: Quamvis armorum satis habeat in exercitu, accipere se tamen in Dei nomine gladios contumeliæ causa ab hoste missos, atque ita accipere, ut omen victoriæ, quam sibi armorum traditio portendat: nunquam se quidem a pace abhorruisse, sed quando bellum mallent Cruciferi, & sanguinem Christianum tantopere sitirent, sperare mansuetudini suæ & justiori causæ divinum auxilium affuturum, ac de illis condignas crudelitatis atque superbiæ pœnas expeturum: omnem autem eam rem una cum electione campi se divinæ sapientiæ & justitiæ committere. Alii scribunt, alterum istorum gladiorum sanguine tinctum fuisse, alterum mundum, ut Rex vel hunc eligens pacem peteret, vel illum, sanguine rem decerneret. Mox Vladislaus paucis pro tempore milites adhortatus, excedens ex acie (nam ita visum erat proceribus atque consiliariis, ut is aliquo loco cum delecta manu, quæ ipsi custodiæ & præsidii causa attributa erat, extra discrimen prælii consisteret) canere signa jussit. Editiore loco Cruciferi constiterant, inde cum bombardas ejaculati essent, per declive cum infestis decurre- Pugna Tanrunt. Commissum utrinque summa vi prælium, ita ut fragor sonitus- neburgens. que armorum procul exaudiretur. Iamque ad unius ferme horæ spatium pugna duraverat, & neutro tamen inclinabat victoria, ibi Cruciferi animadvertentes debilius esse dextrum cornu hostium, in quo Litvani, Russi atque Tartari, levis armaturæ equites instructi erant, cum aliquot alarum subsidiis majorem in id impetum dedere, eo consilio, ut eo pulso totis viribus lævum, in quo pertinacius Poloni dimicabant, adorirentur. Nec vanus omnino conatus hic fuit; statim enim res hostium in ea parte deteriore loco esse cœpit, Litvanis atque Tartaris sensim pedem referentibus, & ad extremum, cum ad unius jugeri spatium tamen utcunque Cruciferorum impetum sustinuissent, in fugam nequicquam revocante Vitoldo effusis. Nec ii sisti ullo modo potuere, sed perpeti fuga plerique

plerique in Litvaniam contendentes, actum esse de universo exercitu renunciarunt. Soli Smolenscii Russi, qui sub tribus signis in eodem cornu constiterant, fœditatem fugæ detestati virtutis laudem potiorem habuere, ex quibus una turma penitus deleta, duæ reliquæ cum Polonis in lævo cornu sese conjunxere. Alia ibi rerum erat facies, ibi acerrime dimicatum, regium vexillum dejectum & rursus recuperatum, ibi primum inclinari cœpit Cruciferorum acies. Affuere quidem (sed post tempus fere) ii, qui Litvanos a dextro cornu pulsos longius persecuti erant, & ni confusi jam fuissent suorum ordines, restituissent procul dubio pugnam. Verum ii quoque fatigati & suorum perturbatione consternati, & sine ordine invecti, non diu hostilem impetum sustinuerunt. Erat extremum agmen Cruciferorum sub sexdecem signis, quod nondum prælii fortunam tentaverat, in quo Magister & primores Cruciferorum constiterant. Id ubi suorum fortunam agnovit, circumduci cœptum, ut a latere Polonos invaderet.

Ubi demum acriter pugnatum & tota vis hostium eo conversa. Ibi Rex, qui etiam cum turma sua accesserat, prope discrimen vitæ adiit. Tandem Cruciferi, quanquam fortiter & strenue pugnantes, hostium tamen multitudine circumventi & multo labore fatigati ad ultimum victi & in fugam conjecti. Fugientium terga Poloni & Litvani prementes eodem impetu castra junctis carris atque curribus munita ceperunt, & plurimos ibi mortales, ira nihil pensi faciente, contrucidarunt, ita ut inde torrens sanguinis longius profluxisse memoretur. Sed vinum id fuit sanguine cæsorum tinctum. Nam cum Poloni & socii captis castris ad prædam versi essent, & magnam vini copiam, ut in opulentis ac delicatis castris, reperissent, avidius se eo, ut qui æstu ac labore diuturno & vulneribus confecti impense sitirent, ingurgitare cœperant. Quare ne a continuanda victoria retraherentur, neu immoderatiore potatione morbum contraherent, dissectis Regio jussu vasis vinum inter cæsorum corpora profluens speciem sanguinis præbuit. Ex Cruciferorum exercitu cæsa feruntur circiter quinquaginta millia, inter quos ipse Magister Ulricus, & Commandator magnus, Marescallus generalis, Hospitalium summus præfectus, Commandatores aliquot præcipui, & sexcenti fratres Ordinis. Interfuerunt huic prælio cives Gedanenses mille ducenti, quorum trecenti saltem domum remearunt. Longe major fuit Polonorum, Litvanorum & Tartarorum strages, qui numero Cruciferos insigniter superabant. Referunt siquidem scriptores in Regis exercitu fuisse sexaginta millia Polonorum, triginta millia Litvanorum equitum, peditum duodecim millia, Germanorum peditum circiter viginti millia, Tartarorum quadraginta millia. Itaque cum totus exercitus Polonicus plus quam centum sexaginta millibus militum constaret, vix eorum dimidiam partem eo prælio superfuisse tradunt. Prælium enim adeo cruentum fuit, ut ejus generis in Chronicis Prussicis, Polonicis & Litvanicis vix aliud simile reperiatur. Et ita Cruciferi quantumvis magna clade victi cæsique non inulti tamen occubuerunt. Pugnatum est die Divisionis Apostolorum, qui dies est Julii

Cruciferi cæsi.

Clades utrinque cæsorum.

Julii mensis quintus decimus, anno decimo supra millesimum quadringentesimum.

Infausti illius prælii Tannebergensis calamitatem secuta sunt omina & prodigia malis auspiciis delineata, ex quibus hoc præcipue memoria dignum videtur. Præfectus arcis Christburgensis Andreas, ex illustri Sangerwiciorum familia, in consilio publico, cum postremum de bello Polonis inferendo deliberaretur, cæteris omnibus ad bellum propensis, solus pacem suadebat, præsertim quod hostes jam in Prussiæ finibus hærebant. Omnes ejus consilium molestе ferre, Magister molestissime & ejus consilii auctorem timiditatem ipsam dicere. Tum ille, quod esset non minus fortis quam prudentis animi: Ædepol, inquit, domine pacem tibi suasi, ea enim hoc tempore mihi ac nostris rebus videtur utilissima. Verum si aliter Diis tibique videbitur, hoc spondeo, me non minus fortiter in acie moriturum, si opus sit, quam nunc paci fideliter consulo, nec a te unquam in extremis recedam, uti me meoque genere dignum est. Eventus sincerum ejus animum demonstravit, nam in prima acie prope Magistrum fortissime dimicans cæsus est. Cæterum ut ad propositum revertamur, cum is Præfectus, bello jam communibus suffragiis decreto, ex arce Christburgensi armatus egrederetur, occurrit illi quidam Canonicus in choro conversari solitus, qui præfectum irridens, cuinam (inquit) discessurus arcem tenendam commendas? Respondet ille irato ad bilem motam animo, tibi (inquiens) & omnibus malis Dæmonibus, qui bellum hoc suaserunt, & hi tecum habitabunt. Ex eo igitur tempore, quo prælium peractum & præfectus hic cum cæteris cæsus est, mali Dæmones in arce Christburgensi ita rem omnem confundere cœperunt, ut variis præstigiis & Diabolicis monstris arcis incolæ divexati diutius ibi habitare desierint. Nam quoties Cruciferi in arce vescebantur vel in prandio vel in cœna sanguis cruentus in omnibus epulis cernebatur, cum in oppido, quod arci proximum erat, commessarentur, nihil tale accidebat. Quoties servi & equisones stabulum frequentabant, ut equos & cætera curarent, in cellam interim vinariam vel in penum perducebantur, ibique crapula oppleti & inebriati parum bene res sibi concreditas tuebantur. Quoties Cocus vel famuli in culinam irent, inveniebant ibi equos stabulantes, ut jam non culinam sed stabulum diceres. Sic ubique locorum omnia perperam agebantur, vel potius retro convertebantur. Ipse vero præfectus novus Gwalterus de Frawenberg, qui Andreæ Sangerwicio successerat, longe deterius quidquam ac cæteri expertus est. Semel enim in puteum, qui in arce, suspensus, & mox iterum in supremam aciem tecti, unde descendere nisi præceps delapsus non poterat, collocatus, ægre illorum ope, qui summo studio succurrebant, servatus est. Tertium accessit monstrum, quod inter cœnandum barba ejusdem præfecti de improviso ardere cœpit, eoque incendio facies illi vehementer deformata est, quod nec prius desiit, nec extingui potuit, quam arce ipse excessisset. Et in posterum quidem nullus in isthac arce præfectus fuit, nulla arcis custodia, sic ut juxta cæsi Sangerwicii omen merito Dæmoniorum vulgo hospitium haberetur.

Prodigia arcis Christburgensis.

Spectrum fabro oblatum.

Biennio post eam pugnam, cum jam alius subrogatus esset interempto Magister, faber quidam, ejus oppidi civis, qui Romæ & alibi pietatis causa peregre abfuerat, Christburgum rediit. Is audiens de lemuribus ejus arcis, & quod eam ob causam plane ab hominibus deserta esset, sive quod rei fidem experiri vellet, sive quod Romanæ peregrinationis bullis, quas secum attulerat, Dæmones arceri posse putaret, ad arcem aliquando circa meridiem contendit, ubi in ponte sublicio stantem offendit Othonem Sangerwicium, cæsi præfecti fratrem, perierat autem & hic Otho cum cæteris in prælio Tannebergensi. Agnoscere hominem sibi faber extemplo visus, nam pro ejus filio in baptismate Otho fidejusserat. Et mox congressus, gaudeo mehercule compater, inquit, vivum te videre, rumor equidem erat, te in acie cæsum occubuisse, ego vero vivum te malo: Et quæso quidnam hic in arce agitur, de qua mirabilia homines perhibent. Tum ille, sive Dæmon esset, sive defuncti spectrum: Veni mecum, inquit, & ostendam tibi quomodo hic vivatur. Sequitur præeuntem faber. In primo arcis cœnaculo inveniunt multos homines (vel potius hominum larvas) qui talis, alea, chartis luderent, alii in cachinnos effusi riderent, alii diras subinde execrationes evomerent. Procedunt ad secundum conclave, quod eorum clamoribus personabat, qui strenue commessarent, & largiter perpotarent, seque invicem poculis ad hauriendum invitarent. In tertio conclavi viri & mulieres, adolescentes ac virgines commixtim, saltationibus, tripudiis, carminibus, musicis instrumentis & delitiis amatoriis operam dabant, hic passim scortationes, stupra, & omnis generis libidines propalam propositæ. Ventum deinde in templum, ubi Sacerdos unus ad aram se composuerat, tanquam sacra facturus, Canonici & Chorales in circo sedilibus recumbentes dormire videbantur. His relictis ex arce discedunt, & continuo foris gemitus & ploratus lugentium & lamentantium, tam miserabili ejulatu, ut faber angore & timore confectus nihil aliud ibi quam cruciatus infernales exerceri existimaret. Tum compater Otho ad eum conversus, I nunc, ait, & novo Magistro quæ videris & audiveris indica. Hæc enim fuit vita nostra, quam intus vidisti, hæc nunc est ante actorum afflictio, quam foris audisti. Et cum dicto spectrum evanuit. Faber religione motus uti jussus erat rem narrat. Ille in iram excandescens exclamat, mentiri fabrum, & ea confingere, ut inureret notam Ordini, & continuo hominem in vicinam fossam aquis refertam præcipitare jussit. Verum hac de re, quam paulo aliter alii narrant, sentiat quisque quod volet. Hodie certe arcis illius rudera supersunt, nec ab hominibus habitatur, ac vulgo etiam nunc creditur, lemures ibi tam noctu quam interdiu conversari.

Obsidetur Mariæburgum.

Post victoriam Tannenbergensem cum Poloni Mariæburgum recta petituri viderentur, Heinricus Reus Comes Plavenius, qui tum præfectus erat Suecensis, Mariæburgum præsidio trium millium selectorum militum communivit, quibus etiam quadringentos nautas securibus armatos & ex Gedanensi civitate submissos adjunxit. Poloni & Litvani cum Mariæburgum frustra obsederant, quinque circiter mensibus, captis nonnullis oppidis & castris, cum excursio Ungarorum in Poloniam & adventus copiarum Cruciferorum Livonienſium, Duce Promagistro Conrado de Vittinghaven nunciatus fuit, itaque cum inopia quoque commeatus, nulla alia memorabili re perfecta, soluta obsidione ad sua quisque dilabuntur. Durante ea obsidione, cum Poloni & Litvani passim excursiones facerent, & omnia deprædarentur, quæcunque obvenissent, cives Gedanenses & vicini nobiles ac pagani supellectilem præcipuam & res pretiosiores majoris securitatis gratia in Neringam in locum idoneum contulerant, civium & paganorum mediocri præsidio ibidem constituto. Animadversum fuit hoc a nonnullis Polonis, qui collectis circiter septingentis viris certissima prædæ spe in insulam trajecerunt. Verum Gedanenses id ipsum veriti, parati in armis excubabant, & res suas egregie defendebant, commissoque prælio latrones illos ad unum omnes conciderunt, ut ne quidem nuncius supereſſet.

Prædones in Neringa cæsi.

Cromeri nugæ.

Quod autem Cromerus hic scribit, præter Culmensem, Varmiensem, Pomesanienſem & Sambiensem territoria, Gedanensem quoque civitatem Jagelloni tum deditam, & ab eo prædiis aliisque reditibus donatam fuisse, meræ sunt nugæ. Quomodo enim donaret ea, quæ tum Cruciferi firmiter possidebant? Aut si tam cito rursus Gedanenses & alii ad Cruciferos redierunt, quomodo post aliquot annos Casimirus in fidem eos recepit, ut illorum defectionis tam recentis non meminisset? Enimvero qualis fuerit liberalitas & donatio videamus. Dimidium (inquit) omnium emolumentorum molæ farinariæ donavit. Donum certe quod commendatione dignum sit, datum scilicet Gedanensibus dimidium, cum interim Cruciferi totum possiderent. Addit etiam agrum unius milliarii spatio circa urbem, exceptis Ecclesiasticis & privatorum hominum propriis bonis, & pratis ad arcem pertinentibus, aliasque item certas villas, & liberam in mari piscationem per duo milliaria in parte portus orientali. Quæso per Deum immortalem, estne hoc Regis sui liberalitatem prædicari ab isthoc historico gentis suæ, an imperitis hominibus illudere? Qui enim sunt isti agri unius milliarii circum urbem, qui tum non ad Ecclesiasticos aut privatos, vel certe ad arcem Cruciferorum pertinuerint? quamve possessionem Rex Gedanensibus tradidit? Nullam omnino, nihil igitur donavit. At piscationem liberam in mari per duo milliaria concessit. Bona verba Cromere, cum Regem tuum possessorem terrarum efficere nequeas, piscatorem illum tandem confinges? Unde vero unquam ipse jus piscandi in mari consecutus est Jagello, quod aliis gratuito vel pro donato concederet: Nam etiam hodie vicini Reges Danici & Suecici, qui sibi solis juxta cum maritimis civitatibus Baltici maris imperium vendicant, Regi Polonorum non amplius in mari jus concedunt, vel latioris imperium spatii, quam quod ipsemet equo insidens & in mare procurrens hac equitatione finium regundorum actionem acquirere possit. Sed opinor rem non adeo stulte noster historicus circumspexit, cum duo milliaria piscantibus assignavit. Enimvero cum fando accepisset, non posse piscantes propter maris æstum progredi, maluit duo milliaria concedere, quam rem impossibilem polliceri. Alioquin

quin iſta conceſſio non niſi adverſis Daniæ & Sweciæ littoribus per Jagellonem, eodem quo ipſe tum obtinebat jure, arbitro Cromero, definita fuiſſet. Sed quod addit, in parte portus orientali, myſterio non caret, & animadvertendum eſt iſtud, quod admodum parce attingit, re ipſa permagnum habere momentum. Cum enim eo tempore, quo ſcribebat hæc Cromerus, vel circiter, diſſidium inciperet eſſe Gedanenſibus cum monachis Olivenſis cœnobii de utraque Viſtulæ ripa & de maris littoribus, ac monachi ſibi latus occidentale totum arrogare vellent, non piſcationis tantum cauſa, ſed etiam rerum naufragarum ergo, quod utique nullo jure facere poterant, quoniam ex privilegio Caſimiriano totum jus maritimum & omnium Pruſſiæ littorum adminiſtratio Gedanenſibus conceſſum fuiſſet, ibi tum homo admodum ingenioſus, hæc verba, (orientali parte portus) fabulæ ſuæ contexuit, quaſi jam hoc ſuo decreto partem occidentalem contribulibus ſuis monachis adjudicaſſet, vel quaſi Jagello jam ante Caſimirum controverſiam iſtam orientalis & occidentalis lateris definiiſſet. Ita ſcilicet hiſtrio hiſtrioni in fabula ſolet ſuccinere. Mirum vero id mihi videri ſolet, quod Gedanenſes ante illud tempus jus habuerint naves expediendi, & hoſtes in toto mari baltico perſequendi, non autem piſcationem intra duo milliaria acquirere potuerint, niſi Rex Jagello tunc demum, vel Cromerus potius, jure piſcandi illos donaſſet.

Nam quod de jure patronatus & ſcholarum, & campanaturarum ſubjicit, quanquam ejusdem fabulæ ſunt dicteria, eo tamen ipſo Gedanenſes tacite conatur reſtringere, quo minus juxta Caſimiri privilegium omnium templorum habeant patrocinium & liberam adminiſtrationem, quam ille hujusmodi cavillationibus ineptis haud ita facile perfringet. Sed quid mirum eſt, eum voluiſſe, eo tempore, Gedanenſium res & facultates omnes Jagelloni acceptas ferre, cum jam dudum antea ſcripſerit, Polonos Gedanum ex ſpoliis Danicis extruxiſſe, eo ſcilicet tempore, cum neque Gedanum neque Rex Polonorum ullus in rerum natura fuerat. Ita Religioſi iſti nobis ſimplicibus & imperitis omnia perſuadere conantur, quæ nullus unquam niſi cœcus & ſurdus credidiſſet. Ejusdem generis eſt, quod de arce Gedanenſi affert, quæ ne quid a Polonis adverſi pateretur, pacto de deditione, cum primum Mariæburgo Rex potitus eſſet, facienda, ſe liberavit: & alia plura, quæ prudens lector facile cognoſcet, ex qua ſcriptoris affectione pleraque proficiſcantur, præſertim ſi animadvertat, quomodo ille ſibi ipſi in hac narratione ſua conſtet. Paulo enim poſt, quam ſuperiora narraſſet, non ceſſabat interim (ait) Heinricus Plavenius, qui jam Magiſter Cruciferorum factus erat, ſed undique contrahebat exercitum, acceptis mutuo in ſtipendium centum millibus florenorum a civitate Gedanenſi, quæ jam rurſus in fidem Cruciferorum inclinaverat. Et iterum verſo ſaltem folio, quaſi priorum oblitus ſubjicit: Cum in ſpem Toruniæ Gedanique per deditionem recipiendi Magiſter veniſſet, ſoluta obſidione arcis Radini, ad recipiendas eas urbes profectus eſt. Et mox: Porro Torunenſes & Gedanenſes cives adventante Magiſtro cum exercitu, miſerunt ad Regem,

Regem, ut ſibi celeriter opem ferret, quod ipſi per ſe oppida ſua defendere non poſſent. Inclinaverant ſcilicet Gedanenſes rurſus in fidem Cruciferorum, centum millia florenorum (quarum facultatum eos tum fuiſſe vix crediderim) ſuppeditaverant. Et ſi nunc demum Magiſter in ſpem Gedani per deditionem recipiendi venit: quomodo per Deum iſthæc ſibi conſtant, vel qua fide nobis narrantur? An vero Torunia & Gedanum uno ſaltem inter ſe paſſu diſtant, ut eo tempore, quo Pruſſia armis undiquaque plena erat, Torunenſes & Gedanenſes ſimul & ſemel pro auxiliis ad Regem miſerint, vel Magiſter utramque urbem ſimul & ſemel cum exercitu adire potuerit? At ego non ita fatuos fuiſſe Gedanenſes exiſtimaverim, ut hoſti (ſi modo hoſtis & non Dominus Plavenius fuit) centum millia florenorum mutuo darent, quibus nummis, ut tum erant tempora, potius oppidum ſuum egregie defendiſſent, quam in Cruciferos profuſa pecunia propria, alienum Regis auxilium fruſtra imploraſſent.

Quomodo autem cum Torunenſes & Gedanenſes oppida ſua absque Regis auxilio per ſe defendere non poſſent, ea nihilominus abſenti Regi per defectionem a Cruciferis, qui cervicibus illorum inhærebant, dediderant? Rex enim neutrobi fines illorum attigerat. Sed quid in his moramur? Qua fronte quæſo, Cromere, Gedanenſes Regis auxilium implorarent, a quo tam leviter, ut tu vis, defecerant, in Cruciferorum fidem redierant, & Regis hoſtibus ad oppugnandum Regem nervos ſubminiſtraverant? Scitum mehercule dictum eſt, & ab hoc loco non alienum: Oportere memorem eſſe mendacem!

Proditionis inſtitutum ſingulare.

Unum adhuc ſupereſt ex obſidione Mariæburgenſi memoria haud indignum, ſingulare ſcilicet novæ proditionis exemplum, quanquam ea effectum ſuum ſortita non fuerit. Erat ex Cruciferorum militibus quidam, qui ſibi de illis in ea militia non male meritus videbatur, mercedem autem condignam ſibi non referri moleſtiſſime ferebat, eamque injuriam hoc modo ulciſcendam ſibi proponebat. Erat in caſtris Regiis tormentorum adminiſter, notus & amicus ejus, qui cum ipſo alias in uno contubernio militaverat. Is tormentis præfectus erat in eo vallo, quod Poloni in aditu pontis ſupra Nogatum extruxerant, & inde frequenter in arcem ejaculabantur. Hunc ille miles edocet, conclave magnum arcis e conſpectu eſſe, in quo ut plurimum Magiſter cum Cruciferorum primoribus conſultandi gratia convenire ſoleret, ejus conclavis concamerationem niti una columna, quæ in atrii medio poſita eſſet, quam ſi ictu fortiori tetigiſſet, columnam continuo ruituram, & primores omnes collapſo conclavi eadem ruina oppreſſum iri. Ac ut certius in eam columnam, quam videre non poterat, collimaret, ſignum ſe propoſiturum eſſe in ea feneſtra rubrum pileum, qui recta linea columnam reſpiceret. Conſilio ſic inſtituto, vel fortuna vel imperitia alterutrius, ſive in ſigno perpendiculariter proponendo, ſive in tormento recta emittendo, erratum eſt, & globus fortiter emiſſus, latitudine trium digitorum a columna aberrans in pariete adverſo ſupra heliocaminum fixus eſt, nullo prorſus damno. Et in ejus rei memoriam rythmi eo loco adſcripti ſunt, qui-

Plavenius Regi ſuppli-cat.

rem geſtam conteſtantur. Durante adhuc obſidione (ut auctor eſt Cromerus) petiit & impetravit Heinricus Plavenius a Rege colloquium, adveniensque in caſtra cum fratre & paucis Bohemis atque Sileſiis, ſupplicis habitu, ita apud Regem verba feciſſe perhibetur: Devicti abs te Rex Maxime, graviſſimo prælio, & ad extremum fere deleti, nihil eſt quod vel tua victricia arma incuſemus, vel fortunæ ſuccenſeamus, penes nos ipſos hujus cladis atque omnium malorum, quæ cumulate nunc in nos inundant, culpa eſt. Nos injuſte tua appetivimus atque divexavimus, nos ſtulte manſuetudinem & patientiam tuam contempſimus, nos denique te graviter læſum, & tamen æquiſſimas pacis leges ferentem ſuperbe aſpernati ſumus. Itaque juſta divini numinis vindicta tuoque invicto exercitu perculſi & afflicti ſumus. Sed jam ſatis abunde poenarum tibi Deoque ultori dedimus, non modo exercitibus noſtris ad internecionem deletis, verum etiam ducibus & auctoribus horum malorum extinctis. Iam agnito errore & culpa noſtra, exiguæ Cruciferorum reliquiæ ad tuam clementiam confugimus, ne ad extremum nos excindas. Ejusdem eſt virtutis, Rex inclyte, parcere ſubjectis & debellare ſuperbos. Novimus te Chriſtianum Principem eſſe, & clementiæ magis atque bonitatis, quam fortitudinis laudem expetere. Quanquam quæ fortitudinis laus eſſe poteſt, ſi proſtratos atque jacentes proteras? Ne leones quidem atque urſi id facere dicuntur. Quod tibi ſeu commodi ſeu voluptatis noſtrum afferet excidium? Multa fateor in te tuosque Litvanos atque Polonos peccavimus. Verum quo major eſt culpa noſtra, hoc illuſtrior erit clementia tua. Neque nos tibi tamen omnem victoriæ fructum eripimus, neque incolumitatem impudenter petimus. Pomeraniam, Culmenſem & Michalovienſem tractum, & ſi quid aliud de Polonis ſive bello ſive qua alia ratione quæſivimus & uſurpavimus, tibi ut habeas per nos licebit. Pruſſiam modo, quam olim noſtri majores, dum Maſoviam atque Poloniam illo præmio invitati defendunt, juſtis armis & ſanguine ſuo barbaris eripuere, nobis concedas, per te, ſalutarem Chriſti JEſu mortem, & ſanctiſſimæ Matris ejus Mariæ nomen, ſub cujus ſignis nos militamus, rogamus & obſecramus. Majori tibi tuisque Polonis & Litvanis uſui poſt hac fuerimus in extremo illo terræ angulo relicti, quam ex hiſce ſedibus noſtris penitus ejecti & exterminati. Varie hæc oratio Plavenii a Conſilio Regio excepta eſt. Flexerat enim nonnullos ad miſericordiam, humanitatis atque religionis intuitus, & ipſa æquitas conditionum atque poſtulatorum, perpendentes ſecum fortunæ inconſtantiam, & rerum humanarum varietatem. Alii vero ſecundis rebus elati, præſentisque fortunæ curſum proprium ac perpetuum ſibi pollicentes, præſertim quod innata genti Teutonicæ ſive magnitudo animi ſive ſuperbia veriſimile faciebat, non niſi ab extrema deſperatione tam demiſſam atque ſupplicem orationem profectam eſſe, incumbendum eſſe perculſis, extirpandumque penitus ex illis oris germen improbum & inſatiabile, ne quæ tunc neceſſitate concederet, mox reſumptis viribus per vim atque fraudem uſitatam repeteret. Et videbatur Mariæburgum, ubi tunc ſumma rerum erat, diuturnam obſidionem tolerare non poſſe. Vicitque hæc in Senatu ſententia, in quam Plavenio reſponſum

ſum Regis nomine datum: Accipere eum a victore conditiones pacis, non dono afferre debuiſſe, aut ſi afferat, non ea ſane victoribus eum concedere oportere, quæ ipſorum & olim fuiſſent, & nunc denuo jure belli atque deditione facta eſſent: Mariæburgum potius & quæ alia in poteſtate ſua haberet, dederet, ac tum demum clementiam victoris imploraret. Offenſus hoc reſponſo Plavenius cum aliud inſtanti non redderetur. At ego, inquit, æquiſſimas vobis & ultro expetendas conditiones attuliſſe me arbitrabar; ſed quando aliter vobis & Regi veſtro videtur, Mariæburgum cæterasque munitiones, quas adhuc retinemus, Cruciferi, priusquam ego dedam, extrema quæque experiar: Et reſpiciet jam nos, uti ſpero, deinceps magis propitius Deus, quandoque iram & offenſionem ejus ruptione fœderis & ſuperbia noſtra contractam, partim ſuppliciis noſtris, & mortibus eorum, qui in hoc bello ceciderunt, partim tam demiſſa & ſupplici hac petitione noſtra ſatis, ut opinor, expiavimus. Et cum his dictis multa Deum rerum omnium arbitrum & inſpectorem teſtatus, in arcem ſe recepit. Neque irritæ fortaſſis eæ Plavenii preces Deo acciderunt. Nam ex eo tempore minus proſperæ Polonis res eſſe, retroque relabi cœpere. Hæc ita narrat Cromerus. Et certe exempla movere omnes debebant, ne quid ſuperbe dicerent, neque inſoleſcerent, ſi quis forte plus aliis vel manu polleret, vel magnarum opum pondere, quia dies inclinat, & excitat rurſum omnia humana, modeſtos vero Dii amant, & oderunt ſuperbos. Hoc ſane hic Polonis, illud viciſſim Cruciferis uſu venit, quod nullus eſt tam gravis caſus, nullum tam acerbum fortunæ vulnus, quod non tacita quædam latentis boni comitetur neceſſitas. Nam cum Regius exercitus obſidionem Mariæburgenſem ſolviſſet, & quisque domum propere contendiſſet, non admodum erat difficile Cruciferis ea recuperare, quæ amiſerant, & magis ac magis contra hoſtilem adventum communire.

Obſidio Mariæburgi ſoluta.

De altero prælio conjectura.

Referunt præterea Polonici ſcriptores, quod poſt prælium Tannebergenſe & jam ſoluta obſidione Mariæburgenſi, denuo pugnatum ſit ſummis viribus ad Coronoviam, & ita quidem pugnatum, ut ter quaſi ex compoſito pugna intermiſſa fuerit, pro viribus utrinque recolligendis: Interim & ſauciis vulnera curata, interfecti remoti, captivi commutati, ſudor equis otioſe abſterſus. Quin & pocula inter ſe miſiſſe memorantur, ita ut colludentium, non infeſtis odiis concurrentium agmina videri potuerint. Tandem autem victos eſſe fugatosque Cruciferos, eamque victoriam inſigniorem fuiſſe habitam Grunewaldenſi, propterea quod majore contentione & labore parta fuerit, quod ita ea vires atque animi Cruciferorum fracti ſint, ut per multos annos poſtea nunquam auderent rem univerſæ dimicationi committere. Verum iſthæc etiam narratio ſuſpicione mendacii non caret, & ſcriptores iſti magis quam Rex ipſe victoria uti ſciverunt. Nam cum paulo antea dictitaſſent, ab eo tempore, quo Plavenius ſupplex factus & per ambitionem & ſuperbiam rejectus eſſet, res minus proſperas Polonis eſſe retroque relabi cœpiſſe, nunc repente triplicem quaſi victoriam illis ſubjiciunt. Denuo autem pugnatum eſſe, idcirco veriſimile non eſt, primum

quod Cruciferi poſt cladem Tannebergenſem non potuerint eas tam ſubito reparare copias, quibus iterum fortunam periclitarentur. Deinde quod aſſerunt ipſi ſcriptores Polonici, certatim & a Vitoldo & a plerisque proceribus, ſoluta obſidione Mariæburgenſi, miſſionem fuiſſe efflagitatam & vel invito Rege permiſſam, copias autem in univerſum plerumque ita dilapſas, ut æque Rex atque Cruciferi, ad novam pugnam a copiis fuerit imparatus.

Pacis conditiones.

Utut hoc ſit, in eo ſcriptores utrinque conveniunt, quod paulo poſt pax victoribus quam victis iniquior, inſtante maxime Vitoldo, proceribus Polonis Regi diſſuadere non auſis, confecta ſit, cujus hæc potiſſima fuere capita: Ut Rex Cruciferis omnia, quæ eo bello in Pruſſia cepiſſet, relinqueret: ut captivi utrinque ſponſione ſoluti remitterentur: Ut Cruciferi tribus penſionibus intra annum vertentem centena millia ſexagenarum Pragenſis monetæ exolverent: Ut Samogitiam Vitoldo & Regi, quoad ii viverent, Cruciferi concederent, poſt illorum mortem ad Cruciferos ea reverteret. Interim commemorat Cromerus inter Sigismundum Cæſarem, Vladislaum Regem & Vitoldum Ducem pacto conventum fuiſſe, ut Sigismundus cum Vladislao & Vitoldo contra quosvis hoſtes, & inprimis ad extirpandos Cruciferos arma conjungeret, ac Pruſſia quidem ejectis Cruciferis, inter Reges, pro portione copiarum utriusque ad id bellum adductarum, divideretur, Pomerania vero, Culmenſis & Michalovienſis terræ integre Vladislao Polonisque, quorum fuiſſent olim, cederent: quamvis publice de eo mentionem habitam idem auctor neget.

Pacta Regum.

An. 1410.

XXIV. Heinricus Reus, Comes Plavenſis.

Ulrico Magiſtro, quem in Tannebergenſi prælio cecidiſſe commemoravimus, cum triennio præfuiſſet, ſucceſſit viceſimus quartus, Heinricus Reus, Comes Plavenſis, anno Vladislai viceſimo quinto, circa quod tempus Sigismundus etiam Ungariæ Rex Germanis imperare cœpit, & Ericus Pomeraniæ Dux a Margareta adoptatus, tribus regnis ſeptentrionalibus præfectus fuit. Hic Magiſter novo quodam modo, ſui nimirum ipſius electione ſatis ambitioſe ad hoc faſtigium pervaſit.

Sui ipſius Electio.

Convenerant Mariæburgi fratres omnes ad eligendum Magiſtrum novum, ex primaria nobilitate tres tantum ſupererant, Heinricus Plavenius, de quo loquimur, Præfectus Swecenſis, cui Pruſſiæ cura demandata fuerat, cum cæteri ad prælium exirent, & ejus patruelis ejusdem nominis Plavenius (quem Ulricum nonnulli vocant) arcis Gedanenſis præfectus, & Michaël de Sternberg, curator Neomarchienſis, qui æque omnes Magiſterii dignitatem ambiebant. Cæteri fratres ſententiam primum rogati, cum animadverterent, neminem ex inferiore Ordine rebus ita perturbatis hoc onus reſtaurandæ Reipublicæ ſubire aut poſſe aut velle, communibus ſuffragiis arbitrium totius Electionis tribus illis, quos diximus, ita committunt, ut principatum obtineret, quem illi tres inter ſeſe deſignaſſent. Re nonnihil deliberata cum quilibet horum æque ambiret, tandem Sternbergius & arcis Gedanenſis præfectus,

partim quod minus ambitioſi videri vellent, partim ut ſemoto tertio competitore, propior alterutri eorum ſpes eſſet adipiſcendæ dignitatis, ſua etiam ſuffragia atque adeo rem totam arbitrio ſenioris Plavenii committunt. Exiſtimabant utique illum opinionis etiam publicæ ratione habita, ne ambitionis argueretur, ſe ipſum minime nominaturum, ita neceſſario ex illis alterutrum deſignatum iri. Ille vero competitorum conſiliis perſpectis, cum ſuæ quam aliorum cupiditati indulgere mallet, artem arte ſtatuit deludere. Condicto itaque die in templo publico fratribus univerſis præſentibus, ſolennibus rite peractis, aſtans altari, & ad fratres converſus. Nunquid (rogat) vos omnes poteſtatem meram eligendi Magiſtri nobis tribus dediſtis? Cum annuiſſent omnes, rurſum duos illos rogavit, num eandem eligendi poteſtatem ſui ſolius arbitrio commiſiſſent, ſic ut eum, quem ego Reipublicæ præ cæteris judicaſſem idoneum, Principem veſtrum, nemine contradicente, ſitis habituri. Cum itidem annuiſſent, cuicunque igitur (inquit) ſtolam Magiſterii infigne circumdedero, is deſignatus & electus eſto. Atque hoc dicto ipſe ſtolam humeris ſuis injiciens clara voce ſubjicit: Et ego Heinricus Reus, Comes Plavenſis, ex poteſtate univerſalis veſtri conſenſus memet ipſum, quem præ cæteris idoneum judico, Magnum Magiſtrum Ordinis Teutonici Mariani, domus Hoſpitalis in Hieruſalem, eligo ac deſigno, & vos ut juramentum fidelitatis mihi, Domino veſtro, præſtetis jubeo. Obſtupefacti fratres alter alterum intuebantur, primo rem novam admirari, deinde conſenſu omnium electionem uni commiſſam memoria repetentes, accedunt ad aram ſinguli, & in verba Magiſtri more majorum jurant. Hoc maxime modo Heinricus Plavenius principatum invaſit, quem cum non adminiſtraret ex ſententia fratrum, multaque tyrannice & impotenter ageret, triennio poſt dignitate privatus, & in cuſtodia arcis Lochſtetenſis per ſeptennium, quoad vixit, detentus fuit. Simile electionis genus circa idem tempus legimus accidiſſe in Papa Romano Balthaſare Coſſa, quem Ioannem viceſimum quartum poſt nuncuparunt, quem itidem ferunt ſublato Anteceſſore Alexandro Pontificium munus violenter potius uſurpaſſe, quam liberis aſſumpſiſſe ſuffragiis. Cum enim Bononiæ potius ut dominus quam ut Legatus eſſet, magnoque exercitui imperaret, & patres pro novo Pontifice deligendo ibidem conveniſſent, multa eis interminatus eſt, niſi Pontificem ſibi gratum elegiſſent. Et ea cauſa multi producti fuerunt, quorum neminem approbare voluit. Cum vero obſecraretur, ut quem vellet ſignificare dignaretur: Date mihi (inquit) chlamydem, & ego dabo Pontifici futuro. Quod cum factum eſſet, ille pallium ſuis humeris imponens, Papa (ait) ſum ego. Quæ quidem ambitio ſi nihil Pontificiæ ſanctitati derogavit, eo minori cum ignominia, majori certe artificio principatum ſibi Plavenius comparavit.

Exemplum ſimile.

An. 1411.

Hoc Magiſtro Gedani præerat Conſulatui vir non minus prudens quam fortis & cordatus, Conradus Letzkow. Is ab ineunte ætate in Cruciferorum famulatu educatus ita plerisque gratus fuerat, ut illorum auxilio & luculentum Gedani contraheret matrimonium, & paulo poſt

Conſul Gedanenſis, Conradus Letzkow.

in

iu Senatum adlegeretur. Hunc enim Cruciferi, qui jam pridem inceperant civium fortunis invidere, & civitatum incrementa oderant, fore ſibi putabant morigerum, & maxime idoneum, per quem omnia civitatis ejus conſilia ipſis patefierent. Verum ille majorem fidei ſuæ quam alienæ gratiæ rationem ducere, nihil aliud agere, quam quod Reipublicæ commodum expeteret, nihil aliud nec minis nec precibus evulgare, niſi quod cum civitatis bono fieret: in cæteris ejusdem jura & libertates acerrime propugnare, ſic ut pro gratia, quam Cruciferi a ſe initurum illum ſperaverunt, odium illorum plusquam Vatinianum incurreret. Quo tamen ille parum commotus de fide conſtantiaque ſua in Reipublicæ cauſis agendis tuendisque nihil remittebat. Conſueverat jure ſuo civitas trientem omnis ſuccini, quodcunque ibidem elaborari ſolitum erat, ſibi retinere. Hanc prærogativam alter Plavenius, præfectus arcis Gedanenſis civitati vehementer invidebat, eoque magis intervertere, quod auctoritate Magiſtri patrui id ſe citra laborem confecturum exiſtimabat, feciſſet etiam, niſi Præconſul Conradus conatus ejus apud Magiſtrum fortiter repreſſiſſet. Meminerat quoque idem præfectus, qua contentione & magnanimitate jam antea idem Præconſul jus publicum defendiſſet, cum Cruciferi civitatem tum ſuburbanam, quam juniorem (Jungſtadt) vocabant, in primariæ civitatis invidiam & detrimentum ita attollere & propagare conarentur, ut peculiarem ibi Senatum, peculiare judicium, contubernia & tribus conſtituerent, ac in fraudem negotiationis domum etiam Anglicanam omnis generis commerciis aptiſſimam aperirent, & quibus commerciis tum civitas frequenter utebatur, & ferme fortunas civium ſuſtinebat, ad Anglos transferrent. Cui rei ita graviter & conſtanter ſe cives oppoſuerant auctore Conrado, ut is aperte diceret, majorem eſſe Cruciferorum perfidiam, niſi literis ſuis publice conſignatis & majorum ſigillis communitis ſtarent, quam cujusvis tenuioris fortunæ mercatoris, qui ſub honoris etiam infamia ſigillo ſuo quamvis privato ſtare cogeretur. Quinimo qui fidem juratam & literis ſanctam violarent, ne illis quidem ipſis fidem eſſe ſervandam. Hoc eodem auctore Senatus Gedanenſis Geranon, machinam verſatilem, prope fluvium Motlam, qua merces e navibus extrahuntur, per multam dimicationem contra Plavenium, qui eam Ordini per fas & nefas vendicare volebat, & alio transferre cogitabat, retinuit, ac quod anno ſuperiori domicilium machinæ ligneum incendio conflagraſſet, denuo domum & turrim, quæ ſupra machinam eſt, lapidibus extruxit. Multa ſunt alia, quibus fortiter & fideliter pro jure civitatis conſervando geſtis, Conradus Cruciferorum indignationem, inprimis autem Præfecti Plavenii odium inexpiabile ſibi conciliavit. Nihil autem interim omittebat, quod in gratiam Ordinis & Reipublicæ utilitatem honeſte facere poſſet, cujus rei ſpecimen luculentiſſimum cum capitis etiam ſui periculo poſt cladem Tannebergenſem edidit. Cum enim Magiſter Plavenius recens electus, nec ordinem nec viam ullam videret, qua ſubſidium militum ex Germania poſſet accerſere, cum omnes viæ paſſim a Polonis obſiderentur, obteſtante ac rogante Magiſtro, Conradus, qui Polonicam linguam exacte calleret, ſumpta veſte mendicantis hoſtium cuſtodias fefellit, & commodum

dum elapſus, non contemnendam militum manum, auctoritate & nomine Magiſtri a Marchione Brandenburgenſi & vicinis Principibus comparavit. Quibus copiis in Pruſſiam deinde adventantibus tanti certe momenti res apud Regem Poloniæ fuit, ut is cum Cruciferis pacem iniquis etiam conditionibus iniret, & omnia, quæ ab illis ceperat, relinqueret. Quo facto non leviorem ſe gratiam Conradus a Cruciferis initurum ſperabat, quam quidem antea, cum in Dania illorum cauſa captus & per multum temporis in carcere aſſervatus fuerit. Verum majus erat Plavenii præfecti odium, quam ut ullo quantumvis illuſtri beneficio placari vel aboleri poſſet. Huc accedebat aliud malum, aliis quaſi ſuccedaneum. Erat inter Senatores Gedanenſes recens lectus Benedictus Pfenning, homo fluxæ fidei & lucri ſui ventoſæque Dominorum gratiæ, quam honeſtatis amantior: qui monetam quoque, cui præfectus erat, corrumpebat. Is clanculum conſilia ad præfectum, cujus intima utebatur familiaritate, efferebat, conſiliorum quorumvis auctores, & ut quisque alieniori in Ordinem eſſet animo, indicabat. Quo manifeſtis indiciis comperto, cæteri Senatores proditorem in Curia correptum ex feneſtra deturbant, ſic ut confractis & luxatis brachiis ac cruribus, vix vitæ periculum evaderet, ac Senatu deinceps motus publice pro infami haberetur. Ægerrime ferebat hanc rem præfectus, ac indies magis magisque occaſionem quærebat haſce injurias egregio aliquo facinore a Senatu vel primoribus ulciſcendi. Cæterum cum eæ ſimultates & inimicitiæ inter Præfectum & Senatum, & præſertim Præconſules, in majus aliquod malum erupturæ putarentur, Magiſter tandem ipſe partes ſuas interpoſuit, Senatum ad amicitiam hortatus, & patruelem acrioribus etiam verbis officii admonens, quanquam is ſimularet magis, quam revera amicum animum oſtenderet, effecit tamen, ut in templo ſtipulata manu & ſolenni promiſſione interpoſita pax & amicitia utrinque ſancte promitteretur. Ad quam magis & arctius conglutinandam Præfectus paulo poſt Conradum Leſcovium, Arnoldum Hechtium, Tidemannum Huxerum Præconſules, & Bartholomæum Groſs, Conradi generum, Senatorem, eo ipſo die, qui Ramis palmarum dicatus eſt, ad ſolenne prandium in arcem invitat, fide publice data, nullius id fraudi vel periculo futurum. Illi ingenium Præfecti de ſuo metientes, verbis ejus fidem habent, præſertim ne quid, ſi renuerent, ſimultatum alere viderentur, & ad arcem contendunt. Ubi non procul ab arce abeſſent, obvium habent morionem Præfecti, qui conſpectis hoſpitibus, ut ferme ſtulti veritatem diſſimulare neſciunt, ore in riſum diſtorto. Pol (inquit) ſi ſciretis quid in prandium pro vobis coctum eſſet, haud opinor cum illis commeſſuri ſitis. Illi morionis verba haud penſi facientes progrediuntur. Tidemannus autem unus Præconſulum, ſive morionis præſagio motus, vel fortuna ſua ſervatus, cum cunctabundus ſubſtitiſſet, male mecum (inquit) res ſe habet. Cæteris cauſam ſciscitantibus dixit, ſe clavem domi in arca, qua pecunias aſſervabat, per incuriam reliquiſſe, metuere ne interim, dum domo abeſſet (viduus enim erat) ſervi ſeſe expilarent, iturum ſe & ubi domi recte proſpexiſſet e veſtigio illos ſubſecuturum. Ita domum ille ſe recepit, nec poſtea rediit. Mox etiam Arnoldus hæſitare,

Benedictus Pfenning.

Conradus & ſocii in Arcem invitati.

ſitare, & ad Conradum converſus, non placet (inquit) morionis dictum. Ille contra: ſtulti ſuo more ſtulta loquuntur, nos fide publica & ſacroſancta ſponſione ſecuritatis interpoſita huc venimus: Abſit, ut nunc ullam perfidiam metuamus. Ita progreſſi in ipſo pontis tranſitu a quatuor Cruciferis familiariter ac honorifice excepti in arcem deducuntur. Porta confeſtim clauditur, & pons ſublicius ſurſum attrahitur. Id mirum primo videri hoſpitibus, mox excipit idem morio, qui & ipſe cum illis in arcem erat reverſus. Hæ tres (ait) aves captæ ſunt, ſenior iſte nimis erat cautus, inſidias evaſit. Tandem hoſpites ad præfectum & cæteros, qui illi aſſiſtebant deducti, contumeliis, probris & convitiis ita excipiuntur, ut ſubinde Præfectus illis mortem & cædem minitaretur. Increpabat eos quaſi proditores & perfidos, commemorabat ſingula, quid illorum quisque in Ordinis & ſui ipſius odium & invidiam publice vel privatim dixiſſet, conſuluiſſet ac perpetraſſet, & nunc demum occaſionem ſibi datam jactitabat omnes iſtas injurias ulciſcendi. Conradus & cæteri, quanquam multa proferrent, quæ ad defendendum exiſtimationem ſuam & probandum ea, quæ ipſi pro Republica pro fide ſua geſſiſſent, perfidiam etiam illis ultro exprobrarent, qui ſe in haſce inſidias contra fidem datam pellexiſſent, tamen præ clamore & ſtrepitu interpellantium & obloquentium audiri vix poterant. Cæterum ea erat Præfecti inſania, ut cum Conradus rem aliquam, de qua diſceptabatur, jure a ſe peractam diceret, mox exclamaret: Sceleſtiſſime omnium, en ego ſum jus tuum, quod te ſequi oportuit. Conradus ubi animadvertit in manifeſto vitæ periculo conſtitutum, nec ullum rationi locum ſupereſſe, converſus ad Arnoldum: Amice (inquit) bonus gladius, ſi quem nunc haberem, mille florenis præſtaret. Plavenius vocato carnifice Elbingenſi, qui conſulto jam pridem eam ad rem accerſitus fuerat, illi mandat, ut in continenti iſtos obtruncaret. Ille negat ſui moris ſuæque diſciplinæ, quempiam indicta cauſa, nulla judiciali cognitione interveniente, & non condemnatum interficere: Ubi lictor cædem recuſavit, is quidem fuſtium ictu mulctatur, captivi autem in carcerem tenebroſum conjiciuntur, usque poſt mediam noctem, tum demum Conradus educitur manibus colligatis, & ſtimulo in os impoſito. Ibi præfectus & cæteri convivæ ebrietate & inſania accenſi, ipſo Carnifice crudeliores, Conradum decem vulneribus paſſim corpori inflictis tandem diſſecto gutture trucidant. Eadem crudelitate Arnoldus ſexdecim vulneribus, & Bartholomæus Senator ſeptendecim ictibus conficiuntur. Peracta eſt hæc carnificina ea nocte, quæ præceſſit diem ſextum menſis Aprilis, feriam ſcilicet ſecundam in dominicæ paſſionis hebdomade. Nihilominus adhuc cædes occultabatur, & Senatus ac cives interim exiſtimabant, Conradum & collegas captivos ſaltem haberi, & facile poſſe liberari, ſi Magiſter ea de re interpellaretur, nec eum factum hoc patruelis probaturum. Mittuntur nuncii publici, qui de Præconſulibus & Senatore contra datam fidem captis & detentis conquererentur. Senatoris uxor Anna Conradi filia ſingulis diebus ſubmittebat in arcem pro captivorum uſu vinum, edulia, & alia, quæ miniſtri arcis interim acceptabant, quaſi captivis ſubminiſtrarentur. Hoc modo cædes in ſextum usque

Ibidem trucidantur.

usque diem, qui pridie Paſchalium erat, celata fuit. Tandem cum Magiſter patrueli per literas ſerio mandaſſet, ut captivos ex arce dimitteret, ille cadavera cæſorum extra portam arcis projici jubet. Qui tum civium dolor, qui cognatorum luctus, quæ denique bonorum virorum indignatio fuerit, non difficulter quilibet, qui tyrannum oderit, poteſt æſtimare. In præſenti quidem nihil aliud erat ſolatii, quam ut pœnam tanti facinoris ab æquitate Magiſtri aliquam expectarent. Sed id fruſtra. Sic enim, ut opinor, in fatis erat, ut tot & tantis facinoribus crudeliſſimis oppleti Mariani tandem e felicitatis ſede, ſua ipſorum culpa, penitus deturbarentur. Cadavera interfectorum a civibus ſublata, & publico omnium luctu in ſummum templum deducta & ibidem humata ſunt ad capellam divæ Hedwigis, in ſiniſtro latere altaris maximi. Præconſules ambo in idem ſepulcrum illati marmore impoſito, cum hac inſcriptione, quæ hodie etiam legitur: Hic jacent honorabiles viri Conradus Letzkow & Arnoldus Heket, Præconſules civitatis Dantzke, qui obierunt feria ſecunda poſt feſtum Palmarum, Anno Domini MCCCCXI. Orate pro eis.

Sequenti anno Cruciferi novam ſubditis exactionem impoſuerunt, qua de omnibus bonis ac mercibus tam intra quam extra Pruſſiam habitis ac poſſeſſis, in ſingulas marcas quinque ſolidi exigerentur, ut ea pecunia arces Polonis pignori datæ redimerentur. Conſenſum eſt ab omnibus tam nobilibus quam civibus in eam exactionem quantumvis enormem, ſolis Gedanenſibus exceptis, qui non quidem recuſabant, quo minus de bonis ac rebus intra Pruſſiam exiſtentibus exactio fieret, de navibus autem & mercibus in transmarinis regionibus, aut in ipſo mari verſantibus, æquam iniri rationem poſtulabant, cum quod incerta illarum eſſet propter navigationis & commerciorum diſcrimen poſſeſſio, tum quod eo pacto ipſi præ cæteris magis gravarentur. Præfectus arcis Plavenius perfidiæ jam antea aſſuetus, Præconſules duos, totidem Senatores cum duodecim civibus, qui bona fide in arcem venerant, ob rationes ejus exactionis cum eo tractandas comprehendit, ac in carcerem conjicit. Ubi res per urbem increbuit, cives ſuperioris anni exemplum veriti, arreptis armis & baliſtis ad arcem productis oppugnationem adoriuntur, & adeo fortiter & audacter rem gerunt, ut Præfectus vix precibus obtinuerit, quo tantisper ab oppugnatione ceſſaretur, donec captivi emitterentur. Quibus liberatis placuit hujus rei cauſa cum ipſo Magiſtro tractationem ſuſcipere. Deliguntur ex Senatu primores & ſpectatiores, & cum octodecim civibus Mariæburgum fide publica mittuntur. Magiſter eadem via, qua patruelis ejus, rem aggreſſus, Legatos omnes in carcerem conjicit, neque prius deinde dimiſit, quam Gedanenſes non ſolum exactionem illam eo quo volebat ipſe modo conſentire cogerentur, verum inſuper etiam octodecim millia marcarum mulctæ nomine ob arcem oppugnatam depaciſcerentur. Sed hujus operæ pretium Magiſter conſecutus non eſt. Nam & exactio iſta publice mox repudiata fuit, & Gedanenſes mulctam a Legatis per vim & metu carceris extortam minime pependerunt.

An. 1412. Exactio nova.

Gedanenſium preſſura.

An. 1413. Magiſter exauctoratus.

Ac paulo poſt anni ſequentis initio, Cruciferi Magiſtrum hunc, cum triennio præfuiſſet, & patruelem una propter tyrannidem loco moverunt, & ex Pruſſia relegarunt, ut nonnulli ſcriptum reliquerunt. Verius autem eſt, quod alibi diximus, quod Magiſter in arce Lochſtetenſi ſeptennium quoad vixit cuſtoditus fuerit, & in eo carcere contabuerit, patruelis autem ſolum verterit. Plavenium hunc Magiſtrum ſubſecutus eſt in ordine viceſimus quintus, Michaël a Sternberg, culinæ Magiſter vulgo dictus, qui etiam in proxima electione Plavenii competitor fuerat, anno Vladislai Jagellonis viceſimo octavo, Sigismundi Imperatoris tertio, vir acer, animi magnitudine & corporis forma ac habitu præ cæteris conſpicuus. Hoc Magiſtro primum publice conſtitutum eſt, ne deinceps Magiſter cum ſolis Commandatoribus poteſtatem uſurparet pro lubitu quicquid vellet ſtatuendi, leges condendi, exactiones aut operas publicas imponendi, aut bellum faciendi, ſed ut in gravioribus negotiis Magiſtro a conſiliis eſſent, quatuor primores Ordinis, decem viri nobiles & ex civitatibus Culmenſi, Torunenſi, Elbingenſi, Regimontana & Gedanenſi, Senatores bini, ſine quibus quod ad Rempublicam pertinebat, nihil ſtatuere fas eſſet. Hoc deinde appellatum fuit Conſilium Pruſſiæ publicum. Videbatur id primum ad ſanandam Rempublicam & cohibendum Cruciferorum ferociam maximopere pertinere. Verum factiones & inteſtinæ diſcordiæ inter ipſos nullum admittebant remedium, ſed indies morbos novos conciliabant. Alii ſymbolum uſurpabant aurei fluminis, alii navis aureæ: ſed plerumque flumen contra navem intumeſcebat, ut raro ſecunda eſſet navigatio. Cæterum quanquam illi frenum diutius non ferrent, atque adeo ſubditos protererent, hæc tamen ipſa publici conſilii origo fundamentum poſtea fuit publicæ libertatis aſſerendæ.

XXV. Michaël Sternbergius.

Conſilium publicum.

Gerardus von der Beke.

Eodem anno Gedani Præconſul erat Gerardus von der Beke, plebi admodum odioſus, eo quod Præfecti Gedanenſis & magni Magiſtri auctoritate & gratia ſubnixus, perpetuum conſulatum quaſi dictaturam ſolus ferme gereret contra jus & morem civitatis. Ille quo majori ſe odio civibus plebejis eſſe ſciret, eo erat inſolentior. Accidit ut uxoris ejus frater Guntherus Tideman parochiam in templo Mariano conſequeretur, quod factum plebs ægre ferebat, & per ſimoniam comparatum vulgo dictitabant. Erat hic Gunterus diſcipulus Hieronymi Pragenſis, qui biennio poſt cum Ioanne Huſſo in conciliabulo Conſtantienſi contra fidem publicam exuſtus fuit. Ejus doctrinam, cum admodum eruditus & diſertus eſſet, in civitate paſſim diſſeminabat publice & privatim, eo quidem ſucceſſu, ut non ſolum pii cives quam plurimi, ſed etiam Sacerdotes & monachi literatiores eam doctrinam magis ac magis amplexarentur. Soli Dominicani monachi, genus famelicum & indoctum, quod mendicando & nugando victum quæritat, ſeſe opponebant, Gunterum hæreticum paſſim prædicabant, ac in eum & ejus ſectatores plebem & fecem hominum concitabant. Plebs non tam amore vel zelo religionis, quam non intelligebat, quam odio Præconſulis, cui ille affinis erat, parochum & eos, qui partes ejus fovebant, acriter infeſtare cœpit. Præconſul viciſſim Magiſtri & Præfecti Gedanenſis, qui

Guntherus Tideman.

qui tum erat Rudolphus ab Eilenſtein, & Plavenio ſucceſſerat, auctoritate & ope ſe ſuosque tutabatur. Multa utrimque perperam acta, verbis & contumeliis ultro citroque plurimis diſceptatum, ſed ad vim nondum perveniebatur. Monachis ſaltem auctoritate Præfecti interdictum, ne ſuo libitu in civium domos, niſi invitati, quod tum augendarum partium cauſa facere conſueverant, irrumperent, non mendicantium ſed imperantium more, elemoſynas impudenter etiam ab invitis corradentes vel potius extorquentes. Non diu poſt Præfectus Gedanenſis in morbum ſubito incidens vitam cum morte commutavit, quem paucis diebus parochus Guntherus ſubſecutus eſt. Stolida plebs tam inopinum factum tribuebat monachorum ſanctimoniæ, quaſi precibus ardentioribus hoſtes ſuos, & quidem hæreticos e medio ſuſtuliſſent. Alii oculatiores veneficii artes ſuſpectas habebant. Et hoc quidem ſubſequentis tumultus contra hunc Præconſulem præludium fuit.

An. 1414. Regis belli famelicum in Pruſſia.

Pax quæ inter Regem & Cruciferos coiverat, uti diximus, valde erat inſtabilis & infirma, ſiquidem Cruciferi non modo primum ſolutionis terminum negligerent, ſed injuriis nullum modum ſtatuerent, mercatoresque Posnanienſes Gedani, direptis eorum mercibus, ut Polonici ſcriptores aſſerunt, crudeliter interfeciſſent, & latrocinantium in morem e Dobrinenſi terra & Polonia finitima prædas agerent, & captos homines non modo plebejos verum etiam equeſtres in patibulum agerent. Cumque ad extremum ſub ſignis populabundi in Dobrinum excurriſſent, hiſce rebus irritatus Rex novam in eos expeditionem Polonis, Ruſſis atque Litvanis indixit. Itaque ingentes copiæ ex omni Polonia, Ruſſia, Litvania & Maſovia cum ſuis Ducibus Volboriam convenerunt. Tartarorum etiam non contemnenda auxilia Vitoldus adduxerat. Erat & mercenariorum militum ex Boëmis atque Sileſiis non exiguus numerus. Erant & auxiliares copiæ multorum Principum, ita ut tantus ille eſſet exercitus Regius, quantus non modo ad Pruſſiam, ſed ad magnam orbis partem perdomandam ſufficere poſſe videretur. Verum non ita multum operæ pretii cum tantis copiis effectum eſt. Oppida modo & caſtella quædam ignobilia partim vi expugnata, partim in deditionem accepta, partim vacua dilapſis habitatoribus occupata, direpta, & exuſta. Conſtituerat Rex Culmam & Torunium aggredi, quarum civitatum dedendarum illi nonnulla facta ſpes erat, niſi Magiſter illum vafro conſilio eluſum alio avertiſſet, ſubornato homine cum literis præfecti Strasburgenſis nomine ad ſe confictis, quibus perſcriptum erat, arcem eam a commeatu tormentisque bellicis imparatam, longiorem obſidionem ſuſtinere non poſſe. Quæ literæ capto & excuſſo tabellario cum fidem feciſſent Polonis, hoc perfecerunt, ut ejus arcis potiundæ ſpe conatus meliores fruſtrarentur, viresque Polonorum non hoſti magis quam ſibi ipſis propter annonæ difficultatem graves, inerti obſidione languidas & inutiles redderent. Nam Strasburgenſis arx præterquam quod natura arteque permunita eſt, valido hoſtium præſidio tenebatur, & commeatu armisque abundabat. In ejus igitur obſidione Rex cum omni exercitu totum menſem fruſtra conſumpſit. Inde Vitoldus nequicquam

Stratagema.

quam retinente Rege non ſine animi ejus offenſione diſceſſit. Et jam morbus vulgo in corpora militum ex panis penuria graſſari cœperat. Continuabat tamen Rex obſidionem, dimiſſisque quoquo verſus frumentatoribus, cum præſidio armatorum frumentum in caſtra comportabat. Venit interim ad eum Legatus Pontificius Ioannes Lauſanenſis Epiſcopus, qui facile impetravit a Rege deſidis & famelici belli (ſic enim vulgo appellatum id eſt poſtea) jam pertæſo, ut duorum annorum induciis cum Cruciferis conſtitutis, Conſtantienſis Concilii judicio cauſam & controverſiam ſuam omnem cum Cruciferis permitteret.

Demolitio domus Epiſcopalis.

Eodem anno peracta eſt demolitio domus Epiſcopalis in monte, qui ſuburbium Gedanenſe a ſeptentrionali latere reſpicit, dudum ædificatæ, quam ob rem poſtea graves extiterunt controverſiæ inter Epiſcopum Vladislavienſem & cives Gedanenſes. Rei geſtæ hic fuit ordo: Cum Rex Poloniæ propter novas, quas prætendebat, uti diximus, injurias, quodque Cruciferi conditionibus & pactis antea conventis non ſatisfacerent, denuo bellum illaturus eſſet Pruſſiæ, Ioannes Cropidlo dictus, Epiſcopus Vladislavienſis, ſtudio vindicandi ſuas etiam injurias a Cruciferis illatas, & ipſe bellum ipſis publice & per literas feciales, ipſo die Mariæ Magdalenæ, qui alioquin Epiſcopis ſacer habetur, indixit. Cruciferi quanquam ejus purpurati minas non magnopere pertimeſcerent, easque pro modo iracundiæ magis quam virium æſtimarent, tamen quod animadverterent, domum Epiſcopalem in monte civitati vicino lapide conſtructam cum ſacello & contiguis hortis, ſi eo loci bellum ingrueret, facile in formam arcis communiri poſſe, unde non ſolum oppidani tormentorum incommodis vehementer affligi, ſed etiam occupatis inde viis commeatus ad urbem & arcem intercludi poſſent, melius viſum eſt, domum eam penitus demoliri, quam hoſtibus aliquando receptaculum relinqui. Condita fuerat ea domus a Sbiluto Vladislavienſi Epiſcopo in dorſo montis, quem Epiſcopalem vocamus, uno vix a ſuburbio Gedanenſi baliſtæ jactu, & conſpiciuntur hodie fundamentorum veſtigia ſatis exigua. Certe duos ſaltem manſos ad uſum ejus domus Epiſcopum deſtinatos habuiſſe literis proditum eſt. Cæterum quamvis Clerus & Canonici Vladislavienſes factum Epiſcopi ſui minime probarent, & literas feciales quaſi absque conſenſu eorum ad quos ea res pertineret, editas revocarent, tamen id ad ſpeciem ex compoſito concinnari exiſtimabatur. Præſertim quod jam Epiſcopus in villa Subcovia milites armatos contraheret, quibus Cruciferos, villas & colonos invaſurus videbatur. Magiſter itaque Michaël, ſub initium menſis Auguſti Gedanenſibus mandat, ut domum eam, ex qua toti civitati damnum immineret, quantum poſſent diruerent, ac ſolo æquarent. Gedanenſes impigre mandatum executi, quod alioquin domum eam cervicibus imminentem ægre ferrent, ſic ut arcis præfectus auctoritatis ergo primum lapidem verteret, eodem menſe domum ſubruunt & complanant, lignis & lapidibus cæteraque materia ad refectionem turris ſuburbanæ, quæ poſtea Epiſcopi inde cognomen obtinuit, abductis. Hac de cauſa Gedanenſes ab Epiſcopo extra forum competens Romam in jus evocati, deinceps in

Conſilio Conſtantienſi & Baſilienſi judicibus delegatis, inde varie diſtracti & afflicti, tandem judicum ſententiis abſoluti, & cauſa per appellationem ad ſummum Pontificem maligne pertracta, iterum artibus Epiſcopi in mulctam ſex millium marcarum & expenſas damnati, ac inſuper excommunicationis telo percuſſi fuerunt. Veruntamen nihilomagis interim a ſe paſſi ſunt exigi, ſed per multos annos Epiſcopo reſtiterunt, donec tandem pace inita inter Vladislaum juniorem Regem & Magiſtrum Paulum Rusdorfium, melioribus conditionibus hæc etiam controverſia tranſigeretur.

Eodem anno Livoniam pro Magiſtro gubernare cœpit Theodoricus Turke, idque officium quatuor annos pacifice geſſit.

Sequenti anno novæ Gedani turbæ concitatæ ſunt in monachos Franciſcanos hac occaſione: Andreas Pfaffendorf parochus ad ædem divi Ioannis Torunenſis, Theologiæ Doctor, Ioannis Huſſi diſcipulus, nundinis Dominicanis Gedanum venit, ubi pro concione in monachorum vitia, fraudes & impoſturas, & præſertim miſſarum nundinationes & mendicantium avaritiam vehementer & acerbe invectus, cum multos alios cives tum etiam Gedanenſis arcis præfectum adſtipulatores concionum ſuarum, Gerardum Præconſulem etiam hoſpitem & patronum nactus erat. Varie aliquandiu res diſceptata fuit verbis & convitiis. Tandem ubi monachi cauſæ defendendæ pares non eſſent, per Provincialem ſuum (ut vocant) literas impetrant, quibus Andreas Romam evocabatur ad reddendam doctrinæ ſuæ rationem. Quam ob rem exacerbatus præfectus monachis templi & ſacrorum uſum penitus interdicit, eleemoſynas illis dare prohibet, omnes conventiones cum civibus interminatur, capitis pœna, qui ſecus feciſſet, propoſita. Permulti vero cives plebei hanc monachis injuriam fieri indigniſſime ferentes, clanculum primo ſuppetias ferre, alimenta noctu ſubminiſtrare, mox palam in circulis & turba partes eorum tueri cœperunt. Res ad tumultum ſpectabat, ſed interventu Magiſtri ſedata eſt, & doctrina Huſſitarum interdicta, Andreas ipſe paulo poſt cum Gedano Torunium reverteretur, in ipſo itinere non absque veneni ſuſpicione obiit. An. 1415. Andreas Pfaffendorfius.

Hæc erant quaſi ſemina ſequentis anni tumultus, quo monachorum & plebis odium adverſus Præconſulem Gerardum apertius erupit, cum haud mediocri vitæ ac capitis illius & aliorum periculo. Culpæ illi maxime dabatur, quod plus nimio Cruciferis avare jam tum imperitantibus adularetur: quod monetam (erat enim rei monetariæ præfectus cum Luca Mekelfeldo) ſui privati lucri cauſa corrumperet ac deteriorem cuderet: quodque civium & Senatus conſilia clam aperiret ac proderet. Conſtituti primum erant ſicarii, qui eum die feriato Corporis Chriſti in ipſa, quam vocant, proceſſione trucidarent. Ille inſidiis in tempore exploratis commodum elabitur, nec domum confugit, ſed interim in parochia ſe abſcondit, deinde in arcem proripit. Sicarii ubi ſubductum illum animadvertunt, mox domum ejus convolant, fores effringunt, cogunt 1416. Seditio Gedanenſis.

uxorem omnes ciſtas, arcas, cameras aperire, niſi fractas & ruptas malit, ſic omnibus illum angulis perquirunt, ſi inveniſſent dubio procul hominem diſcerpturi. Ubi non inveniunt, in ejus ſupellectilem domeſticam involant, pretioſiora quæque ablata, cætera ſciſſa, rupta, fracta relinquunt. Tumultuatum deinde magis ac magis a promiſcua multitudine adverſus cæteros etiam Senatores, ſic ut patrum aliqui tum latitarent, partim etiam ad Magiſtrum ex urbe profugerent. Sævitum nihilominus eſt in nonnullorum domus, eæ expilatæ, res & ſupellex direptæ, a cædibus ſaltem temperatum. Magiſter re comperta Gedanum advolat, & tumultuantes verbis primum compeſcere conatur, ſed tantus erat ſævientis populi furor, ut ipſo præſente prætorium armata manu occuparent, civitatis portas occluderent, & ille ſe tumultuanti plebi amplius credere non auderet. Poſtridie ubi paululum furor deferbuit, Præconſules & Senatores, qui in urbe remanſerant, animos plebis per ſe jam languidos & facti conſcientia ſuſpenſos demulcere, ad concordiam hortari, & paulatim ad officium reducere cœperunt. Mox legatos mittunt tam ex Ordine Senatorio, quam ex plebe purgandi ſui cauſa, & rem ne quid inde atrocius oriretur quoquo modo componendi. Magiſter tum conventum agebat Mevæ. Gedanenſium Internunciis, qui ſub fide publica advenerant, in conſpectum admiſſis, præſentibus etiam Gerardo von der Beke, Luca Mekelfeldo & aliis qui profugerant, Magiſter ad Ordines terrarum Pruſſiæ gravi admodum oratione Gedanenſes accuſare cœpit, quod ipſo præſente tumultum & ſeditionem excitaſſent, vulgo ad arma convolaſſent, prætorium per vim occupaſſent, Senatores ejeciſſent & ſpoliaſſent, eos præſertim, qui coram adeſſent, quique parati eſſent ad omnia, de quibus arguerentur, reſpondere. Itaque in conſilio deliberari decernique poſtulabat, quid potiſſimum hac in re conſtituendum. Gerardus etiam & conſortes multis verbis plebis perfidiam exaggerare, vim & injuriam ſibi factam, cædem intentatam demonſtrare, offerre ſe judicio, & omnium accuſationes ſuſcipere paratos ſe oſtendere, petere tandem, ut nocentes & ſeditioſi puniantur, innocentes defendantur, ſpoliati reſtituantur. Internuncii priusquam admitterentur, cum Ordinibus Terrarum ob interceſſionem egerant, quo res quam placidiſſime poſſet expediri, & nunc illorum conſilio uti, nec per omnia mandatis inhærere videbantur. Habebant capita quædam accuſationis a plebe propoſita, quibus Gerardum & alios complices reprimere debebant. Verum cum præſentirent, periculoſe admodum ſe judicio decertaturos, nec ſatis cauſæ confiderent, quoniam non licuerat plebi propria auctoritate Magiſtratum nullius culpæ jure convictum ejicere, legationem ſuam ita explicabant, ut dicerent, ſe non accuſandi cujusvis cauſa adveniſſe, ſed Senatum & cæteros, qui in partibus non fuiſſent excuſandi, & diſſenſionem omnem componendi. Eſſe quidem Gerardum & conſortes de rebus quibusdam contra Reipublicæ utilitatem geſtis actisque permultis civium ſuſpectos, qui exiſtiment illorum culpa ſeditionem excitatam, Senatum autem & cæteros cives ſecus de illis ſentire, nec magis quidquam cupere, quam culpa eos vacare. Ad ea cum illi nihil reſponderent, ſed reſtitutionem ſaltem & damnorum compen-

compenſationem poſtularent, multos etiam ex Cruciferis inceſſit ſuſpicio, non eſſe nihil, quod plebs in illis deſideraſſet. Tandem Ordinum interceſſione ita res transacta eſt: Ut Senatui populoque tumultus a paucis primum excitatus fraudi non eſſet: Ut Gerardus & conſortes dignitati locoque ſuo reſtituerentur, res raptæ ubicunque extarent dominis redderentur: Ut ſeditionis auctores in vincula conjicerentur, ac in eos arbitrio Magiſtri ac Senatus ſtatueretur. Ita capti ex ſeditionis principibus duodeviginti, gladio publico ſunt percuſſi, & quadraginta circiter proſcripti: Eoque modo civitas in tranquillum adducta, & patribus auctoritas ſua reſtituta. Verum ipſe Præconſul Gerardus, quod ſui odium in omnium ferme animis reſidere animadverteret, nec plebem deinceps quieturam intelligeret, ſponte paulo poſt cum univerſa familia ſua ſolum vertit. Hæc ſeditio ut plurimum orta fuit a Contuberniis, & inter tumultuantes facile principes erant Braſeatores, irrequietum ſemper hominum genus. Itaque ad coërcendam deinceps illorum proterviam & licentiam publice tum conſtitutum fuit: Ut omnibus omnino contuberniis conventiones, conventicula, coitiones, & publicæ perpotationes interdicerentur: Ut illorum arma publice in prætorio cuſtodirentur: Ut ſingulis contuberniis ex Senatu Inſpectores deſignarentur, ſine quorum ſcitu, conſenſu & præſentia contubernalibus coire & de rebus ſuis tractare jus faſque non eſſet, neve absque illorum auctoritate quidquam in quolibet corpore ſciſceretur vel inſtitueretur: Utque ſingulis annis ſtato die Seniores Contuberniorum jusjurandum Senatui præſtarent de fide Magiſtratui ſervanda, de obedientia præſtanda, & conſpirationibus omnibus abſtinendis. Transactum de ſeditione.

Conventus deinceps habitus fuit inter Poloniæ Regem & Cruciferos apud Velunam Samogitiæ, ubi cum multa utrinque diſceptarentur tum de finibus provinciarum, tum de damnis utrinque illatis, ſed nihil conſtitui poſſet, re infecta diſceſſum fuit, induciæ in diem longiorem prorogatæ. An. 1418.

Eodem anno Livoniam pro Magiſtro gubernare cœpit Sivardus Lander de Spanheim, qui quoad rei præfuit, per continuum decennium aſſiduo bellorum motu cum Litvanis fuit conflictatus.

Scripſerant ſuperioribus annis aliquoties civitates maritimæ, quæ in fœdere ſunt, ad Pruſſiæ Magiſtratum, de abrogando portorio librali, quod vulgo Pfundzoll nuncupabant, quodque Cruciferi civitatum exemplo exigebant, ſed neque in rem civitatum vertebant, neque modum aut finem ullum ſtatuebant. Et reſponderat quidem Magiſter, majores ſuos a multis jam annis vectigal iſtud pro uſu provinciarum ſuarum percepiſſe, atque hoc jus una cum ſummo Magiſtratu ad ſeſe quaſi per manum deveniſſe, ac per ſucceſſionem ſibi traditum eſſe. Itaque nullam ſe cauſam videre, cur jus a majoribus acceptum, tot annis continuis poſſeſſum ac uſurpatum, vel ipſemet æque majorum exemplo in ſuis utique ditionibus non uſurparet, vel ſucceſſoribus ſuis deterius faceret. Hæ literæ cum civitatibus minime ſatisfeciſſent, Actiones de Portorio Pfundzoll.

ciſſent, rurſus ex conventu Lubecenſi in hanc ſententiam reſcripſerant: Vehementer (inquiunt) mirum nobis videtur, te jus percipiendi vectigalis illius ad majores tuos referre, atque ideo quaſi perpetuum onus civitatibus fœderatis & earum mercatoribus obtrudere. Quod quam injuſte facias ex hac ratione ſaltem edoctum te exiſtimamus, quoniam fœderatæ civitates, inter quas ſunt etiam aliquæ Ordinis tui imperio ſubjectæ, ex communi primum decreto exactionem eam inſtituerunt, ſumptuum comparandorum cauſa ad piratas mari pellendos. Itaque non hoc jus eſt majorum tuorum, ſed noſtrum, ex noſtris nummis inſtitutum, non quidem in rem veſtram, ſed in uſus civitatum & mercatorum, qui navigationes ſuo exercent periculo, publice collatum. Sane neque tu neque majores tui jus percipiendæ ejus exactionis unquam habuiſtis. Verum civitatibus Prutenicis, quæ in fœdere ſunt, jam dudum hoc incumbebat, ut ipſæ bona fide vectigal iſtud exigerent, & ejus proventionem in publicas civitatum rationes inferrent. Quod quo minus præſtarent, vi potius tua & majorum tuorum, quam ullo juris colore ſunt hactenus impeditæ. Proinde quod vos hactenus ex alieno non ex veſtro percepiſtis, & contra voluntatem & inſtitutum animi noſtri perperam uſurpaſtis, haud æquum eſt tam inani juris ſpecie, nullo legitimo titulo majorum veſtrorum defendi. Neque profecto unquam fuit exactionis ejus ratio, ut perpetua eſſet, ut tu interpretari videris, vel de manu in manum tranſiret, ſed in tantum temporis, per intervalla conſtitutum, quoad arbitrio noſtro abrogaretur. Quinimo quam vos jure poſſeſſionem vel uſurpationem allegabitis, quæ non ſingulis ferme annis, quibus ab exactione iſthac nos abſtinebamus, per literas, legatos & publicas denunciationes noſtras non ſæpiſſime fuerit interpellata? Nunc cum eam exactionem civitates cæteræ decreto publico jam pridem abrogarint, ſolæ vero Prutenicæ tuo imperio adigantur, quo minus & ipſæ communi placito ſatisfaciant, ideo iterum ac iterum te adhortamur, ut eandem exemplo noſtro penitus abroges, ac civitatibus tuis permittas, ut omne acceptum in rationes quam primum inferant. Niſi id factum fuerit, neceſſitas ipſa rationes nobis ſuppeditabit, quibus damnorum noſtrorum compenſationem a civitatibus tuis repetamus, quicquid tandem tu cum proceribus tuis ſtatuendum exiſtimaveris.

An. 1421. Legatio fœderatarum civitatum in Pruſſiam.

Cum pluribus inſuper eadem de re varie ſed fruſtra diſceptatum fuiſſet, tandem anno ſupra milleſimum quadringenteſimum viceſimo primo circa feſtum Divi Ioannis Baptiſtæ, Legati publico civitatum nomine, Gedanum veniunt, qui eadem de re accuratius cum Cruciferis tractarent. Ji Legati a Gedanenſibus Mariæburgum perducti, accerſitis etiam Torunenſibus, Elbingenſibus & Regiomontanis, & prandio honorifice excepti, ubi deinde poteſtas dicendi facta eſt, denuo repetunt, quod jam ſæpius de iſthoc portorio ſcriptum actumque fuiſſet, additis rationibus, cur hoc neque liceret Cruciferis, nec civitatibus amplius tolerandum eſſet. Finis orationis & poſtulationis fuit, ut Magiſter eam exactionem exemplo cæterarum civitatum penitus abrogaret, ac de acceptis rationem civitatibus redderet. Rogati deinde Legati, ſi quid aliud præterea in commiſſis

miſſis haberent, ut mandata ſimul & ſemel exponerent, quo ſimul & expeditius ad totam legationem poſſet reſponderi. Illi contra: cætera quæ in mandatis haberent, ejus eſſe generis, ut prius explicari non poſſint, quam ad propoſitum caput reſponſum accepiſſent. Poſtridie igitur re cum Cruciferorum primoribus deliberata, reſpondet Magiſter: Nulla ſe ratione adduci poſſe ad abrogandum vectigal iſtud, quod ipſemet non conſtituiſſet, ſed quod a majoribus uſurpatum in manus traditum accepiſſet. Quartum ſe jam eſſe Magiſtrum, qui vectigal iſtud in uſus ſuos exegerit. Et ſane Principem ſe liberum eſſe, qui in provinciis ſuis libere, quod ex re ſua ſit, conſtituere poſſit, nedum a majoribus conſtitutum proſequi & manutenere: Petens, ut ne civitates jus ſibi ſuum inviderent, ſed amice potius conſentirent, ut vectigal illud æque in poſterum, ut antea percipere ſibi in ſuo liceret; eo præſertim attento, quantos ſumptus brevi fecerit, tam in bella neceſſario a ſe repellenda, quam in ſecuritatem mercatoribus terra marique præſtandam. Illud vel Lubecenſibus ſaltem ad animum revocare nitebatur, illorum opera & ſubſidiis hunc Ordinem ſuum Ptolomaide quondam incrementum ſumpſiſſe, itaque non æquum eſſe, ut ipſi tanquam primi benefactores nunc demum Ordinem oppugnatum vel fortunis exutum venirent. Ad ea referunt Internuncii: Exoletas eſſe has rationes, quibus Magiſter conaretur jus aliquod ſuum in exactione vectigalis iſtius adſtruere. Sæpe jam hoc demonſtratum eſſe, nec Magiſtrum hunc, nec anteceſſores jus ullum habuiſſe, exactionem eam ad civitatum arbitrium pro communi commodo inſtitutam in privatos ſuos proventus uſurpandi. Statueret ille ſane in provinciis ſuis libere quod vellet, hoc enim ſe non impedire, ſed absque aliorum, in quos imperium non haberet, præjudicio & detrimento. Meminiſſet qua amicitia, qua opera, labore & ſumptu civitates, bona & fortunas Ordinis & ſubditorum in Angliæ & Daniæ regno defendiſſent, hanc viciſſim operam daret, ut amicas porro civitates habere malit, quam tam enormiter offendere. Itaque rem accuratius conſideraret, & alio ſe reſponſo dimitteret, quod magis ex re civitatum ſit, hoc enim quod ab ipſo dictum ſit, ſibi pro reſponſo ad ſuos referre nequaquam eſſe integrum. Tum Magiſter: equidem (inquit) adeo civitatum amicitiam cupio, ut quemcunque Principem potius quam ipſas offendere velim. Veruntamen neque unquam hanc ob rem tam acriter & ſerio mecum aut cum Anteceſſoribus actum nemini, neque ſane exiſtimaſſem, hac exactione civitates tantopere lædi potuiſſe. Itaque quid facto potiſſimum opus ſit, denuo mihi cum conſiliariis meis conſultandum eſt. Re diutius deliberata, Mareſcallum deinde ad Legatos mittit, qui denuo rationes oſtendit, quibus impeditus Magiſter nunc in continenti exactionem abrogare nequiret, & poſtulat, ut ad tempus ſaltem paucorum annorum liceret Magiſtro pro publica provinciarum ſuarum neceſſitate vectigal iſtud percipere. Hoc Legati nequaquam admittere velle, ſed quoniam omnis actio inanis videretur, petere ſibi ſecuritatem ex Pruſſia præſtari, qua ad ſuos redire poſſent. Civitates deinceps rationes publice inituras, quibus hujus generis onera, contra jus ac fas mercatoribus impoſita a ſe removerent. Pruſſienſium autem civitatum

Internuncii, qui aderant, minime hoc e re futurum exiſtimantes, mè-dios ſeſe interponere, & cum Legatos rogare, ne rem prorſus infectam relinquerent, tum Magiſtrum etiam atque etiam obteſtari, daret operam, ut magis amico reſponſo Legati dimitterentur: alioquin futurum, ut omnis omnium civitatum offenſio in ſubditos ſuos eſſet tandem eruptura. Actum fuit per complures dies continuos, ſi quod medium inveniri poſſet, quo & Legatis in præſenti ſatisfieret, & Magiſtro ſpatium nonnihil interim colligendi daretur. Verum cum Legati nihil remitterent, ſed præfracte poſtularent, & vectigal abrogari & rationes inferri, & ſi in poſterum civitates exactionem eam pro ſuis uſibus denuo decernerent, ne Magiſter ſeſe immiſceret, neve idem jus extra ordinem uſurparet: tandem eo deventum eſt, ut Magiſter hanc conditionem ferret, ſe vectigal iſtud ad civitatum poſtulationem abrogaturum, ea lege, ne rationum reddendarum ſibi neceſſitas imponeretur, ſed hactenus accepta libere ſibi retineret. Gravis hæc etiam Legatis conditio viſa, ſed quia rem imperfectam relinquere nolebant, hoc demum poſtulabant, ut Magiſter vectigal abrogaret, & ſi in poſterum a civitatibus illud denuo conſtitueretur, nec ipſe nec Ordo ejus ſeſe immiſceret: Ad rationes accepti quod attinet, Magiſtri ipſius arbitrio committebant, quid ex æquo & bono civitatibus tribueret. Utrumque recepit Magiſter, & vectigal ſe abrogaturum, & nunquam deinceps uſurpaturum. De acceptis autem ait nihil in præſenti ſe poſſe polliceri. Poſtulabant deinde Internuncii, ut conſenſu Magiſtri liceret Pruſſis & Livonibus, qui in fœdere ſint, una cum cæteris fœderatis in communi conſilio conſtituere & decernere, quæ pro uſu civitatum & commodo rei maritimæ, mercatorum & commerciorum eſſe viderentur, neve Magiſter contradiceret, vel in provinciis ſuis eorum executionem prohiberet vel impediret. Ad hoc Magiſter reſpondit, ſe facile paſſurum & conſenſurum ea ſtatui atque decerni, quæ in rem civitatum & negotiationum, & navigationis, & mercatorum eſſent, modo ne ſuam & Ordinis ſui auctoritatem afficerent. Sic Legati dimiſſi.

An. 1422. Magiſter abdicatus.

Anno ſequenti circa Liberalia Michael Sternbergius Magiſtratu ſe abdicavit (quanquam nonnulli ſcribant, eum hoc prætextu abdicationis ſpontaneæ, loco fuiſſe motum) & conſtructo Gedani in ſuburbanis hortis amœno ædificio reliquum vitæ tempus, quod biennium fuit, quieti & otio dedit, cum eſſet grandis jam ætatis, & bellorum motibus, qui imminere videbantur, ſe ſuffecturum deſperaſſet. In ejus locum ſubſtituitur viceſimus ſextus in ordine Magiſtrorum Paulus Bellitzer de Rusdorf, antea præfectus Chriſtburgenſis, anno Sigismundi Imperatoris duodecimo, Vladislai Jagellonis triceſimo ſeptimo, Erici Daniæ Sweciæque Regis, qui Margaretæ Reginæ pro adoptivo filio ſucceſſerat, duodecimo. Vir fuit pietate inſignis, & modeſtiæ omnibus probatæ, cui nihil prius aut antiquius eſſet, quam provinciam ſuam pacifice gubernare. Verum partim vicinorum inſolentia, partim Cruciferorum pertinacia, qui ſine bello bene vivere non poterant, voti non usquequaque compos fuit, quin coactus quandoque ad arma pertraheretur. Hoc loco

XXVI. Paulus Bellitzer de Rusdorf.

loco nihil perturbet lectorem, quod non ſolum in vulgatis chronicis, ſed etiam a Funccio, hic Magiſter ante triennium deſignatus ſcribatur, quibus nequaquam hic fides habenda eſt, cum Acta publica diſerte exprimant, hunc Paulum hoc demum anno Dominica Reminiſcere Magiſtrum eſſe renunciatum.

Initio ejus regiminis Poloniæ Rex ingenti exercitu e Polonis, Litvanis & Ruſſis collecto agrum Culmenſem ingreſſus, omnia longe lateque devaſtavit, magnamque ſtragem utriusque ſexus hominum edidit. Cruciferi cum non auderent rem certamini committere, propter militum ſuorum paucitatem, (erant autem in exercitu Regio circiter centum millia equitum & peditum) arces & civitates quæ hoſtibus expoſitæ erant, præſidiis muniebant, & intra munitiones ſe continebant. Rex cum nusquam pugnandi fieret copia, Culmam, provinciæ caput, recta petit, & cum omni exercitu circumſidet. Interim Magiſter alia via in Poloniam circiter octo millia militum immittit. qui non minori clade Cujaviam ac Poloni Culmenſem terram affecerunt, & quinque oppida capta una cum monaſterio Coronenſi diripuerunt. Nec tanti fecit Rex cladem illam, ut ne latum quidem unguem a cœpta obſidione recederet, nec deſiit omnia experiri & tentare, donec tandem civitatem eam expugnavit ac diripuit, præſidiariis omnibus cæſis, templum dirutum in munitionem convertit, unde hoſtes ſi forte recuperaturi oppidum, proprius accederent, tormentis abigerentur. Magiſter hoc animadverſo revocatis iis, qui in Poloniam excurrerant, & cæteris copiis quanto celeriter poterat conquiſitis, Regem nihil tale ſperantem cum exercitu ſuo in ipſa civitate Culmenſi circumſidet. Variis excurſionibus & levibus præliis primum certatum eſt, ſed mox Cruciferi undiquaque munitiones erexerunt, ut Regio exercitui pene omnis exitus præcluderetur, caſtra vero ſic vallo & foſſis communiverunt, ut totius etiam exercitus impetum facile ſuſtinerent. Unde evenit, quod evenire neceſſum erat, ut in tanta multitudine unum in locum concluſa, quo nihil importari tuto poterat, commeatus deficeret. Quippe difficile omnino erat obſeſſis pabulatum ſeu prædatum exire, & ipſimet omnem agrum circumjacentem longe lateque devaſtaverant. Interim in Pruſſiam cum auxiliaribus copiis adveniunt Theodoricus Archiepiſcopus Colonienſis, & Ludovicus Comes Palatinus Rheni, qui hoc rerum ſtatu comperto, facile perpulerunt Regem, ut ipſis intercedentibus pax cum Cruciferis conficeretur. Inter cætera in conditionibus fuit, ut Cruciferi duas arces Nieſſoviam & Draveburgum Regi concederent, & de cætero neutri alterius ditiones infeſtarent. Scribunt nonnulli, inter quos Crantzius, ante adventum auxiliariorum Cruciferos a Rege coactos iniquam admodum pacem ſuſcepiſſe, quæ horum interventu mitigata & ad majorem æquitatis rationem revocata fuerit. Sed quo pacto obſidentes ab obſeſſis, rerum copia ad obſidionem inſtructi a commeatu laborantibus cogi potuerint, equidem non intelligo. Nam quod Cromerus hoc bellum tot inſignibus Polonorum victoriis, tot Cruciferorum cladibus, tot urbium & arcium expugnationibus nobilitat, de quibus apud cæteros etiam Polonicos ſcriptores

Rex in Pruſſiam movet.

Rex Culmæ obſidetur.

res altum eſt ſilentium, hoc ipſum (quod cum ejus pace dixerim) animi popularis affectionem, uti ſæpe alias aperte prodit, ita hic etiam nonnihil detegit.

An. 1423. Bruma. Anno proxime ſequenti gelidiſſima bruma fuit, ante hac vix usquam fando audita, quæ usque adeo mare Balticum conſtrinxit, ut equites ex Pruſſia mare tranſirent Lubecam usque, quod ſecundum littora mare congelatum iter quaſi terreſtre præberet ambulantibus.

1424. Incendia. Sed eo qui ſequitur anno Gedanenſis civitas inſignem ab incendiis cladem paſſa fuit, & non uno in loco nec eodem tempore. Nam ipſa die Dominica, quam Miſericordias Domini vocant, granaria fortuito incendio correpta ac funditus exuſta ſunt. Deinde die Petri & Pauli magna pars domorum circa Motlam fluvium, eo loco, quem vulgo Laſtadiam vocant, cum toto pene ſuburbio, & in eo templum Divorum Petri & Pauli concrematum. Menſe Octobri poſt platea bajulorum & inde continuæ domus usque ad Geranion, & eodem tempore officina lateraria ad Rodanum poſita incendio perierunt. Meminit horum incendiorum Crantzius in Wandaliæ libro XI. cap. 2. & affirmat, quod tum tribus uno tempore locis ſatis diſtantibus (quod prodigii loco habitum eſt) exorta fuerint incendia, quæ nulla vi reſtingui potuerint: Gedani in Pruſſia, Anclami in Wandalia, & Duderſtati in Saxonia. Ferunt (ait) quod diximus, nulla vi aquæ, nulla denique ſubverſione domorum ſuccurri potuiſſe, donec a fundamentis omnia conſumerentur, quæ illud incendium attigerat.

Magiſter evocatus ad tribunal divinum. Addit ibidem Crantzius, rem tum quoque novam & inſigni multorum fama diffuſam, in Livonia & quidem in urbe Rigenſi contigiſſe. Magiſter (inquit) fratrum Ordinis Teutonicorum cum vellet nuptias conferere inter juvenem profeſſione mercatorem, & mulierem quandam, quam idem Magiſter non odiſſet, refragareturque juvenis, quod dubiæ videretur pudicitiæ: quæ contemptum ſuum protulit ad vindictam, ut olim Ægyptii uxor in Joſephum, Paſiphae in Hippolytum, deferens juvenem Magiſtro fratrum, de furto illum impetivit. Ille juſſit publico condemnatum ſupplicio, necari juvenem ſuſpendio. Iam moriturus juvenis, quoniam, inquit, in mundo injuſte condemnatus morior, ad juſtum judicem voco Magiſtrum in diem tertium decimum mihi de juſtitia reſponſurum, ut ibi verum inter me ac ſe experiatur judicium. Moritur juvenis. Magiſter auditam evocationem contempſit, vixitque lætus, diſcutiens melancholiam. Venit dies conſtituta, & ecce ſubita ægritudine corripitur. Certus quod moreretur, adſtantibus dixit, en morior, videó qui me evocavit aſtantem. Quo dicto obmutuit, & paulo poſt vivendi finem fecit. Hæc ille. Cæterum annales Magiſtrorum Livoniæ cum hoc annorum numero, quem Crantzius digerit, non conveniunt. Nam Magiſter tum temporis Sivardus Lander, qui anno 1418. deſignatus fuerat, poſthac quatuor annos vixit. Niſi forte quis exiſtimaverit, alium quendam ex Livoniæ magnatibus fuiſſe, quem pro Magiſtro Crantzius acceperit.

Anno

Anno ſequenti die Trinitatis, Magiſter Pruſſiæ ratiariis hanc indulſit publico diplomate libertatem, ut quoties tempeſtate & vi ventorum in fluvio Viſtula vel lacu Haab Pruſſico detinerentur, ac ad littus vel ripam appellere vel applicare cogerentur, jus ipſis eſſet in littore vel ripa ligna cædere & ignem nutrire per triduum, domino loci non requiſito, & quantumvis invito. Sin ulteriori die lignis opus haberent, eam in rem domino ſatisfacerent, Cruciferis ipſi pro hoc indulto, alibi operas cum ratibus & ſcaphis ſuis præſtarent. An. 1425.

Eodem anno Magiſter generalis cum Commandatoribus ſuis & Ordinibus Pruſſiæ, in publico conventu renovavit & ratam eſſe juſſit jurisdictionem maritimarum Pruſſiæ civitatum, quam jam dudum a majoribus acceperant, & uſurpaverant, ut ſcilicet illis jus eſſet etiam deinceps omnes controverſias maritimas & ad jus maritimum pertinentes, inter nautas, exercitores, familiam nauticam, mercatores, extraneos & domeſticos, ſuo Marte absque provocatione definiendi ac decernendi.

Conſtitutum itidem fuit Magiſtri & Ordinum civitatumque unanimi conſenſu, quod ſimiliter antea publice conſtitutum fuerat, ne qui per Pruſſiam eſſent propolæ, neve ejus generis homines ei ſtudio merces vel pecuniam impenderent, qui ſecus feciſſet, mercibus & pecunia mulctaretur: Utque ſingulæ civitates ejus rei judicandæ & exequendæ in cives & incolas, ſi qui mulctam commiſiſſent, absque provocatione poteſtatem haberent..

In eodem conventu Angli, qui Gedani converſabantur, coram Magiſtro & Pruſſiæ terrarum Ordinibus Senatum Gedanenſem incuſabant, quod cum ipſi in plebiſcita Gedanenſium commiſiſſent, & civium libertate uſurpata cum extraneis commercia feciſſent, ex plebiſcitorum præſcripto Senatus ipſos mulctaſſet, in quos jus mulctæ nullum haberet. Qua in re haud mediocrem ſibi injuriam fieri querebantur, eo quod in Anglia Gedanenſes idem jus haberent, quod Angli cives & indigenæ, & ideo ſimili jure Anglos in Pruſſia cenſeri debere autumabant. Gedanenſes contra diſſerebant, Anglos in Pruſſia non poſſe alio jure uti, quam cæteri extranei uterentur, quamque ipſi cum cæteris antiquitus uſi fuiſſent. Neque appoſite in exemplum huc adduci, quo jure Gedanenſes in Anglia fruantur. Civitatibus enim ſociis Anſæ Teutonicæ certas & expreſſas quasdam libertates & immunitates in Anglia competere, peculiari titulo & gravibus impenſis comparatas, & ſolennibus Regum diplomatibus communitas. Quorum nihil Angli a civitatibus ſe comparaſſe docere poſſint. Re multis ultro citroque verbis commutata decretum eſt tandem: Anglos in Pruſſia non alio jure uti debere, quam quo cæteri extranei uterentur. Et hoc ipſum publicum decretum Anglis importune rurſum urgentibus non ſemel poſtea reſponſi loco datum fuit & repetitum.

Anno ſubſequenti tradit iterum Crantzius, tantum gelu fuiſſe per brumam & tam incomparabile ac inauditum, ut equites a Gedano 1426.

Pruſſiæ in Lubecam per viam navigantium tranſirent incolumes; Ferunt & a Magnopoli in Daniam glacie tum ſtratum ſtetiſſe mare. Cujus rei, quia in Pruſſicis annalibus nihil reperio, penes auctorem fides eſto. An. 1427. Anno deinceps 1427. circa feſtum Paſchatos ad Pruſſiæ Magiſtrum Paulum Legati venerunt a fœderatis civitatibus maritimis, qui exponerent varias & graves injurias, violentias ac damna, quæ per Ericum Daniæ Regem jam a multis annis contra jus fasque, contra datam fidem & literas publice celebratas ac ſancitas, civibus ſuis, mercatoribus & nautis Hanſeaticis inferrentur, quibus civitates tandem compulſæ, cum nec modum facerét, nec quidquam æqui vel boni impetrari pateretur, bellum ipſi indixiſſent. Itaque petebant, ut Magiſter ipſis opem & ſuppetias ferret, civitatibus autem Pruſſicis, quæ in fœdere eſſent, poteſtatem faceret bellum pro re communi ſuſceptum cum cæteris adverſus Danum gerendi & expediendi, juxta quod ex fœdere tenentur. Magiſter re cum civitatibus ſuis deliberata reſpondit, agnoſcere ſe civitates tot injuriis provocatas juſtam habere cauſam indemnitati ſuæ quoquo modo proſpiciendi: ſed & ab ipſo Daniæ Rege nuncios ad ſe miſſos fuiſſe ſui purgandi cauſa, qui præ ſe tulerint, Regem non alienum a pacificis conſiliis animum concepiſſe, ſi modo civitates etiam partibus ſuis deeſſe non vellent. Porro cum omnia potius conſilio quam armis expediri conveniat, oſtendit ſe in communem utriusque partis rem Legatos in Daniam miſſurum, & quantum in ſe ſit operam daturum, ut res alia quavis ratione, civitatibus non iniqua, quam bello controverſia omnis utrinque componeretur. Sin autem animadverterit, per Regem ſtare, quo minus æquis conditionibus tranſigatur, de cætero ſe nec civitatibus defuturum, nec ſubditorum injurias neglecturum. Cum Legati ſibi probari Magiſtri conſilium oſtenderent, miſſus eſt in Daniam ſupremus Pruſſiæ Mareſcallus cum duobus Conſulibus, uno Culmenſi, altero Gedanenſi, qui cum Rege Magiſtri nomine agerent. Interim ut navigatio per fretum Danicum libera eſſet Gedani ſex naves milite & armis inſtruuntur, quæ onerarias & frumentarias verſus Belgicum navigaturas comitarentur.

Legati fœderatarum civitatum.

Viſtulæ ruptura.

Eodem anno menſe Aprili Viſtula vi aquarum hyemalium aucta, perruptis aggeribus inſulam minorem, quam vocant, & omnem agrum, qui ab urbe Gedanenſi ad ripas fluminis protenditur, illuvie ſua vaſtavit, dirutis & ſublatis villis ac pagis, cum magna ſtrage pecudum & hominum, qui fluvii impetum effugere non potuerunt. Vulgo creditum fuit, Inſulæ colonos haud magno negotio eam eruptionem præcavere potuiſſe, ſed odio Cruciferorum jam tum avare nimis imperitantium, quod angariis cotidianis divexarentur, maluiſſe omnem ſubſtantiam amittere, quam majorem partem dominis impotentibus & avaris ſuo labore & periculo conſervare. Æſtas quæ ſecuta eſt, tam ſicca & torrida fuit, ut a feſto Paſchatos usque in medium menſem Auguſtum nulla pene pluvia deciderit. Hyems autem plane remiſſa, & pluviis aſſiduis humida, ſic ut circa diem Divi Nicolai arbores pleræque florem emitterent. Hinc calamitas ſubſecuta eſt toti Pruſſiæ funeſta & luctuoſa. Peſte enim undique

Peſtis.

dique graſſante intra paucas hebdomades centum octoginta tres equites Ordinis, tres Epiſcopi, quingenti ſexaginta Canonici & Sacerdotes, civium circiter triginta octo millia, ſervorum & paganorum ultra viginti quinque millia, impuberum circiter octodecim millia iis non adnumeratis, qui paſſim in agris & villis nemine animadvertente moriebantur. Qua quidem peſtilentiæ calamitate plurimi agri plurimæque villæ ab humano cultu derelictæ & deſolatæ fuerunt. Unde effectum, ut anno inſequenti maxima annonæ penuria fuerit laboratum, ſic ut tum Gedani unum onus frumenti itidem ut ſalis, centum viginti marcis emptum fuerit, res eo ſeculo plane inſolens & inaudita.

Legati quos Magiſter in Daniam miſerat, re infecta redibant, quod Daniæ Rex nihil æqui a ſe impetrari patiebatur, itaque bellum ſumma vi apparari cœptum. In fœdere cum civitatibus erant Heinricus, Adolphus & Gerardus Duces Holſatiæ & Sleswici, copiæ erant terra marique conductæ. Eadem igitur æſtate in Daniam irrumpunt, eamque paſſim per inſulas depopulati magnas prædas pecorum præſertim & jumentorum abigunt. Inde placuit, ut Flensburgum conjunctis viribus obſiderent, civitates mari, Principes terra. Duravit iſthæc obſidio usque ad Vigiliam Aſcenſionis dominicæ. Tum demum Hamburgenſium milites & nautæ plus æquo poti contra edictum ignem in oppidum ejaculati ſunt, & ad oppugnationem ſeſe comparaunt. Dux autem Heinricus, qui terra obſidebat, cupiens & ipſe laudem Hamburgenſibus præripere, continuo copias ſuas admovet, ipſe inter primos ſcalam munitioni extremæ admotam conſcendit, ſpeculaturus qua ex parte expugnatio eſſet facilior. Ibi per ſeptorum interſtitia haſta longiori a Dano quodam transfixus paulo poſt moritur. Utrinque vero terra marique copiæ ab hoſtibus ſtrenue rejiciuntur, magna illata clade, ſic ut per eam æſtatem nihil amplius milites auſi fuerint. Nec diu poſt reclamantibus Holſatis & oppugnationem continuari ſuadentibus, Lubecenſes primum, & eorum exemplum ſecuti etiam cæteri, ſoluta obſidione domum reverterunt. Qui Hamburgenſium claſſi præerat, & rem improſpere tentaverat, Ioannes Kletze, vir conſularis ordinis, publice gladio cæſus fuit.

Bellum Danicum.

Inſequenti vere civitates denuo claſſem inſtructam emittunt. Conventum fuerat inter omnes, ut in certum locum convenirent, nec quisquam aliquid tentaret, donec ex Pruſſia ſociæ naves, cum quibus multæ erant onerariæ mercibus refertæ, appuliſſent. Primi ad locum condictum præſto fuerunt Lubecenſes & Hamburgenſes. Rex Ericus, qui omnia fœderatorum conſilia per proditionem compererat, decrevit eos opprimere priusquam cæteri ſupervenirent. Itaque Dani cum ingenti claſſe emiſſi, illos ad pugnam ſollicitant. Illi vero mandatorum memores, cum loco oportuno conſtitiſſent, unde inviti ad pugnam cogi non poterant, primum ſe loco non movere, deinde Danos incautius & audacius incurrentes fortiter repellere, tandem cum animi creſcerent, hoſtem contemnere, & ultro laceſſere cœperunt. Et quia Dani claſſem diviſerant, ipſi quoque per partes eos adoriuntur. Sic duplex acies inſtructa,

An. 1428. Prælium navale.

ſtructa, & duplex prælium fuit, diſpari tamen eventu. Lubecenſes ex ſua parte victores, multis Danorum cæſis, nonnullis captis, navibus hoſtium ſecum abductis, re ex ſententia bene geſta in pacatum abierunt, nec quæ Hamburgenſium fortuna eſſet curare viſi ſunt. Ii Danis viribus inferiores, & magna ſtrage conciſi, & claſſem & militem ferme omnem amiſerunt. Verſa res fuit in Lubecenſium invidiam, quod ſocios prodidiſſent, qui ad excuſationem facti prætendebant, ſe propter loca vadoſa, intra quæ Hamburgenſes a Danis compulſi fuerant, adnavigare non potuiſſe. Utut ſit, conſtat præfectum claſſis Lubecenſis deinde in vinculis & cuſtodia habitum, quamdiu ſupervixit. Hamburgenſibus ita profligatis præter expectationem naves ex Pruſſia ſupervenerunt, qui plus mercium quam militum ſecum vehebant. Dani jam ſua claſſe conjuncta, & Hamburgenſium navibus ac tormentis aucti longe viribus erant ſuperiores, itaque ſpe ſua jam victores ferociter in Pruſſos invehuntur, qui primum obſtinate reſiſtentes ultra mille Danos interfecerunt, ſed paulo poſt multitudine hoſtium repulſi in fugam conjiciuntur. Dani onerarias maxime naves perſecuti magnam vim mercium cum eis ceperunt ac diripuerunt. Ea fuit occaſio, ut maxima militarium navium pars ſecurius elaberetur. Rex Ericus quanquam duplicem uno die victoriam de civitatibus adeptus, non ideo tamen rem confectam videns, nec civitates quieturas ab hac jactura exiſtimans, decrevit illas inteſtinis diſcordiis committere, & hac faciliori via a ſe avertere. Miſſis itaque clam literis ad communitates, plebem & contubernia, quæ per ſubornatos homines paſſim ſpargebantur, graviter accuſat ordinem conſularem, quod adverſus fœdera & libertates in Regno ſuo abunde ipſis conceſſas, quæ magno urbibus eſſent incremento & profectui, bellum ſibi contra jus fasque minime neceſſarium moverent, quo maxime cives premerentur, & a profectu negotiorum & commerciorum revocarentur, impenſis etiam & contributionibus diverarentur. Monet, ut civitatum ſaluti non minus quam propriis commodis proſpiciant, & gubernatores ſuos a belli conſiliis avertant, ac ad leges pacis amplectendas & fœdera implenda compellant. Ni fecerint, cogitaturum ſe, qua ratione invitatis aliarum nationum mercatoribus, civitates Wandalicas regno ſuo & omnibus commoditatibus, quibus hactenus perfruitæ fuiſſent, penitus excluderet. Harum literarum occaſione Wismarienſes cives primum tumultuari cœperunt, ſic ut Legatos conſulares, qui pridem miſſi fuerant ad Regem, proditionis inſimularent, quaſi non ex fide rem cum eo pertractaſſent. Mox ſexaginta viri, qui in civitate ſummum imperium arripuerunt, Ioannem Bantzkow Conſulem, qui furentium jam pene manus evaſerat, & Heinricum de Haren Senatorem comprehendunt, & ſceleratorum vinculis & carcere incluſos infamant velut proditores urbis, inde productos in forum publico condemnant judicio. Non profuit viris bonis, quod ex ſententia Senatus, & vicinarum urbium conſilio omnia dicerentur egiſſe, publico ſunt cæſi gladio. Sed poſtea Conſulis filius ita patris indignam cædem executus eſt, ut non ſolum interfectorum hæredibus eo nomine ſatisfaciendum eſſet, verum etiam in memoriam tam atrocis facinoris monumentum lapidis in foro & loco cædis erigendum, qui lapis etiam hodie viſitur. Ro-

Literæ ſeditionum conciliatrices.

Wismarienſes.

Roſtochienſes cum ſimiles a Rege literas accepiſſent, nec haberent eo nomine quod ſuo Senatui opponerent, occaſione tamen literarum erigentes in Senatum cornua, rebus innovandis ſtuduerunt, ſexaginta viris evectis, qui de publica utilitate agerent cum Senatu. Quorum ea fuit opera, ut antiquum urbis ſtatum repeterent, civium libertates bene multas jam reſtrictas in integrum reſtitui flagitarent, demum ſexaginta capita ſcripto conſignata Senatui obtruderent, volentes ea in reliquum pro legibus in urbe obſervari, & Senatus auctoritate promulgari, ut vim legis haberent. Conſules & Senatores rem primum variis deliberationibus de die in diem protrahere, deinde alius poſt alium civitate excedere. Cives quod illorum diſceſſu ſibi illuſum exiſtimarent, Conſules abſentes per viatorem citant, non comparentes tanquam Reipublicæ & communis utilitatis deſertores proſcribunt. Hamburgenſes & ipſi ſe commoverunt, & ſexaginta virorum gubernationem inſtaurarunt, quorum prima fuit opera, ut Joannem Kletzen (quem, ut diximus, in oppugnatione Flensburgi copiarum ſuarum habuerant ducem) quod per indulgentiam minus ſuos in quiete & caſtris continuiſſet, præbuiſſeque diceretur occaſionem ad Ducis Holſati necem, productum in judicio capitali ferirent ſententia. Ferunt tamen illi non tam fuiſſe cauſam mortis, quæ prætendebatur, quam libertatem linguæ, quod in Senatum abuſus ea diceretur, mendacii inſimulans publicum conſilium. Quæ res effecit, ut minus opponerent ſe patres populo in ejus necem conſpiranti. In civitate vero Sundenſi res atrociore loco erant. Nam ex literis Regiis eo audaciæ quidam proceſſerant, ut cruentum inirent conſilium opprimendi ac trucidandi conſulatus. Emerſit utcunque crudele inſtitutum, captique ſunt viri ſex. Coctores erant cereviſiæ, qui ſibi inconceſſa licere volebant, in quibus Senatus illis ſalvo civitatis jure gratificari non poterat. Hinc tam atrox conſilium ab ipſis initum, cum ſperarent multitudinem plebis alioquin rerum novarum cupidam facile in partes ſuas tranſituram, quippe quæ Regiis literis ad tale quidpiam invitaretur. Capti & in quæſtionem poſiti omnem factionis ordinem edixere. Nec tamen in plures animadverſum fuit, ſed eo rerum ſtatu in eo facinore, quod ad plures pertinebat, ſatius viſum paucorum ſupplicio cæteros exempli metu in officio continere.

Roſtochienſes.

Hamburgenſes.

Sundenſes.

Cum hic ſtatus eſſet rerum inteſtinarum, interim non deſtiterunt cives ea ipſa æſtate bellum cum Rege reſtaurare. Armata eſt claſſis ducentarum ſexaginta navium, generalis Capitaneus conſtitutus Gerardus Comes Sleſwicenſis, qui prætoriam navim Holſatis militibus implevit. Claſſis educta per inſulas Daniæ bellum circumtulit, & prædas egit, ſed hoſtem nusquam habuit obvium. Nolebat enim Rex cum claſſe tam numeroſa, in qua propugnatorum erant duodecim millia, rem universam in diſcrimen committere: ſed portu, qui mercatorum dicitur, claſſem ſuam continebat. Eo adnavigarunt civitates, & quantum poterant manu conſerta Danos oppugnarunt. Edita utrinque magna ſtrages, multique mortalium & ferro & mari perierunt. Dani oportunitate loci maxime confidebant, eoque animoſius irruentes propellebant, & immi-

Civitatum Claſſis contra Danos.

nebat

nebat illis utique extremæ defenſionis neceſſitas. Civitates propter anguſtiam loci nec claſſem ſatis idonee explicare, nec ad interiora penetrare poterant.

Dani Sundis profligati.

Itaque poſt multam & cruentam dimicationem plurimis utrinque damnis datis, ſic ut major damnorum pars penes Danos remaneret, receptui cecinerunt. Deinde conſilium initum fuit obſtruendi portus ne Danis exitus pateret, delectis ad eam rem ex claſſe navibus, quæ veterrimæ eſſent, ſed ob maris profunditatem & Danorum munitiones res incaſſum cecidit. Neque diu poſt cum civitatum claſſis abiviſſet, Dani cum ſeptuaginta quinque navibus egreſſi, & ad Sundenſem civitatem ex improviſo adnavigantes, magnum civibus terrorem intulerunt. Naves in portu deprehenſas exuſſerunt, & omnimodo ſperabant, ſe facta impreſſione urbem oppreſſuros. Sed longe res aliter evenit. Cives enim poſtquam ad arma conclamaſſent, capta murorum & portarum ſtatione, Danos egregie repulerunt. Qui cum ad naves ſuas rediiſſent, & jam vela dare vellent, vehemens ventus ſubito coortus illos in fluvium Panim detorſit. Eodem momento ex claſſe civitatum aliquot naves Lubecenſes ſuperveniunt, & ad Danorum exitium ſe expediunt. Dani hinc mari, illinc a civibus terra circumventi, miſere trucidantur, naves igni injecto concremantur, multi in fluctu & ſalo pereunt, reliqui cum paucis navibus tandem erumpentes fuga ſibi conſuluerunt. His & ſimilibus præliis ac eruptionibus bellum hoc protractum fuit, neutrius partis magno vel peculiari commodo. Interim, ut ſolet fieri, prædones mare paſſim infeſtabant, cum quibus denuo depugnandum fuit, quorum tamen latrocinia fere proprio ipſorum ſanguine reſtincta fuerunt. Sed & de pace interdum cum Rege tractabatur. Ea cum in commune coiri non poſſet, deinceps nonnulli ex ſociis, ut Roſtochienſes, Sundenſes & Hamburgenſes partim tædio diuturni belli commoti, partim inteſtinis ſeditionibus agitati, particulares pacis & induciarum conventiones cum Rege inierunt. Quæ tamen & ipſæ non omnimodo ad effectum perduci potuerunt, donec tandem bellum totum, poſtquam novem annos duraſſet, certis conditionibus, ut ſuo loco dicetur, fuerit conſopitum.

Pruſſi bello deſiſtunt.

Cæterum, ut antea dictum eſt, cum naves Pruſſiæ tam militares quam mercatoriæ a Danis fuiſſent profligatæ, & parum præſidii in urbibus Wandalicis, inteſtino tumultu paſſim laborantibus, deinceps futurum videretur, nec cæteræ civitates, quæ in fœdere erant, bello ſe immiſcerent, conſultius viſum fuit Pruſſicis civitatibus eo deinceps bello abſtinere, ne ſimul cum tantis impenſis rem quoque familiarem tueri non poſſent. Quo conſilio publice probato, Magiſter Legatos in Daniam miſit, qui cum Rege agerent in eas conditiones, quibus Pruſſis cum navibus & mercibus ſuis, juxta morem conſuetum per Daniam & adjacentia maria tuto navigandi poteſtas eſſet. Nec contradixerunt cæteræ civitates, quæ adhuc in bello perſiſtebant, ea tamen utrinque conditione, ut Pruſſi neutram partem armis aut ſubſidio juvarent, neve Regis hoſtes

hoſtes aut eorum naves ſecum per mare ducerent. Si quis ſecus feciſſet, pro hoſte haberetur.

Livoniæ Promagiſter

Eodem quem diximus anno, Livoniam pro Magiſtro gubernare cœpit Ciſius de Rutemberg, qui æque ut Anteceſſores totum regiminis ſui tempus belligerando cum Litvanis conſumpſit. Ingreſſus tandem cum magnis copiis hoſticum, ubi nemo occurreret, usque in tertium menſem populabundus ferrum flammamque circumtulit, & ab hac expeditione domum contendens, in itinere cum aliis quam plurimis dyſenteriæ morbo correptus vitam cum morte commutavit.

An. 1430. Conſtitutio Reipublicæ in Pruſſia.

Biennio poſt, cum in Pruſſia interim omnia quieta eſſent, Epiſcopi, Nobiles & civitates Pruſſiæ, habito conventu publico, Elbingæ ad Dominicam Oculi cum Magiſtro deliberationem ſuſceperunt de ſtatu Provinciæ quam optime conſtituendo. Itaque ex unanimi conſilio & auctoritate publica in haſce conſtitutiones conſenſum fuit: Ut magnum, quod vocabant, Pruſſiæ Conſilium deinceps reſtauraretur, uti olim conſtitutum fuiſſet: Ut qui juri dicundo præeſſent, ſanciendæ juſtitiæ & fugiendæ ambitionis & metus cauſa juramento aſtringerentur: Ut in eo conſilio aſſiderent cum Magiſtro ſex Commandatores, ſex Prælati, ſex Nobiles, & totidem ex civitatibus Conſulares, Viri probatæ fidei & opinionis, a Magiſtro & ordinibus provinciæ communibus ſuffragiis eligendi: Ut absque horum conſilio & conſenſu de nulla re graviori, quæ ſtatum Pruſſiæ concerneret, deliberatio inſtitueretur, ne dum quippiam ſanciretur: Ut hoc conſilium ſingulis annis ſemel ad minimum Magiſter haberet, & in eo de Republica ageret. Conſtitutum deinde, ut cuilibet inſcriptiones ſuæ & poſſeſſiones antiquæ conſervarentur, in quibus, ſi aliquod dubium emergeret, interpretatio & definitio omnis penes conſilium eſſet. Ut nullus neque nobilis, neque civis, nec quisquam alius, ſine cauſæ cognitione, vita, membris vel bonis mulctaretur: Ut niſi probante Conſilio ullas exactiones, contributiones & onera publica incolis Pruſſiæ imponere fas eſſet. Hoc ultimum tamen ita Magiſter approbavit, ut privilegiis ac immunitatibus a Pontificibus & Cæſaribus ſuo Ordini indultis nullum inde fieret præjudicium.

Vitoldi obitus.

Eodem anno Vitoldus Poloniæ Regis Vladislai Jagellonis frater patruelis inter vivos eſſe deſiit, poſtquam varia cum Cruciferis bella geſſiſſet, ac tandem etiam cum Rege & Polonis in diſſenſionem veniſſet. Erat enim vir ambitioſus & excelſi animi, ita ut ambitionis gratia cum Cæſare Sigismundo fœdera faceret, quibus illum ex imperiali auctoritate Regem Litvaniæ crearet. Eamque in rem pacta coita ſunt etiam cum Cruciferis, quorum opera magis ac magis regnum ſuum ſtabiliret. Poloni facile animadvertebant, rem eam cum exitio ſuo conjunctam fore, Litvaniam eo pacto a Poloniæ regno diſtractum, & nunquam utrinque ſtabilem pacem conciliatum iri. Itaque Vitoldi propoſitum ſumma vi impediebant, adeo, ut etiam undiquaque vias obſiderent, literas, tabellarios, & Legatos Cæſaris & Vitoldi interciperent, ut ne-

que per Poloniam neque per Pruſſiam tuto quid perferri poſſet. Tandem cum Cæſaris eximii Legati coronam & ſceptrum cum Imperiali confirmatione ferentes adventarent, & vias omnes præcluſas viderent Francofurtum ad Oderam usque, nec usquam ad Vitoldum aditus pateret, re infecta retro ſe converterunt. Ea res tantum attulit Vitoldo moerorem ac dolorem, ut paulo poſt ex nimia indignatione in gravem incideret melancholiam, ex qua paulo poſt circiter diem Divorum Simonis & Judæ apud Trocos vitam finierit, cum octogeſimum annum ætatis jam exceſſiſſet: Princeps (ut Cromerus ait) impiger & vegeto ingenio, abſtemius in omni vita, nihil præter aquam bibere ſolitus, in victu temperans, temporis perparcus, ita ut ſupra menſam judicaret, & reſponſa Legatis daret, cæterum in venerem proclivior, in externos liberalis, ſuos vero metu magis quam beneficentia in officio continere ſolitus, ſtatura fuit mediocri, gracili corpore, radere barbam & genas ſolitus, qualis apud Trocos in templo depictus videtur. Habebat autem in more, ut procuratores bonorum ſuorum rapinis ditatos excuteret, atque expilaret, rurſusque præficeret. Æneas Sylvius ſcribit: Vitoldum adeo ſubditos ſuos in officio continuiſſe, ut illi ejus mandato ſemetipſos ſuſpenderint, cum obedire quam offenſionem ejus incurrere potius ducerent, atque ſi quis dicto non audiens fuiſſet, ſtatim urſis ſe devorandum projici non neſciebat. Solitus etiam fuit, dum iter faceret, ſemper arcum intenſum cum telo impoſito geſtare, & ſi quem vidiſſet euntem, vel equitantem, & tale quid agentem, quod ipſi diſpliceret, ſtatim eum ſagitta transverberare. Multa alia crudeliter & tyrannice patravit, quæ non ſunt hujus loci prolixius enarrare.

Suitrigello Dux Litvaniæ.

Poſt obitum Vitoldi Suitrigello Regis frater, homo alioquin nihili, ebrioſus & præcipitis iracundiæ, Litvaniæ Ducatum per ambitionem & largitiones absque auctoritate Regis occupavit. Quod quidem ægerrime ferebant Poloni, Rex autem comiter agendum ratus primum conniventibus oculis perpeti, eumque ſua benevolentia ad ſanitatem reverſurum exiſtimare, ſed demum cum etiam inſolentius ille ſe gereret, & plura appeteret, quam æquum eſſet, coactus fuit Rex armis hominem ignavum perſequi. Hoc cum animadverteret Suitrigello continuo fœdus cum Cruciferis init, ea lege, ut dum Rex Suitrigellonem premeret, illi Poloniam divexarent. Quamprimum igitur Rex in Litvaniam cum exercitu progreſſus eſt, & arcem Lucenſem circumſedit, Magiſter Cruciferorum præfectos, Torunenſem & Oſterodienſem cum magnis copiis in tractum Dobrinenſem immittit, qui omnia longe lateque ferro & flamma depopulati, Ripinum etiam celeberrimum iis in locis ea tempeſtate oppidum capiunt, diripiunt, incendunt, deinde maxima præda onuſti, nemine perſequente domum revertuntur. Alia ex parte Mareſcallus Sambienſis, & alter Mareſcallus Livoniæ in Cujaviam impreſſionem faciunt, & ſimili modo graſſantur, ubi circiter quatuor & viginti oppida, & in iis Vladislavia, Inovladislavia & Nieſſevum capta, direpta & incendio exuſta. Cum autem nunciaretur in Litvania inducias inter Regem & Ducem conſtitutas, cum omni præda revertentes domum feſtinant.

An. 1431. Cruciferi Poloniam infeſtant.

nant. Et ſane absque majori difficultate & ſe & prædam in pacatum perducere poterant, ſed nimia prædarum aviditas in inſidias militem deturbavit. Non longe enim a Tucholia Poloni agmen pecorum, quæ ſalva remanſiſſent, in locum tutum coëgerant, & ipſimet magna multitudine paſſim ex terrore hoſtium convenerant, & alii cotidie hoſtem & prædam vindicaturi ſubveniebant. Hanc quoque prædam Cruciferi animo ſibi deſtinaverant, itaque nullo ordine paſſim invadunt, ſed a Polonis magna cum ſtrage repulſi funduntur ac in fugam conjiciuntur. Cæſi ex illis octingenti, inter quos Præfectus Tucholienſis, uterque Mareſcallus Sambienſis & Livonicus, & alii primores capti, paulo poſt cum aliis captivis permutantur.

Magiſter peſent ad bellum ſubſidia.

Cum hunc ad modum Cruciferi bellum non neceſſarium inceptas-ſent, neque dubium eſſet, Vladislaum Regem injurias ſubditis illatas vindicaturum, quamprimum res Litvanicas in tranquilliorem ſtatum reduxiſſet, Magiſter quoque ſumma vi ad propulſandam vim ſeſe comparare decrevit. Sed res præter expectationem longius prolata, & in alterum ferme annum dilata fuit, quod in Litvania Rex non prius expedire ſe poterat. Interim Magiſter domi conventus agit & a primoribus Ordinis, a Nobilibus & civitatibus auxilia petit ad bellum imminens tam domeſticis copiis quam conductitio milite ſuſtinendum. Proclives erant primores ad aſſentiendum poſtulatis Magiſtri, quippe quorum conſilio jam belli ſemina jacta fuiſſent; Nobilitas vero & civitates bellum iſtud non neceſſarium, ſed toti provinciæ funeſtum dicere, quod facile adhuc omitti poſſet, recentes quoque injurias facilius componi & redimi poſſe, cæteris ſalvis, quæ alioquin omnia in diſcrimen committenda eſſent. Itaque pacem eligere præſtare, quam bellorum fluctibus immergi, ſe reconciliationem cum Rege tentaturos. Si is æquas conditiones renuat, tum ſe Principi ſuo non defuturos. Surdis hæc auribus accipiebantur, nec Magiſter alio, quam belli conſilio acquieſcebat. Multi habiti fuerunt conventus de auxiliis in bellum conferendis, multa viciſſim magnifica de abrogandis gravaminibus Nobilitatis ac civium promiſſa. Tandem aſſiduis poſtulationibus defatigati Ordines, in haſce conditiones conſenſerunt, ut quoniam Cruciferi plures haberent provincias, in Germania præſertim & Livonia, ne ſoli Pruſſiæ bellum hoc incumberet, ſed ex Germania & Livonia extra ordinem duo millia equitum alerentur, mille equitibus e Pruſſia ſtipendium daretur. Ut præter has ſuppetias, ſi opus foret, Nobiles & cives una cum Cruciferis viritim, ut ante conſueverant, in bellum exirent: Quicquid præterea copiarum conſcribendum videretur, totum id Magiſter ex publicis proventibus conficeret. Inita fuit hæc conventio Elbingæ die Converſionis Pauli anno 1432. An. 1432.

Suitrigellonicum fœdus.

Actum poſtea fuit cum Ordinibus de fœdere Suitrigellonico, & poſtulatum, ut ei Nobiles ac cives ſubſcriberent, idque cum Cruciferis exequerentur juramento in eam rem publice præſtito. Moleſte ferebant Ordines, nunc demum de fœdere ſecum agi, quod jam dudum ipſis inſciis confectum atque adeo ex ejus conventione impreſſio in Poloniam

facta esset. Sed quia factum infectum fieri non poterat, ut deinceps tale quidpiam ne fieret absque Ordinum consilio & consensu, Magistro quatuor ex Ordine nobilitatis spectatos viros & patriæ amantes adjunxerunt, Boëtium de Eilenburg, Ioannem de Baisen, Ioannem de Legendorf, & Nicolaum Gerlachen, qui omnium Magistri consiliorum in hoc bello essent participes, atque adeo ea ex Reipublicæ utilitate & commodo moderarentur, nullum vero fœdus facerent, nullum novum bellum moverent, nullam exactionem imponerent, nisi omnibus Ordinibus publice consentientibus. Cæterum Suitrigellonici fœderis is exitus fuit, ut omnes inde exortæ calamitates pene ad Cruciferorum ditiones cum subditorum magno infortunio tandem redundarent. Suitrigello enim brevi post acie victus ac profligatus, decem millibus ex ejus exercitu cæsis, in fugam se dedit, nec unquam postea vires reparare, vel Ducatum Litvaniæ recuperare potuit. Designatus est a Rege in locum ejus Sigismundus Starodubski, Vitoldi frater, Keistuti filius, qui & ipse, rebus Litvanicis paucos annos præfuit, ac propter impotentiam ac tyrannidem, conspiratione Russorum ac Litvanorum, novo proditionis genere trucidatus fuit. Ursam habebat Sigismundus cicurem, quam ad mensam & cubiculum familiariter admittebat. Ea vel non venerat illo eunte cubitum, vel de more emissa exiverat, & a conjuratis alicubi conclusa erat. Ejus igitur unguium scalptura ad ostium cubiculi assimulata conjurati intromissi, Ducem nihil tale suspicantem trucidarunt. Post quem Litvaniam gubernavit Casimirus regis filius, qui post fratrem Rex factus Prussiam tandem regno Poloniæ consociavit.

Sigismundi Ducis Litvaniæ cædes.

An. 1433. Contributio Capitationis.

Cum jam omnino res ad bellum Prussicum spectaret, Magister anno sequenti iterum deliberationes habuit cum Ordinibus de majoribus auxiliis, quam antea decreta fuerant, conferendis. Parum enim illud momenti habiturum, quod prius constituerant, si respiciant ad tantam belli molem, quæ a Polonis, Litvanis, Russis, & aliis immineret. Itaque pecuniarium auxilium in promptu esse oportere, quo miles ali & cæteræ impensæ confici possent. Videbatur autem expeditissima ratio conficiendæ pecuniæ, si ex poculentis, vino, mulso, cervisia, certum quid in contributionem veniret, quod genus actionis postea quasi ab accidendo Accisam vulgo dixerunt, & nunc notior est, quam ut explicatione indigeat. Ea ratio tum maxime repugnantibus civitatibus repudiata fuit, & earum arbitrio alius modus conferendæ pecuniæ constitutus, nimirum ut in singula hominum capita, servato tamen facultatum discrimine, certa summa pecuniæ per universam Prussiam exigeretur, sic ut nemo ex iis, qui in locupletum numero censebantur, ultra marcam bonam contribueret, cæteri pauperiores minori pretio censerentur. Vocabantur ad eam capitationem omnes, qui proprium quid possiderent, Equites, Nobiles, cives & inquilini, mercatores & omnis generis opifices, rustici, agricolæ, caupones, opificum servitores, servi & ancillæ, peregrini etiam, qui mercaturam in Prussia exercerent, nemine exempto, præterquam Canonicis, clericis, monachis, pupillis & fœminis, qui quæve rem familiarem non exercerent. Incredibile est ferme

ferme & a fide alienum, quantam pecuniæ summam inde conflatam vulgo referant. Multos enim auri argentique milliones prædicant. Sed utique non est dubium, ex ista contributione per totam Prussiam & in omnes ferme homines constituta, prout tunc Prussiæ status erat optimus, & facultates luculentæ, quin ingens pecuniæ vis inde sit comparata.

Interim tum Cruciferi subsidia belli parant, Rex etiam ad bellum inferendum potius quam ad propulsandum se comparare decrevit. Ac cum in Litvania res adhuc essent dubiæ, nec ab omnibus motibus compositæ, placuit primum Boëmos conductos in Prussiam evocare, & cum Cruciferis committere, ipse Coli armata comitia habet, ut decretis copiis ad id bellum exercitus deinceps submitteretur. Erant ii Boëmi Hussitæ, defensores & vindices dogmatum Joannis Hussi, qui jam pridem in Concilio Constantiensi contra publicas fidei literas a Cæsare datas pro hæretico combustus fuerat. Quo facto in tantum exacerbati fuerunt primores Nobilitatis Boëmicæ & Moravicæ, ut non solum Patres concilii & ejus supplicii auctores palam & consignatis literis ad eos missis insimularent, quod utique virum bonum, justum & catholicum, qui jam dudum vita, moribus & fama laudabiliter conversatus & comprobatus esset, & qui legem divinam sincere & catholice prædicasset, nescio quo spiritu ducti, nec legitime, nec juris ordine, convictum, sed falso, maligne, & proditorie condemnatum dira ac turpissima morte interfeciissent: sed generatim etiam, postquam Hieronymi Pragensis cædes accessisset, populari seditione facta, passim in clericos & monachos armis sævierint, ut brevi vel millesima saltem pars sanguinis ad restinguendas duorum Martyrum pyras abunde satisfeciissent. Inde aperto etiam bello res gesta, Duce Joanne Zisca, qui non feliciter magis quam severe facinus istud ultus est, ac tot egregias ab hostibus victorias cum magno eorum malo reportavit, ut omnibus maximo esset terrori, & tandem Sigismundus Rex cum eo pacem vel iniquis conditionibus depacisci cogeretur. In qua tractanda Joannes Zisca peste, quæ tum grassabatur, correptus vitæ finem fecit. Post cujus obitum ejus assectæ bellum istud longe lateque propagatum continuarunt, ut potestas Regia ad rem componendam parum momenti haberet, ac ii qui in ferro jus gerebant pro arbitrio agerent. Hic est ille Zisca, qui moriturus jussit cadaveri suo pellem detrahi, ex pelle tympanum fieri, eoque duce bella geri, arrepturos fugam hostes, quamprimum ejus tympani sonitum audiverint. Quanquam igitur isti Boëmi Hussitæ passim in Pontificiis, Cæsaris & Regum fere omnium ditionibus execrabiles erant, & pro impiis hæreticis habebantur, ac majori pene quam Turci odio inter cæteros Christianos flagrabant: tamen nunc Poloniæ Rex eorum auxilio adversus Cruciferos uti decreverat, quantumvis ea res parum honorifica illi esset apud Christianos Principes, Divæ scilicet Deiparæ dicatos milites, per Regem Catholicum, adjutoribus hæreticis jam prædamnatis affligi & trucidari. Verum jam pridem ita comparatum fuit inter Reges & Principes bello decertantes, modo alter alteri quam ægerrime faciat, ut parum interfit, fidelium an infidelium, Christianorum an Turcorum aut Tartarorum auxiliis utantur. Hi

Boëmi in Prussiam evocati.

Boëmorum expeditio in Pruſſiam.

Hi ergo Boëmi accepto a Rege profectionis edicto, ſtatim progreſſi Duce Ciapcone, novam Marchiam, Cruciferis tum a Cæſare Sigismundo oppigneratam, invadunt ac crudeliter vaſtant, duodecim oppidis partim vi, partim per deditionem captis, quæ quidem omnia direpta ac diruta ſunt. Deinde in Pomeraniam impetum faciunt, & agris longe lateque pervaſtatis ad Choniciam obſidendam convertuntur, ubi ſe cum illis copiæ Polonicæ a Rege ſubmiſſæ conjungunt. Erat autem oppidum bene munitum, commeatu, præſidio & omni apparatu belli inſtructiſſimum. Ubi in longius tempus obſidionem ejus duci animadverſum eſt, inſtitutus cuniculus, quo ex improviſo in oppidum irrumperetur. Verum is non alte ductus, priusquam perduceretur, ſubſidente fabuloſo ſolo obrutus eſt. Tentata deinde vi & impetu oppugnatio, exſiccata foſſa oppidum ambiente. Sed inde quoque multis acceptis vulneribus re infecta diſceſſum eſt. Jam difficiliore annona propter multitudinem & vias a Cruciferis obſeſſas Boëmi utebantur, & ex pabuli inopia plurimos equos amittebant. Itaque cum totos duos menſes in obſidione Choiniciæ caſſo labore conſumſiſſent, ea ſoluta caſtra moverunt, & in interiora Pomeraniæ populabundi progredi cœperunt. Tardius cæteros ſubſequebatur poſtremum agmen, ac demum plane ſubſiſtere animadverſum eſt propter currum præda graviter onuſtum, quem confracta rota nec recipere ſecum poterant, nec deſerere volebant. Id conſpicatus præfectus oppidi, quem alii Commandatorem Tucholienſem fuiſſe, alii, ſed falſo, Balgenſem volunt, continuo cum præſidio omni erupit, & cum Boëmis, qui prædam ſuam defendere ſtatuiſſent, congreſſus, eos, qui in poſtremo agmine fuerant, circumventos ad unum fere omnes occidit. Currum eum, de quo diximus, in oppidum deportavit. Inventum in eo fuit argentum fabrefactum trecentarum circiter Marcarum argenti puri, omnis generis mundi Eccleſiaſtici, quem Boëmi hinc inde ex templis & monaſteriis diripuerant. Exinde ab hoſtibus iratis Pelplinum monaſterium opulentum direptum ac incendio devaſtatum fuit. Ventum inde ad Derſaviam oppidum, quod cum opinione eorum munitius inveniretur, illud etiam a tergo relictum, incenſis tamen ſuburbiis, granariis ac horreis. Vento autem vehementius coorto cum incendium in oppidum etiam penetraſſet, incolæ continuo, quod quisque flammis eripere poterat, foras ferre, agere, dein fugam circumſpicere, maxime Viſtulam vicinam petentes. Hoſtes id procul conſpicati extemplo ſe convertunt, & citato curſu advolant, omnes qui fluvium trajicere propere non poterant, interficiunt, prædam luculentam nanciſcuntur. Cæſa dicuntur incolarum & præſidiariorum militum circiter decem millia. Adjiciunt Polonici ſcriptores unum atque alterum inſignis crudelitatis exemplum a Boëmis & Polonis editum. Ex captivis (quorum ſupra decem millia fuiſſe commemorant) quicunque Boëmici generis eſſent, Ciapco revertens, ut ſibi condonarentur, impetravit, traditos graviter, quod Teutonibus contra Polonos ejusdem ſecum linguæ & originis militarent, corripuit, pyraque ingenti exſtructa exuſſit. Ejus exemplum ſecuti Joannes Straſſus Bialaciovius piratas ſeu nauticos homines in ergaſtulo concluſos, quorum non exiguus

Choinicia obſeſſa.

Pelplinum direptum.

Derſavia cremata.

us numerus inter præſidia Cruciferorum fuiſſent, circumjecta palea & arida materia ſuccendit. Et effregerunt ii quidem ergaſtulum ligneum, ſed cum effugere vellent, adverſis haſtis a Polonis excipiebantur, donec Polonorum præfectus Michalovius ſuperveniens cædem eorum repreſſit, ignemque reſtinxit. Inde Boëmi cum Polonis conjuncti Gedanum verſus tendentes, Calendis Septembribus in Hageli & Epiſcopali montibus caſtra metati, urbem ſtrenue oppugnare cœperunt, ſic ut ultimum exeidium ferociter minitarentur, & ſuburbana, villas & hortos extra muros penitus exſcinderent. Virtute civium, qui familiam nauticam omnem, quæ magno non diu ante navium numero appuliſſet, armaverant, tormenta omnia navibus exemta in turres, muros & domus eminentiores collocaverant, quibus egregie rem gerebant, primos hoſtium impetus fortiter excipientium, urbs ſervata eſt. Hoſtes inde munitionibus ſe ſuis ferme continebant. Mox civibus animi creverunt, ut etiam de eruptione in hoſtem facienda conſilia conferrent. Delegerant ſibi præſidio cives, qui eruptionem tentabant, octingentos nautas, homines audaciſſimos, ſecuribus armatos, quibus vel ſtrictim & decuſſim vel jactim utebantur, cum quibus tantam hoſtium multitudinem aggredi conabantur. Obſtitit huic incepto præfectus arcis Gedanenſis, qui ſuorum paucitati maxime diffidebat, hoſtem autem jam remiſſiorem factum penitus elangvere, quam ultro irritari potius ducebat. Cæterum cum publice pugnandi copia non eſſet, privatim ex iis qui hoſtium inſolentiam admodum ægre ferebant, octo cives audaciſſimum facinus aggreſſi ſunt. Erant illi: Ioannes Relaw, Ewaldus Lutketuch, Nicolaus Sarge, Petrus Bapſt, Petrus Rugenwolde, Ioannes Hollant, Wernerus Schman, & Nicolaus Gehmchentzwey, qui inter ſe coitione facta, ſumptis armis, & ſclopetis geminis ſinguli inſtructi, noctu egreſſi idoneum locum, in adverſo monte, prope caſtra, ubi equites hoſtium metati erant, capiunt, eum muniunt pro loci ratione, inde ſequenti illuceſcente die plurimos equites, ipſis tanquam paucis inſultantes, ſclopetis occidunt, non quidem eminus, ſed tum, cum in eos impetum facerent, permutatis inter ſe vicibus ejaculandi, & rurſum inſtruendi tormenta, nec quisquam ad eos propius accedere audebat, præſertim quod etiam ex urbis munitionibus multi tormentis feriebantur, qui paulum incautius ſe oſtentaſſent. Pugnatum eſt cum octo viris toto die, & hoc quaſi ludicro dimicandi genere, hoſtium circiter ducenti interfecti, inter quos Regis Poloniæ Mareſcallus, & Procopius Boëmorum Dux, & alii non infimæ nobilitatis equites, qui maxime avebant de tam paucis homuncionibus egregiam reportare victoriam. Ingruente vero nocte cum jam illi octo ſeſe tenebrarum beneficio in tutum recipere vellent, ſtatione ſua relicta repente a mille peditibus, qui inter velites erant, & occulta ſemita per montes ducti fuerant, circumvallantur, quibus non paucis interfectis cum jam vires eos deficerent, omnes in hoſtium poteſtatem deveniunt, & novo ſed nequaquam militari crudelitatis genere vivi igni lento appoſito aſſantur. Digni profecto, quorum nomina propter tam egregium facinus, ſtudio patriam contra Boëmicos latrones pro virili defendendi, ad æternam poſteritatis memoriam conſecrentur. Quarto poſt cœptam obſidionem die hoſtes diſcedunt, vicinum agrum omnem magna ſtrage depopulantur,

Boëmi ad Gedanum.

Audacia octo civium.

Boëmorum diſceſſus.

tur, Olivenſe monaſterium diripiunt, & flammis funditus exurunt. Propugnaculum quod ad oſtium Viſtulæ poſitum erat, tum temporis non magnopere munitum evertunt. Ibi vero Boëmi inter ſe invicem cum Polonis congratulari, quod continuo victoriæ curſu tantum terrarum usque ad mare Balticum emenſi fuiſſent, plurimi vero lagenas & utres aqua marina replere, quam domi miraculi loco vel pro trophæi ſigno oſtentarent. Inde retro per Pomeraniam ducentes, omniaque late vaſtantes, ex itinere arcem quandam Jesniciam, in qua egregium erat Cruciferorum præſidium, oppugnant. Cruciferi colloquium petunt, conceditur; fratres fide data in caſtra deſcendunt, tractare de pace incipiunt: interim arx a Boëmis per inſidias occupatur, præſidiariis omnibus interfectis rebusque direptis. Cruciferi, qui ad colloquium venerant, in vincula conjiciuntur, neque priùs deinde dimiſſi, quam a Magiſtro aliquot millibus aureorum redimerentur. Boëmis ex Pruſſia digreſſis, actum varie fuit de pace inter Polonos & Cruciferos, ſed primo trium menſium induciæ tantum, mox in Breſtenſi conventu duodecim annorum pactæ fuerunt, ut interim quanto citius fieri poſſet de perpetua pace tranſigeretur.

Jesnicia arx capta.

An. 1434. Conſtitutiones publicæ.

Anno ſequenti rebus jam in tranquillo foris ferme poſitis, domi de Republica recte conſtituenda deliberatum fuit, & in publico Ordinum conventu Elbingæ habito, die Dominica ſeptuageſimæ, ex comuni conſilio, auctoritate Magiſtri & Conſiliariorum, qui jam pridem hanc ad rem delecti fuerant, hæ conſtitutiones latæ ſancitæque ſunt: Primum omnium Magiſter generalis & Epiſcopi, & officiorum ſuperiorum præfecti, adminiſtratores Ordinum & civitatum, pro virili ſua quisque curet ac exequatur, ut præcepta divina ab omnibus ſancte obſerventur, & cultus divinus ſtatis diebus reverenter, caſte & ſobrie peragatur: Utque feriatis diebus nec operæ cuiquam præſtentur, nec ulla commercia ullibi exerceantur, & ſi quis contravenerit, a Judice loci absque ullo ſuperioris impedimento pro qualitate delicti coërceatur: Ut nec mercatores, nec inſtitores quidpiam mercium ſuarum in templis & coemiteriis vendant vel venum exponant: Ut per totam provinciam uſuræ, falſa pondera, falſæque menſuræ, omnisque generis fraudes in re annonaria gravibus pœnis inhibeantur: Ut ne quis judex reſpectum habeat ullius perſonæ, divitis & pauperis, amici vel inimici, civis vel exteri, ſed jus ex æquo dicatur omnibus ſecundum provinciæ jus, morem & publicas conſtitutiones: Ut nobiles, milites, cives, coloni, unusquisque penes jus ſuum conſervetur, neque id mutare, vel ad aliud jus transire cogatur: Si quis frater Ordinis, vel qui cum imperio ſunt, civem vel colonum quovis debito obnoxium habere dicatur, ut is in eam rem ſibi ipſi jus non dicat, nec propria auctoritate hominem vel pignus capiat, ſed in foro competenti debitorem conveniat, & ibi cum eo jus experiatur: Ut fratres Ordinis in cauſis civilibus, contractibus, & rerum alienationibus, communi cum civibus jure utantur, neque privilegium aliquod in alicujus fraudem aut præjudicium prætendant: Ut res venales omnis generis, merces & annonarias ſpecies alicunde invectas, liberum ſit civibus emere, neque fratribus Ordinis jus ſit eas privati lucri cauſa aliis prærípiendi,

piendi, vel prærogativam aliquam uſurpandi: Ut fratres Ordinis mercaturam & eas negotiationes, quæ civium ſunt propriæ, nusquam exerceant: Ut quoties conſilio publico neceſſe viſum exportationem frumenti inhibere, interdictum ad omnes pertineat, nec peculiaris licentia cuiquam detur, donec omnibus liberum futurum ſit: Ut omnes viæ omnesque navigationes mercatoribus & eorum mercibus terra marique liberæ ſint, & nullis exactionibus obnoxiæ: Ut non liceat præfectis civium vel arcium frumentum undecunque privatim ad ſe convehere vel cogere, ſed iſtud libere in forum publicum deferatur, & omnibus venum exponatur, neque proxenetarum fraudes admittantur: Ut in ſuburbiis nemini liceat mercaturam facere, vel opificium exercere, ſed ea libertas ſit civitatum: Ut unicuique civitati libera ſit electio Conſulum, Senatorum, Judicum & Scabinorum, neque ſuperior Magiſtratus ſeſe immiſceat: Ut indigenæ præ extraneis ad munia dominorum obeunda admittantur: Quod quisque nomine civitatum publico propoſuerit, vel quod communiter Status terrarum conſuluerint in medium, ut hoc nemini privatim damno vel fraudi ſit: Ut per totam provinciam una & eadem ſit menſura, modius, ulna, tonna, ad ſimilitudinem modii Culmenſis: Ut equi ex transmarinis locis advecti non amplius quam unum diem in arcibus detineantur, & ex iis præfecti emant ſaltem, qui uſui ſuo inſerviant, non quos lucri gratia revendant: Cum litigantes in jus iverint, ut eo jure litem peragant, nec ante finem litis cuipiam provocatio licita ſit: Ut nulli indigenarum ob æs alienum contractum literæ publicæ fidei indulgeantur, quo minus poteſtas ſit creditoribus illum conveniendi: Ut mulctæ dicantur & exigantur ex præſcripto juris, non ex judicis cujusvis ambitione vel libidine. Quicquid Magiſter ex publico terrarum conſilio & decreto ſemel ſtatuerit, ut id nulli jus fasque ſit mutare, vel abrogare, in quacunque poteſtate conſtitutus ſit, ſi quid mutandum ſit, eodem conſilio & conſenſu publico interveniente ut mutetur: Ut adverſus colonos in civitatibus non amplioris judicetur, quam marcæ unius quadrantem, nec amplioris executio ſit Magiſtratui civili; quod pluris debebunt, de eo coloni dominus judicandi jus habeat: Ut ſervi, coloni, hortulani, nec in civitatibus. nec in terreſtribus bonis recipiantur, niſi probaverint, ſe bona fide a priori domino diſceſſiſſe: Ut bona ſervitiis & muneribus publicis addicta, quæ vel Magiſter vel fratres Ordinis ſive pretio ſive jure caduco acquiſiverunt, pro uſu publico ad priorem conditionem redigantur: Ut quilibet coram judice competenti conveniatur, nec in aliud forum pro actoris libidine pertrahatur: Ut publicum & generale judicium, uti alias conſtitutum eſt, ſingulis annis ſtato die exerceatur: Ut nemo cujuscunque ſit conditionis, vita, membro, vel bonis multetur, niſi cauſa legitime cognita: Ut lanionibus non liceat pecudes in foro publico venales pretio præoccupare, priusquam civibus in uſum domeſticum emere poteſtas fuerit: Ut nulli hominum jus fasque ſit, quascunque merces extra forum publicum coëmere, & rurſus cum lucro diſtrahere. Vorkäuffer.

Eodem anno ſupremum diem obiit Rex Vladislaus Jagello, cum Grodecum (oppidi id nomen eſt in Ruſſia) perveniens inter prandendum Vladislai Jagellonis obitus.

dum valida febri correptus fuiſſet, quam inde accidiſſe exiſtimatum eſt, quod nocte præcedenti, quæ præter anni tempus frigida fuerat, in ſylvis diutius luſciniæ cantu ſeſe de more oblectans cœli intemperiem pertuliſſet. Obiit pridie calendas Junias, ſeptimo decimo die poſtquam ægrotare cœperat, cum regnaret jam annum quadrageſimum nonum, & annum vitæ ageret octogeſimum ſextum. Quamvis enim Cromerus ſcribat, non conſtare, quantum ille vixerit, & Vitoldo quidem natu majorem fuiſſe, ex Pruſſicis tamen annalibus id ſatis conſtat. Nam anno 1370. cum apud Rudavium a Kinſtoudo contra Cruciferos infeliciter pugnaretur, ei pugnæ Jagello interfuit viginti duorum annorum adoleſcens, unde ejus ætatis anni facile colliguntur. Avus Jagellonis fuit Gediminus, Magni Litvaniæ Ducis Vithenis ſtabuli magiſter, qui Vithenen obtruncavit, & ſic Ducatu & uxore ejus potitus eſt. Is ſeptem reliquit filios, quorum præcipui memorantur Kinſtoudus & Olgerdus. Olgerdus duodecim habuit filios, & inter eos natu maximum Jagellonem, qui Rex Poloniæ factus in baptismo Vladislai nomen aſſumpſit. Kinſtoudus inter ſex filios genuit Vitoldum, de quo multa diximus. Vladislaus Rex moriens duos reliquit filios, Vladislaum & Caſimirum, Vladislaus in regno patri ſucceſſit, poſtea etiam Ungariæ Rex factus a Turcis ad Varnam cum exercitu cæſus fuit.

An. 1435. Tractatur de pace.

Regnante jam Vladislao varii tractatus, quibus rationes inveniri poſſe videbantur, pacis inter Polonos & Cruciferos perpetuæ tandem aliquando conſtituendæ. Sed multa viciſſim obſtabant, quo minus ſolida concordia coiri poſſet. Nam neque de finibus, qui ferme ſolent præbere bellorum materiam, ſatis conveniebat, & non adeo cordi erat Cruciferis poſt obitum Regis ejus, quem metuere ſuo malo edocti fuerant, pacem æquam amplecti, ut non æquiorem belli fortunam a Rege juvene & rerum minus experto ſibi pollicerentur. Per ſubditos maxime ſtetit, quo minus in continenti & induciæ rumperentur, & bellum omnium opinione citius reſuſcitaretur. Ne ſubditorum voluntas diutius obſtaret, effectum eſt per ſubornatos homines, ut Cæſar ad ordines Pruſſiæ literas indignationis plenas daret, quibus jubebat, ut inducias cum Polonis initas plane repudiarent, omnem pacis mentionem rejicerent, & Magiſtri dicto per omnia audientes eſſent, gravi, ſi ſecus facerent, interminatione interpoſita. Neque Magiſter ſibi deeſſe, ſed criminando Polonos ſuperiorum temporum injurias exaggerare, animos ad vindictam ſtimulare, auctoritatem & auxilia Cæſaris & imperii extollere, tandem etiam ſerio edicere, ut viritim & nobiles & cives ad diem certum armati ſibi præſto eſſent, & comparatis omnibus ad expeditionem neceſſariis rebus, cum Polonis ſibi denuo bellandum ſcirent. Ordinibus primum hoc mirum videri ac dolere, cum multiplicem cladem ſuperiori Boëmorum impreſſione factam adhuc ubique ſentirent, ac viderent, deinde re in deliberationem adducta manifeſte & obſtinate contradicere: ſeſe auctoribus inducias in annos duodecim factas, quibus ipſi ſubſcripſiſſent, & Reipublicæ nomine ſigilla ſua appoſuiſſent, eaque fide ſe teneri, quam ſanctam & impollutam habere vellent, nec tam leviter maculam ignominiæ & perfidiæ ſibimet ipſis irrogaturos: ſed neque jam provinciam

ciam bellum ſuſtinere poſſe, viribus & facultatibus vehementer deſtitutam ac fractam, neque ullo opus eſſe bello: ac ut pax aliqua ſtabilis in continenti coiri non poſſet, inducias certe, quæ decennales adhuc ſuperſint, interim pacis loco eſſe: Etiam atque etiam viderent Magiſter & belli ſuaſores, quam male his bellorum cupiditatibus toti provinciæ jam afflictæ, ac ſibi ipſis conſulerent: Se certe pactis pro virili ſtaturos & ſatisfacturos, quibus diſerte cautum ſcirent, ut uter ſive Rex ſive Magiſter placitis non ſtetiſſet, ejus ſubditi fide & juramento eſſent ſoluti. Multis ea linguæ libertas apud impotentes Dominos malo fuit, multi magna invidia flagrarunt, Conſul etiam Culmenſis, Joannes Sterz, in vincula conjectus. Huic crimini dabatur, quod cum Legatus eſſet, in tractatione inducarum publice dixiſſe ferebatur: Cruciferis nihil obſtare, quo minus cum Polonis perpetuo pacem colere poſſent, niſi privata quadam libidine ad bellum eſſent procliviores, nec Cæſarem hoc ex animo ſentire, ut induciæ violentur. Quibus verbis ſubditos adverſus dominos ſeditioſe concitaſſe dicebatur. Deinde, quod cum Magiſter edictum expeditionis publice propoſuiſſet, hoc ipſum ſuggillaſſe dicebatur: Cruciferos ejusmodi edicta feſtinanter admodum proponere ſolere, non conſultis neque conſentientibus terrarum Ordinibus, & inde ſpeciem præ ſe ferre, quaſi eos Pruſſiæ & fortunarum ejus ſatietas jam cepiſſet: melius eos e re ſua facturos, ſi ſaltem concordiæ conſervandæ cauſa ea, quæ publici juris eſſent, & ex æquo omnium intereſſent, publico potius quam privato conſilio conſtituerent; ſi ſic pergerent, vehementer ſe vereri, ne quandoque malus ex adverſo ventus flaret, qui ſero tandem flatum eſſet remiſſurus. Et hoc ad crimen læſæ Majeſtatis referebatur. Verum intercedentibus tandem Ordinibus, cum publice cauſam diceret, & dictorum ſuorum rationem luculentam redderet, ita omnibus cauſam ſuam probavit, ut præter invidos Dominorum aſſentatores omnibus ſatisfaceret, & poſtea ex eventu comprobatum fuit, dicta ejus nihil aliud quam rei ſubſecutæ fuiſſe vaticinium. Sic nolentes volentes Cruciferi, quod a bello prorſus abhorrere ſubditos animadverterent, ad pacis cogitationes ſerio tandem animum adjicere cœperunt.

Conſul Culmenſis captus.

Inter cætera actionum iſtarum capita etiam illud vertebatur, quod Epiſcopus Vladislavienſis damni compenſationem ob domum in monte Epiſcopali a Gedanenſibus jam pridem dirutam urgebat; quam ob cauſam Gedanenſibus etiam litem moverat, & tam Romæ quem in Concilio Baſilienſi vario juris proceſſu faceſſerat negotium. Ea de re tandem convenit, ut eo nomine mille ducenti aurei Ungarici Epiſcopo penderentur. Quis penderet, id controvertebatur. Cruciferi exiſtimabant, Gedanenſibus mulctam eam, quam in diruenda domo commiſiſſent, pendendam eſſe. Gedanenſes negabant, ſe ſuam rem tum egiſſe, ſed imperio Magiſtri, in cujus poteſtate fuiſſent, adactos domum eam evertiſſe. Multis ultro citroque commutatis verbis Ordinum arbitrio res utrinque commiſſa. Ordines cum ex documentis in medium productis, viderent, ejus temporis Magiſtrum, Michaëlem Sternbergium, mandaſſe Gedanenſibus, ut domum eam cervicibus civitatis imminentem deponerent, atque adeo indemni-

Domus Epiſcopalis.

demnitatem hoc nomine promiſiſſe, judicarunt pactam pecuniam non a Gedanenſibus ſed a Cruciferis dependendam eſſe.

An. 1436. Pax perpetua.

Variis itaque tractationibus habitis, anno ſequenti ſupra milleſimum quadringenteſimum triceſimo ſexto, ultima die Decembris in oppido Breſtenſi pax tandem concluſa fuit inter Regem & Magiſtrum, & utriusque ſubditos ac ditiones, & ſolenniter publicis diplomatibus comprobata; qua omnes utrinque diſſenſiones, controverſiæ, conatus hoſtiles, & damna huc usque data & illata abrogantur, & cavetur, ne unquam Cruciferi Poloniæ Regi, ſubditis ac ditionibus ejus, eodemque pacto neque Poloni Cruciferis bellum aut vim inferant, ſed utrinque pax & amicitia perpetuo colatur. Conſtituuntur etiam fines ſeu limites utriusque ditionum, & ratio præſcribitur, qua finium controverſiæ definiri debeant; Inter cætera quoque diſponitur, ſi alterutrius ſubditi domicilium mutare, & in alterius ditionem aliquando commigrare velint, ut utriusque ſubditis liceat tranſire, dominum mutare, bona ſua libere vendere, & absque ullo impedimento vel detentione transferre: Ut in alterutrius ditionibus nemo prorſus, & ullius omnino res vel merces, ob aliena vel debita vel delicta, capiantur vel detineantur, turbentur, moleſtiave afficiantur: Si aurigæ conducti merces non bona fide profiteantur, ut ipſi ſaltem res & equos ſuos committant, res autem mercatorum non capiantur, nec fraudem patiantur: Ut in utriusque ditionibus nullum novum vectigal præter morem conſuetum in alterutrius ſubditos conſtituatur, & recens conſtitutum abrogetur. Cautum etiam mercatoribus & incolis Regni & terrarum Pruſſiæ utrinque de tuto & libero itinere ac tranſitu hominum ac mercium, & de earum libera devectione, diſpoſitione ac venditione, tam terreſtri itinere per Poloniam, Litvaniam, Samogitiam, Maſoviam, Ruſſiam, Pruſſiam, ſurſum & deorſum, quam fluminum & aquarum navigatione usque ad ipſum mare Balticum, & trans mare uſurpanda. Quæ omnia ex ipſo pacis perpetuæ contextu, uti literis publicis habentur, fuſius poſſunt intelligi. Hanc pacem tam ipſe Rex & Magnus Dux Litvaniæ, Sigismundus, quam Magiſter, ſuo ſuorumque ſucceſſorum nomine intervenientibus juramentis, ut vulgo loquuntur, corporalibus, ſancivere perpetuo conſervandam, hac adjecta conditione, in quam utriusque partis ſubditi literis invicem, rurſus itidem, ut in conſtitutis induciis factum fuerat, expreſſe caverunt, ut ſi alterutra pars in poſterum his pactis juratis contravenire, & bellum ſeditionemve alteri movere præſumeret vel attentaret, ne ejus ſubditi conſentirent, neve ſuppetias ferrent, neve dicto audientes eſſent, ſed hoc ipſo facto a fide ſubjectionis, ab omni debito & obſequio domini penitus eſſent exempti & ſoluti, donec is, qui pacta conventa violare auſus fuiſſet, ad officium & ſaniorem mentem rediiſſet. Ad eandem pacem publice approbandam & recipiendam miſſi fuerunt, ex majoribus Pruſſiæ civitatibus (eæ tum erant Culma, Torunium, Elbinga, Regimontum, Dantiſcum & Brunsberga) bini Legati, qui cum Cruciferorum primoribus & cæteris Pruſſiæ Ordinibus, omnium civitatum nomine ſolenniter caverent.

Pace

An. 1437. Licentia evehendi frumenti.

Pace hunc ad modum foris confecta, domi civitates cum Magiſtro de rebus ſuis, quas graviter affectas dicebant, pro conſtituendo meliore earum ſtatu agere cœperunt. Erat hoc unum ex multis non minimum, quod cum in bello ſuperiori evectio frumenti decreto publico fuiſſet omnibus interdicta, nihilominus Magiſter nonnullis privatim concedebat evehendi licentiam, non utique gratis, ſed certo conſtituto pretio. Itaque vulgo Gratia frumenti dicebatur, eo ſcilicet loquendi genere, quo Latini gratiam edicti, ſententiæ, decreti, pœnæ, jurisjurandi, facere dicunt. Hoc privatim indultum civitates, quæ mercaturam exercerent, vehementer afficiebat, itaque cum largitionum modus non fieret, communiter Magiſtrum ſupplices adeunt, orant, ut rationem habeat ejus, qua fide, quibus obſequiis, quantis impenſis Magiſtrum & Ordinem ſuperioribus bellis ſæpe juviſſent, atque adeo nec vitæ nec ſanguini ſuo peperciſſent, magna vero inde damna rei familiaris contraxiſſent, ac proinde hujusmodi licentiarum abuſum abroget, ſua illis privilegia ſalva eſſe velit, & juxta leges ac Conſtitutiones publicas, omnibus ex æquo evehendi frumenti libertatem relinquat, prout jam dudum & Anteceſſores ejus & Prælati & Primates Ordinis recepiſſent. Parum his precibus proficiebant, cum exiſtimaret Magiſter ſuo ſe jure uti, cum ex commodo ſuo rem adminiſtraret, nimirum cum ipſe civitatum opibus & facultatibus extra ordinem adjuvari nequeat, quod ſæpe poſtulaverit, non ſibi vitio vertendum, quod alia via ſuis neceſſitatibus & impenſis conſulat, idque Anteceſſorum exemplo, qui eandem evehendi frumenti largitionem, & longe quidem majori pretio, ante centum annos uſurpaverint; quod autem Majorum exemplo faciat, id cum nullius injuria factum merito præſumi. Quid alii civitatibus promiſerint, ſibi non liquere, tenerent expromiſſores ſuos, ab iis fidem pollicitationis exigerent, ſe hac in parte nemini obnoxium eſſe, neque ſane videre, cur liber Princeps in ſuis ditionibus non debeat ſuo arbitrio, quod ex uſu ſuo ſit, etiam inconſultis & invitis ſubditis, diſponere, neque minus ſuo ſe jure uti æquum eſſe, quam Anteceſſores uſi fuiſſent. Neque ſane ſe ad veteres leges adeo adſtringi, qui condere poſſit novas. Tandem inſpicerent civitates privilegia ſua penitius, in quibus ſi unico verbo frumenti iſthæc licentia ſibi adimeretur, nihil ſe recuſare, quo minus illarum poſtulatis conſentiret. Videbantur hæc ad calumniam tam publicorum jurium quam uniuscujusque privilegiorum ſpectare, ſi liceret Magiſtro conſtitutiones publicas mutare, Anteceſſorum acta infirmare, pro ſuo arbitrio & uſu rem publicam adminiſtrare (ſic enim omnis auctoritas Conſilii publici, quod Cruciferi maxime cupiebant, ſublata prorſus erat) leges novas figere & refigere, & ſubinde novas exactiones imponere, modo veteri aliquo nomine non cenſerentur, licet in effectu eædem eſſent, & verba ſaltem privilegiorum ac conſtitutionum ſalva manerent, licet re ipſa diſſolverentur. Alia erat querela de novis vectigalibus paſſim absque conſilio publico inſtitutis, quæ civitates eo ferebant ægrius, quo magis Pruſſiæ libertas per immodicas exactiones opprimebatur, cum antea præter omnium ferme regnorum ac provinciarum morem Pruſſia ab omnibus vectigalibus viarum, itinerum & navigationum ſemper fuiſſet immunis. Sed ne hic quidem in cauſa juſtiſſi-

ma

ma quidquam æqui a Magiſtro impetratum, non tam ipſius culpa, qui alioquin vir moderati & benigni fuit ingenii, quam procerum & conſiliariorum ambitione & impotentia, qua tyrannidem ſibi ſtabilire volebant. Et hæc quidem licet imminuta, quaſi tamen præludia fuerunt inteſtinæ diſſenſionis inter Cruciferos & ſubditos graviſſimæ, quæ poſtea cum publico malo in apertum proruperunt.

Livoniæ Promagiſter.

Hoc eodem anno provinciæ Livoniæ pro Magiſtro præeſſe cœpit Franco de Kersdorf, qui cum Cruciferi Livonienſes pace nuper facta teneri nolebant (neque id invitis cæteris, ut quod in Pruſſia non obtinere poterant, in Livonia ſaltem turbarum ſemina retinerent) ſed in Suitrigellonico fœdere perſeverabant, cum Litvanis bellum proſecutus eſt, ſed eventu admodum infelici & funeſto. Uno enim adverſo prælio cæſa ſunt Livonienſium viginti millia, & inter eos nobiliſſimus ac fortiſſimus quisque. Neque alias unquam, quamdiu Cruciferi provinciam eam obtinuerunt, tantam & tam inſignem cladem Livonia fuit experta. Hic Promagiſter, quem vulgo divitem cognominarunt, ingentem ac pene ſtupendam vim auri atque argenti, quoad vixit, variis acquirendi modis congeſſit, quam poſt ejus mortem frater ejus germanus (ut plerumque tenax requirit prodigum) Waltherus de Kersdorf magnus tum Pruſſiæ Commandator (quem recte præfectum prætorio dixeris, utpote qui ſecundum a Magiſtro & auctoritatis & jurisdictionis locum obtinebat) ex Livonia clam in Pruſſiam tranſtulit. Quod licet Livonienſes ægre ferrent, ac ſubinde theſaurum ſuum repeterent, præter verba tamen nihil retulerunt. Hunc autem Promagiſtrum Magiſter magnus auctoritate propria absque Livonienſium Cruciferorum voto & conſenſu Magiſtratui præfecerat.

An. 1438. Naves ab Hollandis interceptæ.

Anno ſequenti cum bellum fuiſſet exortum inter Vandalicas civitates & Hollandos ſive Batavos & Zelandos, tres & viginti naves Pruſſicæ & Livonicæ Gedano enavigantes in Hiſpanias vela fecerant, unde cum mercibus revertentes in Dravenam fluvium, qui infra Lubecam in mari exoneratur, appulerant. Qui in hiſce navibus vehebantur, cum animadverterent, claſſem Hollandicam in propinquo eſſe, miſerunt quosdam exploratum, nunquid liceret Pruſſis ac Livonienſibus, qui nihil commune cum iſthoc bello haberent, ſecure tranſire, & curſum in Pruſſiam intendere. Reſponderunt claſſis præfecti, ſibi cum Pruſſis & Livonibus pacem & amicitiam intercedere, atque adeo in mandatis habere cum amicis amice converſari & agere, itaque ſe illos non morari, quo minus quaqua vellent libere navigarent. Quibus illi verbis confiſi cum absque metu exirent, repente ab Hollandis & ſociis circumveniuntur, & in vincula conjiciuntur, naves captæ, res ac merces direptæ. Ob quod facinus Pruſſi & inprimis Gedanenſes, quorum maxime intereat, cum Duce Burgundo Philippo, cujus ditionis erant Hollandia & Zelandia, per literas graviter expoſtularunt, quaſi non modo Batavorum verbis capti, ſed ejus quoque vel maxime fiducia decepti in eam calamitatem nulla ſua culpa deveniſſent. Scripſerat enim ille ſuperiori æſtate ad Pruſſiæ Magiſtrum & amice poſtulaverat, ut ſi quo caſu induciæ cum Vandalicis civitatibus non continuarentur, ſed bellum recrudeſceret, ſuis tamen ſubditis liber pateret acceſſus, liberaque eſſent commercia in Cruciferorum provinciis, & ſic viciſſim eorum ſubditis in Burgundicis ditionibus omnia amica & pacata futura. Sed de his injuriis & damnis poſtea transactum fuit, ut ſuo loco dicetur.

Legatio Cæſaris in Pruſſiam.

Eodem anno Albertus Archidux Auſtriæ, qui Sigismundo ſocero, tam in regnis Boëmiæ & Ungariæ, quam in Cæſarea dignitate ſucceſſerat, Legatos in Pruſſiam ad terrarum Ordines miſit, qui graviter querebantur, quod Poloni Regis ſui ditiones hoſtili more infeſtarent, dicebantque iſtas injurias, non ad Regem ſuum ſolummodo pertinere, ſed etiam ad univerſum Imperium, cujus membrum eſſet Pruſſia, & Cruciferi in ea conſtituti, dignitatem fortunasque ſuas Cæſaribus & Principibus Imperii deberent. Itaque poſtulabant, ut Cruciferi & Ordines Regi ſuo adeſſent, & ſi Poloni in Boëmiam vel Ungariam majori manu irrupturi eſſent, ipſi viciſſim quam maxime poſſent Poloniam infeſtarent. Regem ipſis, ubi opus eſſet, non defuturum, & rem ſummis viribus geſturum. Quod ſi quis pacem cum Polonis initam cauſari velit, ſciret, pacem eam jure ita coiri non potuiſſe, Cæſare & Principibus Imperii non conſentientibus: quin imo ideo maxime irritam & nullius momenti eſſe, quod in ea conventum ſit, ut ſi quando Polonis bellum cum imperio intercederet, Cruciferi Imperio ſuppetias opemve ne ferrent. Quod utique mali ſit exempli, quempiam ſubditum talibus pactis a domini obſequio diſcedere. Et quia Poloni infidelibus hæreticis ſe conjungerent, decere unumquemque Chriſtianum, maxime eos, qui ad tutelam Chriſtiani nominis conſtituti ſint, illis omni ope adverſari. Sin autem Cruciferi & Ordines Pruſſiæ hiſce poſtulatis aſſentiri nolint, viderent ne Ordo propter ingrati animi notam toto imperio exſtirparetur, præſertim quod nunquam Poloni fidem pactis præſtiterint, nec conſtantem pacem in poſterum ſint præſtituri. Quod ſi tum Cruciferi ex Imperio & Germania fuerint exterminati, ac inde omnibus auxiliis deſtituti, tum demum Polonorum injuriis ex omni parte expoſitos, ac tandem prædæ futuros eſſe. Allegabant etiam exempli cauſa Proceres & Ordines Regni Ungarici, qui ad Regem Poloniæ Legatos miſiſſent cum his mandatis, niſi Poloni copias ex Boëmia reducerent, & regnum iſtud Regi ſuo pacatum relinquerent, ſe fœderibus & pactis, quæ ſibi cum Polonis hactenus intercederent, plane deſtituros, & Regi ſuo præſto futuros. Omnis hæc poſtulatio potiſſimum eo ſpectabat, ut, rupta pace recenti, Cruciferi denuo cum Polonis bello committerentur. Cauſa hæc erat, quod cum hic Albertus Boëmiæ Rex dictus eſſet, Huſſitæ a cæteris regni Ordinibus ſeceſſionem fecerant, & Caſimirum Vladislai Poloni fratrem ad regnum vocaverant, quem Albertus prævenit. Caſimirus copias nonnullas miſit, quibus Huſitæ conjuncti ſperabant, ſe per vim Caſimiro regnum obtenturos. Et hoc eſt quod Legati dicunt, Polonos ſe cum infidelibus hæreticis conjungere.

Ad quam Legationem a Cruciferis & Ordinibus reſponſum fuit: ſe pacem cum Polonis recens iniviſſe, ſponſionibus & literis publicis ſancitam

Reſponſum Ordinum ad Cæſaris Legationem.

citam ac confirmatam, quam ſalvo honore ſalvaque fide publica violare non liceret. Ac etiamſi nulla pacta hic intercederent, tamen ita ſe continuis bellis jam exhauſtos & fractos, ut nullæ ſibi ſuppetant vires bellum reſtaurandi, præterquam quod hic annus in Pruſſia plane ſit ſterilis, ut ne commeatus quidem futura eſſet copia. Qualiscunque illa pax videatur, in qua non ſit exceptum Imperium, non ſe jam diſceptare quo jure valeat, ſed hoc ſaltem dicere, ad illud velut ultimum ſalutis remedium deſcendere ſe neceſſitate coactos fuiſſe, cum ab imperio & Principibus omnibus deſtituerentur, neque rebus deploratis ullum uſpiam appareret ſubſidium. Ni feciſſent pacem, jam Pruſſia & ipſi cum omnibus incolis ad extremam ſortem, ad vaſtitatem, ad internecionem, & quæ fortibus viris morte pejor eſt, ſervitutem perpetuam redacti fuiſſent. Ferendum igitur non culpandum, quod alia ratione mutari non potuit. Neque nunc ſane ſe videre, ſi bellum ipſi cum Polonis reſuſcitent, quam meliore loco res Imperii per hoc ſint futuræ. Nam ſi quid adverſi accidiſſet, ut ſunt bellicæ res dubiæ & incertus Martis eventus, quid deinceps aliud expectandum, quam quod hac extrema Chriſtiani orbis parte, Chriſtianis omnibus expulſis ac profligatis, Barbari in ipſa Imperii viſcera impune ſint irrupturi? Quin hoc etiam in recenti pace cautum eſſe, ut ſi pars alterutra pactis non ſtaret, aut bellum quoquo modo moveret, ejus ſubditi fide, juramento, obſequiis eſſent ſoluti, ſic ut quantumvis ipſe Magiſter & Cruciferi maxime vellent arma ſumere, per ſubditos tamen hoc illis integrum non eſſe.

Altera Legatio.

Ingratum Alberto fuit hoc reſponſum, neque tamen deſtitit, ſed iterum Ioannem Marchionem Brandeburgenſem cum literis & mandatis Electorum ac Principum imperii in Pruſſiam miſit, qui eadem, quæ prius, poſtularet, ſed multo intentius & ſeverius, quod auctoritatem Principum ad permovendos Cruciferorum & Ordinum animos majus momentum allaturam exiſtimabat, gravibus etiam interminationibus adjectis, niſi ea in parte Cruciferi imperii Principibus & Cæſari fidem ſuam exſolverent. Ad ea idem ferme reſponſum fuit, quod antea, telo neceſſitatis hanc ſibi pacem expreſſam, neque rem amplius integram eſſe, neque Pruſſiam ſuſtinendo bello nunc ſufficere. Exitus rei hic fuit, quod cum Caſimiri exercitus Boëmis & Sileſiis multa damna inferret, Albertus autem viribus eſſet ſuperior, neque usquam Poloni in aciem prodire auderent, ſed levibus aliquot præliis commiſſis infecta re domum reverti cogerentur, ſtatim anno ſequenti Albertus ſupremum diem obiret, cui in Ungariæ Regno ſucceſſit Vladislaus Poloniæ Rex, licet Alberti vidua Eliſabetha filium poſthumum edidiſſet: Regnum autem Boëmiæ Georgius Podgiebracius loco poſthumi pro tutore gubernavit.

FINIS LIBRI TERTII.

HISTO-

HISTORIÆ RERUM PRUSSICARUM

LIBER QUARTUS.

1439.

Initia inteſtinæ ſeditionis.

Pax foris cum Polonis ex ſententia omnium Pruſſiæ incolarum parta, initium dedit inteſtinis diſſenſionibus, ſimultatibus, diſcordiis, injuriis, tandem etiam bellis, quibus res Cruciferorum pridem conflictatæ, jam apertius ex florentiſſimo ſtatu peſſum ire cœperunt, accedentibus ad horum malorum cumulum, quæ nullum non vel potentiſſimum ac validiſſimum regnum evertere conſueverunt, procerum & præfectorum privata cupiditate, avaritia & dominandi impotentia.

Civitatum gravamina.

Civitates inprimis ægre ferebant, ſe nunc exantlatis externis bellis, in pace domeſtica, Cruciferorum impotenti dominatu magis etiam quam bello premi & affligi, novis indies exactionum oneribus exhauriri, libertates & conſtitutiones publicas conturbari. Itaque rurſus Magiſtrum adeunt, petunt, ut per ipſum ſua ſibi privilegia ſalva, ſuæ ſibi libertates illibatæ ſint, hoc enim ipſum in ſolenni inauguratione ſua promiſiſſe: petunt etiam, ut omnia vectigalia perperam & injuſte paſſim conſtituta, portorium librale etiam (nam & hujus exactionem denuo Magiſter uſurpabat) penitus abrogaret, & benignius cum ſubditis agere dignaretur, quam ut eos bonis & fortunis omnibus ſpoliari pateretur. Ad ea reſpondit Magiſter: Se ſua quoque privilegia a Pontificibus, Cæſaribus, Regibus, Principibus conceſſa, ſalva ſibi velle, quorum auctoritate & portorium & alia vectigalia ſuo arbitrio inſtituere poſſet. Si id per civitatum privilegia non liceret, arbitrum neceſſario eſſe ſumendum. Suum jus ſe civitatibus relinquere, merito igitur ab ipſis quoque in jure ſuo impediri non debere. Civitates portorium iſtud eo magis reprobabant, quod ad poſtulationem fœderatarum civitatum Hanſæ jam pridem fuerat abrogatum, & nihilominus absque conſilio publico repetitum. Grave erat ipſis illud etiam, quod Magiſter cum paucis primoribus judicium publicum, excluſis Ordinibus nobilitatis & civitatum exercuiſſet, & ordinem ejus judicii publice conſtitutum plane pervertiſſet: Sed hæc Magiſter ita differebat, ut facile appareret, eum de propoſito nihil immutaturum. Ægre ferebant etiam civitates ſingulæ, omnis generis negotiationes a Cruciferis exerceri, privati quæſtus & lucri gratia, quæ eorum Ordini minime convenirent, eaque in re mercatoribus maximum fieri præjudicium, & rei familiaris uſum interverti. Nec enim eſſe hominum nobilium & præſertim hujus Ordinis, mercaturam facere, & ſordidum quæſtum ſectari, ſed ideo ſubditos negotiari & opificia exercere, ut haberent, quod Dominis ad ſtatum ſuum comiter conſervandum, quisque pro virili ex æquo & bono ſubminiſtrarent. Quærebat viciſſim Magiſter quaſi per ridiculum: ecquænam

esset justa causa, qua Cruciferis & viris nobilibus mercatura sit interdicta, & ecquas civitates haberent prærogativarum literas, quibus Cruciferi a commerciis faciendis excluderentur? Constitutum item antea fuerat, ne contuberniis & corporibus opificum publica sigilla habere liceret, id vero Magister & præfecti locorum omnibus promiscue concesserant, unde varii motus in civitatibus oriebantur, ac nonnulli contuberniis obtrudebantur homines suspecti, indigni, & qui ne juris quidem civilis utendi capaces essent. Sæpe etiam actum fuerat de extraneis, qui passim in oppidis & pagis mercaturam & opificia exercerent in fraudem & dispendium civium & oppidanorum, factæque in eam rem publicæ constitutiones, pro indemnitate civium & incolarum, quas tantum abest ut Cruciferi floccifacerent, ut etiam Magister eas in album referri & publicari nollet. Hæ & similes aliæ civitatum querelæ, cum earum nulla ratio haberetur, accederent etiam indies plura gravamina, impulerunt tandem civitates, ut de ineunda arctiori concordia, qua se, qua jura sua, qua libertates & fortunas suas, adversus vim apertam & injurias manifestas tuerentur, ibi tum primum intra privatos parietes agere cœperint; Quibus paulo post ordo militaris & nobilitas, suis etiam quique injuriis adducti, se conjunxerunt, uti suo loco fusius demonstrabitur.

Gedanenses in Litvania afflicti.

Eodem tempore, cum Gedani pestis nonnihil grassata fuisset, mercatores Gedanenses in Litvania passim detinebantur, eo prætextu, quod ex locis infectis advenirent, & facile aliqua contagione provinciam totam inficere possent. Quamobrem Gedanenses a Magistro petebant, ea de causa apud magnum Ducem Litvaniæ per literas saltem intercedi ac effici, ut juxta præscriptum pacis Brestensis viæ publicæ mercatoribus hinc inde commeantibus liberæ relinquerentur, præsertim quod Gedani pestilentia plane cessaret, nec ullus amplius metus esset, ne ab aliis alii inficerentur. Hæc intercessio Gedanensibus plane denegata fuit, adeo jucunda erat Cruciferis omnis civitatum vexatio & oppressio, sic ut ipsimet Gedanenses, quanquam literas suas non magnum habituras pondus existimabant, incerta tamen spe ad Casimirum, magnum Ducem perscripserint, & civibus suis libertatem eam tuto commeandi haud difficulter obtinuerint. Quod quidem primum Casimiri beneficium fuit, quo felicibus auspiciis in posterum civitatem eam præ cæteris maxime sibi devinxit.

Simultas cum Livonienſibus.

Erumpebat tum etiam simultas illa jam dudum glisceus inter hunc Magistrum & Cruciferos Livonienses, cum non ita pridem hoc ipso anno Livonienses Promagistrum Heinricum de Buckenode, vulgo Schungel nuncupatum, sibi præfeciſſent, non expectato consensu Magistri Prussiæ, cujus in hoc electionis genere præcipua semper fuerat auctoritas. Prætendebant illi quidem, se cum in bello Litvanico versarentur, & omnia periculis plena essent, coactos fuisse, citra longiorem deliberationem Promagistrum dicere, ne per moram, qua sine capite esset provincia, detrimenti quid caperet Respublica. Sed revera illud quod Magister Antecessorem Promagistrum ipsis non consultis neque consentientibus ingessisset, ac postea mortui thesaurum asportasset. Et superveniebant aliæ

aliæ simultatum causæ, ut ferme fieri solet, de quibus prope metus erat, ne in civile bellum erumperent. Interventu tamen Ordinum eo res perducta fuit, ut omnia tantisper utrinque conquiescerent, donec Magister publicum consilium, quod illi capitulum magnum appellabant, indixisset, & ad illud primores Cruciferorum ex Livonia & Germania Mariæburgum evocasset, & ibi de omnibus controversiis constitutum esset.

An. 1440. Actiones de gravaminibus.

Sequens annus is est, qui seditionum intestinarum tam inter Cruciferos ipsos cum Magistro, quam inter Dominum & subditos fundamenta jecit. Nam cum subditi & nobiles & cives ægerrime ferrent, Cruciferos acerbissime sibi imperare, & novarum exactionum indies nec finem nec modum facere, & alias super alias injurias publice & privatim accumulare, & quo magis ipsi quiritarentur, tanto magis illos sævire, aliorum vitæ crudeliter insidiari, aliorum uxoribus & liberis ad stupra & libidines abuti, non poterat fieri, quin tandem patientia toties læsa in furorem prorumperet. Placuit tamen meliori parti nobilium, militarium & civium, nihil prius moliri, quam omnia æqua, amice, benigne, humiliter tentassent. Conveniunt igitur Elbingam ipso die circumcisionis Dominicæ, & rebus diu matureque deliberatis, omnia ea quæ desiderare merito videbantur, libello conscribunt. Erant ea ferme capita, quæ Rempublicam afficerent, subditorum jura læderent, publicæ libertati officerent: nimirum de Republica recte & ordine constituenda, de publico judicio, ut conventum fuerat, celebrando, de privilegiis subditorum sartis tectis conservandis, de novis vectigalibus, portoriis, & exactionibus abrogandis, & similibus. Scriptum hoc Magistro & Cruciferis exhibent, ac supplices petunt, ea quæ emendationem desiderent, ad normam & æquitatem revocari. Spes erat aliqua in Magistro, Principe alioquin non malo, onera isthæc ad æquabilitatem & moderationem adduci posse, si is suo, non Cruciferorum, qui simul cum imperio erant, arbitrio duceretur. Illi vero postulatis auditis fremere, & vehementer indignari, sibi a subditis modum gerendi imperii & alia præscribi, quæ a sua dignitate penitus essent aliena, quæque totius Ordinis auctoritatem labefactarent ac convellerent. Nimirum excreviſſe licentiam hanc subditorum adversus Dominos, & audaciam non tolerandam. Neque publico hæc consensu fieri creditum, sed nonnullorum privatis molitionibus seditionum semina conflari: proinde viderent illi, qui talia officii & fidei immemores molirentur, quam rem inceptarent, ac scirent aliquando haud dubiam hujus inceptirationem sibi esse reddendam. Cruciferi ut & ipsi scirent publico nomine hæc proponi & urgeri, non privatis molitionibus, postulant Ordines, ut dies indicatur omnibus tam præsentibus quam cæteris absentibus, quo omnes conveniant, & de Republica libere dicant ac decernant, ibi tum intellecturos Cruciferos, quid privatim, quid publice defideretur. Cum ejusmodi conventus Cruciferis non placeret, & eum in longiorem diem Magister differret, testati sunt Ordines, se nihilominus ex communi consensu conventum habituros, & nolentibus volentibus Cruciferis de Republica consulturos, neque diutius se, suasque fortunas ac libertates opprimi passuros. Sic apparebat magnum instare certamen, cum hi libertatem publicam, publici status emendationem, onerum

onerum abolitionem urgerent, illi vero nihil æqui a ſe impetrari paterentur.

Diſſenſiones Crucigerorum.

At inter Cruciferos ipſos nihilo ſaniori mente res gerebatur, omnia diſcordiarum, ſimultatum ac digladiationum plena erant, vigebant certatim inter eos factiones, ſic ut quilibet ſuæ gentis hominem ad ſummos honores evehi cuperet, quo poſtea major illis eſſet omnia pro lubitu agendi licentia. Franci inprimis & Suevi, attractis in ſocietatem Bavaris, videri volebant cæteris præſtantiores, atque adeo ſoli ad gubernacula ſedere, ſic ut in cæterorum deſpectum etiam rythmos propalam proponerent, quibus oſtendebant, neminem in eo fratrum Ordine ſummum imperium vel dignitatem aliquam merito poſſe gerere, niſi genere eſſet vel Francus vel Suevus, vel ſaltem Bavarus.

Hic imperare jus eſt ſolis
Bavaris, Suevis atque Francis.

Sed poſt ſubditorum factam ſeceſſionem, deinde ſeniorum aliquis hos rythmos ſatis aculeatos ſuperioribus adjecit.

Nos vero ſcite luſimus,
Pruſſiamque ſcite amiſimus,
Acceptum id ferimus ſolis
Bavaris, Suevis atque Francis.

His factionibus indies creſcentibus multum angebatur Magiſter, nam & æqua judicabat, quæ ordines poſtularent, & ea ipſa, quæ maxime cupiebat, perficere non poterat. Obſtabant eis plurimi ex primoribus, & ferociſſimi quique. Hi neque Magiſtri auctoritatem multum reverebantur, & hominem ſenem non diu ſuperfuturum exiſtimabant, quo defuncto ſeſe ſubditorum rebellium conatibus majori ſeveritate obviam ituros jactitabant. Accidit inter hæc, ut in Conſilio Marienburgi habito, cum his de rebus Magiſter libere ſingulis agendi poteſtatem faceret, ut acerrima contentione inter ſe committerentur, nec multum abeſſet, quin ad vim & gladios veniretur. Magiſter animadvertens rem periculi plenam eſſe, ac ne in ſemetipſum furor verteretur metuens, ſtatim præparato carpento, Mariæburgo clam egreſſus, ſub noctem Gedanum in arcem advolat. Fuit hoc ad Januarii diem decimum ſextum ejus anni. Rumor ſtatim in urbe percrebuit, Magiſtrum arcem feſtinanter ingreſſum. Res mira civibus viſa eſt, ſuſpicabantur plerique aliquid ſubeſſe, quod civibus aut Magiſtratui fraudi eſſe poſſit. Moris enim erat Magiſtris, ut ſolenniter urbem ingrederentur, & publico civium gratulantium occurſu exciperentur, nunc illum clam ac pene in tenebris advolaſſe, nec civibus nec Magiſtratu ſalutatis. Augebat ſuſpicionem, quod poſtero mox die Magiſter Senatum in arcem ad ſe vocabat. Cives, qui pejus aliquid metuerent, ac etiam meminiſſent, qua vi ſuperioribus annis in arce nonnulli capti & ad iniquas conditiones adacti, quaque tyrannide

Magiſter Gedanum profugit.

nide alii contra datam fidem ibi circumventi trucidatique fuiſſent, interdicunt Senatui, ne ſe in eas inſidias conjiciant, videri ſibi id cum Reipublicæ detrimento futurum. Mittunt ad Magiſtrum & orant, ut hunc ſibi metum (vanum forſitan) adimat, neque cum Senatu in arce tanquam in carcere agat, ſi quid velit, propius accedere non dedignetur, locum deſignant in templo Sancti Spiritus, ibi Senatum illi præſto fore. Ipſi armati in templo Senatus cuſtodiam agunt. Magiſter qui non ignorabat adventum tam repentinum illis ſuſpectum eſſe, liberaliter reſpondet, ſe a ſubditis ſuis amari quam metui malle, ex arce ad dictum locum deſcendit, (alii ſcribunt, ipſum non veniſſe, ſed cum Senatu per Legatos egiſſe,) cauſam tam repentini adventus exponit, diſſenſiones & ſimultates inter Ordinis ſui fratres deteſtatur, ſuum periculum oſtendit, ſe quidem cupere & civitatibus & nobilitati quam optime conſulere, multaque agnoſcere, quæ emendationem deſiderent, ſed tantam eſſe plerorumque fratrum pervicaciam, ut in communi ſubditorum opprimendorum ſtudio ne ſibi quidem ipſis conſtarent. Si Respublica ſananda & in meliorem ſtatum reducenda ſit, Ordinum conſilio & ope ſibi opus fore: Monet cives & Senatum, ut ipſi in officio permaneant, ſecum ſentiant, ſecum rem curent, ſe viciſſim operam daturum, ut integræ ipſis ſuæ ſint libertates, immunitates & privilegia. Illi de Cruciferorum injuriis vehementer conqueruntur, præſertim quod etiam ipſi Magiſtro non parcerent, eumque jam non pro Domino, ſed quaſi pro ſervo habere cogitent, rogant, ut Magiſter ſua auctoritate nobilibus & civitatibus conventum indicat, in quo libere de Republica, deque remediis tot malorum ingruentium inter ſe conſultent. Si Cruciferi pergant inſana conſilia ſequi, & per eos Magiſter impediatur, quo minus ſubditorum jura tueri poſſit, ſibi rationes cum cæteris Ordinibus non defuturas, quibus & jus ſuum contra vim injuſtam & ab injuria vindicent, & fidem ſuam ipſi Magiſtro, uti Domino ſuo legitimo, conſtanter probent. Obtemperat ille, utpote proprii conſilii jam impos, & qui ſciret hoc ipſum jam Ordinibus etiam absque ſuo conſenſu decretum eſſe, diem conſilii publici indicit Elbingam nobilitati & civitatibus. Conveniunt frequentes, & rebus aliis ex ſententia Magiſtri conſtitutis, quibus exiſtimabant diſſenſiones inter Magiſtrum & fratres tam in Pruſſia quam in Livonia & Germania ſopiri poſſe, tandem etiam *de fœdere ad vim injuſtam undecunque propulſandam*, cujus rationes ſuperiori anno penſaverant, *conſtituendo* deliberant. Res tanti momenti propter plurimorum abſentiam tota ſemel confici nequivit, & idcirco alter conventus indictus, ubi cum Ordines longe frequentiores cojiſſent, non immerito pro ſalute Reipublicæ ad animum revocabant diſſenſiones iſtas inter Magiſtrum & Cruciferos ac totum pene Ordinem gliſcentes, quibus accedebat illud, quod non ita pridem tres conventus (ut vocant) Regimontanus, Balgenſis & Brandenburgenſis, Mareſcallum Sambienſem, multis ejus injuriis adacti, loco moviſſent, & inde factiones extitiſſent. Recordabantur etiam quot modis libertates publicæ libidini & ludibrio eſſent Cruciferis, qui adeo omnia licere ſibi putarent, ut etiam Magiſtrum, ſummum principem, non tam contemnerent, quam ignominia & injuria afficerent. Adducebant

Actio Ordinum.

ducebant in medium multa, quæ in ipſorum publicam & privatam injuriam, detrimentum & exitium a Cruciferis fuiſſent nefarie perpetrata, quibus merito adducerentur, ut deinceps communi ope & conſilio rebus ſuis rectius proſpicerent.

1. Gravaminum articuli.

Inprimis illud omnium animos exulceratos habebat, quod Cruciferi vectigal novum, avarum plane & iniquum, in aggere ad Nogatum flumen, Elbingam verſus, ſine Ordinum conſenſu cum maximo ibidem commeantium onere conſtituiſſent.

2. Deinde quod ſæpius cum externis Regibus ac Principibus fœdera pepigiſſent, & ſocietates cojiſſent, publico Ordinum conſenſu non interveniente, quibus tot calamitatibus, bellis & injuriis ſubditos implicuiſſent, provinciam prædæ & vaſtationi expoſuiſſent, ut ea ad ipſos opprimendos ex compoſito facta videri poſſent.

3. Tum quod Commandatores ſine Conſilio publico Magiſtrum ipſium Plavenium & patruum, privata quadam auctoritate, quamvis de Republica male meritos, & tyrannidis reos, indicta tamen cauſa loco moviſſent: Unde alter ad Polonos ac Litvanos tranſiiſſet, eosque ad populandam Pruſſiam concitaſſet.

4. Quod Magiſter & Cruciferi ſine ſcitu & conſenſu publico contra pacem cum Rege Poloniæ initam, fœdus cum Litvanis Polonorum hoſtibus percuſſiſſent, & interim dum Rex in Litvanos ducit, rupta pace, militares, nobiles, ac cives coëgiſſent in Regem arma convertere, & Poloniæ fines devaſtare. Ex quo factum ſit, ut Rex bellum Pruſſiæ moverit, auxiliares Boëmos immiſerit, qui Pruſſiam & Pomeraniam citeriorem miſere devaſtaverint, cædibus ac incendiis paſſim compleverint.

5. Quod nunc etiam Magiſter & Commandatores invicem inteſtinis diſſenſionibus & ſimultatibus inter ſe digladientur, adeo, ut in partes ſciſſi utrinque factiones alant, nobiles, militares, cives, oppida, arces, pro ſuis partibus occupent, ex quo bellum inteſtinum, cum ſubditorum certiſſima pernicie, metuendum ſit, niſi remedium maturius adhibeatur.

6. Quod Cruciferi contra publicas Pruſſiæ libertates præſumant Ordinibus nobilitatis & civitatum conventiones publicas interdicere, easque pro conſpirationibus, conciliabulis ac clandeſtinis coitionibus criminentur, cum inde ab initio & nunc ultra hominum memoriam receptum & Ordinibus liberum fuerit, quoties volent coire, & de rebus ad Rempublicam pertinentibus conſultare ac ſtatuere, eo ſaltem excepto, quod ipſius Principis Magiſtri interſit.

7. Præterea cum Culmenſi Privilegio cautum ſit, ut in terris Pruſſiæ moneta habeatur argentea, & agri menſura Flamingenſis, utrumque Cruciferorum avaritia mutatum eſt, ſic ut argentea moneta converſa ſit in

in æream, & cum Ordines eam in integrum reſtitui peterent, contributio publica laudata fuit, monetæ redintegrandæ cauſa, qua jam pridem exacta, nihilominus monetæ vitium permaneat. Et agrorum menſura ita corrupta eſt, ut quo ſpatio olim quatuor manſi cenſiti ſunt, nunc eodem quinque admetiantur, quod ideo excogitatum eſt, ut plus cenſuum ex agris quotannis redigatur, eoque magis coloni prægraventur, & minus agri habeant.

8. Quod Cruciferi contra publicas libertates novam quandam exactionem maritimam, portorium ſcilicet librale, cum inſigni detrimento non incolarum modo Pruſſiæ, ſed etiam maritimarum civitatum præjudicio conſtituerint, & licet illud ante aliquot annos abrogatum fuiſſet, nunc denuo tamen & gravius, quam antehac, exigatur.

9. Quod Cruciferi pertinaciter impediant, quo minus ſecundum pacta conventa, & morem majorum, cuilibet liberum ſit frumentum ſuum, in eo quo ipſi commodum eſſet molendino molere, & farinam ubi velit divendere.

10. Illud etiam nimis iniquum omnibus videri, quod quoties quis ex rebus humanis decedat, neque maſculos hæredes relinquat, mox fœminis excluſis Cruciferi contra jus & fas hæreditatem ad ſe rapiant, quodque nemini illorum, qui maſculos hæredes non habent, liceat res ſuas, fundos, vel poſſeſſiones vendere vel permutare, quod profecto ſit extremæ ſervitutis argumentum.

11. Quod Magiſter Henricus Plavenius Senatum Torunenſem per deſpectum exauctoraſſet, & novum Magiſtratum ex ſua ſententia ſubſtituiſſet, contra juris Culmenſis præſcriptum & Pruſſiæ libertatem, qua civitates per ſe jus habent Senatum allegendi & exauctorandi.

12. Conquerebantur item Elbingenſes, quod olim jus ipſis fuiſſet in fluvio Elbingo, Drauſeno & Habo lacubus libere piſcandi, quodque cuſtodiam habuiſſent portæ & muri verſus arcem vergentis, quo utroque nunc privati eſſent.

13. Afferebatur illud etiam, quod idem Plavenius equites duos, nobiles Nicolaum de Reniſs, & Eberardum de ſtagno Regio, indicta cauſa, nulla cognitione, neque juris ordine interveniente, ex privato ſaltem odio, gladio feriri juſſiſſet.

14. Quod idem Plavenius nobilem quendam e familia Schwelutenſi in carcerem conjectum fame & pedore confeciſſet.

15. Quod præfectus Elbingenſis, Henricus Goltleis, Rudigerum quendam clericum Fiſchuſienſem, qui quempiam ſui Ordinis Romam in jus vocaverat, virum antiquæ virtutis & fidei, per inſidias capi, & noctu in carcere crudeliter trucidari juſſiſſet.

16. Quod idem Vexilliferum quendam Partigerium, cum ſtipendium ſuum ex pacto poſtularet, noctu ex lecto abripi, & in flumine innocentem ſubmergi curaſſet.

17. Quod Prætor Grebinenſis in Curonia, Goſwinus Aſchenbergus, ſedecim viros ordinis Eccleſiaſtici in flumen conjectos ſub glacie concreta necaſſet, dum de Cruciferorum injuriis apud Pontificem queſtum Romam ire conſtituiſſent, & jam in itinere eſſent.

18. Quod prædictus Magiſter Plavenius Joannem Zollenſem, equitem clariſſimum & de Republica optime meritum, inſidiis circumventum, propter privatas inimicitias, nec cauſa cognita, nec juris ordine ſervato, obtruncaſſet.

19. Quod eodem modo Joannes Haslicht, & Scultetus Neidenburgenſis interfecti eſſent, & eorum bona confiſcata, eo quod de injuriis ſibi a Præfecto illatis apud Magiſtrum conqueſti fuiſſent.

20. Quod eodem exemplo alius quidam Eques non ignobilis, Nicolaus Pfeilsdorf a Jacobo Treberger, Theſaurario Mariæburgenſi, citra juris ordinem fuiſſet captus & clam occiſus.

21. Quod Præfectus arcis Mevenſis aliquot mercatores Polonos, ex nundinis Gedanenſibus Posnaniam revertentes, partim interfeciſſet, partim rebus & mercibus ſpoliaſſet, qua re Poloni commoti paulo poſt fines Pruſſiæ incendiis & rapinis crudeliter devaſtaſſent.

22. Quod Guilelmus Stein, Præfectus Torunenſis, fabrum quendam trucidaſſet, quo liberius uxoris ejusdem conſuetudine adulter uteretur.

23. Querebatur etiam Jacobus Zahn, Gedanenſis, quod Cruciferi patrem ejus in novam Marchiam ire coëgiſſent, ad conſtruendam arcem Coſtrinenſem, quam rem magno labore multoque ſumptu cum propriis impendiis diu curaſſet, ac in eo opere abſens a conjuge, liberis & familia, & veluti relegatus, diem functus fuiſſet, ideoque hæredes ejus ſtipendium & impenſas in eam rem factas repeterent, Cruciferi quaſi pro mercede omnia inſuper bona paterna liberis per ſummam vim & injuriam eripuiſſent.

24. Recolebatur etiam memoria atrox illud & enorme homicidium Conradi Letzkovii, Arnoldi Hechtii & Bartholomæi Groſſi, in arce Gedanenſi, ſub convivii ſpecie nocturno latrocinio crudeliter perpetratum.

25. Quod etiam poſt horum cædem viduis & orphanis eorum omnia bona mobilia & immobilia præter jus fasque per ſummam injuriam erepta fuiſſent, eo quod hujus cædis querelam ad Ordines Terrarum Pruſſiæ pertuliſſent. Commu-

Communis item eſt querela per totam Provinciam, quod a Cruciferis, qui jurisdictionis exercendæ poteſtatem habent. non jure, non ordine, non ratione, non æquitate, ſed pro libidine, ambitione, favore, pretio, cauſæ determinentur. 26.

Quod iſti Judices nec civilis nec canonici juris præſcriptum ſequantur, neque jure meliori ſubditis uti liceat, quam avaris dominis libeat. Si quis jus Culmenſe tanquam patrium alleget, arroganter referunt, ſe jus in ſcrinio pectoris geſtare, atque adeo illud ſubditis jus eſſe, quod ipſi velint. Si quis procurator cauſæ jus ſcriptum vel receptum morem iſtis judicibus proferat, ſi diſplicuerit, continuo advocatione & patrocinio illi interdicitur. 27.

Si procurator ita cauſam agat, ut clientis ratio deſiderat, idque judici non ſederit, carceres, mulctam, execrationes, interdum etiam atrociora expectare neceſſum habet. 28.

Pervulgatum jam hoc eſt, ut in oppidis & pagis juri dicundo Sculteti plerumque præficiantur, qui Commandatorum commenſales ſunt, & eorum auribus inſerviunt, ex illorum ore jus dicunt. Ii etiam vicarios habeant, litium concinnatores, quadruplatores, plebis oppreſſores. Neque Scabinus, qui aſſidet, contra quam ille velit ac jubeat, dicere vel mutire audeat. 29.

Cum litigatores ad arbitros eunt, vel bona gratia tranſigunt, ut finem controverſiarum habeant, tam reus quam actor mulctatur, tanquam uterque malæ cauſæ conſcius ſibi fuiſſet. 30.

Si quis vel leviter vulneratus fuerit, & adverſarium quacunque ratione motus non accuſaverit, utrique a domino mulcta dicitur. 31.

Cum coloni cenſiti penſionem frumenti vel avenæ jubentur inferre, non illud inferre ſatis eſt, quod in eorum agris provenit, ſed coguntur ex depoſitoriis dominorum duplo pluris emere, quam alioquin ex ſuis prædiis comparaſſent. 32.

Si quis tenuiorum injuria affectus ad Magiſtrum utpote ſummum Principem confugiat vel provocet, continuo ſciat, ſibi vincula parata, vel exilium, vel bonorum mulctam irrogandam. 33.

Excogitantur indies ad opprimendos & emungendos colonos novæ operæ, novæ angariæ, novæ impoſturæ frumenti & avenæ vendendæ. Ac licet quis avenam venalem non habeat, neceſſum tamen eſt ut emat, vel quam plurimo, & impotentibus dominis revendat, qui ſuo arbitrio, non vendentis commodo pretium dicunt. 34.

Cruciferi contra publicas civitatum libertates ſibi poteſtatem uſurpant, omnis generis menſuras, modios, ulnas, ſuo libitu conſtituendi 35.

di & commutandi, & in contuberniis multa pro imperio disponendi, quæ in civitatum necem & oppressionem comparata non obscure appareant.

36. Cruciferi & officiorum præfecti cogunt agricolas, privati compendii causa, non solum merces sylvestres, cineres, tabulas, & similes elaborare, sed etiam equis suis ex sylvis in civitates venales transportare, unde fit, ut ipsimet subditi interim, dum rebus suis superesse non possunt, ad extremam egestatem adigantur.

37. Cruciferi passim non solum monopolia omnis generis mercium, contra professionem Ordinis sui in detrimentum & necem civium exercent, sed etiam propolas agunt, & hyeme per proxenetas suos frumentum undique viliori pretio conquirunt, quod vere ineunte peregrinis longe pluris vendant, vel subditis colonis ad sementem faciendam obtrudant.

38. Cum navigationis tempus advenit, non conceditur ulli civium quascunque merces exportare, nisi prius Cruciferi & præfecti suas merces vel ex sententia vendiderint, vel evectionem earum præoccupaverint.

39. Præfectis oppidorum, villarum, prædiorum, sylvarum, & similibus, non stipendium, non commeatus, non utensilia præbentur, ut antiquitus fieri consueverat, sed jubentur sibi ipsis prospicere, & ea, quorum indigent, a subditis exigere. Sic oves ab avaris pastoribus lana & cute paulatim exuuntur.

40. Nulla est secundum leges animadversio in publica scelera, superbiam, luxum, fraudes, stupra & adulteria, quæ penes Cruciferos & eorum administros ac satellites jam nullo vitiorum numero censentur. Nec impunitæ solum sunt scortorum vulgarium conversationes, sed subditorum etiam uxores, filiæ & ancillæ variis artibus affectantur, & ad fraudem pudicitiæ sollicitantur.

Confœderationis origo. His & aliis compluribus causis permoti *tam militares & nobiles, quam oppidani totius Prussiæ* pro Republica in meliorem statum reducenda, pro jure ex æquo omnibus administrando, proque vi injusta a se, a liberis, uxoribus & fortunis suis propulsanda, tandem fœdus publice ineunt, idque absentibus etiam denunciant, ac diem rei penitus conficiendæ & literis publicis consignandæ alium constituunt. Interim ne sua consilia ad seditionem vel conspirationem adversus Principem per calumniam detorqueri possent, Legatos ad Magistrum mittunt, qui doceant, in quem finem isthæc confœderatio facta sit, nimirum ad dissensiones, intestinas præsertim, tollendas, ad auctoritatem ipsius Magistri sartam tectam conservandam, ad uniuscujusque honorem, vitam, familiam. & fortunas ab injusta vi & injuria vendicandas. Petunt ut Magister

gister omnes & singulos in juribus & libertatibus suis tueatur, Commandatoribus etiam & Præfectis officiorum auctor sit, ne quem præter jus, fas, æquum & bonum lædant vel injuriis afficiant. Oratio grata fuit Magistro, qui fidem subditorum erga se libenter agnosceret, & non nisi contra vim injustam, quam naturalis etiam ratio propulsare permittat, Ordines cojisse animadverteret, quantumvis primores, qui Magistro tum aderant, non omnes exempli novi rem probare viderentur. Tandem omnibus mature præparatis, ad Dominicam Judica in Mariæ insulam frequentes Ordines iterum conveniunt, Confœderationis capita in scriptum redigunt, manuque stipulata invicem spondent ac recipiunt, & subscriptionibus & sigillis suis communiunt. Ejus diplomatis contextus, ut in publicis archivis extat, talis est, qualis verbotenus sequitur.

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS. AMEN.

Confœderationis contextus.

Nos Equites, Nobiles & militares, nec non civitates Terrarum Prussiæ, infra scripti infra scriptæque, recognoscimus & contestamur publice præsentibus literis, coram omnibus hasce visuris, lecturis, legive audituris, quod nos pro Reipublicæ commodo & utilitate, in Dei laudem, & Domini nostri Magistri generalis, ac Ordinis & Provinciarum ejus honorem, & omnium nostrorum defensionem, salutem & incolumitatem, maturo consilio, deliberatione præhabita, unanimi scitu & consensu, omnium nostri Ordinis Equitum, Nobilium, Militarium civium & oppidanorum Prussiæ, Confœderationem amicam, perpetuam & stabilem, ac societatis communionem, qua in rebus & causis justis & juri conformibus alter alteri fideliter assistat, coivimus, contraximus, coimus & contrahimus vigore præsentium literarum, pro nobis Equitibus, Nobilibus, Militaribus, civibus & incolis, qui nunc in rebus humanis sunt, & in posterum erunt, ac pro omnibus iis, qui nobiscum in eodem fœdere quandoque esse, & eodem stare volent, uti nos Confœderationem eam in omnibus suis capitibus & conditionibus bona fide, citra dolum malum, sartam & inviolatam conservaturos spondemus ac promittimus. Primum, ut unusquisque nostrum, qui fœderi subscripsimus, Equites, Nobiles, Militares & civitates, qui quæve Domino nostro Magistro generali subsunt, eidem Magistro & ejus Ordini ea omnia præstent, ad quæ præstanda honeste & legitime obligantur, juxta præscriptum uniuscujusque Privilegiorum, libertatum & jurium. Eodemque modo quicunque nostrum ditionibus Reverendissimorum Episcoporum subsunt, iisdem ea omnia præstabunt, quæ honoris & juris habent obligationem, secundum uniuscujusque privilegia, libertates & jura.

Vicissim nos etiam petimus ac æquum & justum esse censemus, ut Dominus noster nos omnes & unumquemque singulatim suis juribus diplomatum & conventionum literis & immunitatibus uti, frui sinat, prout nos ac majores & prædecessores nostri iisdem juribus & literis sunt donati, ac in libertatem asserti, utque vetera gravamina aboleantur,

& nova in posterum nobis ne imponantur. Si quis autem insuper nos ad illicita adigere, vel vim adhibere volet, ne Dominus noster id committi patiatur vel conniveat, quin imo nos defendat, ac nobis in jure nostro assistat.

Si vero cuipiam nostrum, qui fœderi sumus adscripti terrigenarum vel oppidanorum, vel omnibus vel uni ex Equitibus, Nobilibus, Militaribus, civibus & oppidanis, contra jura, libertates, diplomatum ac conventionum literas, violentia seu vis injusta a quopiam ingeratur, vel res eripiantur, is de vi primum coram Principe nostro Magistro generali conqueratur. Sin actori de vi facta jus non dicatur, neque satis fiat, quod utique Principem benigne curaturum confidimus, is tunc obibit condictum juris dicundi diem, qui semel in anno juris dicendi & vis ac injuriæ vindicandæ causa celebrabitur, & ibidem querelam proponet. Quodsi judicium non rite nec eo ordine constituatur, quo appareat cognitioni legitimæ satisfactum esse, vel si judicii dies impediatur, nec actori jus dicatur, siquidem hoc Ordini equestri vel nobilitati contingat, tunc actor iis continuo, qui sunt ex nobilitate natu majores in terra Culmensi denunciet, ac causam exacte per literas vel nuncium exponat. Quo facto nobilitati & equestri Ordini cum Culmensi & Torunensi civitatibus jus erit ordinem equestrem ex cæteris quoque ditionibus, cæterasque civitates omnes, quæ hoc fœdere comprehensæ sunt, ad locum & tempus oportunum convocandi. Quo quidem loco & tempore unusquisque nostrum tam terrigenarum quam oppidanorum præsto adesse & causam audire debebit. Quæ si justa esse videbitur, exinde Equites, Nobiles, Militares, & civitates in potestate sua futurum, pro tuendo jure & honore suo & judicato faciendo profitebuntur, dabuntque omnem quam poterunt operam, ut is penes jus suum conservetur. Eodem modo si quis ex fœderatis civitatibus, civibus vel civitatum incolis, contra juris ordinem, libertates publicas, diplomatum & conventionum literas injuriam aut molestiam passus fuerit, is civitatibus Culmensi & Torunensi rem denunciet ac causam exponat, quæ civitates similiter cum equestri Ordine Culmensis provinciæ potestatem habebunt, Equites & Nobiles, Militares ex cæteris quoque ditionibus cæterasque civitates fœderi adscriptas, idoneo loco & tempore convocandi, & causam eodem, quo supra in rebus equestris ordinis expresse dictum est, modo prosequendi. Si cui vero talis acciderit causa, vel ejusmodi vis illata fuerit, ut causa cognita, statum judicii publici diem præstolari non expediat, vel si equestris ordo vel civitates eam ob causam adversus juris ordinem affligantur, vel cujusvis bona per vim supprimantur aut detineantur, eo casu fideliter ac constanter alter alteri in jure suo assistemus, & causam simul eandem omnes suscipiemus, ac ad finem communi opera perducemus, prout hoc secundum rei exigentiam operæ pretium ac necessarium fuerit. Sin autem insuper quispiam nostrum, terrigenarum, civitatum, Equitum, Nobilium, Militarium, civium vel incolarum vi opprimatur, vel corporis læsionem patiatur, vel præter meritum aut indicta causa occidatur, quod utique abominamur, id facinus conqueremur coram Principe nostro Magistro

Magistro generali, & vindictam ejus facinoris absque mora exigendam desiderabimus. Quodsi id non obtinuerimus, eo casu spondemus nos, Equestris Ordo & civitates invicem, omnes qui subscripsimus bona fide nos adeo fideliter & serio rem persecuturos, ut publice pateat, nobis omnibus eam rem maximopere dolere, & adversus auctorem facinoris, ejus affines & quorum ope consilioque factum est, in eorum corporibus & bonis, quantum summis viribus poterimus, injuriam vindicaturos. In universum autem unusquisque nostrum tam terrigenarum quam oppidanorum, alter alterius commodis studebit, in rebus æquis & justis, ac si quis nostrum quidpiam compertum acceperit, quod terris Prussiæ, nobis omnibus, vel cuilibet nostrorum, detrimento esse possit, id alter alteri denunciare, eumque, ut a malo sibi caveat, bona fide præmonere debebit, quam quidem admonitionem quilibet secreto penes se conservabit. Quicquid item in consilio publico a terrigenis & oppidanis unanimiter & more majorum decernetur ac concludetur, id per nos omnes firmiter observabitur.

Subscriptiones Nobilium.

In quorum omnium fidem & veritatis testimonium, nos Joannes von Segemberge, Vexilifer terræ Culmensis, Conradus von Schwenten, Otto von Plennichow, Augustinus von der Scheibe, Equites, Jonas vom Eichholz, Simon von Glasaw, Johannes von der Lynaw, Gunterus von Peteraw, Otto von Heselicht, Georgius von Sehfeld, Jacobus von der Trommeney, Matthias von Genten, Nicolaus Beiersehe, Joannes Rakuss, Joannes Schlumenaw, Alexander Machewiz, Joannes Logendorf, Fridericus von Polkow, Bartoldus von der Tuernitz, Petrus Strube, Joannes Mossek, Nobiles militares, nomine omnium Equitum & Nobilium militarium totius terræ Culmensis.

Joannes von Baysen, Joannes von Ruskaw, judex terrestris, Gunterus von der Delaw, Georgius von der Delaw, Alexander von Ruskaw, Nicolaus Machewitz, Ottho Strube zum Reine, Petrus von Döringswalde, Petrus Rusche von Gardin, Nicolaus von Döringswalde, Matthias von der Lvnaw, Georgius von Gezebin, Joannes von der Schlawke, Equites & Nobiles militares terræ Osterodiensis.

Nicolaus vom Buchwalde, Vexilifer, Sigismundus von Wapels, Judex terrestris, Paulus von Tesmansdorf, Equites, Gabriel von Baysen, Rasche von Lincken, Wudisch von Grünenfelde, Clemens von Dises, Nobiles militares terræ Christburgensis.

Rampzel von Crixen, Judex terrestris Risemburgensis, Stiborius von Baysen, Nicolaus Zackeraw, Nicolaus Sonnenberg, nomine Equitum & Nobilium militarium terræ Riesenburgensis.

Georgius Scholein Judex terrestris, Tidemannus von Marewitz, Joannes Pfeilsdorf, Matthias von Burckardsdorf, Equites & Nobiles militares terræ Elbingensis.

Gotscal-

Gotſcalcus von Schmolang, Joannes von Thuren, Jonas von der Jene, Paſcha Swirkotzin, terrarum Dirſchovienſis & Mewenſis.

Omnes cum plena poteſtate, juſſu & conſenſu omnium Equitum & Nobilium militarium terrarum Pruſſiæ prædictarum, a quibus miſſi ſumus, ſigilla noſtra infra haſce literas appreſſimus.

Subſcriptiones civitatum.

Et nos Præconſules ac Conſules civitatum Culmenſis, Torunenſis, Elbingenſis, Brunſpergenſis, Regiomontanæ, Gedanenſis, Kniphovienſis, Grudentinæ, Strasburgenſis, Neomarchenſis, Lebaviæ, Redenſis, Torunenſis novæ, Elbingenſis novæ, Lebnicienſis, Welawienſis, Allemburgenſis, Hilgenbulenſis, Zinthenſis & Landspergenſis, ex plena poteſtate, conſenſu, juſſu & commiſſione noſtrorum Seniorum, Scabinorum, civium, incolarum & totius noſtræ communitatis, civitatum earundem ſigilla appendimus.

Ac pro majori ſecuritate & certiori confirmatione ſpondemus nos Equites & Nobiles militares omnes ſupraſcripti pro nobis & cæteris Ordinis noſtri præſentibus & futuris, proque omnibus, qui jam hoc fœdere comprehenſi ſunt, & in poſterum eidem adſcribi deſiderabunt. Et nos Præconſules & Conſules civitatum prædictarum ſpondemus pro nobis, noſtrisque Senioribus, Scabinis, civibus, incolis & tota communitate, præſentibus & futuris, qui nunc in fœdere ſunt & in poſterum erunt, omnia capita omnesque articulos in fœdere expreſſos, bona & indubitata fide, pro honoris & exiſtimationis integritate, citra fraudem & dolum malum perpetuo, firmiter & inviolabiliter conſervaturos, & huic confœderationi ſummis viribus per omnia ſatisfacturos. Acta ſunt hæc & expedita in Mariæ inſula feria ſecunda poſt Dominicam Judica, anno Domini ſupra milleſimum quadringenteſimum quadrageſimo.

Reliquæ Subſcriptiones.

Inde poſt ferias paſchales Gedanum convenerunt & fœderi ſubſcripſerunt civitates Dirſchavia, Chonicia, Stargardum, Mewa, Schweza, Gedanum vetus, Neoburgum, Lawenburgum, Leba, Hela & Puſcum. Quibus acceſſerunt Equites & Nobiles militares, territoriorum Gedanenſis, Lawenburgenſis & Pucenſis.

Deinceps eadem æſtate, ipſo die, qui Divo Joanni Baptiſtæ ſacer eſt, ſubſcripſerunt Mariæburgi, civitates Mariæburgum, Mariæ inſula, Barteſteinium, Schippenbilum, Raſteburgum, Fridlandia & Tucholia. Acceſſerunt Equites & Nobiles militares Epiſcopatus Warmienſis communiter omnes, & ejusdem civitates Heilſperga, Wormditum, Reſela, Guttſtadium, Wartemberga, Seburgum, Biſchoffſteinum, Alenſteinum, Frawenburgum, Melſacum, Crucisburgum, Domenavia, Stuma, & ex territorio Balgenſi Philippus von Byſeleden & Petrus Tolkyne Equites ambo.

Diverſa Cruciferorum

Fœdere hunc ad modum inito & confirmato, omnes jam communiter incolæ quaſi ex immaniſſimæ tyrannidis ſervitio paulatim reſpirare

rare videbantur, quod Cruciferis frenum injectum, & conjunctis publice omnium animis minor eſſet ad lædendos & opprimendos ſingulos audacia futura. Et Magiſter quidem ipſe non ſolum confœderationem eam non improbabat, ſed promittebat etiam Ordinibus, ſe ratam illam habiturum, cum quod non iniquum exiſtimaret, quemvis impotenti libidini & injuriæ quoquo pacto reſiſtere, tum quod in illorum publico conſenſu ſuam etiam incolumitatem ſibi certiorem a fratrum inſolentia futuram confidebat. Una cum Magiſtro undequadraginta Commandatores, præfecti & primores in eandem Confœderationem conſentiebant, ſive quod Magiſtro gratificarentur, ſive quod conniventibus oculis primum iſtum tuendæ libertatis fervorem tolerandum putarent, donec melior & magis idonea contradicendi occaſio ſeſe offerret. Cruciferi autem promiſcue cæteri vehementer dolere, obſtaculum aliquod ſuis libidinibus objectum, furere, & palam Magiſtri ignaviam increpare, quod is ſubditis ac ſervis, quos Marte ac gladio ſubegiſſent, tantum indulgeret, ut etiam adverſum Dominos cervices auderent erigere, deteſtari fœdus & fœderis auctores, tanquam perfidos & rebelles, & nihil non moliri, quibus artibus, qua vi vel fraude ſocietatem illam expugnarent ac reſcinderent. Interim nihil de conſueta ferocia erga miſeros ſubditos volente nolente Magiſtro, remittebant, incendiis, cædibus & injuriis rebelles ad officium, quod ipſos eo fœdere deſeruiſſe jactitabant, adigere conabantur, ſic ut illorum inſidiis aliquando una nocte diverſis in locis ſeptendecim viri, nobiles & equeſtris ordinis, qui fœderi adhærebant, prædiis illorum direptis & incenſis, interficerentur, cum nemini liquido conſtaret, quis ejus ſacinoris nomine eſſet conveniendus. Multa alia hujus generis perpetrata ſunt non minus crudeliter quam inſolenter, quibus confœderationem illam Cruciferi convellendam exiſtimabant. Confœderati interim res ſuas conſtanter tueri, ac ut quemque compererant, qui ſociis vim, injuriam, necem, clam vel palam intuliſſet, in illum eadem via graſſari, & ſeu noctu ſeu interdiu injuriam vindicare: ac quod fœderis caput erat & fundamentum, illud præcipue urgere, ut dies judicii publici de vendicanda vi conſtitueretur, quod tandem magna contentione, permittente Magiſtro, obtinuerunt.

Erga fœdus affectio.

Judicii generalis exercitium.

Ubi in judicium ventum eſt, multæ paſſim querimoniæ, partim recentes, multo plures autem veteres in Cruciferos productæ, de vi facta, de injuriis illatis, de uxoribus & liberis ſtupratis, de parentibus, agnatis & amicis clam trucidatis, de bonis & facultatibus per vim ademptis & direptis. Sed plurimum ad legitimam cognitionem peragendam obſtitit, quod Cruciferi imperio magis quam jure agerent, & a ſatellitibus quam a jure cauſæ eſſent inſtructiores. Inter cæteros controverſiam habuerat Johannes a Bayſen Eques Nobilis cum Epiſcopo Varmienſi, occaſione lacus piſcationi maxime idonei. Epiſcopus lacum eum per vim occupaverat, & a Bayſenio in jus apud Magiſtrum vocatus fuerat. Magiſter, ut illum emolliret, & a propoſito abduceret, promittit ſe jacturam ejus lacus illi duplo reſarturum, modo provocatione illa deſiſteret. Bayſenius pluris æſtimans publici fœderis auctoritatem, quam privatæ rei emolu-

emolumentum in incepto perſtitit, & rem in judicium deduxit. Abjudicatur lacus Epiſcopo, Bayſenio reſtituitur. Inde catervatim alii ſubſecuti, qui de rebus longe prægnantioribus querelas ad animadverſionem honoris, corporis & fortunarum pertinentes, ibi ferme manifeſta vis, damnum injuria datum, cædes, oppreſſiones nocturnæ, rapinæ, adulteria, ſtupra oſtendebantur. Nolebant Judices vetera & obſoleta moveri, fuiſſet enim hoc infinitum, ea ſaltem, quæ in recenti hominum memoria verſarentur, atque adeo quæ hoc ipſo Magiſtro injuſte nefarieque perpetrata fuiſſent, recipiebant. Cum horum temporum actiones recentes una atque altera propoſita & diſceptata fuiſſet, & jam ad ſententiam procedendum eſſet, Cruciferi, qui in conſilio una aſſidebant, & cæteri, qui cum ipſis ſentiebant, & frequenti comitatu aderant, tumultu ſtatim excitato, magnis clamoribus fremebundi ſe ex conſilio proripiunt, omnemque actionem infectam relinquunt, interminationibus hujusmodi palam additis, nunquam nobiles & oppidanos iſtos eo die in rebus humanis futuros, quo poteſtatem habituri deinceps eſſent, de Fratribus Ordinis & Cruciferis, quos pro Dominis haberi oporteret, ſtatuendi vel decernendi. Hoc maxime modo judicium illud publicum, quod omnibus ſanis poterat ab impendentibus malis eſſe remedium, primo per violentiam eluſum, nec in poſterum, quod memoriæ proditum ſit, reſtauratum, donec tyrannide iſta plus quam manifeſta plane tandem concideret.

Controverſia trium conventuum.

Secundum hæc nulla res majori curæ fuit Ordinibus, quam quo pacto cauſam trium conventuum Regiomontani, Balgenſis & Brandeburgenſis, a Cruciferis diſſidentium componerent. Hi diſcordias pene capitales cum Magiſtro & Cruciferis exercebant, adeo ut indies metuerent, ne a Cruciferis bello & armis opprimerentur. Moverat eos eadem cum Cruciferis cauſa, quod publici ſtatus emendationem poſtulaſſent, quod injuſtam ſubditorum oppreſſionem improbarent, ſuas etiam privatas injurias dolerent. Ut igitur contra vim ſe munirent, opem fœderatorum Ordinum implorabant. Primum petebant, ut, ſi a Cruciferis bello peterentur, liceret ipſis ad Regiomontanos ſe recipere, ac, ſi Magiſter eos inde evocare vellet, tantisper ibi defenderentur, donec in publico Pruſſiæ conſilio cauſam dixiſſent, ubi ſe legitimæ Ordinum cognitioni ſtituros ſpondebant. Deinde petebant, ut Nobilitas & civitates conjunctis precibus indictionem conſilii publici ad audiendam cauſam ſuam impetrarent, ejusque adeundi poteſtatem publica fide illis facerent. Tandem a Magiſtro precibus efflagitari petebant, ut una cum cæteris Ordinibus illos in jure ſuo & libertatibus ſuis conſervaret, priſtinam omnibus Ordinibus concordiam redderet, ne occaſio daretur vicinis Principibus domeſtica diſcordia laborantes opprimendi, utque ad eam concordiam firmius colligandam Magiſtri provinciales Germaniæ & Livoniæ, qui & ipſi cum Cruciferis Pruſſienſibus ſimultates alebant evocarentur. Non modo æquum petere viſi ſunt, ſed exiſtimatum etiam pro Reipublicæ commodo & recuperanda Ordinum concordia, vix alia commodiori ratione rem expediri poſſe. Conſilio ab omnibus comprobato, placuit internuncios ea de re ad Magiſtrum mittere, qui eum a propoſito dehortentur, & ut jure potius experiretur, quam vi ageret, & ad conſtituendam concordiam non ad perturbandam pacem publicam rationes inſtitueret, accurate moneant. Interim & hoſpitium & defenſionem iis, qui juri & legitimæ cognitioni ſeſe offerrent, a violentia denegari non debere, donec de omnibus controverſiis conſilio publico decernatur. Sin autem his neglectis Magiſter conventibus bellum inferre, & armata manu Regiomontanas civitates ingredi vellet, Regiomontanos non videri contra fidem & officium facturos, ſi tantum militum Magiſtri in oppida ſua reciperent, quantum civibus & hoſpitibus non ſit moleſtum vel periculoſum. Conſilium autem publicum primo quoque tempore, tam Ordinibus Pruſſiæ, quam qui in Germania & Livonia Reipublicæ partes adminiſtrant, indicere maxime videri neceſſarium. Internuncii ad Magiſtrum miſſi eo rem perduxere tandem, ut is ſancte polliceretur, ſe vim nulli facturum, ſed omnes diſcordiarum cauſas, ſi non amice bonaque cum gratia, at jure ſaltem & legitima cognitione transacturum, cæteras etiam querimonias Nobilitatis ac civitatum benigne auditurum & quantum fieri poſſit, emendaturum.

Conventus Elbingenſis de vectigalibus abrogandis.

His rebus peragendis conventus Elbingam eſt indictus ad feſtivitatem Aſcenſionis Dominicæ ejusdem anni. Cum frequenter Ordines conveniſſent, prima acerrima fuit contentio de portorio librali, nec non cæteris vectigalibus abolendis, quibus maxime libertates ſuas labefactari querebantur Ordines. Magiſter vero videri volebat, ſe libertates Ordinibus integras relinquere, vectigalium autem exactionem jure optimo a ſe uſurpari contendebat. Illi contra, eum cum Magiſter deſignatus eſſet, liberos ſubditos in poteſtatem accepiſſe, libertatem Ordinum juramento ſanxiſſe, eamque ſe incolumem ſervaturum ſpopondiſſe, hanc libertatem ſe ab ipſo repetere. Magiſter autem ſua diplomata ac privilegia oſtentare, & ab iis ne latum quidem unguem decedere velle: Se, cum Magiſter deſignaretur, in eas libertates juraſſe, quæ tum Ordinum eſſent, de vectigalibus jam pridem inſtitutis nihil expreſſum fuiſſe. Injecta demum mentio, ut incolæ quidem immunes a vectigalibus eſſent, non autem peregrini. Cum hoc etiam repudiarent Ordines, & omnimodam Pruſſiæ libertatem a vectigalibus urgerent, fractus tandem Magiſter Ordinum pertinacia, tempori cedendum duxit, ac immunitatem eam omnibus tribuit. Ordines viciſſim receperunt, quotiescunque res poſtularet, ſe ſuis facultatibus & opibus Reipublicæ quam promptiſſime proſpecturos. Ita vectigalium abolitio tum quidem Cruciferis extorta fuit, ſed ad ſpeciem magis, quam ut diuturna fuerit ejus libertatis poſſeſſio.

Transactum cum conventibus.

Deinde controverſiæ trium conventuum cum Magiſtro tractari cœptæ, eamque in rem arbitri dati, Franciſcus Epiſcopus Varmienſis & Conradus ab Erlichshauſen magnus Mareſcallus, qui opera Ordinum adhibita id tandem perfecerunt, ut omnes eas controverſias, bona utriusque partis gratia, omnium opinione citius & facilius ſopirent ac componerent. Super quibus etiam literæ publice confectæ, & ſponſiones utrinque interpoſitæ. Nec minor cura Magiſtri fuit, ut domeſticas quo-

que ſimultates, quibus inter ſe Cruciferi laborabant tolleret, metu ſcilicet majoris contentionis, quæ cum Magiſtris provincialibus imminebat, ideoque ſatius videbatur conjunctis domi animis, quam diſtractis voluntatibus in hoc certamen deſcendere.

Controverſia Magiſtrorum.

Hujus diſſenſionis inter Magiſtrum & Promagiſtros præcipua ferme cauſa erat, quod ambo Promagiſtri absque auctoritate & conſenſu generalis Pruſſiæ Magiſtri ad eam dignitatem fuerant evecti. Et Livonienſem etiam alia ſimultas impellebat, aſportati videlicet ex Livonia theſauri, cujus alibi meminimus. Magiſter itaque generalis habito in Pruſſia Capituli concilio Germaniæ Promagiſtrum exauctoraverat. Is viciſſim in Germania Pruſſiæ Magiſtrum ſuo loco indignum pronunciaverat, nimirum, quod is Conſtitutiones publicas olim a Magiſtro Wernero de Orſelen communi calculo ſancitas violaſſet, quod in Pruſſia male & avare rem adminiſtraret, quod diſcordias & ſimultates inteſtinas cum Conventibus, primoribus Ordinis, ac ſubditis exerceret. Quibus accedebant multæ privatæ controverſiæ, ad quas componendas Conventus indictus fuit Gedanum. Venerunt ambo Magiſtri Provinciales, Eberhardus de Sansheim Germaniæ & Italiæ, & Heinricus Finck de Auerberg Livoniæ. Hunc tamen annales Livoniæ biennio poſt deſignatum, non absque errore demonſtrant. Multum laboris & operæ tam a Cruciferis & Epiſcopis, quam fœderatis nobilitate & civitatibus impenſum fuit, quo gliſcenti malo maturius occurreretur, ſed fruſtra fuit omnis ſuſcepta actio, animis præter opinionem nimis vehementer exacerbatis. Itaque paulo poſt re infecta utrinque diſceſſum eſt. Interim & nobilitas & civitates varia quoque cum Magiſtro tractabant, de gravaminibus ſuis abolendis, & juris ac Reipublicæ ordine meliori conſtituendo, idque eo diligentius urgebant, quo magis ambo Promagiſtri dum adeſſent auctoritatem interpoſuerant. Quibus præſentibus fidem Magiſter Ordinibus dederat, ſe quamprimum facere poſſet, illorum petitionibus probe ſatisfacturum. Et ipſe quidem ab æquitate rerum illarum, quæ petebantur, non erat alienus, ſed pervicacia & ambitione primorum ex Cruciferis plane ad alia conſilia præceps trahebatur. Et ſicut Ordinibus prout volebat ſatisfacere non poterat, ita nullam in obſequendo gratiam a Cruciferis inibat, utrinque ſolus & invidiæ & moleſtiæ expoſitus. Huc accedebat atrox diſſenſio cum Magiſtris Provincialibus, cujus componendæ neque modus neque ratio tum apparebat. His circumventus curis, & fortunæ inſanientis injuria oppreſſus, etiam ipſa ſenecta ad mali cumulum accedente, animi mœrore incidit in morbum, a quo ſe convaleſcere poſſe ſperans, ſi mole tam gravis imperii levaretur, in conventu publico Mariæburgenſi, ipſo die Nicolai, Magiſtratu ſemet abdicavit; ac inde in montem Regium ſecedendi & reſiduum vitæ privatim absque aulæ ſtrepitu peragendi conſilium cepit. Quo cum proficiſceretur, die viceſima nona Decembris, ſub initium anni poſt Chriſtum natum ejus ſeculi quadrageſimi primi, Elbingæ vitam cum morte commutavit, cum jam undeviceſimum annum Magiſtratui præeſſet. Ultimo gubernationis ejus anno Fridericus tertius Auſtriacus Romanorum Imperator dictus

Magiſtri obitus.

An. 1441.

eſt, & Vladislaus Poloniæ Rex Jagellonis filius in Ungariæ regnum aſcitus. Errant igitur vulgati codices annalium Pruſſicorum, qui hujus Magiſtri obitum ad annum 1438. referunt. Acta enim harum terrarum Pruſſiæ publica, quorum fides extra omnem dubitationis aleam poſita eſt, diſertis verbis teſtantur, quod hic Magiſter anno 1439. Francofurti ad Mœnum, cum Magiſtris provincialibus in arbitros compromiſerit, quodque deinde circa finem anni 1440. cum iisdem Gedani convenerit, ac de rebus communibus tractaverit, demum etiam die Nicolai in conventione publica Magiſtratum reſignaverit. Itaque menſe Januario ſequentis anni Ordines non cum Magiſtro, ſed cum Epiſcopis & Cruciferorum Proceribus actiones fuſceperunt, ubi tum primum obitus Magiſtri mentio fit, & de novo ſubſtituendo deliberatur. Ex quibus certo certius conſtat, hunc Magiſtrum finem anni 1440. & initium ſequentis attigiſſe.

Eodem tempore, priusquam novus Magiſter eligeretur, ab Ordinibus Pruſſiæ ex conſilio publico Legati miſſi ſunt in Hollandiam ob naves viginti duas jam antea captas, & damna deinceps ſubſecuta. Miſſi itidem in Daniam ob privilegia & immunitates Pruſſiæ & Cruciferorum Ordini jam olim conceſſas, & nunc haud parum violatas, nec non ob damna, quæ abhinc aliquot annis per Danos prædantes & latrocinantes in mari Pruſſis illata fuiſſent. Cum Hollandis quidem ad certum diem Hafniæ conductum in has conditiones transactum fuit: Ut omnes homines omnesque merces, qui quæve interim poſt interceptas viginti duas naves captæ detentæve eſſent, tam in Pruſſia quam in Livonia, libertati ſuæ reſtituerentur: Si quis interim pretio ſe redemiſſet, pretium reciperet: Ut damnorum nomine de captis viginti duabus navibus Hollandi Pruſſis ſeptem millia, Livonibus duo millia librarum Flamicarum intra quadriennium Brugis in Flandria exſolverent: Ut Legati Ducis Burgundiæ nomine Principis ſui ſponderent, eam pecuniam ex ejus ditionibus tuto, ſine periculo & impedimento evectum iri: Ut ſi quis Pruſſorum vel Livonum deinde probaverit, plus damni ſibi datum, quam nunc in rationes retuliſſet, qui damnum dediſſet, eodem quo cætera æſtimata pretio lueret: Quicquid poſt captas naves nocitum ſit, arbitrio Ducis Burgundiæ & Magiſtri Pruſſiæ dijudicaretur: Ut interim Hollandis in Pruſſiam & Livoniam tuto navigare liceret, ac Pruſſi & Livonienſes libero commerciorum uſu in ditionibus Ducis Burgundiæ more majorum fruerentur: Ut Burgundus & Magiſter his conditionibus intra ſextum menſem ſubſcriberent. Ab Rege Daniæ Chriſtophoro obtenta ſaltem fuit confirmatio privilegiorum, quæ Cruciferis & Pruſſis iam antea dudum a Regibus Haquino, Magno, Waldemaro, & poſtremum anno 1398. ab Erico conceſſa fuerant. Cæterum de damnis, quæ Dani Pruſſis hactenus intulerant, nihil æqui nunc impetrari potuit.

An. 1441. Res Hollandica.

Diem functo Paulo Rusdorfienſi ſubſtitutus eſt Magiſter generalis viceſimus ſeptimus Conradus ab Erlichshauſen, magnus antea Marefcallus, vir alioquin mitis & ſedati ingenii, quique nihil intentatum relinqueret,

XXVII. Conradus von Erlichshauſen.

linqueret, quo concordia inter Ordinem & ſubditos coaleſcere poſſet. Sed & ipſe itidem ut Anteceſſor Cruciferorum fluctibus & ventis agitatus, eo ferme quo ipſis libuiſſet, navem dirigere cogebatur. Cum is die, quæ præcedit feſtivitatem Paſchatos, quarta fuiſſet electus, Ordines fœderati ex Conventu Mariæburgenſi ad Dominicam Quaſimodogeniti celebrato, Magiſtrum adeunt, atque ibi Promagiſtros ambos Germaniæ & Livoniæ præſentes vident, qui re pridem infecta diſceſſerant, ſed paulo poſt audita Magiſtri morte ex itinere reverſi fuerant. His præſentibus, Magiſtro novam dignitatem gratulantur, ſubjectionem & obedientiam deferunt, privilegia & jura ſua ſalva præſtari petunt. Ibi ſtatim de juramento fidelitatis mota fuit quæſtio, cum novus Magiſter aliam juramenti formam, quam a majoribus uſurpata fuerat, præſcriberet. Semper enim antehac Ordines dicere juramentum ſolebant fidei & operarum ſoli Magiſtro præſtandarum. Nunc Cruciferi ſubditos per idem juramentum etiam Ordini ſuo volebant obſtringere, quod Ordines terrarum novo exemplo factum penitus repudiabant, cum nullum Dominum ex Ordine Cruciferorum præter Magiſtrum ipſum agnoſcere ſoliti fuiſſent. Re aliquandiu jactata, ita tandem convenit, ut more majorum ſubditi in ſolius Magiſtri verba jurarent, & ſaltem in eum eventum, quo Magiſter inter vivos eſſe deſiiſſet, interim in fide Ordines ſe futuros profiterentur, quoad novus Magiſter fuiſſet deſignatus.

An. 1442. Contentio de Vectigalibus reſtaurandis.

Anno ſequenti, cum jam novus Magiſter Conradus omnes terrarum Ordines jurata fide ſibi obſtrinxiſſet, Cruciferi continuo ad vetera vectigalia, tam terreſtria quam maritima, quæ non ita pridem abrogata fuerant, repetenda cogitationes adjicere cœperunt. Illorum igitur inſtinctu Conradus menſe Martio Ordines terrarum Elbingam evocat, docet quantos ſumptus Prædeceſſores ejus pro incolumitate Provinciæ fecerint, quibus bellis, expeditionibus, & multis aliis impenſis ærarium plane exhauſtum eſſet, proventus autem adeo tenues, ut vix ipſe victum tolerare & familiam alere pro dignitate poſſit. Quamobrem omnino ſe eo neceſſitatis adigi, ut portorium maritimum librale & cætera vectigalia reſtauraret, idque ſe jure ac merito facere, ex indulto privilegii Hermanno Saltza & ſucceſſoribus Magiſtris per Imperatorem Fridericum ſecundum conceſſi, quo plenam haberet poteſtatem in terris Pruſſiæ vectigalia omnis generis aquatica & terreſtria, quoties uſus eſſet, conſtituendi. Ad ea quanquam cæteri ex Nobilitatis ordine, qui tum aderant, aſſentirent, nec ſe Magiſtrum Imperiali privilegio defraudari velle dicerent, tamen Nobilitas Culmenſis & civitatum Internuncii, nequaquam in novas exactiones conſentire voluerunt, ſed ampliorem ejus rei deliberationem in conſilio publico haberi poſtularunt. Extracta res eſt in menſem Aprilem, & a Culmenſi Nobilitate & civitatibus, re inter ſe deliberata non aliud reſponſum Magiſtro datum eſt, quam quod peterent, ut penes eas libertates, in quarum poſſeſſione ipſos inveniſſet, in quas ipſi Magiſtro juraſſent, conſervaret, neque ullis novis oneribus prægravaret. Anteceſſores ejus omnium vectigalium onera liberaliter abrogaſſe, liberos ipſum cum imperio ſubditos accepiſſe, liberos etiam ex promiſſo relinqueret. Cum Magiſter propoſitum urgeret, illi vero publicis terrarum libertatibus eo modo vehementer derogari exiſtimarent, cenſerent etiam, ſi portorium iſtud ſuo loco reponeretur, Hollandos cauſam arrepturos, quo minus transactioni nuper initæ ſatisfacerent, quoniam hoc pacto libere in Pruſſia negotiari non poſſent, deinde Anglos & cæteros extraneos alio navigaturos, unde futurum, ut ſal cæteræque merces, quas illi advectant, cariori pretio ſint futuræ, illæ vero, quæ hinc exportari conſueverunt, viliſſimo: Magiſter contra transactionem Hollandicam ita ſcriptam interpretaretur, ut cuivis ſua jura ſuaque privilegia ſalva eſſent, Anglos autem cæterosque peregrinos non magis ab harum terrarum vectigalibus immunes eſſe poſſe, quam alii in eorum regnis ſint, qui cum illis commercari velint; re cum multa diſceptatione ultro citroque agitata nihil tum certi conſtitui potuit. Aliquot poſt diebus interjectis, Epiſcopus Riſemburgenſis, qui hiſce actionibus intererat, & nonnulli ex Nobilitatis primoribus, de certis conditionibus mentionem injecerunt, quibus portorium illud admitti poſſet, nimirum ut ab exteris ſaltem, non etiam ab incolis id exigeretur. Verum hoc civitatibus nequaquam integrum fuit, quod jam antea repudiatum fuerat, quodque exiſtimarent ea ratione in ſuos etiam mercatores in Anglia, Dania, Belgio, nova vectigalium onera impoſitum iri. Magiſter vero eodem ſe jure uti in Pruſſia, quo Reges & Principes in ſuis ditionibus uterentur, & vectigalia, quæ vellent, conſtituerent, perhibebat, idque eo minus reprehendendum dictitabat, quod urgente neceſſitate ad hoc remedium deſcenderet, quod ſæpius Anteceſſorum plerique uſurpaſſent, nec poſſe quenquam officium Magiſterii pro dignitate ſuſtinere, niſi proventibus vectigalium adjuvaretur. Objiciebant civitates, priores Magiſtros portorium iſtud librale non ultra hominum memoriam uſurpaſſe, & eſſe adhuc inter vivos, qui meminiſſent portorium iſtud ante annos quinquaginta in rerum natura nondum fuiſſe, ac nihilominus Magiſtros & pro dignitate & pro amplitudine muneris officium adminiſtraſſe, bella multa geſſiſſe, arces & oppida condidiſſe, multaque præclara feciſſe, citra ſubditorum expilationes. Portorium iſtud primum a civitatibus maritimis inventum in eum uſum, ut piratæ latrociniis mare infeſtantes reprimerentur, quibus jam coërcitis nihil ejusmodi onere opus eſſe. Tandem petebant, ne in præſentibus rerum omnium anguſtiis, quibus Ordines varie premerentur, novas ſubditis afflictiones adjiceret. His diſceptationibus in menſem usque Majum protractis, cum interim etiam calumniæ non deeſſent, de privilegio Magiſtri perperam excogitato & recens confecto, præſertim quod ejus exemplum Ordinibus negabatur, tandem Conradus; Quandoquidem, inquit, per vos prohibeor, quo minus meo jure & arbitrio portorium conſtituere poſſim, cedam equidem pauliſper, vos aliunde rationes conquirite, quibus ſumptus ad gerendum pro dignitate officium ſuppetant. Tenuit ea conſulatio usque in menſem Decembrem, nec quidquam civitates de propoſito ſuo remiſſuræ videbantur. Itaque Epiſcopi Varmienſis & Riſemburgenſis cum Joanne Bayſenio, qui quoquo modo rem componi volebant, accerſitis ſeparatim ad ſe civitatum Internunciis in hanc ſententiam locuti ſunt: Res agitur, amici,

amici, quæ non vos ſolum, ſed etiam omnium noſtrorum rationes concernit, eoque maturius expendendum, quid magis ex uſu publico videatur. Satis omnibus conſtat, Magiſtri ærarium vehementer nunc pecuniis indigere, eas unde conquirat, duas rationes habet, unam quam ſuo jure uſurpare poſſit, nimirum, ut ex poteſtate principali vectigalia & portoria conſtituat, alteram quæ in benevolentia ſubditorum ſita eſt. Priorem illam cum & mali exempli eſſe exiſtimatis & vobis alibi periculoſam, quo obſtinatius recuſatis, eo proniori vobis animo cogitandum eſt, quo tandem pacto & periculum omne avertatis, & Domino veſtro indigenti ſuppetias feratis. Alioquin certe utraque ratione plane rejecta fieri non poteſt, ut inter Dominum & ſubditos conſtans & mutua permaneat benevolentia. Quod ut magis ad animum revocetis, id ſecreto vobis concredimus, quod Magiſter adverſus quinque majores civitates, quas commodis ſuis obſtare maxime putat, jam pridem citationes Imperiales obtinuit, quibus ad cauſam violati privilegii dicendam evocantur. Quantæ ſit res difficultatis futura, præſertim cum cæteri plerique ab adverſis partibus ſtabunt, vosmet facile poteſtis intelligere. Melius profecto longeque conſultius eſſet, ſi portorium abominamini, de aliis rationibus cogitare, quibus Principis inopiam ſublevetis. Hac in parte ſi conſilium noſtrum deſideratis, res in expedito eſt, ſi poculentorum falcidia conſtituatur, cujus pars ad uſum Magiſtri, pars ad civitates & cæteros Ordines proveniat. Sic & vos aliquod inde commodum percipietis, & Magiſter cauſam non habebit, ob quam ex Privilegii indulto ad aliorum onerum impoſitiones deſcendat. Neque iſthæc falcidiæ præſtatio perpetua erit, ſed in certos ſaltem annos communi conſilio & conſtituetur & abrogabitur. Sic res denuo in deliberationem protracta eſt.

Livoniæ Promagiſter

In hunc eundem annum Livonici annales Promagiſtrum ponunt Heinricum Finck de Auerberg, ſed verius eſt ſecundum acta publica terrarum Pruſſiæ, eum biennio ante Magiſtrum fuiſſe deſignatum. Hic binas expeditiones in Ruſſiam fecit, eamque nemine reſiſtente ferro & flamma longe lateque devaſtavit.

An. 1443. Portorium repetitum.

Hæ actiones, quas diximus, de portorio maritimo multoties variis altercationibus repetitæ in annum ſequentem protractæ fuerunt. Sed cum finis non appareret, ac ea res majoris diſſenſionis materiam præbitura videretur, quam ut publica concordia retinenda eſſet, & jam majores civitates Culma, Torunium, Elbinga, mons Regius & Gedanum edictis Imperialibus ad judicium ejus controverſiæ cum Principe ſuo exercendum evocatæ fuiſſent, non utique in ea cauſa benignum judicem habituræ, ac jam tum appareret, portorium, quod nunc recuſabant, paulo poſt Imperiali decreto ſibi impoſitum iri, falcidiam autem poculentorum omnes Ordines repudiarent, tandem conſenſerunt, ut Magiſter portorium iſtud exigeret eo modo, uti ab Anteceſſore exactum fuerat, idque perciperetur ab uno Cruciferorum & uno Senatorum in ſingulis civitatibus maritimis, ac triens in uſus civitatum cederet. Viciſſim ſpopondit Magiſter, ſe deinceps, quoad vixerit, nulla alia vectigalia impoſiturum

ſiturum nulloque alio exactionis genere civitates oneraturum: niſi qua gravior neceſſitas inciderit, cui conſulendæ Magiſter cum omnibus Ordinibus ex communi decreto operam adhibebit, nec privata auctoritate quicquam conſtituet. Et ita quidem hic annus deinceps in Pruſſia quietus fuit, & a contentionibus inter Principem & ſubditos nonnihil remiſſum.

An. 1444. Vladislao Polono Casimirus ſuccedit.

Sequens annus nihil de priori tranquillitate Pruſſiæ immutavit, Polonis autem & Ungaris funeſtus fuit, Rege illorum Vladislao ad Varnam cum exercitu a Turcis victo cæſoque. Incidit memorabilis illa pugna in ejus anni diem Novembris undeviceſimum, eum qui diem beato Martino ſacrum præcedit. Poſt hujus Regis obitum de Regno Poloniæ contenderunt Boleslaus Maſoviæ Dux, & Caſimirus Vladislai frater. Biennio iſthæc contentio duravit, poſt quod Boleslaus ſponte ceſſit, & Caſimiro regnum reliquit.

1445. Vaticinium Eremitæ de Cruciferis.

Nunc ne ſequens etiam annus, quo res in Pruſſia itidem tranquillæ, prorſus a rebus Ordinis vacet, libet hic recenſere vaticinium de rebus Cruciferorum tandem peſſundandis, hoc ipſo anno editum, & in omnibus ferme vulgatis Chronicorum codicibus decantatum, non ut quicquam vel ſuperſtitioni vel affectioni dare velim, ſed rem ſimpliciter, uti memoriæ prodita extat, exponam. Erant Confluentiæ (quod oppidum non incelebre eſt ad Rhenum, ubi is Moſellæ fluvio miſcetur, etiam hodie domo Ordinis ejus Teutonica nobilitatum) duo fratres Ordinis, Gregorius Leimingerus Clericus, & Wernerus Eidmansfeldenſis Eques, qui multa ſæpius inter ſe de confœderatione Prutenica ſolebant familiariter conferre, ſæpe etiam de conſiliis contentionibusque fratrum & ſubditorum in Pruſſia ſermones habere, prout quamque rem ibi geſtam literis cognoverant, ſemper autem dubitare, quisnam tandem rerum illarum eventus aliquando futurus eſſet. Erat non procul inde in Galliæ confinio Eremita quidam ſanctitatis opinione clarus, rerum vero futurarum prædictionibus celebris, hunc decreverunt de rerum Pruſſicarum eventu clam, omnibus inſciis, conſulere. Ut ſuſpicionem omnem vitarent, petunt ab Ordinis præfecto miſſionem paucorum dierum, quibus amicos & domeſticos ob negotia quædam inviſerent. Qua impetrata veſtem continuo mutant, ne ſcilicet ab Eremita agnoſcerentur, & hominem adeunt. Is continuo illis agnitis, primo congreſſu graviter eos objurgare cœpit, quod veſtem Ordinis ſui temere mutaſſent, & ſe quem futura prævidere exiſtiment, in rebus præſentibus nuda veſte fallere voluiſſent. Illi ubi ſe proditos vident, hoc ipſo magis ac magis de divinationis ejus veritate confirmati, rem ipſam protinus fatentur, qua de cauſa ad ipſum venerint oſtendunt, ſtatum rerum Pruſſicarum demonſtrant, quid optimum factu exiſtimet, quo Pruſſia fratribus ſalva ſit, exquirunt. Ille aliquantum deliberabundus: In Pruſſia (inquit) nulla religio, nullus Dei cultus, nulla fides, nec vitæ integritas, denique, ut ſemel omnia dicam, nullus jam ferme Deus eſt. Agmina malorum ſpirituum in comitatu Anſeris Bohemici in eam involaverunt, ibi quo magis pennæ iſtius

Anſeris evelluntur, eo latius diſſeminantur. Et fratres veſtri pennis iis maxime delectantur, & earum nitore freti ſubditos exiſtimant ſe facilius opprimere poſſe. Verum hæc conſilia in propriam eorum perniciem tandem redundabunt, & ab his ipſis pennis hoſti ſe proditos videbunt. Nimirum hæc omnia Deus optimus maximus ſuo arbitrio diſponit, cui prava & impia omnia maxime diſplicent. Ordinis enim iſtius Prutenici religio in ſpeciem ſimulata nihil jam eſt aliud, quam ſuperbia, ambitio, avaritia, fraus, injuſtitia, violentia, & dominandi libido, quibus miſeros homines opibus non ſolum & fortunis ſpoliant, vita & membris crudeliter mulctant, ſed animas etiam proculcata pietate perdunt. Quid igitur de infelici rerum iſtarum eventu requiritis? an ego plus divinando ſcire poſſum, quam quilibet oculatus exemplo plurimorum ſimilium haud dubie ſit judicaturus? Profecto magnus ille Deus, qui quid ſinguli agunt præſens videt auditque, ſi ſemel ad vindictam deſcenderit, uno momento tantum illis eripiet, quantum per complures annos conceſſit, ob fidei Chriſtianæ propagationem. Dentes illorum, quibus omnia contriverunt (innuens quod eventus poſtea comprobavit, validas arces & munitiones) confringentur & eruti in cinerem redigentur. Manus ambæ (potentia & auctoritas, quibus prævalebant) amputabuntur. Pede dextro claudicabunt (innuit meliorem Provinciæ partem illos amiſſuros) & ipſi hoſtibus ſuis ſervient, nec enim cogitabunt de vitæ emendatione, qua pœnas a Deo conſtitutas effugiant, ſed prudentes ſcientesque in perniciem ruent, & in obſtinata pravitate tam diu peſſum ibunt, donec ne memoria quidem nec veſtigium Ordinis in Pruſſia reliquum fuerit. Cum hac prædictione memorati duo fratres ab Eremita dimiſſi, & vehementer attoniti, non ſolum ex eo infelicem commutationem verebantur, quod a multis jam antea didicerant, avare & impotenter in Pruſſia fratres dominari, quodque hunc Eremitam ſæpiſſime vera prædixiſſe ſcirent, ſed etiam ea de re fratres in Pruſſia degentes literis ſuis, quid portenderetur ab Eremita, ſæpius commonefaciebant. Sed ſurdis narrabatur fabula. Cruciferi enim non modo monachorum delirantium ea figmenta eſſe dictitabant, ſed cætera etiam, qua animæ ſalutis, qua pœnæ divinæ eſſent, haud penſi faciebant, modo ſibi liberum eſſet pro arbitrio ſubditis imperare.

An. 1446. Epiſcopi confœderationem calumniantur.

Tertius jam agebatur annus, quo inter Cruciferos & Ordines Pruſſiæ, concordia non injucunda fuerat, cum præter omnium opinionem nova difficultas objecta eſt, Ordinibus fœderatis, ex eo, quo minime ſperaverant, loco, ab Epiſcopis ſcilicet & Prælatis Pruſſiæ, qui nunc demum confœderationem ordinum Eccleſiaſtica auctoritate diſturbare conabantur. Itaque cum hoc anno poſt Dominicam Judica Ordines Elbingæ conventum agerent, Epiſcopi illos adeunt, & poſtquam præfati eſſent ſeſe quædam cum ipſis acturos, quæ ad omnium illorum ſalutem pertinerent, Epiſcopus Varmienſis hanc ex compoſito orationem habuit: Notum eſſe veſtrum unicuique non dubitamus, Epiſcopum & paſtorem unumquemque divina & humana fide obſtrictum, ut ſubditos & oves curæ ſuæ commiſſos non pie ſolum ad omnem virtutem inſtituat, ſed etiam

etiam ſi in errorem forte inciderint, uti errare humanum eſt, ad animæ ſalutem conſervandam in viam revocet. Ea eſt enim noſtra conditio, dura profecto, ut ob veſtrum delictum, niſi vos ad officium ſedulo reduxerimus, Deo graviſſimas in generali illo judicio reddituri ſimus rationes. Hæc præcipue cauſa fuit, qua permoti, officii ſimul noſtri & conditionis veſtræ reſpectum habentes, accurate perpendimus Confœderationem eam, quam inter vos ſexto abhinc anno coiviſtis; utpote quam aperte videmus & divino ac naturali juri, & Pontificiis ac Imperialibus ſanctionibus, nec non Conciliorum decretis adverſari. Quod ut penitius inſpiciatis, ſiquidem voletis, deſcriptionem vobis dabimus eorum capitum, quæ vel cum mandato divino, vel cum jure, legibus, fide, ratione & honeſtate pugnant. Ac ne noſtra ſolum auctoritate moneamini, conſulite homines rerum Eccleſiaſticarum ſimul & politicarum peritos. Experiemini, ut ſperamus, nos & officium noſtrum in bene monendo feciſſe, & vos abrogata iſta confœderatione officio veſtro, honori fideique utiliter conſuluiſſe. Deſcriptio, de qua loquuntur, eadem ferme capita continebat, quæ ſæpe jam antea, ſæpius etiam poſtea Confœderationi fuerunt oppoſita, ut hoc loco fruſtra videantur repetenda. Hæc oratio vehementer pungebat Ordinum animos, & plerique indignabantur, nec dolorem diſſimulabant, ſe eorum numero haberi, qui officio, fidei & honori contravenirent. Vulgo quoque creditum, rem eam Epiſcopis a Magiſtro ſubjectam, ut confœderationem eo modo in dubium vocarent. Is hanc ob cauſam aditus, cum ſe quidem excuſaret, Epiſcopos autem id pro officio feciſſe judicaret, ac inde adverſus Epiſcopos indignatio, deinde contumeliæ & minæ exortæ fuiſſent, quod Ordines qui non minus quam Epiſcopi fidem & honeſtatem colere didiciſſent, quaſi perfidos & honoris nota laborantes criminari non vererentur, & videretur motus aliquis major oriturus, tum demum Epiſcopi conſilium ſuum deteſtari, Ordines reprehendere, ſingulatim ſe purgare, quod minime fuiſſet animi ſui ſententia, honorem, fidem, vel exiſtimationem eorum fugillandi, ac ſummo ſtudio illud ſaltem agere, quocunque tandem loco relinqueretur Confœderatio, ne publicam Ordinum invidiam incurrerent, & eam, quæ jam apparebat indignationem, quoquo modo ſopirent. Tandem Ordines fœderati re inter ſe deliberata in conſilio publico, in hanc ſententiam Epiſcopis reſpondent, ac ſermone ad Magiſtrum converſo: Epiſcopi (inquiunt) non ita pridem ſermonem quendam intulerunt, quo nos magnopere offenſos tum oſtendebamus, nimirum quod non obſcure fidei & exiſtimationi noſtræ notam inuri animadverteremus. Purgarunt ſe paulo poſt, ſuam de nobis opinionem ſcripto explicarunt, quod ſcilicet haud ſecus de nobis omnibus ſentirent, ac de viris bonis, fidei & honeſtatis amantibus ſentire fas ſit, ac ſi unquam ſecus de nobis audirent, quod famam & honorem noſtrum ab omni calumnia & injuria eſſent defenſuri. Id nobis auditu fuit gratiſſimum, & eo confidentius petimus, ut defenſioni honoris noſtri ita non deſint, uti nos ex animi ſententia peroptamus. Etenim quemcunque audiverint dicere, vel nos inſimulare, quaſi contra fidem, contra jus & fas quidquam commiſerimus, eum dicant falſo nobis calumniam facere, & tale quid comminiſci, quod nunquam per rei veritatem ſit probaturus.

Epiſcopis Fœderati reſpondent.

rus. Ad quem modum nos omnes honorem & fidei noſtræ integritatem adverſus quemvis obtrectatorem tueri decrevimus. Et hactenus cum Dominis Epiſcopis recte nobis convenit. Quod autem interpretationem quandam juribus, privilegiis & libertatibus opponunt, quaſi illa ſecundum Canonicas eorum ſanctiones accipienda ſint, eam vero velut frivolam plane repudiamus. Tibi autem ſummo Principi noſtro, Conrade Magiſter, gratias habemus magnas & immortales, quod hac interpretatione rejecta fidem nobis dederis, per te noſtra omnia ſalva futura & illibata. Deinde ad Epiſcopos converſi: Vos vero (inquiunt) quid hac in parte facturi eſtis? Nunquid etiam ſubditi veſtri eodem nobiſcum jure eademque libertate per vos gaudebunt? Cum annuere viderentur, atqui (referunt) Epiſcopus Varmienſis ſæpe jam multa ignominioſe in confœderationem noſtram paſſim effutivit, & eos qui in fœdere ſunt multis verborum calumniis dehoneſtavit. Cum ille factum negaret, ac indicem edi peteret, dicebant Ordines, multos hic coram adeſſe, qui calumnias eas ex ipſius ore non ſemel audiviſſent, ſed quoniam ejus ingenium noſſent, quo quidvis inficiari non erubeſceret, nolle ſe nunc quenquam ejus invidiæ objicere. Id vero ingenue fateri, quoties Magiſter cum Ordinibus conſilia de Reipublicæ ſtatu conferret, malle ſe hunc Epiſcopum domi ſuæ manere, quam conſiliis intereſſe. Sane (inquit ille) & nunc abeſſe malo, eoque dicto conſurrexit, & ex concilio ſe propripuit. Conradus deinde petiit ab Ordinibus, ut Epiſcoporum excuſationi locum relinquerent, promittens ſe quoque honorem & exiſtimationem Nobilitatis & civitatum pro virili ſua defenſurum. Injecit conſequenter mentionem ejus, quod ſuperioribus annis propter varias injurias & violentias ea confœderatio coita fuiſſet. Verum quoniam ea varias nunc pariat offenſiones, præſertim quod privatim eſſet contracta, poſtulavit, ut Ordines ea ſponte ſua deſiſterent, ſe viciſſim publicis litteris, ſua fratrumque auctoritate ſuffultis de libertatibus, juribus ac privilegiis omnibus, plenius illis proſpecturum, atque adeo in continenti exemplum ejus cautionis exhibuit. Sed hoc a fœderatis plane repudiato, ita tunc diſceſſum, & deinceps ab hiſce contentionibus fœderis aliquandiu quies & otium fuit.

An. 1448. Latrones Gotlandici.

Supra dictum eſt, quo modo Ericus Pomeranus trium regnorum ſeptentrionalium jacturam fecerit, ex quibus unicam inſulam Gotlandiam in poteſtate retinuit, & jam undecimum annum exul & extorris erat. Ac ſicut ipſe tam ab opulentia Regia deſtituebatur, ita miniſtris & ſatellitibus haud gravate permittebat, ut quoquo modo poſſent, ſibi ipſis proſpicerent. Illi piraticam facere aggreſſi ut in quampiam navem inciderant, eam ſine diſcrimine intercipiebant, merces diripiebant, homines captivos ducebant. Neminem magis direptiones illæ afficiebant, quam nautas & mercatores Pruſſicos ac Livonienſes, utpote qui frequenter in navigationibus ſuis inſulam eam attingunt. Quorum aſſiduis querelis permotus Conradus eodem tempore Legatos & ad Chriſtophorum novum Daniæ Regem & ad Ericum exulem mittit. Regi Chriſtophoro denunciat, ſubditos ſuos ex Gotlandia damnis affici, res rapi, homines captivos duci, ſeque neceſſario cogi, res repetere, & injuriam vindicare, quærit itaque, num ad ſe res ejus Inſulæ pertinere exiſtimet, & ſi bellum piratis ac receptatoribus inferatur, num illorum partes ſuſcipere velit. Ab Erico poſtulatum, ut res raptas reſtitueret, damna & injurias compenſaret, prædationibus in mari abſtineret, piratas ne reciperet, niſi armis cogi mallet ad officium, quod ſponte ipſum præſtare jus faſque eſſet. His legatis dimiſſis, paulo poſt commodum accidit, ut nova rerum commutatione facta Inſulanorum piratica ſponte concideret. Rex enim Chriſtophorus cum Lubecenſibus bellum inferre vellet, nec ex ſententia res procederet, Helſinburgi in morbum incidit, ex quo inter vivos eſſe deſiit. Ei ſucceſſit in regnis Danico & Norvegiano Chriſtianus (quem Dani Chriſtiernum dicunt) Comes Oldenburgenſis. Sueci vero Regem ſibi peculiarem indigenam Carolum Canuti filium, nobili quidem ſed nequaquam regio genere prognatum conſtituerunt, Ægre hoc ferens Chriſtianus, ſequenti anno cum exercitu in Gotlandiam trajecit, ex qua jam Ericus in pacatum deceſſerat. Ibi arx & urbs Wisby capta, crudeliter direpta, & pene funditus exciſa fuit, ac ſimul piratica omnis ad prædonum internecionem redacta. Hactenus urbs ea præcipuum fuerat emporium omnis generis mercium, præcipue Ruthenicarum, deinceps in tantum e felici ſtatu depreſſa, ut nunc ſaltem rudera ſuperſint, quæ ejus amplitudinis & opulentiæ ſunt argumenta. Fuerat etiam una ex quatuor primariis civitatibus Anſeatici fœderis, ac Pruſſicis & Livonienſibus civitatibus præerat, in cujus locum poſtea ſucceſſit Gedanum, merces autem Ruthenicæ Rigam & Revaliam ferme transferri cœperunt.

De foro externei, quod incolæ hinc usque in ultimam Weſtphaliam, vel quocunque loco-rum, judicibus iſtis, qui ſe legitimos & quaſi nativos liberos ſacri Romani imperii Scabinos nominari volebant, placuiſſet. Illi judices cum alibi, tum in Pruſſia in quo ſuis affectabant imperium, quos volebant ad quorumvis delationem evocabant, vitæ, necis, ac honoris poteſtatem ſibi uſurpabant, non palam, non ſecundum juris ordinem, ſed clandeſtinis & delationibus & edictis & condemnationibus plerumque agebatur. Quæ uti leviter & maligne per calumniam in uno judicio attentabantur, ſic in alio multo levius & malignius ad irritum revocabantur. Inter cæteras ea præcipue invaluerat calumnia, ſi quis aliquid arcani horum judiciorum ſecus ac ipſi Judices vellent, evulgaſſet; is pejus ac ſi Iſidis ſacra propalaſſet, deliquerat. Ac in tantum iſtorum judicum ſive levitas ſive potentia proceſſerat, ut & alibi & in Pruſſia civitatum Magiſtratus ſolis literarum mandatis, quaſi ex tripode emiſſis, adigerent, ad fidejuſſiones uti ipſis placuerat a civibus extorquendas, vel ſi vades dare non poſſent ad eosdem incarcerandos & vinculis conſtringendos, ut vel vincti vel vadati eorum ſe judicio ſiſterent. Et niſi Magiſtratus paruiſſet, ipſemet evocabatur ad tribunal horum judicum quaſi Imperatorium, ad cauſam dicendam, cur reum ad vades vel carceres non adegiſſent. Ac ſi eis non viſa fuiſſet juſta cauſa, non ſolum ad mulctam, quæ dicta fuerat pro imperio exigendam, ſed Magiſtratum etiam ignominia notandum procede-

De foro extraneo actiones.

procedebant. Mox alterius judicii Scabini, ſed ejusdem farinæ homines, quibus captivi vel vadati frater, cauſam fratris, quacunque juris ſpecie probaſſet, eidem Magiſtratui mandabant, ut vinctum vel vadatum liberum dimitteret, ni faceret, eandem mulctam, ac honoris & exiſtimationis jacturam irrogabant. Interdum etiam tertii judicii Imperialis liberi Scabini, id eſt judices ab omni jure ſoluti interveniebant, qui priores judices in ordinem ſuo libitu redigebant, prout alterutrius partis vel ambitione vel juramento quidpiam affirmabatur, ſic ut non raro tribus quaſi nundinationibus iſtud judicium perageretur, plerumque autem rei judicatæ nullus appareret effectus. Et extant in archivo Gedanenſi literæ quædam, ex quibus univerſa horum judicum vanitas manifeſte deprehenditur, quas in hoc opere Germanico plenius ſum exſecutus.

Origo Juris Weſtphalici.

Originem ejus juris, vulgo Femerrecht (ſi modo juris nomine cenſeri debet) inde usque ad Carolum magnum referunt. Is enim cum gravia & diuturna bella cum Saxonibus geſſiſſet, eosque ad fidem Imperii & religionem Chriſtianam redegiſſet, illi nihilominus ſubinde deficiebant, & ad patrias ſuperſtitiones a pueris imbibitas, tanquam canis ad vomitum revertebantur. Qua re Carolus permotus & Saxoniam denuo armis invadens decreverat ſemel debellare, & vel rebellem toties gentem in fide & officio retinere, vel funditus totam extirpare. Saxones univerſas ſuas copias contraxerant, & ultimum experturi diſcrimen Carolo occurrebant. Pugnatum eſt ad Albim fluvium pugna admodum cruenta, Saxonibus victis, cæſis ac profligatis. Exercitus Caroli Weſtphalos maxime perſecutus cædibus, incendiis, & agrorum devaſtationibus, in eas anguſtias redegerat, ut ultro pacem peterent, nec ullam omnino conditionem a victore dictam recuſarent. Pacem eis dedit Carolus, ſed cum ſæpe jam perfidiam eorum fuiſſet expertus, & exiſtimaret fidem ac religionem per ultimam neceſſitatem a dubiæ fidei hominibus expreſſam haud fore diuturnam, inter cætera quibus arctabantur, judices quosdam arcanos & clandeſtinos conſtituit in Weſtphalia, quibus poteſtatem vitæ necisque dedit, ut quemque compertum habuiſſent, vel a religione deficientem, vel conſpirationes coëuntem, aut res novas molientem, vel quodpiam enorme facinus perpetrantem, citra judicii ſtrepitum, interdum ne auditum quidem, indicta cauſa, clam capitali ſupplicio afficiendi. Conſtituebantur autem hanc ad rem homines probatæ fidei & exiſtimationis, qui tanta poteſtate ad innocentium perniciem non abuterentur. Hoc maxime modo Saxones in officio continebantur, quippe cum ſæpe præter opinionem viderent viros primarios in crucem actos aut alio ſupplicio affectos, quos poſtea reos defectionis aut violatæ religionis comperiſſent.

Lib 4. Annalium Bojorum.

Qua de re ita ſcribit Aventinus: Saxones undique armis circumventi imperata faciunt, & redacti in poteſtatem quicquid oneris imponatur ferre ſe recipiunt. Omnes reſiſtentes profligati, cuncti Tranſalbiani cum liberis, uxoribus, mancipiis, in Franciam translati, eorum ſedes Abotritis, Venedis antiquiſſimis & conjuratiſſimis Francorum ſociis attributæ

butæ ſunt, perpauci ad Cimbrorum Regem perfugere. Citra Albim decimus quisque migrare juſſus eſt. Decemque tum millia Saxonum liberorum, cum parvis pignoribus, conjugibus, ſervis, per cæteras paſſim Germanias diſtributa ſunt. In quorum domicilia graviſſimi quique delecti, vitæ & morum probitate inſignes, ex omni Germania translati, penes quos foret arbitrium & poteſtas animadvertendi etiam indicta cauſa in pacis & fidei violatores, religionisque deſertores. Inde jus ut vocant Weſtphalenſe derivatum, ſilentio & taciturnitate ſacroſanctum. Judices quos Conſcios nuncupant, neſcio quibus ceremoniis initiati, ſe invicem agnoſcunt, porro prophanis ritum prodere religio eſt & pro piaculo habetur. Neque quisquam omnium adhuc inventus eſt, qui hujusmodi myſteria evulgarit. Parentum avorumque memoria, cum ſordidæ conditionis quique in album hujusmodi conſultorum deſcribuntur, hique paſſim per cæteras Germaniæ regiones, ut collibitum fuit, quosvis licentius, quam boni ferre poſſent, furti perfidiæque accuſant, indemnatos necant, laqueo & ſuſpendio infamant, hujusmodi licentia antiquata, cohibita eſt a Principibus noſtris, etiam in publico Procerum conventu. Extat Divi Friderici tertii Auguſti, Proavi Caroli maximi Cæſaris publicum decretum, quo cavetur, ut in poſterum, quemadmodum a Carolo magno inſtitutum, morem obſervent hujusmodi judices. Saxones quidem hac ſæviendi libertate animadvertendique libidine in officio retenti, exploſa avita & longinqua ſuperſtitione, ſacra Chriſtiana receperunt, ipſique in amicitiam & ſocietatem Francorum adſciti, unus cum eis hactenus cenſetur populus, pacis ac pietatis amore præter cæteros Germanos egregie inſignes. Hæc de his Aventinus.

Abolitio juris extranei in Pruſſia.

Cum igitur progreſſu temporis iſti judices liberrimi ea poteſtate vehementer, ut diximus, abuterentur, & hic etiam in Pruſſia ad alias res aliaque negotia, quæ notionis illorum non erant, frequenter eam extenderent agebant Ordines cum Magiſtro, ut huic malo remedium aliquod adhiberet apud Romanum Pontificem, in cujus tutela Pruſſiam eſſe dictitabat, quo ſubditi Ordinis ab iſthoc extraneo judicio eſſent immunes. Affirmabat Magiſter, ſe jam dudum id ipſum agere, & ſpem ſibi factam de diplomatibus eam in rem impetrandis. Verum illud eſſe peſſimi exempli, quod ipſimet incolæ alius alium evocarent, & ſpreto judicio domeſtico, magnis ſumptibus, majoribus etiam calumniis in alieno foro divexarent. Proinde ipſimet remedium invenirent, quo domeſticorum quisque in officio contineretur, cætera facile expeditum iri. Hanc in rem frequentibus Ordinum ſuffragiis in publico Terrarum conventu conſtitutum eſt: Ut ſi quis alium quempiam in alienum forum vel in clandeſtinum judicium extra Pruſſiam evocaſſet, cum probare non poſſet, jus in foro competenti denegatum fuiſſe, publice proſcriberetur, & perpetuo extorris eſſet, poſt proſcriptionem autem in Pruſſia deprehenſus capite mulctaretur. Idem conſtitutum eſt in eos, qui poſt cauſam per arbitros deciſam vel transactam, adverſarium vel arbitrum in forum alienum evocaſſent. Sed & Conradus paulo poſt literas exemptionis a Papa Nicolao quinto impetravit, quibus Ordinis ſubditi Pruſſi & Livo-

Livonienſes a jurisdictione iſtorum Judicum prorſus immunes eſſe jubentur.

Cauſa Hollandica. Hoc eodem anno controverſia cum Hollandis jam pridem agitata de damnis captarum viginti duarum navium reſarciendis, denuo reſuſcitata fuit, quod Hollandi variis hactenus modis tergiverſati fuiſſent, neque pecuniam eo nomine promiſſam exſolverent. Interceſſit iterum Philippus Burgundiæ Dux, & rem ad eum finem perduxit, ut quando præſentem pecuniam ex priori pacto debitam Hollandi & conſortes expedire non poterant, in ſingulis civitatibus maritimis Pruſſiæ & Livoniæ peculiare portorium ſaltem in naves & merces Hollandicas & cæteras, quæ in hanc cauſam veniunt, conſtitueretur, donec omnis pecunia promiſſa inde fuiſſet exſoluta. Quod portorium deinceps ſex annos continuatum fuit.

An. 1449. Cruciferorum inteſtinæ diſſenſiones ſuper fœdere. Rem cum Hollandis & ſociis pacatam rurſum inteſtinæ diſſenſiones exceperunt. Ita neſcio quo fato Cruciferi inter bella foris feliciores ferme, quam in otio & pace domeſtica fuerint. Omnium diſſenſionum materiam plerumque ſuppeditabat fœdus illud, quod Ordines ſui contra vim injuſtam tuendi cauſa coiverant. Hinc varia a Cruciferis ſuſcepta conſilia, variæque artes excogitatæ, clam & palam, quibus vel fœderati in partes diducerentur, vel fœdus ipſum vi opprimeretur. Fœderati quo magis conſenſionem ſuam oppugnari viderent, quam utique haud injuſtam eſſe cenſebant, eo magis viribus & animis coaleſcebant. Sed neque Cruciferis ipſis idem in eandem rem erat animus, ſed in duas ferme factiones ſecedebant. Qui ſanioris erant conſilii, ſed tamen pauciores, pacem conſervandam cenſebant inter Ordinem & ſubditos, fœdus illud non eſſe tanti momenti, ut ipſi propter illud inter ſe ad internecionem digladiarentur, vel cum ſubditis bellum ſuſciperent, eſſe rem quæ nec ad rebellionem ſubditorum, nec ad injuriam Dominorum referri jure poſſit, ſiquidem illi fidem & obedientiam Principi ſuo & promitterent & re ipſa præſtarent: contra quorundam ſaltem inſolentiam, qui præter Principis voluntatem, præter æquum etiam & bonum, avare nimis & crudeliter imperitarent, & imperii nomine ad privatæ libidinis intemperantiam abuterentur, quod adeo manifeſtum ſit, ut negari non queat, remedium naturali rationi conſentaneum eſſe comparatum. Prudentium eſſe interdum & tempori & multitudini cedere, ea ferme a ſubditis poſtulari, quæ ſi ab æquis judicibus æſtimentur, per ſe nec iniqua nec injuſta ſint, ut nemo indicta cauſa, ſine juris ordine lædatur, trucidetur, bonis ſpolietur, ut jus ex æquo omnibus adminiſtretur: ut ne inferiores a potentioribus vel ab iis, qui cum imperio ſunt, opprimantur. Hæc ſi ipſimet juris & rerum præfecti ſponte præſtent, ſi a violentiis & injuriis abſtineant, ſi juſtitiam tueantur, jus ſuum unicuique tribuant, nullam amplius ſubditis cauſam quiritandi vel coëundi ſuperfuturam, confœderationem ipſam, quam nunc tantopere formidant, ſponte intermorituram. Probabat hanc ſententiam ipſe Conradus Magiſter, & ideo dicitur cum quibusdam ex primoribus

moribus Cruciferorum ſubſcripſiſſe, utpote concordiæ maxime ſtudioſus, & ægro animo ferens inſolentiam cæterorum, qui non ſolum tyrannidem ſtabilire cupiebant, ſed etiam Magiſtri dicto parum audientes erant. Hi fœdus illud ferro & flammis abolendum cenſebant; non eſſe illud legitimum injuriæ propulſandæ remedium, ſed conſpirationem nefariam a ſeditioſis & rebellibus ſubditis initam, & crimini publico læſæ Majeſtatis adnumerandam; auctores fœderis gladio plectendos, cæteris fortunas & opes familiares, quibus nimium laſcivirent, alia atque alia ratione præcidendas, ut cum rebus domeſticis conflictati fœderis curam aliquando omitterent. Ac etiamſi vis aliqua major adhibenda, majusve periculum adeundum ſit, præſtare tamen Ordinis nomen & Imperium e medio tolli, atque adeo Pruſſiam omnem deleri, quam fœdum iſtud fœdus auctoritate publica, publico cum dedecore ultro ſtabiliri, vel rebellibus ſervis ac mancipiis bello captis, qui canibus curandis vix digni viderentur, tantum facinus conniventibus oculis indulgeri.

Conradus Magiſter morituru, quem ſucceſſorem commandaverit. His curarum & diſſenſionum fluctibus oppreſſus Conradus, cum de Reipublicæ tranquillitate penitus jam deſperaſſet, nec iſtorum motuum finem cogitatione aſſequi poſſet, in gravem animi morbum, quo paulo poſt etiam deceſſit, incidit. Moris tum erat, quod alibi quoque ſub obitum Conradi Jungingenſis attigimus, quoties Magiſter cum cum vitæ periculo decumbebat, quatenus adhuc rationis compos eſſet, ut ante ejus deceſſum Ordinis primores de eligendo Succeſſore cum eo deliberarent, & erat ea in re præcipua morituri Magiſtri auctoritas, quippe qui cum Magiſtratum geſſiſſet, omnium optime ſciret, quantæ difficultatis iſtud munus, & quis potiſſimum ei ſuſtinendo par eſſet. Hanc conſuetudinem illi tum etiam ſecuti, Conradum adeunt, & primum vitam longiorem precati, deinde quoniam mors omnibus communis ſit, hortantur, ut ſi quid humanitus illi contigiſſet, judicium ſuum de eligendo Succeſſore, qui præ cæteris magis idoneus illi videretur, aperiret. Reſpondet ille, ſe quidem commune fatum, quandocunque Deo viſum fuerit, haud difficili animo impleturum, & eo libentius, quod parum lætitiæ toto gubernationis tempore ex ipſis fratribus ſuis percepiſſet, quod nunc quidem deplorandum ſibi magis quam corrigendum ſit, ſed non tam ſe de ſalute ſua quam Reipublicæ tranquillitate ſollicitum eſſe. Enimvero (inquit) duo ſunt, qui ad hanc dignitatem jam dudum aſpirant, & in quos cæterorum oculi ferme ſunt conjecti, ſed neutrum ex uſu Reipublicæ futurum arbitror. Alter enim Heinricus Comes Plavenſis (hunc oportet alium fuiſſe a ſuperioribus duobus Comitibus Plavenſibus, quorum alter Magiſter magnus, alter præfectus Gedanenſis erat, ſi modo (quod ſuſpicor) non eſt in libris mendum) acerbiſſimus eſt confœderatorum hoſtis, quem ſi elegeritis, certiſſimum habebitis bellum inteſtinum, & neſcio quid mali mihi præſagiat animus; alter Ludovicus patruelis meus, ita natura comparatus eſt, ut ipſe potius ab aliis regi, quam alios regere ſoleat, unde futurum, ut Magiſter factus inquietiſſimi cujusvis flatibus plane ſit vela daturus. Mallem ego Guillelmum Eppingenſem, Præfectum Oſterrodienſem. Is vir eſt moderati ingenii, pacis ſtudioſus, & Reipublicæ amantiſſimus. Sed quorſum me

me consilium dare vobis attinet, cum sciam nuper Mevæ inter primores fratres tam proterve quam incogitanter conventum esse, ut quicunque deinceps Magister dictus fuerit, inprimis juratus omnem eo conferat operam, omnesque vires ac facultates impendat, ut quacunque tandem ratione, vel cum universæ Prussiæ jactura, fœdus inter civitates & Ordinem equestrem aboleatur. Jacturam Prussiæ non semel jam commemorant, quam ego vereor, ne, quod abominor, ipsimet malum sibi vaticinentur. Magna certe calamitas nobis impendet. Nec enim frequens Dei & honestatis contemptus, totque vitiorum cumulatus acervus bonam fortunam vel spondent, vel commerentur. Pluris ferme omnibus est superbia, dominandi libido, & alieni appetentia, quam justitia, modestia, & Reipublicæ utilitas. Utinam in monasterii claustro vitam solitariam hactenus egissem, æquiori certe animo nunc ex solitari vita excederem. Majores nostri Prussiam multis laboribus & difficultatibus, multorum fortium virorum vita & sanguine, a barbaris & paganis peperunt, nos cum bello partam pacifice possidere possimus, ejus jacturam nimis imprudenter etiam flocci facimus. Deus mentem istis largiatur saniorem. Quod orationis reliquum fuit, in latus alterum se reclinans, gemitibus magis quam verbis explevit. Diverso animorum habitu excepta est hæc a primoribus oratio, alii deliria morientis, vel argumenta saltem pusillanimitatis esse censebant, alii futurarum calamitatum prædictionem verebantur. Neque diu post, circa finem hujus anni Conradus inter vivos esse desiit, cum Magistratui pacate præfuisset annos novem: Ultimus eorum Magistrorum, qui Mariæburgi apud Antecessores sepulturam habuit, & Prussiam integram obtinuit. Cæterorum nullus in eum locum illatus fuit, nec diu post hujus mortem integra mansit Prussia.

An. 1450. XXVIII. Ludovicus ab Erlichshausen.

Diem functo Conrado, anno sequenti die quinta mensis Februarii, vel ut alii notarunt, vicesima prima Martii, duodetrigesimus Prussiæ Magister generalis sublectus est, defuncti patruelis, Ludovicus ab Erlichshausen (quo eodem anno Mahometus etiam Amuratis filius Turcorum Imperator dictus est, diversa utique fortuna, cum amborum regiminis anno quarto, alter potiorem Prussiæ partem amitteret, alter imperium Constantinopolitanum acquireret) anno undecimo Friderici Imperatoris tertii, & Casimiri Poloniæ Regis quarto. Ibi tum Ordines confœderati de juramento, quod novo Magistro præstituri essent, deliberabant. Nec enim obscure præ se Cruciferi ferebant, arctioribus juramenti vinculis oportere subditos constringi. Decretum est communiter, se non in alia verba juraturos, quam Antecessori Conrado jurassent. Secundum quod inprimis desiderabant sui fœderis approbationem, & gravaminum, quæ hactenus non emendata sed iniquitate temporum aucta fuerant, abolitionem. Præ cæteris exercitium judicii publici quotannis constituendum ob vim arcendam vehementer urgebant. Multi Cruciferorum in ea perstabant sententia, quæ tutior esset, posse nunc certis conditionibus transigi, & aliqua concedi, quæ progressu temporis haud difficulter mutationem essent allatura, ut aliquo saltem modo confœderatis concordiæ conciliandæ causa satisfactum vel in speciem videretur. Verum inter cæteros,

ros, qui pacem & concordiam oderant, Jodocus etiam de Venningen Promagister Germaniæ, qui recens ad nuncupandum novum Magistrum advenerat, de Prussis omnibus uno quasi momento se triumphaturum sperans, vehementissime dissuadebat, ne quid fœderatis daretur, rem novam & insolentem eos moliri, vi ad officium revocandos esse, velle sese auctoritatem Ordinis apud summum Pontificem & Imperatorem gnaviter tueri, neque auxilia sibi defutura, modo non ipse Ludovicus sibimet in coërcendis rebellibus deesset. Non adeo clam hæc agebantur, quo minus ad fœderatos quæ quisque dixerit suaseritve referrentur. Itaque in proximo conventu Elbingensi cum Ludovico graviter expostulant, Promagistri Germaniæ, cujus nullæ in Prussia imperitandi partes essent, calumnias & comminationes molestissime se ferre ostendunt, & simul gravaminum emendationem sæpius promissam iterum atque iterum urgent. Conqueruntur etiam amplius de inæquali civium & nobilium, quod illi qui in fœdere essent, magis quam cæteri, in omnibus pene causis a Primoribus Ordinis affligantur, cum exprobratione fœderis interdum, neque jus suum ab aliis consequi possint. Ludovicus nihil horum ad animum admittere, neque hunc conventum ob ullam aliam causam indictum prætendere, quam ut de juramento præstando & Republica constituenda deliberatio institueretur: nedum ut talia in medium proferrentur, quæ sibi ac dignissimo Ordini suo tantopere adversarentur, atque adeo auctoritatem omnem non sine existimationis nota derogarent. Et hoc ipsum ajebat sibi nuper ab Internunciis nobilitatis & civitatum promissum fuisse. Nunc cum sequius fieri videat, se istorum memorem futurum, & istis Internunciis accepto laturum, si vel in decimum aut ulteriorem annum ultio differenda sit. Hoc sermone graviter Ordines offensi continuo respondent, si cuipiam Internunciorum ob id, quod ex mandato egisset dixissetve, nocitum fuerit, se noxam eam suo omnium communi periculo executuros. Post varias contentiones de juramento tandem conventum fuit. In cæteris nullæ occurrebant rationes, quibus Ordinibus satisfieret.

De Episopo Varmiensi querela.

Accedebat nova altercatio cum Episcopo Varmiensi, qui subditas civitates variis & indignis modis habebat, interim ipse nullius hominis cognitioni subjici volebat, sed Papam saltem & Archiepiscopum judices ferebat. Id vero maxime indignari Ordines, & nullo modo perpeti velle, ut causæ civitatum & incolarum extra provinciam in alienum forum pertraherentur. A Magistro vero petebant, quandoquidem Episcopus ab eo judicari nollet, & sic merito nec ab eo defendi deberet, ut Magister illum missum faceret, sese alia ratione cum illo acturos, & socios fœderatos ab ejus injuriis probe vindicaturos. His & similibus concertationibus totus hic ferme consumptus erat annus, nec uspiam idoneum hisce malis inveniri poterat remedium.

Oppugnatio fœderis.

Interim cum Cruciferi nihil ferrent ægrius, quam Confœderatio-nem eam, de qua sæpius dicendum est, suis libidinibus obstare, quo minus pro more suo crudelitatem & avaritiam in quovis exercerent, omnem ubique

ubique navabant operam, omnemque movebant lapidem, ut quoquo modo fœdere diſcuſſo, imperii utut vellent uſurpandi poteſtatem recuperarent. Criminabantur paſſim fœderatos apud Imperatorem, Imperii Principes, & Romanum Pontificem, quaſi rebellionem molirentur, non ſolum contra Dominos legitimos, ſed etiam diſciplinam conculcarent Eccleſiaſticam, novis conſpirationibus initis, & fide prorſus profligata: ſic ut rerum illarum nova perturbatio ex aula Romana proficiſceretur, ob aſſiduas nimirum delationes Procuratorum Ordinis, qui Romæ commorabantur. Hi enim ejusmodi ſubditorum conſpirationibus Eccleſiaſticum ordinem, & præſertim Cruciferorum, quo res Chriſtiana maxime niteretur in locis ſeptentrionalibus, pluribus damnis affici, ad extremum etiam labefactari & contemni querebantur, niſi cum primis idoneum remedium adhiberetur.

Legatio Pontificis in Pruſſiam.

Quo circa Nicolaus Papa, qui cæterorum Pontificum exemplo id maxime agebat, ut quibuscunque provinciis vel regnis quacunque ſervitute vel tyrannide violenter oppreſſis, Ordo ſaltem Eccleſiaſticus ubique floreret ac dominaretur, Ludovicum Silvenſem Epiſcopum Legatum in Pruſſiam mittit, qui cum circa finem anni adveniſſet, Ludovico Magiſtro & Commandatoribus mandata Pontificis in hanc ferme ſententiam expoſuit: Certo compertum eſſe ſummo Pontifici, in Pruſſia cultum divinum & libertates Eccleſiaſticas vehementer attenuari, & quod inde conſequi neceſſum ſit, Rempublicam male adminiſtrari, diſſenſiones & ſimultates inter Ordines ali, conſpirationes coiri, leges novas temere condi, in ſummum præjudicium ac detrimentum tam rei Eccleſiaſticæ, & fidei Chriſtianæ, quam juris publici. Quapropter ſe cum his mandatis miſſum, ut de rebus omnibus diligenter inquireret, cauſa *cognita ſtatueret, diſſenſiones tolleret, leges fidei & juri contrarias abrogaret*, rebelles & dicto inobedientes legitimis excommunicationibus & interdictorum pœnis ad officium reduceret: prout mandati Pontificii publicum diploma verbis pluribus præſcribebat.

Magiſter cum Ordinibus agit de Legatione Pontificia.

Ludovicus audita Pontificis legatione, continuo terrarum Status Elbingam evocat, mandatum Pontificis exponit, & illorum ſententias, quid Legato reſpondendum ſit, exquirit: ſimulans interim ſibi rem miram videri, nec unquam harum delationum ſe quicquam audiviſſe. Illi ex tempore capto conſilio, primum Magiſtro ad animum revocant, ſe nuper illi tanquam legitimo Domino ſuo juramentum præſtitiſſe, æquum eſſe, ut ipſos ſua auctoritate adverſum has delationes & criminationes, quarum ſibi conſcii non ſint, tueretur; delatores etiam, ſi quos ſciat, nominatim ederet: deinde ut ſententiam ſuam, in quam Legato Pontificio reſpondere decreviſſet, aperiret, quo commodius in communi cauſa ipſimet etiam de reſponſo, quod in utrorumque rem idoneum eſſet, deliberare poſſent. Ad ea Ludovicus, decere, inquit, in quibuscunque criminationibus, quæ præter innocentiam infligerentur, ſubditos a Dominis defendi, ſed hoc in iis cauſis non intelligi, quæ ſummum Pontificem reſpicerent, cui in quavis re contradici ſummum nefas eſſet. Criminationes ipſæ quales ſint, facile eos conje-

cturam facturos, ac inde multo facilius reſponſum idoneum decreturos. Ordines hoc audito, cum non obſcure jam animadverterent ſabam hanc in fœdus ſuum cudi, quærunt ex Magiſtro, nunquid eos perfidiæ arguere poſſit? quibusnam in rebus ipſi tanquam Principi ſuo legitimo officium non præſtiterint? Quæve ſint illæ diſſenſiones & conſpirationes, quibus inter ſe conflictari dicantur? Etenim (inquiunt) ſi propter confœderationem inter nos initam in crimen vocamur, non ignoras eam ſciente & conſentiente Principe noſtro Paulo Rusdorffio, non contra Magiſtratum legitimum, ſed adverſus injuſtam vim, pro defendenda Magiſtratus auctoritate initam fuiſſe: quam & patruelis tuus, Conradus, confirmavit, & tute fœdere non improbato libertates & jura noſtra te conſervaturum ſancte ſpopondiſti. Cauſas, quibus ad id fœdus compulſi ſumus, non ſemel abunde expoſuimus, neque neſcis quas turbas, Epiſcopus Varmienſis, Franciſcus Kuſchmaltz in tota ferme Pruſſia per hos jam annos, dum non ſolum in ſubditos epiſcopatus ſui tyrannidem immaniter exercet, verum etiam cum tuis clientibus & beneficiariis injuſtiſſime agit, eorumque ſubditos & colonos ſua quoque impotenti dominatione & variis exactionum oneribus opprimere conatur. Hunc nos harum criminationum non modo excogitatorem & delatorem, ſed omnium communium malorum auctorem eſſe, facile nobis perſuademus. Is malum aliquod jam dudum parturit toti Pruſſiæ perniciosum, interim jurisdictionem tuam, imo Te ipſum Principem ſuum temere contemnit ac repudiat. Proinde iterum petimus, ut apud Pontificium Legatum cauſſam noſtram tuearis, neque nos ad ſimplicem calumniatorum delationem diris interminationibus aut interdictis opprimi patiaris. Cauſa enim initi fœderis juſta eſt, æqua, & publice utilis, neque pertinet ad fidem debitam Magiſtratui detrectandam, ſed vim & injuriam propulſandam, ut pro legum auctoritate omnium domitæ ſint libidines, malorum cupiditates coërceantur, ab alienis opibus, vita, & familia manus abſtineantur. Quod ſi nos a te in cauſa juſtiſſima deſertos perſpiciemus, noſtrum erit, non ſolum coram Pontifice vel alio quovis Principe innocentiam noſtram defendere, ſed etiam injurias, exactiones & cædes, quas ab Ordine tuo perpeſſi ſumus, pro tuendo fœdere palam in lucem proferre. Quod uti cum ſummo omnium Veſtrum dedecore & invidia futurum ſit, ita nunc etiam rogamus, ut ad ea præcavenda, benigniorem noſtri deinceps rationem habere non dedigneris. Ad ea Ludovicus ira commotus ſatis incogitanter reſpondet: Conſpirationem eam, quam vos fœderis appellatione velatis, & adhuc præfracte defenditis, nemo bonus unquam ſciens volensque comprobavit, neque ego ſum unquam approbaturus. Quod ſi juſtam cauſam habere vos exiſtimatis de me vel Ordine meo conquerendi, ne dubitetis nobis viciſſim non modo cauſarum abunde eſſe vos accuſandi, ſed etiam in pertinaciam & rebellionem veſtram animadvertendi. Equidem quod ad præſentem Legationem attinet, nos omnino decet dicto Pontificis audientes eſſe, vos videritis ne notam ſeceſſionis ab Eccleſia vel infamiam inobedientium filiorum, cujus vos paulo poſt pœnitere poſſit, contrahatis. Tantum hæc orationis indignatio in animis quorundam valuit, ut exemplo trium civitatum Mariemburgenſis, Novæ Torunenſis

ſis & Choinicienſis Internuncii de renunciando fœdere convenirent, ac ſigilla civitatum earum detrahi literis peterent. Quod quidem cæteri non ſolum recuſarunt, quod metu id potius quam ex mandato facerent, ſed etiam denuo arctiori ſtipulatione inter ſe coierunt, bonaque fide ſinguli, qui aderant, promiſerunt, ſe nulla injuria, nullis minis, interminationibus, vel interdictis, paſſuros eo ſe fœdere abſtrahi vel deterreri, ſed omnem potius fortunam conjunctis animis & viribus ſimul experturos. Quæ res cum Legato Pontificio renunciata fuiſſet, in tantum exarſit, ut Epiſcopum Varmienſem vehementer increpaverit, male & perperam eum & Cruciferos agere, qui ipſum fruſtra huc pertraxiſſent, & quaſi ludificati fuiſſent, cum poteſtatis tantum non haberent, qua in rebelles ſubditos, in homines ſeditioſos, exemplum & ſupplicium ſtatuere poſſent.

An. 1451. Fœderati pro ſe reſpondent Legato Pontificio.

Cæterum domi ſingulatim Pontificia Legatione examinata initio ſequentis anni, die ſecunda menſis Januarii, Ordines fœderati Elbingam denuo conveniunt, & fœdere prius omnium conſenſu & aſtipulatione renovato, reſponſum Pontificis Legato ſeorſim (quando Magiſter & Cruciferi præter morem ſeſe ab illis ſejungebant) ſcripto comprehenſum exhibent, cujus hæc erat ſumma:

Vehementer (ajunt) dolemus, quod eo nomine apud ſummum Pontificem traducti ſimus, quaſi in Pruſſia cultus divinus & libertates Eccleſiaſticæ per nos attenuentur, eaque in re fieri nobis injuriam exiſtimamus. Quanquam enim nemo diffiteri poteſt, continuis ſuperioribus bellis, quæ cum Polonis, Litvanis, Ruſſis ac Boëmis geſſimus, barbarorum inhumana crudelitate templa & monaſteria non pauca devaſtata, direpta & everſa eſſe, tamen id vitio nobis dari non poteſt, quod belli calamitas affert. Quin imo demonſtrare poſſumus, nos in ipſis bellorum tam publicis quam privatis detrimentis, quantum facultates noſtræ ferre potuerunt, ædes ſacras reſtauraſſe, cultum divinum ſuæ dignitati paſſim reſtituiſſe, miſſarum ſolennia ſedulo procuraſſe, eleemoſynas erogaſſe, atque adeo fidem Chriſtianam ultra centum milliaria inter vicinos populos prolataſſe. Proximo inſuper anno Jubilæo magna hominum multitudo ex univerſa Pruſſia, ex una certe Gedanenſi civitate, ultra duo millia Romam religionis ergo profecta ſunt, ibique non exiguam pecuniæ vim profuderunt, quod totum ad propagationem cultus divini & auctoritatem ſummi Pontificis pertinuit. Deinde quod de diſſenſionibus & conſpirationibus incuſamur, id etiam majore cum injuria noſtra conjunctum eſt. Nunquam enim ullius rebellionis vel inobedientiæ adverſus ſanctam Eccleſiam vel Magiſtratum noſtrum rei facti ſumus, ſed ejus cauſa ſæpius & facultates & ſanguinem profudimus, nec in poſterum honeſte profundere detrectamus. Quod autem ad fœdus inter nos initum attinet, ne illud quidem temere vel malignō animo, ſed multis gravibus, honeſtis & neceſſariis cauſis adducti & compulſi coivimus. Etenim tribus illud potiſſimum rationibus nititur, quarum nulla vel ab æquitate, vel a jure, vel a fide aliena eſt. Primum enim fidem & obedientiam Magiſtratui præſtandam firmiſſime ſancivimus. Deinde ſi cui vis injuſte inferatur, ejus rei

rei vindicem Magiſtratum conſtituimus. Tandem ſi ii, qui cum imperio ſunt, injuriam faciant, iis æquum cum cæteris judicium indiximus, quod ex arbitrio Magiſtri & Conſiliariorum ejus in illum habeatur. Si quis hunc legitimi judicii ordinem detrectet, ſibique extra juris præſcriptum impune vim facere licere exiſtimet, contra ejus injurias præſidium non immerito comparavimus, ad ſtabiliendam legum auctoritatem, & publicam inter Ordines concordiam & tranquillitatem conſervandam. Enimvero ſi quis ex Ordine Eccleſiaſtico Sacerdos vel Canonicus deliquiſſet, non eſt propoſitum noſtrum propria auctoritate in illum agere, ſed Epiſcopi eum jurisdictioni committere. Sin Epiſcopus vim faciat, coram Archiepiſcopo vel ſummo Pontifice conqueri, atque conſequenter contra quemvis primum ſublimiorem poteſtatem pro exequenda juſtitia implorare. Ex quibus ſatis apparet, nihil nos contra fidem vel Eccleſiæ vel Magiſtratui debitam hac in parte admiſiſſe. Quapropter perquam reverenter petimus, ut per te cauſa noſtra ſummo Pontifici de meliore nota commendetur, & innocentia noſtra tuo teſtimonio ſublevetur.

Non æquis auribus accepit Legatus purgationem eam, exiſtimabat enim, ſi quid illi ad cultum divinum vel ſummi Pontificis honorem adjeciſſent, vel pecuniam Romæ diſtribuiſſent, id ex debito factum, pro ea obedientia, qua Pontifici omnes eſſent adſtricti. Illud autem omnino perperam agi oſtendebat, quod Sacerdotes & Epiſcopos ſuis iſtis conſtitutionibus de tranquillitate conſervanda, & vi coërcenda teneri vellent, quod eos ex præcepto divino: Nolite tangere Chriſtos meos; attrectari nefas eſſet. Tandem poſtulabat, ut cognitionem fœderis ſibi committerent, ut ipſe rationibus utrinque auditis illud vel confirmandi vel abrogandi poteſtatem haberet. Ad ea ſubmonuit Legatum Joannes Bayſenius, ſi ad diſceptationem veniendum eſſet, multa in medium allatum iri Cruciferorum facinora, quorum Pontificem ipſum dubio procul puderet, quæque Cruciferis parum honorifica futura eſſent, adeo ut magis expediat ea ſilentio tegere, quam propalare. Itaque Ordinum nomine petebat, ut huic diſceptationi ſuperſederetur: Si quæ ſint in eo fœdere, de quibus Cruciferi jure conquererentur, de iis Ordines fœderatos cum ipſis potius familiariter transacturos. His Legatus, ſive aliquo modo contentus, ſive quod in ea animorum conſtantia parum ſe profecturum exiſtimabat, rem ad ſummum Pontificem pro ampliori deliberatione ſe relaturum recipiebat. Ego potius crediderim, quod aliqui ſcribunt, ideo tum rem infectam manſiſſe, quod ipſe Magiſter etiam viam familiaris concordiæ, qua ipſemet potius cum fœderatis tranſigeret, quam alium judicem ferret, amplexus, idque Legato denunciaverat. Ægre nimirum ferebat, quod iſte Legatus paſſim per Pruſſiam non in ſacris ſolum, ſed etiam in profanis multa conſtitueret, & quaſi pro imperio gereret, nec obſcure præ ſe ferret, jus univerſæ Pruſſiæ recte conſtituendæ ad neminem potius, quam ad ipſum Pontificem ſpectare, utpote ex cujus beneficio Cruciferi illam obtinerent. Utut ſit, ad hunc modum Legatio Pontificia tum fuit peracta, quæ & ipſa non ultima erat ex machinis ad fœdus diſcutiendum vel abolendum comparatis.

Cæterum

Imperatoria confirmatio fœderis.

Cæterum Ordines fœderati cum haud jam obſcure animadverterent, quorſum inceptum hoc ſpectaret, exiſtimarent etiam, quod nunc per Pontificem tentatum fuerat, deinceps etiam Imperatoris auctoritate fieri poſſe, id prævertendum rati, confirmationem fœderis ab Imperatore per Legatos petunt & impetrant. Quod tamen nonnulli volunt anno 1440. initio ſtatim fœderis factum fuiſſe, quoniam literis adſcriptus ſit primus annus Imperatoris. Nituntur etiam ea ratione, quod in hiſce literis non univerſæ confœderationis, ſed ejus tantum fit mentio, quam primum duæ civitates Culma & Torunium inter ſe cum aliquibus coiiſſent. Diverſum autem arguit annus Chriſti MCCCC. quinquageſimus diſerte expreſſus, unde conſequens, quod non primo ſed undecimo Imperatoris anno, & ſic decennio poſt confirmationis literæ fuerint impetratæ. Mendum igitur eſt in primo Imperatoris, & dubio procul ita ſcribi debuit: Unſers Reichs im Eilften Jahr, unde in Germanico idiomate facili errore literarum Erſten pro Eilften ab oſcitante ſcriba effingi potuit. Etenim ſi Ordines fœderati confirmationem Imperatoriam antehac habuiſſent, haud dubium, quin eam & Cruciferis toties fœdus infeſtantibus, & nuper etiam inter cætera Legato Pontificio oppoſuiſſent. Quod autem veteris ſaltem & ſpecialis fœderis ſit mentio, non absque ratione factum videtur, ne ſcilicet ea confirmatio adeo recens & hoc demum anno quinquageſimo primo nata exiſtimaretur. Quinimo hoc etiam in confirmatione diſerte ſcriptum eſt, ſi Culmenſes & Torunenſes cum aliis civitatibus & Nobilibus jam coiiſſent, vel in poſterum coituri eſſent fœdus, ut illud auctoritate Imperiali ratum haberetur. Utut ſit, ſemel hic illud adnotaſſe ſufficiat.

Judicium ſimultaneum.

Dum Cruciferi hanc Legationis Pontificiæ machinam fœderi demoliendo foris adhibent, domi etiam ipſam fœderis arcem, quæ in exercendo ſolenni judicio quotannis adverſus vim conſiſtebat, convellere cogitabant. Edicit igitur Ludovicus Ordinibus fœderatis, ut ad diem decimam Maji Elbingæ ſibi præſto ſint, cum publici judicii exercendi, tum componendarum, ſi quæ ſint inter Ordinem & ipſos, ac Magiſtrum extitiſſent, diſſenſionum & controverſiarum gratia. Ubi condicto die ad locum perventum eſt, fœderati primum recuſare Judicii formam, quod non eo ordine, nec iis aſſeſſoribus, uti jam antea convenerat, conſtitutum eſt, deinde petere ſpatium unius menſis, quo inter ſe convenire & de ſingulorum cauſis & querelis agere poſſent, quemadmodum ipſe Ludovicus ſuperiori anno recepiſſet; tandem ut non eæ ſolum injuriæ & controverſiæ, quæ ipſo Magiſtratum gerente accidiſſent, ſed multo magis etiam injuriarum ſuperioris temporis æqua ratio haberetur. Ad ea Ludovicus, habita cum iis, qui ex ejus Ordine ſuſpectiſſimi quique in conſilio aſſidebant, deliberatione, reſpondit: Se nunc pro tribunali ſedere, ut querelas & controverſias ſubditorum adverſus Ordinem, primores & præfectos cognoſcere & dijudicare velit, & nunc omnibus poteſtatem de quolibet eorum conquerendi & quemlibet conveniendi facere. Cum fœderati judicii ordinem juxta prioris conventionis præſcriptum inſtitui urgerent, ſuſpectos aſſeſſores, qui mox rei futuri eſſent, repudiarent,

pudiarent, extemplo Cruciferi qui aderant, & aſſeſſores judicii, quandoquidem (inquiunt) judicium, quod tantopere poſtulaſtis, præſto eſt, nec quisquam prodit, qui de nobis queratur, ab omnium querelis, vel veſtra ipſorum confeſſione liberos eſſe nos intelligimus; eoque dicto & ipſi receſſerunt, & commenticium judicium momento diſſolutum eſt.

Novæ fœderis oppugnationes.

Menſe deinde Julio, allatæ ſunt literæ Electorum Imperii, Archiepiſcopi Colonienſis Theodorici, ac Friderici & Alberti, quem Achillem Germanicum vocarunt, Marchionum Brandeburgenſium, ad fœderatos univerſos, & ſeparatim ad majores civitates perſcriptæ, quibus vehementer eorum inſtitutum improbabant, idque non alio quam rebellionis publicæ loco ducebant, hortabantur tandem, ut eo fœdere, quod perperam contra præſcriptum juris & legum, contra Magiſtratus auctoritatem, contra fidem Principi debitam coitum conſpiratumque eſſet, penitus deſiſterent, niſi tandem aliquando ejus intempeſtivæ pertinaciæ dignam animadverſionem cum ſuo magno malo atque pernicie experiri mallent. Secutæ ſunt paulo poſt etiam literæ Friderici Imperatoris, qui jam antea publico diplomate fœdus approbaverat, in quibus etiam comminationes & graviſſimæ indicebantur mulctæ, ni ea conſpiratione abſiſteretur. Scripſit etiam magnis cum interminationibus Papa Nicolaus tam ad Ludovicum Magiſtrum, quam ad Epiſcopum Varmienſem, Magiſtrum quidem objurgans, quod Legatum ſacro ſanctæ ſedis, ex Pruſſia, re infecta, improbabili exemplo dimiſiſſet, neque in rebelles ſubditos, ethnicis etiam deteriores, animadvertiſſet, ex quo ſuſpicari liceret, ipſum ejusdem conſpirationis fautorem eſſe; mandans itidem ſeverius, niſi hoſtis Romanæ Eccleſiæ & Apoſtolicæ ſedis apoſtata haberi velit, ut in poſterum mandatis ejus accuratius pareret: Epiſcopo autem mandans, ut fœderatos admonitionibus, minis, mulctis, interdictis & excommunicationibus, quantum poſſit, ab inſtituto revocet, ac in eos, qui dicto non ſint audientes, pœnarum executiones extendat, & omnino ita ſe comparet, ne per fœdus iſtud Respublica Chriſtiana quidquam faciat detrimenti.

Actiones cum Magiſtro.

Fœderati, tot interminationibus ab omni latere fulminantibus, quanquam iſthæc omnia compoſite a Cruciferis ſubornari non obſcure intelligerent (ad quid enim alias Papa, Imperator & alii Principes res Pruſſicas tantopere curarent?) tamen ut omnia prius benevolentia experirentur, quam extrema tentarent, in conventu publico Elbingenſi, Magiſtrum iterum atque iterum impenſe rogant, ut habita benigniori ratione eorum omnium, quæ in utramque partem ex his concertationibus evenire poſſent, ipſemet rebus his alium modum præfiniret, quo inter Principem ejusque Ordinem & ſubditos concordia conſervaretur, & ipſemet fidelium ſubditorum innocentiam apud Pontificem, Imperatorem & cæteros Principes excuſaret, & omnem ſiniſtram ſuſpicionem eximeret, ne ſibi ipſis neceſſitas imponeretur ſeſe palam purgandi; vel ſaltem ſi id facere vel nollet vel non poſſet, conſilium ipſis daret, quod hac in re optimum ſibi videretur, ſi id e Reipublicæ commodo futurum ſit, parituros ſe pollicentur. Ad ea Ludovicus: Equidem (inquit) literas tam Pontificis

ficis quam Cæſaris ac Principum cum fratribus meis accurate perpendi. Eæ ut duriores vobis prima facie videri poſſunt, ita ſi rectius ponderentur, nihil illis iniqui, ſed juſtum potius & æquum contineri perſuaſum habeo. Poſtulant enim fœdus a vobis auctoritate privata coitum bona gratia diſſolvi, vel inter nos ea de re amice vel per arbitros tranſigi. Si per vos ſteterit, quo minus alterutrum fiat, maximam inde offenſionem vobis conciliabitis, cum ſummo certe, quod mihi videre videor, & veſtro privato & totius provinciæ publico & incomparabili detrimento. Ajunt enim diſerte, fœdus iſtud contra fas jusque, contra publicas libertates, ſanctiones, conſtitutiones, & bonos mores coitum eſſe. Vos quidem ipſi negare non poteſtis, conſpirationes & conventicula publico noſtro juri contraria eſſe, nec executionem juris a quoquam alio, quam ordinario Magiſtratu præſtari debere. Quibus omnibus poſthabitis, quam grave ſit, & Eccleſiæ Præſidi, & imperii Gubernatori repugnare temere, ipſimet ex eventu rerum alienarum prudenter velim æſtimetis. Mea quidem opinione longe tutiſſimum eſt eas ſequi rationes, quibus & offenſio tantorum Principum vitari, & res veſtra tranquillo ſtatu domi manere poſſit. Quod hoc modo facile futurum exiſtimo, ſi vos ſponte veſtra fœdere deſtiteritis, & nos abunde ac idonee vobis caverimus de juribus, privilegiis, libertatibus veſtris probe conſervandis, deque injuriis a nemine inferendis, vel ſi a quopiam noſtrum inferantur, jure vindicandis. Hac ratione & Principibus tantæ Majeſtatis celeriter ſatisfacietis, & me meosque fratres cauſæ & innocentiæ veſtræ adverſum omnes homines acerrimos & conſtantiſſimos habebitis propugnatores. Poſtea literarum exemplum edidit, quibus exauctorato fœdere, libertatibus & privilegiis illorum cavere vellet. Erant autem ejusdem generis, cujus anteceſſor eandem in rem diploma Ordinibus exhibuerat. Fœderati his auditis, & iis breviter refutatis, quæ contra fœderis inſtitutum allata fuerant, inter alia illud etiam adjecerunt, quod ejusmodi fœdera contra fas jusque cenſeri non debeant, illud etiam argumento eſſe, quod confœderatio Procerum & Nobilium Regni Sueciæ in ſimili cauſa per Imperatorem & Papam ſolenniter fuiſſet confirmata. Cæterum ad cautionem propoſitam quod attinet, de ea amplius cum iis, quorum intereſſet, deliberandi ſpacium ſumptum eſt. Atque ita res in ſequentem annum dilata, ſed quod nihil interim æqui a Cruciferis impetrari poſſet, aliaque intervenirent alias impedimenta, cautionis hujus ratio demum repudiata fuit.

Confœderatio Suedica.

Quod autem de Confœderatione Suedica in rem ſuam afferunt, ita ſe habet. Cum Albertus Sueciæ Rex per tyrannidem & avaritiam impotenter regnum adminiſtraret, & ad conſilia, dignitates, & munia Regni, excluſis indigenis, exteros & novos homines plerumque adhiberet, qui ſuum potius privatum lucrum, quam Reipublicæ commodum procurabant, indigenæ vero non ſolum contemptui haberentur, ſed continuis etiam & immodicis oneribus & exactionibus opprimerentur, primum inter plebem, mox etiam inter Nobiles & Primores, indignatio exorta, complorantes calamitates & injurias ſuas. Quas cum ad Regem & Conſiliarios ejus retuliſſent, verba & contumelias plerumque, non raro

ro etiam qui tenuis conditionis eſſent, verbera reportabant, nobiles matronæ & virgines ſordidiſſimo cuique ex adminiſtris & ſatellitibus Regis invitæ vel per vim locabantur. Rex & Conſiliarii exteri omnem ſubſtantiam auri & argenti ex toto regno corradebant, & trans mare mittebant, ut non ſolum ærarium, ſed etiam privatorum facultates penitus exhaurirentur. Rex inſuper trientem omnis agri publici privatique, volentibus nolentibus poſſeſſoribus, ſuæ menſæ addicebat. His & aliis injuriis Nobiles & Primores Regni confœderationem contra vim injuſtam coiverant. Quo comperto Rex tum demum ad cædes, proſcriptiones, confiſcationes bonorum progreſſus, complures crudeliter & inhumaniter habuit, inter quos Regni facile princeps Magnus Stuer proſcriptus & extorris factus in Pruſſiam confugit ad Cruciferos, qui tum Gotlandiam obtinebant, cui Inſulæ Magnum exulem præfecerunt. Hæc omnia Sueci cum per Legatos ſuos apud Pontificem & Imperatorem conqueſti fuiſſent, illi non ſolum confœderationem adverſus tyrannidem probabant ac confirmabant, ſed etiam Daniæ Reginam Margaretham adhortabantur, ut Suecorum oppreſſorum tutelam ac patrocinium ſuſciperet, eosque contra tyrannidem armis defenderet. Unde factum, ut paulo poſt Regina Sueciæ quoque Regnum invaderet, & Albertum prælio devictum in poteſtatem & carcerem redigeret. Qua de re plura alibi commemoravimus.

An. 1452. Legatio fœderatorum ad Magiſtrum.

Anno igitur ſequenti, cum fœderati animadverterent, diſſenſionem eam, qua cum Cruciferis conflictabantur, indies magis ac magis exacerbari, illos interim non deſiſtere apud Imperatorem & Germaniæ Principes invidiam ſibi conflare, atque etiam confœderatos, & quosdam ex præcipuis ſolicitare, ut a fœdere deſciſcerent, quorum aliqui pollicitationes Cruciferorum ſecuti, fidem prius ſancte juratam proſtituerant, denuo communi conſilio Legatos ad Ludovicum mittunt, ut de ſumma rei ſemel amice & bona cum gratia tranſigerent, vel certe rationes inirent, quibus ipſimet innocentiam ſuam apud Cæſarem & alios defenderent. Legati, repetitis primum actionibus ſuperioribus, rem indignam eſſe conqueruntur, quod toties promiſſo ſolennis judicii exercitio per ipſum Magiſtrum & fratres eluſo, per injuriam oppreſſis legitimum præſidium ademptum ſit, ac iterum petunt, ut iis, qui juſtam conquerendi cauſam habent, ex æquo & bono ſatisfiat. Hic Magiſter Legatos interpellans ex tempore ſubjicit, ſe importunis fœderatorum poſtulationibus adductum, judicii publici exercitium eo animo indulſiſſe, ut periculum faceret primo anno, qua ratione res deinceps eſſet ſucceſſura, diem etiam audiendarum cauſarum conſtituiſſe, ac pro tribunali conſediſſe, adfuiſſe Primores & Præfectos ferme omnes, ſi quis conqueſtus fuiſſet, ſe jus illi dicturum fuiſſe, itaque nunc ſe promiſſis ſolutum eſſe. Negabant illi judicium ordine conſtitutum fuiſſe, plerosque autem, qui inter reos eſſent, ſubſellia judicum occupaſſe: itaque fœderatis integrum non fuiſſe, judicio tam ſuſpecto ſeſe fortunasque ſuas committere. Deinde addiderunt Legati, moleſtiſſime fœderatis accidere, quod experiantur, variis artibus, pollicitationibus, minis, ac perſuaſionibus,

bus, multos ab ea animorum mutua conjunctione, quam ultra duodecimum annum conſtanter cum Reipublicæ commodo conſervaſſent, alienari, diſtrahi & diſſociari, neglecta ipſius Magiſtri auctoritate, qua receperit eos in juribus & libertatibus ſuis perpetuo conſervatum iri: illud autem etiam acerbius ipſis accidere, quod paſſim apud Principes perfidiæ & rebellionis arguantur, Pontificiis interminationibus affligantur, in publicis concionibus e ſuggeſtu maligne admodum & maledice proclamentur. Enimvero, inquiunt, anteceſſorum tuorum tempore nunquam Pruſſia tantis afflicta fuit calamitatibus ab hoſtibus & extraneis, quantas hodie perferimus ab ipſo Ordine & Cruciferis. Et quamvis ſæpiſſime majores noſtri bellorum fortunam, cædes, latrocinia, populationes, devaſtationes, uxorum & liberorum deprædationes ac rapinas pertulerint, a Tartaris, Moſcis, Litvanis, Polonis & Boëmis in anguſtias redacti, omnes tamen ſuperiores calamitates, ne conferendæ quidem ſunt cum iſthoc malo, quod tandem ex hiſce diſſenſionibus inteſtinis eventurum veremur. Nos noſtra memoria etiam facultates omnes contulimus, quinimo mundum muliebrem, aurea & argentea ornamenta corporibus uxorum & filiarum noſtrarum detraximus, & pro conſequenda pace & redimendis arcibus ac captivis prodegimus: ſed mala nobis pro gratuita benevolentia redditur gratia, adeo ut pro fideliſſimis obſequiis nunc homines omnium ingratiſſimi nuncupemur, nunc nos illi, pro quorum incolumitate fortunas & capita projecimus, pedibus ferme proculcent, & non ſolum libertate nos privatos, ſed ſclavorum etiam more in ſervitutem redactos, imo ne canibus quidem pares eſſe velint. Id quidem tibi, Ludovice Domine, conquerimur, quem id vindicare & ad meliorem ſtatum reducere Magiſtratus admonet, niſi feceris, Deo omnium judici vindicandum aliquando committemus. Nos tibi tuisque Prædeceſſoribus ita dicto fuimus audientes, ut in bellis etiam non neceſſariis vitam & ſanguinem pro vobis impenderimus, eoque adhuc fumus animo in te tuoque Ordine juvando & pro viribus defendendo, ut de ſummo noſtro ſtudio, ubi opus fuerit, nihil ſimus remiſſuri. Neque mirari velis nos tantopere conjunctionis publicæ defenſionem urgere. Scimus enim eam juſtam & æquam, ſcimus cum Reipublicæ commodo, cum tua dignitate conjunctam eſſe. Superioribus annis atroces erant ortæ injuriæ inter Paulum Rusdorfienſem bonæ memoriæ & cæteros fratres cum collegiis Canonicorum, cum Promagiſtris Germaniæ ac Livoniæ, graviſſimis de rebus, & omnino ad perniciem utriusque partis ſpectantibus: cum nusquam appareret remedii locus, nobis, qui in fœdere eramus, rem omnem terminandam ac componendam commiſerunt, compoſuimus, tranſegimus, bona utrinque gratia diſceſſum eſt, permagnæ actæ gratiæ, fœdus omnium ore celebratum, quo univerſæ Reipublicæ ſalus, dignitas & auctoritas colligatæ & coadunatæ viderentur, ſine quo Respublica mutuis odiis ac ſimultatibus plane concidiſſet. Nunc ſaluberrimum inceptum ad conſpirationem, ad ſeditionem & perfidiam referunt ii, qui huic conſpirationi ſalutem ſuam acceptam debent. Enimvero quemadmodum tunc opera noſtra, collegiis cæterisque ſtatibus ſua libertas, ſuaque tranquillitas reſtituta fuit, ita nunc etiam haud iniquum fuerit ab

ab illis nos contendere, ut viciſſim pro conſervandis juribus ac libertatibus noſtris annitantur. A te vero enixe petimus, primum ut libertatem a majoribus traditam nobis integram ac inviolatam conſerves, deinde innocentiam noſtram a calumniis defendas, criminationes & proclamationes publicas, quibus exiſtimatio noſtra enormiter læditur, aboleas. Sin autem nec in te, nec in cæteris, quorum intereſt, præſidium nobis erit, a nobismet ipſis, quod auxilii reliquum eſt, petemus, cauſamque noſtram ubicunque locorum opus fuerit, adverſus quoscunque homines non minus conſtanter, ac animis quibus jam dudum nos conjunximus, uti bonos viros maxime decet, tuebimur ac defendemus. Illud tandem tibi certiſſime perſuaſum eſto, cupere nos & omnibus optare votis, ut ſalvis juribus noſtris, ſalva auctoritate tua, concordiam & amicitiam tecum colamus, ac ſolidam obſequentiam & venerationem tibi ut Principi noſtro ſemper præſtemus, & Reipublicæ ſtatum tranquillum, quantum in nobis eſt, perpetuo conſervemus.

Ludovicus his auditis, quanquam Legati reſponſum enixe flagitarent, tamen cauſabatur nunc abſentiam Conſiliariorum fratrum, nunc profectionem in Pomeraniam neceſſario ſuſcipiendam, mox etiam congreſſum cum Poloniæ Rege, qui Dibaviam adventare dicebatur: cum interim Fridericus Imperator denuo literis majores civitates hortaretur, darent operam apud Conſœderatos, ut fœdus aboleretur, & Magiſtro integrum in ſubditos imperium reſtitueretur, niſi malint rigorem juris adverſum ſe exerceri. Fœderati autem nihil interim a propoſito remittentes, in eo perſtabant, ut æquum jus inter omnes ſummos, pariter & infimos conſtitueretur. Tandem a Junio menſe in Auguſtum usque re protracta, & diu multumque deliberata, Ludovicus ad legationem Fœderatorum reſponſum dedit, quod fuit hujusmodi.

Reſponſio Magiſtri.

Omnem ferme orationem veſtram eo ſpectare animadverti, cupere vos amicitiam & concordiam publice colere, obſequium & venerationem nobis debitam perpetuo cuſtodire. Ego vero Deum teſtor, me non eſſe alio in vos animo, quam me meosque Prædeceſſores erga fideles ſubditos eſſe decuit, nec quidquam non a me expectetis velim, quod jure, & honeſte, & candide, poſtulare poſſitis. Cæterum non ignoratis, quibus cauſis adductus ſummus Pontifex noſter Legatum ſuum in Pruſſiam, omnium inter nos diſcordiarum componendarum gratia, miſerit. Ejus cognitionem quo libentius, uti par erat admiſimus, eo vos obſtinacius, quod minime decuit, recuſaſtis. Jam per annos aliquot ſcriptis, querelis, legationibus, reſponſionibus inter nos ultro citroque diſceptamus; ſed tantum abeſt, ut aliqua iis modis concordiæ ratio inventa ſit, ut diſſenſiones & ſimultates indies fieri videantur majores & moleſtiores. Si quid enim nobis æquum bonumque viſum fuit, id plerumque vobis diſplicuit; ea vero, quæ vos pro commodo veſtro in medium attuliſtis, non itidem e re noſtra exiſtimavimus. Ita nempe comparatum eſt inter omnes homines, ut nemo ſuæ rei judex idoneus eſſe videatur. Si ſuperiores actiones utrinque coram judice competenti

ventilatæ fuiſſent, equidem minime dubito, quin jam & vos eam, quam tantopere deſiderare vos præ vobis fertis, concordiam & tranquillitatem nacti eſſetis, & nos de veſtra erga nos fide eo minus dubitaremus. Judex enim, qui cognitionis poteſtatem & rei judicatæ executionem paratam haberet, facile partem alterutram ad parendum judicato compuliſſet. Confœderatio quidem veſtra diſertis verbis diſponit, ſi quis veſtrum injuria quavis ſit affectus, vel a nobis vel ab Ordine noſtro, illum jus appellare, & juri acquieſcere debere. Vulgo etiam fertur, confœderationem veſtram ſaltem contra vim & injuriam coitam eſſe. Quisquis igitur jure vobiſcum volet contendere, is neque vim inferre neque injuriam affectare videtur. Hoc ſi nunc etiam eſtis animo, conſcribite omnes & ſingulas injurias, quas a nobis & Ordine noſtro perpeſſos quiritamini, nos viciſſim rationes noſtras opponemus: eamus ad judicem, cognitionem patiamur, equidem ſancte ſpondeo, me judicato probe ſatisfacturum; idem ſi vos facietis, facilis erit & expedita via ad concordiam recuperandam, & diſſenſiones omnes abolendas. Quodſi judicem non ſatis idoneum exiſtimatis ſummum Pontificem, quia longius abeſt, ſane Cæſarem non recuſamus. Quinimo quemcunque ex illuſtriſſimis Imperii Electoribus, vel Principibus aut Epiſcopis, utrique parti non ſuſpectis, judicem vobis ferimus. Sin domi rem tranſigi cupitis, habemus tam in Livonia, quam in Pruſſia Epiſcopos, viros pios & prudentes, quos arbitros eligere poſſimus, additis utrinque pari numero viris diſcretis, qui illis ſint a conſilio. Sin nihil eorum omnium, quæ diximus, vobis placet, illud etiam non recuſamus, ut viros duos Nobiles hujus provinciæ ex parte noſtra conſtituamus, vos totidem veſtro arbitrio deligatis: in eos juramento, quo nobis obſtricti ſunt, relaxato, cauſam totam compromittamus. Si bona cum gratia poterunt inter nos tranſigere, res abſoluta erit: ſin minus, ſententiam ex compromiſſo ferant. Quod ſi ipſi inter ſe convenire non poſſint, ſummus ſit arbiter vel Pontifex, vel Cæſar, vel quisquam Principum, qui utrique noſtrum placuerit, litem dirimat. Hæc ejus mihi videntur generis, ut non ſolum æquiſſima ſint, ſed omnem vobis aliam, ſi recuſabitis, innocentiæ prætendendæ rationem præcidant.

Legatorum reſponſio.

Ad ea Legati reſpondent, fœderatos minime jus ſubterfugere, modo judicis non ſuſpecti copia eſſet. Nam quod ad plerosque attineret, quos ipſe nominaſſet, apud eos ſe jam dudum calumniis in odium & invidiam vocatos, & præjudiciis non obſcure jam oppreſſos eſſe. Neque vero ex Republica ſibi videri, ut tam procul extra provinciam lis exerceatur. Quod ad domeſticos judices pertineret, neſcire ſe quem ex ſua parte habituri ſint, qui ſine proprio periculo vitæ & facultatum candide auſit ſententiam dicere, cum paſſim etiam ſocii vi ac minis a fœdere diſtrahantur, iis vero etiam receptis, ubi diſſenſerint, in ſummo arbitro idem quod antea, præjudicium eſſe metuendum. Unde quidem nihil aliud colligi poſſit, quam in hujus generis arbitris, arbitrium omne ad alterutrius partis libitum optari. Quodſi Magiſtro & fratribus Cruciferis cordi ſit jus bona fide experiri, vel æquum judicem pati, arbi-

trum

trum fœderatos illis ferre Sereniſſimum Poloniæ Regem & ejus Conſiliarios, quorum ſententiæ in quamvis partem ſatisfacturos ſe recipiunt. Cum Ludovicus diceret, fratres ſuos arbitrium Poloniæ Regis minime recepturos, fœderati quærendum alibi ſibi præſidium juris demonſtrant, ac in primis ſe conſtituiſſe dicunt, Legatos ad Fridericum Cæſarem purgandi ſui cauſa mittere, ideoque rogare, ne ea, quæ ipſi innocentiæ tuendæ & juris ſui conſervandi gratia facerent, in deteriorem partem quempiam pateretur interpretari.

Legati ad Cæſarem.

Menſis deinde Septembris die viceſima, fœderatorum communi conſilio Culmæ habito, Legati ad Cæſarem delecti ſunt, Auguſtinus von der Scheibe, Eques auratus, Ramſel von Ludwichsdorf Eques nobilis, Tidemannus von Wegen Torunenſis, & Andreas Brunaw Regimontanus Conſules. His quanquam imperatum erat, ut iter continuo ſuſciperent, tamen quod Magiſter & Cruciferi ſubinde alias atque alias concordiæ rationes proponerent, nec quidquam tamen efficeretur, profectio Legatorum in menſem Octobrem extracta fuit. Cujus menſis die vigeſima prima Legati ex Pruſſia Viennam verſus iter facere cœperunt.

Exacerbatio inteſtina.

Interim vehementer utrinque res exaſperari, & in apertum ferme tumultum prorumpere. Nam & foris Ludovicus ac Cruciferi Germaniæ Principes de auxiliis per Legatos interpellabant, & domi non obſcure arces & civitates, quas tenebant in poteſtate, munitiores armis & commeatu reddebant, utrinque vero ſermones acerbi & inimici paſſim exaudiebantur. Cruciferi jactitabant: Prutenos eſſe ſervos ſuos ſuaque mancipia, bello capta, & gladio quæſita, Pruteni contra, non illos ſuos eſſe dominos, ſed tyrannos; ut majores ſui bello partim eſſent ſubacti, poſteros tamen ſponte in dominium veniſſe, multo vero jam majorem partem ex Germania oriundos, ex nobilibus familiis in Pruſſiam migraſſe, eandem libertatem Germanicam ſecum in Pruſſiam intuliſſe, *quæ nunquam Cruciferis fuiſſet ſuppoſita*, decere proinde Prutenos nativos & adventitios, quando communem ambo patriam liberam elegiſſent, ſuæ meminiſſe libertatis, & avaros Cruciferos tota potius exturbare Pruſſia, quam illis tam impotenter dominantibus ſervire. Ludovicus qui iſthæc omnia facile magnum in malum erumpere poſſe videbat, cum Epiſcopo Riſemburgenſi apprime dabat operam, ut ejusmodi acerbæ voces utrinque conquieſcerent. Civitates vero fœderatæ eo magis invigilabant, rebusque ſuis diligenter in omnem eventum proſpiciebant. Ludovicus quod animadverteret, civitatibus ſe maxime ſuſpectum eſſe, præſertim eo nomine, quaſi externa compararet auxilia ad fœderatos bello opprimendos, Præfectum arcis Gedanenſis in urbem miſit, qui convocato Senatu & populo omnia pacifica denunciaret, nullum eſſe belli metum, nullum armorum apparatum, ſperare ſe, omnia propediem amice transactum iri: quæ tranſigi non poſſent, de iis jure agi poſſe, ideoque hortaretur, ut bono eſſent in Magiſtrum & fratres ejus animo, nec aliud ab eis, quam quod paci ac tranquillitati conveniens eſſet, expectarent. Scripſit in eandem ferme ſententiam Ludovicus ad Gedanenſes:

nenſes: perferri ad ſe, quod ipſi urbem ſolito accuratius munirent, armaque omnis generis in expedito haberent, cauſam ejus rei plerosque aſſerere inſolentiam eſſe præfectorum ſuorum, qui non ſolum præter ullam neceſſitatem arces munirent, ſed verbis etiam amarulentis & plane incivilibus fœderatos inſectarentur. Id eo moleſtius accidere ſibi, quo majori ſtudio & contentione a ſubditis amari quam metui eniteretur, nullumque laborem prætermitteret, quo ad pacis & concordiæ ſtudium omnes adducerentur. Ideoque ſe nuper omnibus, qui arcium & civitatum præfecturas gererent, & cæteris ſerio mandaſſe, ut tam a munitionibus bellicis, quam dictis contumelioſis penitus abſtinerent, ea ſpe, neminem ex illis dicto non fore audientem. Proinde ipſos etiam hortari, ne de ſe quidquam ſiniſtri ſuſpicentur, neque temere omnibus credant, multo minus ad ſumptus non neceſſarios ſemet adigant. Operam ſe cum primis daturum, ut omnium diſſenſionum difficultates ex bono & æquo præcidantur, vel ſaltem jure, non armis, definiantur. In eandem ſententiam ſcripſit etiam ad cæteras civitates majores, ut omnem ipſis metum adimere, & animos plebis prorſus ad ſecuritatem adducere, & omnino rerum futurarum ſpem meliorem, quam tum cordatus quisque præſentiebat, facere conaretur.

Oratio Legatorum ad Cæſarem.

Menſis Decembris die quarta Legati fœderatorum Statuum Pruſſiæ Viennam advenerunt, ac inde Neoſtadium profecti, ubi tunc Cæſar propter peſtem alibi graſſantem cum curia ſua commorabatur, & in conſpectum clementer admiſſi, fidei literis & donariis pretioſis exhibitis, ita verba fecerunt:

Sereniſſime Rex, Invictiſſime Cæſar, Domine Clementiſſime. Si Magiſter Ordinis Teutonici generalis & fratres ejus Ordinis Cruciferi Majeſtatis tuæ judicio & placito jam pridem ſtare voluiſſent, ut in Pruſſia concordiam Ordinum ſtabilirent, & inteſtinas ſimultates ſponte diſſolverent, non neceſſum fuerat, nos hac Legatione Majeſtatem tuam alioquin graviſſimis ubique negotiis occupatam interpellare, & in Pruſſia inter Cruciferorum Ordinem & Status terrarum meliori quam nunc gratia & majori Reipublicæ tranquillitate viveretur. Verum tantum abiis rationibus abſumus, quibus domi controverſias omnes componi potuiſſe ſperabamus, ut illi nos præter jus & æquum, præter culpam & meritum, apud ſummum Pontificem, apud Majeſtatem tuam, & primores Germaniæ Principes graviſſime detulerint, perfidiæ, contumaciæ, ac rebellionis maculam inuſſerint, quæ tam enormia crimina & ſcelera abſit ut ullo unquam tempore de nobis vere dici poſſint, adeo ut ab invitis etiam (ne ſilentio quidquam agnoviſſe vel probaſſe videamur) innocentiæ noſtræ plane neceſſariam excuſationem extorqueant. Tota res agitur de fœdere, quod ante annos duodecim inter equeſtrem ordinem & civitates in Pruſſia publico conſenſu coitum fuit, pro vi arcenda & omnium æqua ſecuritate tuenda, quod & Magiſter Paulus Rusdorfienſis bene approbavit, & ejus ſucceſſor Conradus utile cenſuit, & Majeſtas tua diplomate publico ratum eſſe juſſit. Hujus fœderis cauſæ, propoſitum, mens &

& ipſa verba, primum nihil aliud præ ſe ferunt, quam Reipublicæ tranquillitatem & ſalutem, & ſingulorum incolumitatem: id quod ſtatim in primordio res ipſa declaravit. Cum enim inter Paulum memoratum & tria Canonicorum collegia ſimultates orirentur, quæ eo usque proceſſerant, ut jam factiones alerent, coirent, & in partes ſcinderentur: cumque Magiſter ipſe a primoribus contemptui haberetur, ac clam receſſionem faceret; quibus quidem ſcintillis tota tandem Pruſſia conflagraſſet, ea mala omnia unico hujus fœderis præſentiſſimo remedio ſopita, & Reipublicæ tranquillitas, ſingulis autem ab omni violentia ſecuritas reſtituta fuit. Deinde in eodem fœdere Magiſtratui noſtro legitimo ſuus honor, obſervantia, obedientia, omnia denique cætera, quæ illi debentur, candide tribuuntur, ut ne hic quidem de exiſtimatione & auctoritate ſua quicquam detractum jure quis affirmare auſit. Tandem nulla eſt iſthæc conventio vel conſilii vel auxilii, nedum ullius ſeditionis aut rebellionis adverſus quempiam juſte & ex ordine nobiſcum agentem inſtituta, ſed contra ſolam injuſtam vim & injuriam paratum remedium: quod ipſa natura non hominibus ſolum, qui ratione vivunt, indulſit, ſed brutis etiam animantibus ingeneravit, ſic ut hoc nequaquam contra jus a nobis excogitatum dici poſſit. In hoc tam pio, honeſto & æquo propoſito, ut a Cæſarea Majeſtate conſervemur, primum & ſperamus omnino & humillime precamur. Deinde quod Paulus Rusdorfienſis & Succeſſor Conradus approbarunt, & ex commodo Reipublicæ cenſuerunt, nulla cauſa eſt, cur Ludovicus modernus Magiſter id ipſum honeſte recuſare debeat: præſertim cum hac lege & ſponſione ad Magiſtratum receptus ſit, ut omnium & ſingulorum jura ac libertates defenderet potius & augeret, quam oppugnaret vel deſtrueret. Ne vero de nihilo nos ad has rationes deſcendiſſe quisquam putet, parati ſumus etiam cauſas ſingulatim explicare quas Cæſarea Majeſtas (tantæ ſunt enim) adeo non improbabit, ut graviori etiam animadverſione in Cruciferis dignas ſit æſtimatura. Non enumerabimus nunc, quæ privatim unumquemque in familia ſua pertingunt, quæ cædes uniuscujusque parentum, filiorum, fratrum, amicorum, per vim & injuriam perpetratæ, quæ ſtupra in uxores, liberos & domeſticas nefarie commiſſa, quorum enarrandorum alius erit locus: ea ſaltem vel parce attingemus, quæ pene Rempublicam nobis peſſundederunt. Non eſt enim incognitum, per inteſtinas ipſorum Cruciferorum factiones, multos viros nobiles nullo juris ordine bonis ſuis exterminatos, qui niſi fœderati interceſſiſſent, ex amicis hoſtes erant futuri pernicioſiſſimi. Neque ignotum eſt, quod in ea ipſa diſſenſione Cruciferi & eorum primores per ſummum ſcelus inter ſeſe ipſos alter alterum in teterrimos carceres conjecerint, nonnullos etiam fame & pedore crudeliter enecaverint. Comes quidem Plavenius profugus Polonos etiam, Litvanos, Ruſſos & Tartaros ad depopulandam Pruſſiam concitavit, eo quod patruelis ejus ob tyrannidem Magiſtratu fuiſſet abdicatus. In eadem, quam diximus, diſſenſione, Cruciferi ex Collegio Regimontano ædes Mareſcalli per vim effregerunt, & ſigillum publicum abſtulerunt, quod genus violentiæ nunquam antehac auditum fuerat. Illud vero non mediocriter Rempublicam affligit, quod Cruciferi plurima prædia nobilium militarium ad ſe variis modis pertraxerunt, & in alios uſus converterunt,

terunt, unde factum est, ut paulatim deficiente manu militari, minus nunc virium habeat Prussia, quam ut barbaris vicinis absque milite stipendiario resistere possit. Ut nunc taceamus mensuram, ulnam, modium, publice diminutum, agrum omnem ferme vectigalem factum, cum summo Reipublicæ dispendio. Quibus malis omnibus cum a nobis obviam iretur, cum idonea remedia & sanandis intestinis morbis, & vendicandæ ab interitu Reipublicæ adhiberentur, gratia digni potius eramus, quam ut calumniis proscindi, perfidiæ & rebellionis insimulari passim & publice mereremur. De quibus omnibus ut nos Cæsareæ Majestati purgaremus, omnino necessarium putavimus, in cujus paterna clementia spem certissimam repositam habemus, futurum, ut non solum innocentiam nostram evidenter agnoscat, sed sua etiam auctoritate nos ab istis calumniis & injusta vi clementissime sit vindicatura. Nihil hic privatim nobis quæritur, saltem universorum salus & Reipublicæ utilitas ut sarta tecta conservetur, omnis injustitia absit, cuilibet jus suum tribuatur, pax & concordia firmiter constituantur, in auctoritate Cæsareæ tuæ Majestatis situm est. Ac quandoquidem Magister & Cruciferi jure se nobiscum acturos, excluſa omni, quam semper expetivimus, bona gratia, prætendunt, eaque de causa ad Majestatem tuam provocarunt, in nobis etiam, quoniam illorum Legatos adesse videmus, nulla mora est, si Cæsarea Majestas æquum se judicem præbere velit, in examinando fœdere nostro, quin ejus arbitrium in rationum nostrarum disceptatione libenter simus amplexuri.

Cruciferorum Legati quanquam ad hoc ipsum accersiti præsentes essent, parum tamen ad rem respondebant, neque sibi litis ineundæ mandatum esse dicebant, vel quod plerosque Principum in partes suas jam pertraxerunt, vel quod sciebant Cæsarem eo tempore præ aliis gravioribus occupationibus operam huic negotio minime daturum, quod eventus etiam comprobavit. Cæsar enim grate acceptis donariis, & collaudato Statuum Prussiæ, quod præ se ferrent, Reipublicæ & tranquillitatis studio, temporis importunitatem excusavit, quo minus nunc eam causam audire, nedum ut oporteret, determinare posset: interim spem faciens, se quamprimum fieri queat operam clementer daturum, ut isthæc controversia vel bona utrinque gratia vel saltem juris auctoritate componeretur, eamque in rem diem Divi Joannis Baptistæ anni sequentis constituit. Paulo post Cæsar, petentibus fœderatorum Legatis, omnia Prussiæ tam Statuum quam civitatum privilegia, jura, immunitates, libertates a quibuscunque concessas, consuetudines etiam receptas & hactenus usurpatas, publico diplomate solenniter confirmavit, easque ratas, firmas & inviolatas ab omnibus esse jussit. Edita est ea Confirmatio Neostadii die decima quinta Decembris, feria sexta post diem Luciæ Virginis, anno præsenti 1452.

Causa prorogata.

Confirmatio Privilegiorum.

An. 1453. Actiones cum Magistro.

Anno demum sequenti, fœderatorum Legati domum redierunt, & quid apud Cæsarem actum esset, quæque fundamenta futuræ jecissent actioni ad suos retulerunt, Cæsareæ simul citationis edictum, quo Magister & Cruciferi, quoniam eorum Legati prætenderant, se litis suscipiendæ

piendæ mandatum non habere, ad condictum diem evocabantur, exhibuerunt. Eodem autem tempore postulaverat per scribam suum Ludovicus a Torunensibus, ut sibi Cæsareas literas confirmationis privilegiorum legendas ostenderent, vel exemplum transmitterent: quod Torunenses recusarunt, quia sine cæterorum consensu id in eorum potestate non esse videbatur. Non multo igitur post fœderati conventu in Mariæ insulam indicto, Ludovicum, qui tum ibi commorabatur, adeunt, Torunenses excusant, cur illius postulatis morem gerere nequiverint, ostendunt quas nunc etiam rationes habeant, cur literarum earum copiam illi facere nolint. Etenim (inquiunt) certo comperimus, quod Præfecti tui in singulis ferme civitatibus ac territoriis cives ac colonos convocaverint, & iis suggesserint, quasi Internuncii nostri, quos ad Cæsarem non ita pridem miseramus, mendaciis & calumniis rem omnem tractassent, quasi meræ nugæ & figmenta sint, quæ nos de indulto & Confirmatione Cæsareæ Majestatis gloriaremur, multaque alia malitiose dixerint, quæ ad contemptum literarum Cæsaris & denigrationem Internunciorum pertineant. Quapropter inutile judicamus literarum copiam edere, eoque magis calumniandi materiam præbere, sed commodius fuerit, ut ad præstitutum judicii diem exhibeantur, ac Cæsar ipsemet de dignitate & existimatione literarum suarum pronunciet. Deinde vehementer nos movet, quod nuper in omnes civitates ac territoria literas emiseris, ac interdictis gravissimis, pœnis etiam sub amissione privilegiorum, immo vitæ & facultatum quoque jactura prohibueris, ne quis pecunias, quas fœderati ex communi consilio inter se in hanc legationem, & ad tolerandos sumptus communes decreverunt, conferat. Atqui te volente, jubente, cogente ac provocante, ad Cæsaris arbitrium descendimus, & Legatos misimus, & in posterum usque ad causæ decisionem necessum est ut mittamus, & sumptum impendamus. An igitur iniquum videtur, ut ii sumptus in eam rem conferant, quorum res agitur? Soli ii pecunias in litem erogant, qui fœderi sunt adscripti, præter eos nemo. Certe non adeo sumus rerum ignari, ut non intelligamus, nisi sumptus nobis in litem affatim suppetant, in longinquo præsertim foro, nos facile causam & pecuniam perdituros. An non tibi & Ordini tuo variis exactionibus & pensionibus annuis cum in alias impensas, tum in hanc ipsam litem nummos nostros conferimus? Qua in re si officium facere voles, eo minus nos impedies, quo magis tibi constat, non servos tuos, non mancipia nos esse, quibus non liceat rebus & facultatibus suis honeste abuti, prout melius videatur. Præterea non possumus in meliorem partem accipere, toties iteratas litterarum non tam commonefactiones, quam meras exprobrationes de observando juramento & fide præstanda. Non obscure enim ea re fidem nostram fugillari videmus, quam nunquam profecto fefellimus, tibique tuisque majoribus inviolatam conservavimus, & in posterum salvis juribus ac libertatibus nostris constanter tuebimur. Enimvero meminisse decet, te itidem juramento nobis obstrictum, uti nos tibi sumus. Pollicitus tu quidem es, cum te Dominum agnovimus, te jura, privilegia, libertates nostras probe defensurum, gravamina vero, quæ nobis incumbunt, aboliturum. Sed interim nobis multo graviores quam unquam antea difficultates cum

publice tum privatim objectæ fuerunt, nec unquam ferme magis juribus & libertatibus noſtris vim & inſidias ſtrui re ipſa experimur. Tandem iterum atque iterum tibi conquerimur de inſolentia ac malignitate Præfectorum tuorum, qui cohiberi nequeunt, quin in quibuscunque negotiis, nobis præſentibus vel abſentibus, nos rebelles, perfidos, perjuros, infames, ac infra omnes leviſſimæ notæ homines exclament, deteſtentur, & ubique traducant. His omnibus ut modum aliquem ponas, in cæteris vero non præter fas & æquum injuria nos affici patiaris, quantis poſſumus precibus obteſtamur, ne nosmetipſi tot injuriarum aliquando pertæſi alia huic malo remedia quærere cogamur.

Ad ea Ludovicus placide reſpondet: ſeſe ideo exemplum literarum Cæſareæ Majeſtatis deſideraſſe, quod aliunde acceperit earum exempla ſibi ipſis non per omnia reſpondere, quodque audiverit a multis aliis diverſa circumferri, nec eosdem ubique ſermones de iis ſpargi. Quandoquidem vero editionem literarum earum ad diem usque judicii differre velint, ſeſe nullius juri impedimento futurum. Enimvero, (inquit) ſi quis in earum literarum præjudicium contemptim quidpiam admiſit, ipſemet viderit, injuſſu certe meo factum ſancte teſtor. Deinde quod ad contributiones pecuniarum in ſumptus litis conſtitutas attinet, meo certe jure prohibere me poſſe exiſtimo. Primum enim Cæſarea Majeſtas mandavit, ut hac pendente lite nihil interim ab utraque parte novi fiat. Deinde nemini hominum in his terris præterquam ſummo Magiſtratui licet exactiones in territoriis & civitatibus imponere, quod vos utique citra conſenſum noſtrum feciſſe, non eſt minimum derogatæ nobis auctoritatis argumentum. Veruntamen ut hujus etiam rei cognitio ad eundem judicii diem prorogetur, non abnuimus. Quod ad juramentum & fidem attinet, de quibus ſubinde ſolemus vos admonere, neutiquam ad eos pertinet, de quorum fide nunquam dubitavimus, ſed ad nonnullos, qui palam res novas moliri videntur, ut ii honeſtis potius admonitionibus, quam turpibus pœnis in officio contineantur. Equidem me præſtitiſſe vobis, quæ debeo, confido, & luculentius fortaſſis in poſterum præſtabo, ut viciſſim fidem veſtram mihi quovis pignore certiorem exiſtimo. Tandem quod ad nonnullorum maledicta ſatis enormia & contumelias attinet, quibus a meis vos proſcindi nunc primum audio, nihil jam de ignorantia mea prætendam, ſed hoc dico, ſi vel minimus veſtrum quempiam meorum ſubditorum vere poſſit accuſare, qui ſe honeſte purgare nequeat, re ipſa me ſeverius oſtenſurum, quantum mihi ejuscemodi contumeliæ, quæ ad exacerbandos fidelium ſubditorum pertinent animos, diſpliceant. His Ludovicus etiam addidit, ut intelligerent fœderati, quam ipſe non abhorreret a concordiæ ſtudio, cupere ſe magis, ut omnes controverſiæ domi familiariter transigerentur, ita quidem, ſi fœderatis idem eſſet animus, ut ex ſua parte tres vel quatuor arbitri bonæ opinionis, & totidem ex parte fœderatorum eligerentur, qui omnes rationes, injurias & defectus utriusque partis ſincere & candide excuterent, ac æquis utrinque conditionibus paciſcerentur: Sin autem rem transigere non poſſent, ut præſtito juramento

to ea omnia, quæ coram ipſis acta dictaque fuiſſent, nemini unquam revelarent, ſed in ſepulchrum usque occulta & tacita ſecum conſervarent: ac deinceps juris via, uti jam cœptum eſt, nihilominus procederetur. Hæc res a fœderatis ad ampliorem deliberationem rejecta fuit: quia multi ſuſpicabantur, conſulto ejus rei mentionem injectam, ut eo magis fœderatorum conſilia explorarentur.

Conſilium ſecretius fœderatorum.

Menſe deinceps Aprili in conventu Mariemburgenſi Status Pruſſiæ fœderati, quoniam in tanta hominum, qui plerumque conſiliis intererant, multitudine, vix quidquam eſſe poterat adeo ſecretum & occultum, unde non aliquid per exploratores ſuos clam conſtitutos Cruciferi quandoque reſciſcerent, decreverunt hoc dubio rerum ſtatu peculiare conſilium, quod ſecretum vel anguſtum nuncupabant. Id conſtabat viginti viris omnium ad res gerendas maxime idoneis, quorum fidei univerſa Reipublicæ ſumma, atque adeo omnium libertas & fortunæ erant concreditæ, quorum decem ex Ordine equeſtri, ex civitatibus totidem legebantur. Atque hi viginti viri deinceps omnia conſilia, quæ gravioris eſſent momenti ſumma vigilantia non minus quam dexteritate & prudentia adminiſtrarunt & expediverunt, cæteris omnibus ad nutum ſponte parentibus. Exemplum taciturnitatis omnino rarum, cujus ſimile vix alibi reperias. Sic enim ſecreto agebantur omnia, ut Cruciferi nec ſumma proditorum vi, nec pretio, nec pollicitationibus efficere potuerint, quo quidquam eorum conſilii explorarent, & ipſi fœderati cæteri vix unquam vel raro ſaltem, quid ageretur, compertum haberent, niſi quorum opera ad rem quampiam expediendam illi uterentur. Ac quod magis eſt, quinam illi fuerint, Cruciferi nunquam, ne totius quidem belli tempore cognoverunt, & nomina illorum nusquam in Actis publicis commemorantur, ideoque ad poſteros etiam ignota manſerunt.

Legatio Fœderatorum.

Initio deinceps menſis Maji lecti ſunt etiam Legati ad Cæſaream Majeſtatem, qui litem inſtitutam ſua die proſequerentur: Joannes von Thuer, Ramſel von Ludwichsdorf, Gabriel von Baiſen, Equites, Joannes Matzkow Culmenſis, Tidemannus vom Wege Torunenſis, Conſules, & Guilelmus Jordan Senator Gedanenſis, quorum Legatio quem eventum habuerit ſuo loco dicetur.

Legati Ordinis.

Eodem tempore Ludovicus etiam ſuos Legatos ad Cæſarem deſignavit: Franciſcum Kuſchmaltz, Epiſcopum Warmienſem, & Heinricum Comitem Plavenſem, Præfectum arcis Elbingenſis: quibus poſtmodum in actione coram Cæſare adjunxerunt ſe duo Commandatores ex Germania cum nonnullis Doctoribus magni nominis, & Principes, Ludovicus Bavarus, Antonius Epiſcopus Bambergenſis, Joannes & Albertus Marchiones Brandeburgici.

Aliæ Legationes.

Fuerunt etiam alii Legati utrinque deſignati ad diverſos Germaniæ Principes: Cruciferorum quidem, qui fœderatos ubique criminarentur, & adverſus eos Principum indignationem excitarent: Fœderatorum autem, qui ea ipſa crimina diluerent, innocentiam eorum oſtenderent,

Legatio apud Poloniæ Regem.

derent, & quoquo modo cauſæ ſuæ patrocinia conquirerent. Inter cætera Cruciferi de fœderatis apud Regem Poloniæ per ſubornatas perſonas graviter conqueſti fuerant, & rebellionis ac perfidiæ macula non mediocriter eos deformaverant, adeo ut paſſim inter Polonos ſpargeretur, quaſi jam decretum eſſet Cruciferis, ſubditos ſuos populariter opprimere & radicitus exſcindere, quorum alii hac in parte inſaniam mirabantur, alii tyrannidem plusquam Tartaricam deteſtabantur. Quod cum ad fœderatos certo perlatum eſſet, & ipſi quosdam ex ſuis rerum Polonicarum haud ignaros ad Regem Caſimirum Partzoviam mittunt, ubi tum ille regni ſui conventum agebat, qui Cruciferorum calumnias refutarent, & in omnem eventum, ſi qua forte vis injuſta ſibi ab impotentibus Dominis inferretur, peterent, ut Rex benignam illorum rationem habere dignaretur, nec indigne oppreſſos deſereret, ſed cauſam piam, juſtam & publice utilem, ope conſilioque, ſi res ita tuliſſet, clementer adjuvaret. Rex omnia benigne pollicitus cum ſeſe nemini injuſte oppreſſo, qui ad ſe confugeret, defuturum dixiſſet, continuo Legati Cruciferorum fremere, & Regem interpellare, ne ſe negotiis alienis immiſceret, ne ſubditos Ordinis de Dominis falſo querentes audiret, ſed promiſſis Regiis ſtaret, & pacem perpetuam, uti ſancte recepiſſet, conſervaret. Rex modeſte reſpondit, ſe tanquam Principem Chriſtianum factiones & diſſidia alere nolle, pacis & concordiæ auctorem eſſe malle, ſi ſe arbitro uti velint, eis ſeſe operam haud gravate daturum. Superbe id Cruciferi repudiarunt, quod fœderati paſſis manibus amplecti cupiebant.

Cruciferorum Legati ad Marchiones.

Legati Cruciferorum, qui ad Cæſarem ablegati fuerant, in itinere cum alios Principes, tum inprimis Marchiones Brandeburgenſes, quantum poterant in partes ſuas ſolicitabant: Marchionum ſcilicet majores hujus Ordinis præcipuos fuiſſe auctores, patronos & defenſores, itaque non immerito poſteros eorum ejusdem Ordinis patrocinium a majoribus acceptum nunc etiam ſuſcipere. Quo ut facilius adducerentur, Legati rei præſentis ſtatum pluribus exponebant: quomodo fœderati pro tuitione ſui fœderis Cæſarem adiviſſent, eumque arbitrum petiiſſent, Legati Ordinis judicium recuſare auſi non fuiſſent: quomodo Cæſar arbitrium cauſæ recepiſſet, & binas partibus literas edidiſſet: unas quibus exercendi judicii diem aſſignaverit, alteras, quibus edixerit, ne quid intra condictum diem alterutra pars adverſus alteram novi attentaret. Hic Cruciferos dicto paruiſſe, ut par eſt, ajebant, fœderatos autem nihil minus facere; primum quod cives & ſubditos Cruciferorum ſuo arbitratu, quoties libuerit, convocent, eoque contra Magiſtrum & Ordinem per calumniam concitent, eo colore, quaſi ab Ordine violenta oppreſſio illis cotidie metuenda ſit. Deinde quod in civitatibus commeatum, arma, militem ſtipendiarium comparent, tandem etiam exactiones, contributiones & alias ejus generis ſuppetias publice conſtituant, ac vulgo hominum perſuadeant, quaſi hæc omnia fiant in ſui defenſionem & ad univerſorum injuriam, cædes & invaſiones propulſandas comparata ſint. Interim hoc quoque plebi imperitæ prætendant, quaſi Cruciferi idcirco Confœderationem illorum impugnarent, & abolere conarentur, ut deinde & ſubditos eo liberius per ſuam tyrannidem opprimere, & bellum cum Polonis contra pacem perpetuam reſuſcitare poſſent, quod utique Cruciferis nunquam in mentem veniſſet. Ex quibus omnibus, affirmabant Legati, nihil aliud Magiſtrum & Cruciferos nec intelligere nec conjectari poſſe, quod ipſum etiam ab aliis aperte nuncietur, quam fœderatos jus, quod ipſi petiviſſent, non obituros eſſe, ſed prætextu juris Ordini vim quandam illaturos. Immo & hoc non obſcure ferri, quod jam cum quibusdam Poloniæ Proceribus de auxiliis contra Ordinem ſubminiſtrandis convenerint, & ejus rei ſpem ab ipſis aliquam acceperint, quamvis Cruciferi non exiſtiment Polonos adeo leviter pacem perpetuo initam habituros. Exitus Orationis hic plerumque erat, quoniam omnino verendum eſſet, ne fœderati juri & judicato tandem non ſatisfacerent, ſed per temeritatem novas aliquas turbas darent: orare Magiſtrum & Cruciferos, ut Marchiones Principes eo caſu ſuppetias ſibi ferrent, quantas omnino poſſent, maximas. Sin ipſi fœderati eosdem Principes per Legatos adituri eſſent ſui forte purgandi cauſa, fidem ſimulatis illorum excuſationibus nullam haberent, ac opponerent potius Magiſtri & Ordinis ſtudium in jure experiundo, eoque audacter fidem pro illis interponerent, ſi opus eſſet. Explorarent etiam ex illis, qua tandem ratione ipſorum conſenſu & bona gratia fœdus poſſet abrogari, ſi honeſte & ſine ullius infamia poſſet, nihil reliquum facturos Cruciferos, quo magis ad transactionem ipſis Marchionibus ſponſoribus amicabilem res perduci poſſit. Illud enim Cruciferis exploratum eſſe, quod fœderati haud obſcure præ ſe ferant, fœdus ſuum nequaquam abolitum iri, neque vi neque jure, unde conſequi neceſſarium ſit, quod & ſacræ Eccleſiæ & Romani Imperii dominium & auctoritatem abjicere cogitent, quatenus fœdus iſtud imperiali decreto reſcinderetur. Ad extremum eo rurſum redibat Oratio, petere Magiſtrum & Cruciferos, ſi fœderati forte judicato ſtare nollent, & amplius aliquid auſuri eſſent, ut Marchiones Ordinis in primis curam haberent, eumque modis omnibus adverſus rebellium ſubditorum machinationes defenderent. Hæc Legati & apud Marchiones & alios Principes crebro iterabant, præſagientes potius quid illis tandem futurum eſſet, quam quod magnopere quispiam Princeps illud ita futurum tum quidem ominari, vel ad rei eventum animum adjicere potuiſſet.

An. 1453. Calumnia texta Gedanenſibus in Camera Imperiali.

Nona die menſis Junii Joannes Stumius, liber Scabinus Imperii Romani (erat autem unus ex illis, qui, ut ſupra dictum eſt, ſuo more judicium Weſtphalicum ex omnibus ferme Germaniæ angulis conſutum exercebant) literas dedit ad Senatum Gedanenſem, quibus ſignificabat, Heinricum Rotemburgenſem, Othonem Portenſem, & Joannem Meldingenſem, olim Gedanenſium Secretarium, ſed qui rem alias perfidioſe geſſerat, & tum Cruciferorum partes ſectabatur, Evocationum literas a Camera Imperiali adverſus quosdam Conſulum & Senatorum Gedanenſium impetraſſe, inſinuationes etiam earundem publicis Notariorum inſtrumentis comprobaſſe, atque adeo juratos affirmaſſe, quod

quod iſthæc edicta citationum iis, quibus debebant, Conſulibus & Senatoribus reddita fuiſſent: ac idcirco citatos, quia nemo illorum ad terminum adfuiſſet, contumaces eſſe pronunciatos: Se vero vehementer mirari, Gedanenſes non majori ſtudio negotiis ſuis incumbere, præſertim quod ejus generis ſint accuſationes, quas adverſarii protuliſſent, ut ad inſigne præjudicium civitatis, & ad periculum fortunarum, honoris ac vitæ quorundam, qui evocati eſſent, maxime pertinerent. Interim etiam illud ſe cogitare, fraudem aliquam ſubeſſe poſſe, neque citationes eas bona fide vel juris ordine fuiſſe inſinuatas, cujus rei veroſimile argumentum illud ſibi occurrat, quod ſciat illorum adverſarios omnibus viribus eniti, ut Gedanenſes tanquam imperio & Dominis ſuis rebelles paſſim terra marique detineantur, aliaque multa machinari, quæ tuto ſcribi non poſſint: Se propenſo ſemper in Gedanenſes animo fuiſſe, & ea nunc ideo ſcribere, ut rebus ſuis cautius proſpicerent. Si copia ſibi fieret coram colloquendi, ſe plura, quæ ex re illorum eſſent, ſignificaturum. Quod ille ſuſpicabatur de fraude edictorum, id ipſum res erat. Nam ii, quos ſupra diximus, conflandæ Gedanenſibus invidiæ cauſa facinus hoc perpetraverant. Atque erat illud a quibusdam Proceribus Ordinis malitioſe excogitatum, homines inde nihili adhibiti, Notarius nullius exiſtimationis, pretio corruptus, qui fumos venderet, & falſa inſinuationum inſtrumenta ederet. Verum illi rebus accuratius deinde inveſtigatis, & fraude deprehenſa, nullum alium inde fructum perceperunt, quam quod perfidiæ notam perjurio etiam accumulaverint, nec illorum malitia Gedanenſibus cognita rei veritate quicquam obfuerit.

Legati Fœderatorum intercepti.

Interim Legati fœderatorum Joannes von Thuer, Gabriel von Baiſen, Joannes Matzkow & Wilelmus Jordan (nam cæteri pridem Viennam præceſſerant) in itinere erant ad Cæſaris aulam contendentes, ſed in Moravia cum ex oppido Bruno Viennam verſus proficiſcerentur, ab armatis hominibus oppreſſi, multis famulorum occiſis, cæteri in arcem nobilis cujusdam latrunculi Milticii, captivi cum rebus omnibus, quas ſecum vehebant, abducuntur. Solus Gabriel Baiſenius egregie ſe defendens multis acceptis vulneribus pernicitate equi ſui latronum manibus elapſus, Viennam concitato curſu pervaſit, & ejus latrocinii nuncium adhuc ſanguine conſperſus eo pertulit. Conſtans rumor fuit, latrones eos a Cruciferis vel eorum fautoribus ſubornatos, ut Legati hoc modo præpediti ad diem judicii conſtitutum adeſſe non poſſent. Et ſane niſi cæteri duo Ramſel de Ludwichsdorf & Tidemannus Conſul Torunenſis jam antea certis de cauſis præcurriſſent, ex ſententia Cruciferorum fortaſſis res ſucceſſiſſet. Nam dum illi captivi habentur, ſemel ac iterum Cruciferorum Legati controverſiam dijudicandam propoſuerunt, & fœderis abolitionem enixe flagitarunt, eo præſertim argumento, quod Pontifex maximus illud jam dudum abrogaſſet. Cæterum cum duo Legati, quos diximus, adeſſent, & cæterorum, qui ſecum literas omnes & monumenta ad cauſam pertinentia haberent, & ſub fide publica, tam Cæſaris quam Ladislai Boëmiæ Regis commeaſſent, & a latronibus detinerentur, legale impedimentum & captivitatem omnium iniquiſſimam prætenderent, Cæſar rem integram in ulteriorem diem prorogavit. Obiter autem illud deciſum eſt, quod Cruciferi conquerebantur, fœderatos præter conſenſum ſuum contributiones pecuniarum in ſumptum litis exigere.

Æquum enim judicabat Cæſar, ut qui fœderis cauſa litem exercerent, a fœderatis etiam impenſas exigerent. Tentatum deinde fuit a Conſiliariis Cæſareæ Majeſtatis, an quibusdam conditionibus ita res componi poſſet, ut utrinque bona cum gratia diſcederetur. Quod ut commodius fieret, petierunt a fœderatorum Legatis cauſas initæ confœderationis ſibi ſeorſim explicari, quibus perpenſis minus futurum negotium de compoſitionis rationibus cogitandi. Legati cauſas eas ſcripto comprehenſas Conſiliariis exhibent, easdem nimirum ferme, quas ſupra initio fœderis recenſuimus, additis nonnullis aliis injuriis, quæ vel antea fuerant omiſſæ, vel interim acceſſerant, inter quas erant hæ:

Aliæ Cauſæ fœderis.

Quod quidam Joannes Haſelichter a Cruciferis citra juris ordinem trucidatus pagum quendam hæreditarium fratribus reliquiſſet, eum vero pagum Magiſter occupaſſet, & mox fratrem occiſi, qui fundum illum jure vendicabat, ac literarum documenta, quo dominii titulus oſtenderetur, proponebat, literis diſcerptis, in teterrimum carcerem conjeciſſet, & ibidem pedore ac fame enecaſſet: Quod Ludovicus Magiſter civem Torunenſem Joannem Froiel, quocum litem habebat, per ſpeciem transactionis, data fide publica, in arcem Stumenſem evocaſſet, eumque mox fide fracta in vincula compegiſſet, neque prius dimiſiſſet, quam conſtitutis in eam rem tredecim fidejuſſoribus juri ſuo penitus renunciaſſet: Quod Guilelmus Helfeſteinius Prætor Leſſenſis Martinum Mollerum vi cepiſſet, & omnibus facultatibus ſine ullo juris ordine ſpoliaſſet, ac liberos ejus ad mendicitatem redegiſſet: Quod Joannes Lichtenſteinius rei monetariæ præfectus Toruni, Sigfrido Schaden privatim in carceres redacto filiis ejus avitam hæreditatem per ſummam injuriam ademiſſet: Quod Georgius Eglopfſteinius prætor in Schonenſehe eundem Sigfridum in vinculis coëgiſſet debitum pecuniarum ſatis amplum, quo ei prætoris anteceſſor obnoxius erat, in ejus privatum compendium renunciare: Quod Heinricus Hohenbuſchius præfectus arcis Torunenſis ejusdem Sigfridi domum, dum in vinculis eſſet, per vim effregiſſet, & inde pecuniam omnem, res mobiles, ſupellectilem, literas obligatorias & ſyngraphas abſtuliſſet: Quod præfectus Tucholienſis viros aliquot honeſtos in carceribus inhumaniter habuiſſet, & per tormentorum cruciatus pecuniam extorſiſſet: Quod Georgius von der Heiden Crucifer privatus, vicinum ſuum Albertum Kans in vincula conjeciſſet, eoque modo coëgiſſet, ut intra diem quintum prædium Rutembergum ſibi cederet: Quod Nicolaus Wetterhemius Joannem Froilum in privato carcere ingenti pecunia mulctaſſet: Quod Nicolaus Sanſenheimerus Præfectus Tucholienſis Martini Blumenawii uxorem rapuiſſet, & cum uxore ſimul fortunas omnes domeſticas abſtuliſſet: Quod auctoritate præ-

1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11.

præfecti Gedanenſis, Joannes Amelingus & Franciſcus Fochs cives ſubornatis ſycophantis ingenti pecuniarum ſumma per calumniam mulctati
12. fuiſſent: Quod Præfectus Elbingenſis Guilelmum Rixum cum patre, matre & ſororibus prædio avito per vim expuliſſet, & Thomam Guilelmum peſſimis mulctatum modis, tota Pruſſia citra ordinem proſcripſis-
13. ſet: Quod biduo ante Pentecoſtes feſtivitatem Proviſor Nidenburgenſis colonum quendam, qui nobili fœderato cuidam ſuberat, utraque manu crudeliter mutilaſſet, eo quod adverſarium provocantem leviter vulneraverat, qui ne conquerebatur quidem de ſuo vulnere, ſed pro tam im-
14. mani ſupplicio etiam ſummis precibus intercedebat: Quod idem Proviſor mulierem & ancillam, quæ hanc miſeri hominis calamitatem verbis paulo durioribus commiſerabantur, extemplo in foſſam conjectas ſuffo-
15. cari juſſiſſet: Quod ille idem coquum ſuum, qui nonnihil pecuniæ ſuo labore corraſerat, itidem aquis ſuffocaſſet, ut ea pecuniola potiretur, quam furto ſibi ſceleſtus ablatam mentiebatur.

His & aliis, quæ ſingula recenſere nihil attinet, accuratius conſideratis, Conſiliarii Cæſaris ex Cruciferorum Legatis quærunt, placeatne ipſis rem certis conditionibus amice tranſigi: reſpondent illi, ſe nulla alia conditione transacturos, quam abolitione fœderis, de cæteris ſe paratos ajunt vel judicium pati, vel ex bono & æquo ſatisfacere. Fœderatorum Legati contra, neutiquam de fœdere ſemel approbato recedere, ſed ex ejus præſcripto judicia domi exerceri volebant. Ita pace fruſtra tentata, denuo res integra ad Cæſaris cognitionem rejecta eſt, quam ille rurſus in menſem Octobrem, & deinceps in Novembrem usque prorogavit, præſertim quod interceptis fœderatorum Legatis ac literis & documentis cauſæ detentis nihil omnino certi conſtitui poterat.

Legati fœderatorum a latrunculis dimiſſi.

Hi Legati, cum eorum injuriæ non ſolum in aula Cæſaris, ſed etiam apud Boëmiæ Regem Ladislaum, ſub cujus fide publica, & in ejus ditione capti erant, vehementer aggravarentur, tandem menſe Septembri, libertati ſuæ, opera Georgii Podebracii Boëmiæ tum Gubernatoris ſunt reſtituti. Et Miltitius quidem, qui facinoris ejus auctor ferebatur, jure ſe feciſſe exiſtimari volebat, quod ſubditos Cæſaris, quo cum Boëmiæ Rex inimicitias ex profeſſo exercebat, intercepiſſet. Cum autem Podebracius ita rem interpretaretur, Cæſarem non eſſe Pruſſorum directum Dominum, ſed nunc ſaltem in peculiari cauſa arbitrum ab illis electum, nec oportuiſſe eos, qui ſub fide Ladislai commearent, injuriis affici, ille facile perſuaſus eſt, ut captos dimitteret, & res interceptas reſtitueret. Utcunque ea ſint, vel cujus ſane conſilio facta fuerint, illud ſatis conſtat, Epiſcopum Varmienſem ad Miltitium miſiſſe & poſtulaſſe, ut ſibi literas, quæ penes captivos eſſent, venderet, iterum etiam Legatos ipſos cum rebus omnibus venundari ſibi petiviſſe: quanquam neutrum obtinuit a Miltitio, vel gravius aliquid ob admiſſum timente, vel quod Podebracio captivos jam reſtituiſſet, & literas in Brunenſium fidem tradidiſſet.

Dum

Literæ Magiſtri ad Fœderatos.

Dum hæc alibi geruntur, interim domi Ludovicus menſe Auguſto ad fœderatos ſcribit, perferri ad ſe, quaſi ipſi decreverint armata comitia Grudenti celebrare, atque edixerint, ut quilibet ab rebus omnibus, quantum poſſit, ſe paratiſſimum exhibeat. Quod uti moris hactenus non fuerit, ita non immerito mirum ſibi accidere, tum hoc fieri, tum alia multa & novitatis & ſuſpicionis plena paſſim ſpargi. Se quidem non adeo proclivem eſſe, ut omnibus continuo credat, ſed certis tamen cauſis adduci, ut arces ſuas præſidiis munire decreverit, idque tam Ordinis quam ſubditorum commodo. Hoc ne ſequius quisquam interpretaretur, quam ipſa res ſit, jubet omnibus civitatum incolis publice ſignificari, non ideo muniri arces, ut inde vis cuipiam inferatur, ſed cautionis ſaltem gratia, cum multa varie poſſint accidere, quæ majorem vigilantiam deſiderent. Sibi nihilominus ſubditorum ſalutem & fortunas ita curæ eſſe, ut bonum Principem maxime decet, ac uti hactenus ſemper fecerit.

Fœderatorum Reſponſio.

Ad has literas fœderati ex conventu Grudentino reſpondent, & recenſitis obiter, quæ cum ipſo ab initio regiminis de juribus, privilegiis & libertatibus ſuis acta fuerint, exprobrant, quod & fidem promiſſionum ſuarum, & illorum de ipſo opinionem vehementer fefelliſſet, & tandem actionibus omnibus deluſis ad Cæſarem ipſos rejeciſſet. Et quanquam cauſa in arbitrio Cæſaris pendente nihil omnino debeat innovari, ſe tamen interim variis injuriis affici, ignominioſe appellari, calumniis traduci, tandem etiam latronibus ſpoliandos & trucidandos objici. Nunc cum arces etiam præſidiis muniat, eo ipſo ſatis animi ſui ſententiam illum prodere, quod prætendat hoc ſubditorum commodo fieri. Quid enim (inquiunt) aliud faceret, ſi pro hoſtibus nos haberet? Si adverſum te arma ferremus? An non hoc ipſo fidem noſtram in dubium vocas, quod pro commodo noſtro videri vis agere? Nam quod ſcribis, decreviſſe nos armatos ad comitia venire, uti per ſe manifeſto falſum eſt, ita recte & ex officio feceris, ſi mendacem delatorem nobis indicaveris. Oſtendemus profecto & injuriam nobis fieri, & huic homini, quisquis eſt, nimium te credidiſſe. Præfecti quidem tui, & qui juri dicundo præſunt, novam nunc calumniam texere cœperunt, qua nobis ægre faciant. Quoties enim aliquis noſtrum jus ſibi contra debitorem dici petit, continuo jubent, ut Cæſarem adeat, quaſi melius ibi jus ſit conſecuturus. Quorſum hæc ſpectent cum prudenter intelligas, petimus ut illis auctor ſis, quo ejusmodi ſuggillationibus ſuperſedeant, & unicuique jus absque calumnia dicant.

Alteræ fœderatorum literæ.

Ad has literas cum nihil Magiſter reſponderet, alteras continuo ſubmittunt, docent munitionem illam arcium non modo pro alienatione animi ejus a fidelibus ſubditis paſſim accipi, ſed vulgo etiam omnibus vehementer eſſe ſuſpectam. Oſtendunt etiam ab exteris ſe moneri, ne nimium ſint ſecuri, ſed caveant, ne expectatione citius opprimantur. Atque id etiam eo magis in animis hominum reſidere, quod Cruciferorum ſatellites præter morem armati incedant, armati per ſegetes ambulent, & hominibus temere damnum & formidinem importent. Petunt hiſce

rebus eum modum præſcribi, ne interim dum de jure diſceptatur, manifeſta violentiæ argumenta prodantur. Queruntur etiam Legatorum ipſius opera & calumniis effectum, ut in Germania mercatores Pruſſici paſſim detineantur ac ſpolientur. Afferunt etiam interminationes aliquas, quæ a præfectis erga fœderatos non tam temere quam truculenter effuſæ ſint, ac inprimis illud, quod aliquis primorum dixerit, cum ad illum ob graves cauſas fœderati nuncios miſiſſent, ſi ſciviſſet nuncios fœderatorum cum hiſce mandatis ad ſe venire, effecturum ſe fuiſſe, ut prius diſſecarentur, & fruſtulatim in ſaccis domum reportarentur. Petunt tandem omnes ſuſpicionum harum cauſas & hoſtilitatis indicia removeri, & omnia pacifica haberi, donec ad juris determinationem perventum fuiſſet. Hæc & alia hujus generis ſcripta dictaque haud obſcure præ ſe ferebant, quis jam tunc utrinque eſſet animorum habitus, & inde facile apparebat, utrinque occulta conſilia agitari, quæ ad rerum aliquam mutationem eſſent ſpectatura.

FINIS LIBRI QUARTI.

HISTO-

HISTORIÆ RERUM PRUSSICARUM LIBER QUINTUS.

An. 1453. Actus ultimus coram Cæſare.

Supereſt nunc ultimus Actus, in quo controverſia fœderis inter Cruciferos & fœderatos pro tribunali Cæſareæ Majeſtatis, Viennæ die duodecima menſis Novembris publice diſceptata fuit, & is Actus utrinque erat quaſi interſtitium quoddam, quo minus in continenti res ad arma prorumperet. Quodſi interim pacis leges cum æquitate conjunctæ forſitan dictæ eſſent, melius meo quidem judicio cum utraque parte actum fuiſſet. Sin omnia fatorum lege diſponuntur, & id quod futurum ſit, omnino fieri neceſſum eſt, fruſtra divinæ diſpoſitioni conſiliis humanis occurritur.

1. Contra Confœderationem.

Cæterum in hoc Actu judiciario procurator Ordinis, Doctor Petrus Knorre primum proponebat, Ordinem Equeſtrem & civitates in Pruſſia anno 1440. die Dominica Reminiſcere in civitate Elbingenſi conatos quidem fuiſſe confœderationem quandam inter ſe coire, cæterum cum eam haud diu poſt in Mariæ Inſula ad effectum perducere pergerent, Magiſtrum Ordinis generalem, Dominum illorum, Paulum Rusdorfienſem, id per Legatos ſuos viros inſignes graviter interdixiſſe, ac ſub pœna Carolinæ conſtitutionis ſerio mandaſſe, ne fœdus facerent, neve conſpirationem inirent. Hoc ita factum fuiſſe probare volebat literis quibusdam Abbatis Paradiſienſis Carthuſiani, quibus continebatur, Cruciferum quendam Gunterum Hertzbergenſem hoc ipſum Abbate præſente teſtimonii cauſa dixiſſe: Ordinem autem equeſtrem & civitates nihilominus, interdicto poſthabito, confœderationem eam, ſpreta legitimi Principis auctoritate coiviſſe. Reſpondebat procurator fœderatorum, Magiſter Martinus Meier, nec interdictum unquam legitime factum fuiſſe, neque Abbatem illum, cujus mentio fit, habuiſſe legitimam poteſtatem teſtes aliquos examinandi, neque cauſam ullam fuiſſe, cur teſtibus opus eſſet, neque partem ullam ad teſtimonium iſtud vocatam fuiſſe, ac quod magis ſit, Gunterum iſtum etiam unicum & ſingularem teſtem, neque ad dicendum teſtimonium ordine juris evocatum eſſe, ſed ultro & ſponte ſe ingeſſiſſe, neque juratum quidquam dixiſſe, quinimo teſtem eſſe maxime ſuſpectum, utpote qui ſit ex Cruciferorum Ordine, neque in ea, quam velut correus defendere deberet, cauſa teſtem agere poſſit. Et ideo Abbatis iſtius ſcriptum nullius momenti cenſendum. Nam ſi probatione res indigeat, cur non ipſi Legati, viri inſignes, teſtes laudarentur?

2. Teſtimonium nihili. Refutatio. 1. 2.

3. Interdictum Legati Pontificii.

Addebat Ordinis procurator, quod etiam Romanus Pontifex, quam, primum de iſthac confœderatione reſciviſſet, continuo Silvenſem Epiſco-

Epiſcopum cum poteſtate Legati a latere in Pruſſiam ablegaverit, qui poſtquam eo veniſſet, & confœderationis temeritatem & iniquitatem intellexiſſet, publico interdicto eam abolere & refragantes excommunicare voluerit, niſi Magiſter ipſe commotus Nobilitatis & civitatum precibus interceſſiſſet.

3. Refutatio.

Negabat Martinus ſatis adhuc probari, quod dicto Legato ejusmodi poteſtas a Pontifice commiſſa fuerit. Primum enim (inquit) ipſemet Epiſcopus in literis ſua manu conſcriptis (quæ tum in continenti proferebantur) fatetur, ſe poteſtatem ſaltem habere cauſam obiter inquirendi, & inter partes compoſitionem aliquam tentandi. Verum ne hæ quidem literæ, etiamſi aliud Epiſcopus ſcripſiſſet, ad fidem faciendam ſufficerent, cum mandata Pontificis Apoſtolica non ipſius Legati teſtimonio, ſed Pontificis diplomatibus, comprobari debeant. Deinde cum iſte Epiſcopus inter Cardinales cooptatus non ſit, non poteſt Legati a latere poteſtatem vel auctoritatem ſuſtinere. Tandem ex ipſa Pontificia declaratione, quæ ex parte Ordinis producta fuit, liquido apparet, Pontificem huic Legato ne quidem inquirendi poteſtatem dediſſe, ſed auctoritatem ſaltem amicæ compoſitionis ergo interponendi, & eos, qui a fœdere ſponte recedere vellent, a juramento in id præſtito abſolvendi.

4. Confœderationis nullas juſtas fuiſſe cauſas.

His in medio ſic relictis, procurator Ordinis ad aliud propoſitum declinavit, & capita fœderis ad examen revocare cœpit. Ac primum quidem prætendit, quanquam initio fœderis ſcriptum ſit, eam rem pro Reipublicæ commodo & utilitate, in Dei laudem, & Magiſtri ac Ordinis honorem & fœderatorum incolumitatem, ſuſceptam eſſe, diverſum tamen apparere, quod non modo nullo Reipublicæ commodo id inceptum fuerit, ſed nulla etiam juſta cauſa coëundi fœderis interceſſiſſet.

4. Opponuntur Confœderationis cauſæ juſtiſſimæ.

Adverſus hæc procurator fœderatorum opponebat, multas fuiſſe graves & legitimas fœderis coëundi cauſas, quas prolixius deducebat, & earum tria ferme genera conſtituebat.

1.

Primum quod Cruciferi ſæpe ac ſæpius fœdera, bella, ſocietates, cum Regibus & Principibus Chriſtianis ac Ethnicis feciſſent, Magiſtros & Primores Ordinis loco moviſſent & exauctoraſſent, interdum etiam in carceres conjeciſſent, pro libitu, ſine conſilio publico, ſine juris ordine, ſine conſenſu Statuum, ad quos prægnantiores cauſæ Reipublicæ ſpectarent, quod inter ſe factiones, diſcordias, ſimultates aluiſſent, quod in partes palam feceſſiſſent, inteſtinas cædes, direptiones, vaſtationes invicem moliti fuiſſent, ac quantum in ipſis fuerit, totam Pruſſiam funditus perdidiſſent, niſi fœderati Ordinis equeſtris & civitatum quorum maxime intererat, tantum malum prævidiſſent, & pro Republica ac patria conſervanda & tuenda communi conſenſu peſtem averſiſſent.

2. Deinde quod Cruciferi Terrarum Pruſſiæ libertates publicas & privatas, multis modis labefactaſſent, proſtituiſſent, ac per fas & nefas conculcaſſent, novas exactiones, contributiones, vectigalia, contra morem

morem majorum, nulla Reipublicæ neceſſitate inſtituiſſent, & in iis exigendis vel potius extorquendis publice & privatim tyrannidem uſurpaſſent, cum ſummo ſubditorum ac omnium ordinum præjudicio, ludibrio & detrimento. Tandem quod Cruciferorum Primores & Præfecti, qui jurisdictionis vel officii exercendi poteſtatem haberent, ſubditos tam nobiles quam cives, in cauſis & actionibus privatis, clam & palam, variis modis, præter juris & æquitatis normam, multis & gravibus injuriis affeciſſent, conſtupratis uxoribus, liberis, & domeſticis, bonis & facultatibus direptis, viris innocentibus clam ſine juris ordine, palam quandoque per ſummam crudelitatem trucidatis, ſuffocatis, carceri mancipatis, atque proſcriptis. Unde neceſſitas impoſita fuerit Ordini equeſtri & civitatibus contra vim injuſtam & manifeſtam violentiam arctioris conjunctionis remedium quærendi. Pro quibus exactius demonſtrandis procurator ſingula privatarum injuriarum capita (quæ alibi expoſuimus) per ſpecies recenſebat & inſuper ſcripto comprehenſa Cæſareæ Majeſtati exhibebat. Addebat illud etiam commendandi fœderis cauſa, quod poſt concordiam inter Magiſtrum, Ordinem & Collegia, fœderatorum opera conciliatam, publice illis gratiæ fuiſſent actæ, & promiſiſſent Magiſter ac Cruciferi, ſe ejus beneficii memoriam nunquam depoſituros, ſed & fœderatis & eorum poſteris gratos perpetuo futuros, ſiquidem agnoſcerent, ni fœderati coiviſſent, ipſos inter ſeſe diſſidiis inteſtinis perituros, & provinciam civili incendio conflagraturam fuiſſe. Quorum ſi quid Ordinis procurator auderet inficiari, paratos oſtendebat fœderatos hæc omnia & ſingula injuriarum capita certiſſimis documentis commonſtrare. Adjiciebat præterea, Equeſtri Ordini & civitatibus ex indulto Cæſareæ Majeſtatis jus fasque fuiſſe pro commodo & utilitate Provinciæ fœdus facere, quod ipſum ex Indulti literis, quas producebat, intelligi poterat. Itaque priusquam fœdus ſigillis conſignatum eſſet, octo Legatos ex Confœderatis ad Magiſtrum Paulum Rusdorffienſem miſſos fuiſſe, qui propoſitum illi demonſtraſſent, & formam fœderis verbotenus prælegiſſent, ille vero non contra ſe, verum pro ſe fœdus id factum, ſibique maxime placere affirmaſſet.

3.

Pergebat procurator Ordinis ad aliud fœderis Caput, quo fœderati pollicentur, ſe Magiſtro & Ordini ea omnia præſtituros, ad quæ præſtanda honeſte & legitime obligantur, juxta præſcriptum uniuscujusque Privilegiorum, libertatum & jurium: Unde conjectari volebat, in rebus cæteris nec obedientiam, nec in neceſſitatibus opem aut auxilium eos præſtituros: quod utique juri ſcripto & Eccleſiaſticæ libertati, & auctoritati Principis adverſaretur.

4. De obſequiis & officiis Magiſtro præſtandis.

5. Refutatio.

Fœderatorum procurator contra, non eſt, (inquit,) horum verborum ea ſententia, ſed parati ſunt Status fœderati Domino & Principi ſuo in rebus quibuscunque, quod honeſte & jure facere poſſunt, opem, obedientiam & auxilium, uti quoslibet fideles ſubditos decet, exhibere, modo interim privilegia & libertates ſuæ ſibi ſalvæ conſerventur. Neque id verbis ſolum adſeverant, ſed hactenus etiam ſtante fœdere ipſo

ipſo facto æque id præſtiterunt, atque ante fœdus initum fecerant, nec quisquam eſt mortalium, qui ſecus ab illis factum fuiſſe vere poſſit comprobare.

6. De juribus ſubditorum conſervandis.

Deinceps illud ex fœdere adducebatur, ubi ſcriptum eſt, æquum & juſtum cenſere fœderatos, ut Magiſter ipſos omnes & ſingulos ſuis juribus, diplomatum & conventionum literis & inmunitatibus uti, frui ſinat, eo quo ipſi & majores modo uſi fruiti fuerint: Ex quo obiter apparere procurator putabat, quaſi ſubditi nonnihil Dominorum auctoritati derogare conarentur.

Contra fœderati allegabant: Nihil æquius excogitari poſſe, nihil publice utilius, nihil ad conſervandam Rempublicam diuturnius ac ſtabilius, quam ut quisque ſubditorum, bona cum Principis gratia, ſua libertate, ſuo jure gaudeat ac fruatur. Nec id quidquam Dominorum auctoritati derogare, ſed multo magis jure ſubditorum incolumi Dominorum dignitatem augeri. Rationes certe communes eſſe, ut qualem quisque Dominus ſervum in officio ſuo erga ſe eſſe velit, talem ſe quoque pro poteſtate dominica erga ipſum præbeat. Sic ut in proverbium vulgo abiverit: Fidelis Dominus fidelem facit ſervum. Ac in Pruſſia quidem hunc morem a majoribus acceptum eſſe, ut quoties novo Domino ſubditi juramento fidem obſtrinxerint, viciſſim Dominus indemnitatem jurium & privilegiorum ſancte repromittat.

7. De gravaminibus abolendis.

In eodem fœderis capite afferebat Ordinis procurator, admodum inique & nimis imperioſe poſtulare fœderatos, ut vetera gravamina aboleantur, & in poſterum nova ne imponantur. Eo nimirum pacto Cruciferis poteſtatem adimi, Cæſareis & Regiis immunitatibus conceſſam, telonea, portoria, contributiones, aliaque ad Rempublicam neceſſaria conſtituendi. Quo jure ſublato nihil ferme amplius ſupereſſe, quo Dominus ſubdito ſit potior aut ſuperior. Et ex hoc ipſo capite Magiſtrum modernum adactum fuiſſe, ut portorium maritimum, quod librale vocant, abrogaret, quod profligandis e mari piratis olim eſſet conſtitutum.

7. Refutatio.

Ad ea fœderatorum procurator, Status Pruſſiæ & civitates (inquit) contra libertatem publicam & ſpeciales immunitates multis & variis plane iniquis, avaris & intolerabilibus oneribus & exactionibus, uti in cauſis initi fœderis ſpeciatim eſt expreſſum, aggravati, non inique agere videntur, qui ſe extraordinariis oneribus nimium affligi & opprimi nolint. Quæ Principi ſuo debentur penſiones, quæcunque exactiones Reipublicæ cauſa fiunt, eas minime recuſant, cum ordine & majorum more fuerint conſtitutæ: impotentes autem oppreſſiones & iniquas exactiones, quæ ſaltem ad luxum ventris & ignominiam ac perniciem ſubditorum ſubinde excogitantur, eas ſe non immerito cupere perpetuo profligatas. Diplomata quoque Cæſarea ac Regia palam eſt, nudis ſaltem verbis perſcripta eſſe, nec eo detorqueri poſſe, quaſi vim & poteſtatem habeant

habeant libertates ſubditorum publicas abrogandi, vel in tertii præjudicium quicquam conſtituendi. Quod itidem de portorio librali affertur, manifeſtius eſt, quam ut opus ſit doceri, mare jam dudum opera civitatum maritimarum eſſe pacatum. Et cum illud portorium in civitatibus abrogaretur, quoniam nulla erat cauſa amplius exigendi, nihilominus Cruciferi per complures adhuc annos illud uſurparunt, donec tandem Magiſter nulla vi adactus, ſed precibus ſaltem ſubditorum permotus ipſe quoque abrogavit.

8. De confuſione judiciorum.

Adſerebat porro Ordinis procurator in ſequenti confœderationis capite judiciorum poteſtatem confundi, & Epiſcopos, qui ſolius Papæ judicium & auctoritatem agnoſcerent, Magiſtri judicio ſubjici, quo ſcriptum ſit: ſi cui vis facta fuerit, vel res ereptæ, de eo, qui tale quid paſſus eſt, primum generali Magiſtro conqueratur: Atque hoc etiam juri publico in Pruſſia recepto palam adverſari, cum oporteat actorem rei forum ſequi, nec quenquam ad alienam jurisdictionem adſtringi.

8. Refutatio.

Reſpondebatur, nihil hic proponi, quo quisquam Epiſcopus Magiſtri jurisdictioni ſubjiciatur, vel juri publice recepto quidquam derogetur, ſed hanc ejus eſſe capitis ſententiam, ut ſi quis injuria quapiam afficiatur, is propter juris celeriorem adminiſtrationem Magiſtrum interpellet. Is ſi ejus judicandi partes erunt, juſtitiæ continuo ſatisfaciat, ſin ad Epiſcopum cognitio pertinebit, cauſam ad ſuum judicem cum decenti admonitione officii remittat. Hoc pacto nihil Epiſcopis derogari, omnibus vero Pruſſiæ incolis in ſupremo patriæ capite, qui Magiſter generalis eſt, par ſolatium juris obtinendi repoſitum manere, neque iniquum videri poſſe, ut ſubditi omnes, qui paria onera ferunt, in juvanda Republica etiam pari jure a vi & injuria defendantur.

9. Contra Judicii formam.

Occurrebatur porro in iſthoc fœdere talem judicii formam contra vim vel injuriam facientes deſiderari, quo cognitio omnis ſit penes Cruciferos quatuor, totidem Prælatos, totidem Nobiles, totidem cives. Ac inde apparere Clericos & Epiſcopos & res ac bona illorum contra libertatem Eccleſiaſticam laicorum judicio ſubmitti. Addebatur illud etiam, Legatum Pontificium Epiſcopum Silvenſem ex fœderatis quæſiviſſe, numquid ex ejus fœderis præſcripto judicium in Magiſtrum & Epiſcopos ſibi arrogare vellent, illud vero ipſos negaſſe, & oſtendiſſe, ſe vim & injuriam facientes Magiſtrum quidem Pontificis, Epiſcopos autem Archiepiſcopi cognitioni commiſſuros.

9. Refutatio.

Hæc judicii forma, inquit procurator fœderatorum, conſtituta fuit ab ipſo Magiſtro, ipſis Epiſcopis & Prælatis auctoribus, cum Cruciferorum & omnium Pruſſiæ Statuum communi conſenſu, dudum ante, quam de fœdere ineundo fuiſſet cogitatum. Itaque haud merito ſuo fœderati accuſantur de rebus iis, quas accuſatores ipſi conſtituerunt. Neque vero in iſthac judicii conſtitutione Eccleſiaſtici Ordinis homines vel res nominatim comprehenſi ſunt, nec ullum Statutum ulterius extendi poteſt,

poteſt, quam in eos, qui ſtatuto ſunt obnoxii Quapropter uti laicis nulla competit in Clericos jurisdictionis poteſtas, ita cauſæ Clericorum ad laicorum inſtituta perperam detorquentur. Unde neque hoc fœderis caput Eccleſiaſticæ libertati adverſari intelligendum eſt. Proteſtantur demum fœderati & ſancte affirmant, ſibi de Legati Pontificii quæſtione, quæ adfertur, nihil omnino conſtare, neque unquam tale quid uſu ſibi veniſſe: Itaque quod procuratori ſatis ſit verbo dicere, id ſibi quoque ſatis eſſe verbo negare, cum non nudis verbis ſed certis documentis hic agendum eſſe conſtet.

10. Nova cavillatio Judicii.

Obtrudit interim Petrus aliam inconvenientiam, quæ ex ea judicii conſtitutione facile conſequi poſſit. Scriptum eſt enim (ait) in fœdere: Si judicium non rite nec eo ordine habeatur, vel actori jus non dicatur, quod ex nobilitate ſeniores cum Torunenſi & Culmenſi civitatibus poteſtatem habeant confœderatos cæteros convocandi, & eorum unusquisque parere & præſto eſſe debeat. Jam ſi contingat, ut eodem tempore Magiſter generalis comitia convocet, & fœderati coire jubeantur, neceſſum erit, ut in alterutram partem vel adverſus Magiſtrum, vel adverſum fœdus violato jurejurando peccetur. Eodem etiam modo contra libertatem Eccleſiaſticam rurſus impingitur. Non enim Clerici coram ſenioribus nobilitatis, ſed coram Epiſcopo conveniri debent, neque fas eſt, ut altera parte abſente, ſeniores ferendæ ſententiæ auctoritatem, quæ ipſo jure nulla eſt, uſurpent.

10. Refutatio.

Reſpondet Martinus: Nihil penitus iſthæc, quæ proponuntur, inter ſe pugnant, & ex fœderis ipſius verbis diſerte dijudicari poſſunt. Inprimis enim Magiſtro ſuum jus, ſua poteſtas & auctoritas ſalva eſt, ac per diſpoſitionem quamcunque fœderis nequaquam diminuitur; Itaque ſi forte ſimul & Magiſter & fœderati ſeorſim diem indicant, rationis erit, ut in primis auctoritatem Principis illi ſequantur, ſuis rebus interim prorogatis. Nullum igitur occurrit hic argumentum, quo in alterutram partem violato jurejurando delinquendum ſit. Neque recte arguitur hac in parte libertatem Eccleſiaſticam offendi, cum jam antea ſatis dilucide dictum ſit, quatenus illius judicii ratio extendatur. Neque illud hic agitur, ut fœderati altera ſaltem audita parte ſententiam ferant, ſed ſeſe tantum interponant, quo magis judicii ordine ſervato unicuique tam actori quam reo jus ſuum tribuatur. Etenim longe inter ſe differunt, cauſa civiliter diſcuſſa alterutrius partis patrocinium agere, & judicis officium interpoſita cognitione vel lata ſententia temere uſurpare.

11. Contra adſtentiam alteri ab altero præſtandam.

Urget inſuper ille, in fœdere plane enormiter & inſolenter nimis perſcriptum eſſe, quodſi talis cuipiam vis vel injuria illata fuerit, ut ſtatum Judicii diem præſtolari non expediat, teneantur fœderati alter alteri in tuendo jure ſuo aſſiſtere, ac cauſam ſimul omnes eandem ſuſcipere & exequi. Cui conſequens illud etiam videatur, ut ſi quis adverſus Magiſtrum de re quapiam atque adeo de tribus, ut ait Poëta, capellis litem moveat, teneantur ſubditi Principem deſerere, & actori opem ferre. At

At jure feudali ſecus ſancitum eſſe, quod ſcilicet teneatur Vaſallus opem Domino ferre, etiam in ea cauſa, quæ proprium fratrem concernat.

11. Refutatio.

Reſpondetur, perperam nunc aliquoties exemplum Magiſtri generalis in cauſam fœderis adduci, cum illius auctoritas hoc fœdere diſerte ſit excepta. Male vero & per juris calumniam allegari feudalem ad hoc propoſitum conſtitutionem, quæ ſic expreſſe ſancita ſit, ſi quis unius Domini Vaſallus cum altero alio vel tertio de quopiam negotio convenerit, in quo ſpeciatim primi Domini mentio facta non ſit, poſteriorem obligationem ad priorem Dominum extendi minime poſſe. Verum quid hæc ad præſentem cauſam facere? Atqui Cæſareæ Majeſtatis indulto conceſſum eſſe equeſtri Ordini & civitatibus Pruſſiæ, ut alter alteri contra vim & injuriam opem ferat, & in jure adſiſtat, quod ipſum alias communi generis humani conſortio receptum ſit, ut amicus amico pro ejus jure tuendo auxiliari non recuſet.

12. Contra violentiæ naturalem propulſionem.

Exaggerat etiam illud fœderis caput procurator Ordinis, in quo ſcriptum ſit: Si quis fœderatorum inſuper vi opprimatur, vel corporis læſionem patiatur, aut indicta cauſa occidatur, velle ipſos ad id facinus coram Principe conqueri & vindictam absque mora exigere; Sin id non obtinuerint, conjurant ita ſerio ſe rem executuros, ut publice pateat illis omnibus eam rem maximopere dolere, & adverſus auctorem facinoris & auxiliares ſummis viribus injuriam vindicaturos. Hæc nimirum (ait) verba turbarum ac ſeditionis plena ſunt, facile enim quilibet poterit prætendere ſibi vim factam, injuriam illatam, jus negatum, Magiſtrum officio deeſſe. atque ita hujus capitis vigore impune futurum eſt, atque adeo honeſtum etiam, privatam affectare vindictam, plebem concitare, ſeditiones exercere, Magiſtratum omnem evertere, obedientiam & fidem profligare, ac rebellionis perfidiam eo colore, quoties libitum ſit, obtegere.

12. Refutatio.

Minime gentium, inquit procurator fœderatorum, caput iſtud ad rebellionis ſeu turbarum occaſionem conſtitutum eſt, ſed potius ad ordinem juris honeſte & æquabiliter conſervandum, ſi quis in corpore vel facultatibus tam atrociter lædatur, quod utique non amplius futurum ſperamus, neque hanc conditionem, qua ſublata, utique tollitur etiam effectus, unquam cuiquam noſtrum uſui futuram. Atque hoc diſerte ex fœderis diſpoſitione conſtat. Primum enim qui læſus vel injuria affectus eſt, jubetur jure experiri. Deinde jubetur ad ſtatum judicii publici diem quotannis celebrandum cauſam ſuam peragere. Tertio loco læſus in civitatum & Ordinis equeſtris poteſtate futurus eſt, quo minus ſuſpicari poſſit adverſarius, illum non jure, ſed per quampiam injuriam actum. Quarto, ſi opus fuerit, interpellabitur etiam Princeps, fœderati autem alter alteri non niſi juſtis in cauſis re mature deliberata adſiſtet. Quinto demum, ſi quis interpellato Principe jus obtinere nequeat, ſi in corpore & facultatibus enormiter lædatur, ſi inaudita cauſa, nullo juris ordine trucidetur, æquum eſt profecto, ut unius innocentis calamitate,

cæteri quibus idem exempli gratia quandoque expectandum est, commoveantur. Et ut omnia prius experiri convenit, quam ut ad extrema descendatur, ita hujus ultimi remedii causam ipsimet Cruciferi abunde præbuerunt, qui non juri parendo, sed explendæ saltem libidini se natos arbitrarentur. Etenim ut homines privati injuriis affecti summum Pontificem, quem solum judicem suum agnoscere videri volunt, adeant, summa vi Cruciferi impediunt, eamque ob causam multos, qui juris auxilium a summo Pontifice imploraſſent, immaniter trucidarunt. Ac ut cætera taceantur, ante annos quidem circiter viginti Præfectus Grebinensis in Livonia, Goswinus Aschembergius, sedecim viros, ut plurimum Ordinis Ecclesiastici sacerdotes, qui nomine Archiepiscopi Rigensis Romam de Cruciferorum injuriis conquestum proficiscebantur, subtus glaciem fluminis concreti conjectos suffocavit. Si quis Cæsaream Majestatem interpellare velit, eam pro competenti judice non agnoscunt, nec ejus edicta curant. Cur igitur tam atrocibus injuriis affecto non liceat cum amicorum auxilio vim vel a se repellere, vel illatam vindicare? Jure profecto non tam scripto, quam natura omnibus insito, vim & injuriam, præsertim ubi juris obtinendi nulla relinquitur facultas, a se quoquo modo propulsare fas est. Nec ulla lex est divina vel humana, Christiana vel ethnica, tam crudelis & severa, quæ nos cogat ultro carnifici cervicem porrigere, & omnium tyrannorum libidini inservire, puta si quis filium in conspectu patris jugulet, si conjugem inspectante marito constupret, si civem, hominem liberum sine legibus, sine ordine, sine judicio trucidet, si denique divinas & humanas leges perinde ac aniles fabulas æstimet, ac atrocissimum omnis se juris & æquitatis hostem profiteatur. In tales Deus etiam, si homines mussitent, justissime commovetur, & tandem quo tardius eo severius vindictam exercet. Fœderati, quod Deum testantur, nolunt quidquam contra Principem suum, contra Ordinem Cruciferorum, contra leges, denique contra quenquam bonum virum, per rebellionem, inobedientiam, seditionem, superbiam, vel quamvis injuriam moliri, conari, suscipere, modo ab impotenti dominatu & violentia sint immunes, modo se res suas, conjuges, liberos, fratres, amicos, sciant æquo imperio, juri & legibus subditos, non cum suis, quiqui potestatem usurpat, insolenti libidini impune obnoxios. Hoc si non impetrant, uti impetrare æquum est, exinde nunc etiam profitentur ac solenniter testatum faciunt, se naturali defensione adversus ejusmodi atroces injurias & oppressiones, quales hactenus perpessi fuerunt, quantum omnino per opem humanam licuerit, sibi suisque minime defuturos, idque pie, honeste ac legitime facturos omnium hominum opinione, ipsiusque Dei judicio, plane confidunt.

13. Contra id quod quispiam compererit.

His vero, tanquam parum ad rem facerent, silentio præteritis, procurator Petrus instat in criminando alio fœderis capite, quo cautum est, si quis fœderatorum quidpiam compertum acceperit, quod terris Prussiæ vel fœderatorum cuipiam detrimento esse possit, quod id alteri denunciare, rem autem ipsam secreto habere debeat. Nimirum hoc plane contrarium esse juramento, quo subditi Domino obstringuntur.

tur. Etenim si quidpiam quis resciverit, quod in Reipublicæ detrimentum vergat, id non fœderatis, sed Magistro, utpote Principi suo denunciandum esse, & omnino denunciandum, neque secreto habendum, si conjurationis culpam & perfidiæ notam quis velit evitare.

Contra opponitur, cujusvis periculi denunciationem, non ad Principem solum, sed ad omnes Prussiæ Status propter utilitatem Reipublicæ pertinere, neque id quod de silentio in fœdere dicitur, juramento vel fidei subditorum adversari. Etenim si jus fasque est, ex indulto Cæsareæ Majestatis coire, & fœdus facere, eodem modo statuere licere, ut ejusmodi res, quæ ad fœdus pertinent, modo Principis, qui semper exceptus est, auctoritatem non attingant, secreto habeantur, neque hoc fœdere cuipiam interdictum esse, quo minus, si quid tale comperit, pro fidei suæ religione Magistro indicium faciat. 13. Refutatio.

Addit Petrus, in eorum fœdere contineri quidquid in consilio publico a Nobilibus & oppidanis unanimiter & more majorum fuerit decretum ac constitutum, id peræque omnes firmiter observaturos. Unde id consequatur, fœderatos non contentos prima isthac conspiratione, etiam in posterum alias leges aliasque constitutiones pro suo arbitrio & libitu sanciendi potestatem usurpaturos. 14. Contra id quod consensu publico decretum sit.

Negat Martinus hujus capitis sensum ad conspirationem quampiam respicere, neque ultra morem majorum, decreta & constitutiones accipi debere. Quod autem more majorum consilio publico, honeste & legitime constitutum decretumve sit, haud dubie ab omnibus observari oportere. 14. Refutatio.

Tandem Petrus illud in conclusione fœderis oppugnabat, quasi minus legitimum, quod fœderati non suo solum nomine coiissent, ac fœderati subscripsissent, sed eos etiam comprehendissent, qui in posterum aliquando ad fœdus essent accessuri, cum illi per rerum naturam tum consentire vel auctores fieri nequiverint. 15. Contra futuros fœderatos.

Contra Martinus non esse novum contendebat, neque juri incognitum, ut in fœderibus, societatibus & contractibus, etiam illi comprehendantur, qui in posterum aliquando in eandem causam vel conditionem essent accessuri. 15. Refutatio.

Disceptatis hunc ad modum hisce fœderis capitibus, deinceps Ordinis procurator arcem universæ causæ invadebat, ac confœderationem eam ajebat, quanta quanta sit, contra jus tam divinum quam naturale, Canonicum ac Cæsareum, imo contra bonos mores, contra publicam honestatem & ordinarium Magistratum coitam fuisse. 16. Nullitas tocius fœderis.

Opponebant fœderati, ea omnia nudis saltem verbis dici, & ideo refutatione non magnopere indigere, quinimo quoniam actor non probet, 16. Refutatio nullitatis.

probet, reum etſi nihil præſtiterit abſolvendum. Nihilominus divino & naturali jure, non homini ſolum, ſed brutis etiam animantibus inſitum eſſe, ut a vi & injuria quemadmodum omnino poſſint, ſe tueantur. Atqui cum ex jure divino jus etiam Canonicum originem trahat, ne hoc quidem jure naturalem defenſionem ſublatam dici poſſe. Quinimo Pontificem ipſum in ſimili cauſa fœdera Boëmorum confirmaſſe, Clericos etiam & ſacerdotes hoc fœdere in juribus & libertatibus ſuis defendi. Ad jus Cæſareum quod attinet, ſæpe jam demonſtratum eſſe, Ordinibus Pruſſiæ ſpecialem a Cæſare facultatem fœdera faciendi conceſſam. Enimvero cum jus civile non poſſit naturale tollere, manifeſtis etiam legibus id comprobatum eſſe, ut vim atque injuriam propulſemus, & quod quisque ob tutelam corporis ſui fecerit, jure feciſſe exiſtimetur. Ipſum etiam Magiſtrum fœdus hoc prius quam ſubſignaretur cum magna procerum parte approbaſſe & in id conſenſiſſe, Cruciferis etiam omnibus fœdus notum fuiſſe, qui legitimo juris ordini non ſolum nunquam contradixerint, ſed multis etiam ſubditorum auctores fuerint, ut ad fœderatorum ſocietatem accederent. Magiſtro quoque & ejus Ordini ſuam auctoritatem, ſuum jus in fœdere integrum relinqui & conſervari. Ac quoniam fœdus hoc ad conſervandam pacem & juſtitiam, & ad propulſandam vim injuſtam paci & juſtitiæ contrariam coitum ſit, non poſſe videri contra bonos mores initum, cum nihil magis bonis moribus & honeſtati publicæ conveniat, quam pacem & juſtitiam ſummis viribus propugnari. Falſo itaque illud etiam crimini fœderatis dari, quaſi hujus fœderis intuitu Eccleſiaſticorum animi quodammodo fracti, laicorum autem ſpiritus aucti ſint, ad vim liberius cæteris inferendam. Eſſe enim hoc fœdus in communem omnium utilitatem & incolumitatem ictum, ut uni æque ac alteri, eccleſiaſticis & laicis, ſummis ac infimis jus ſuum conſervetur, & juſtitia adverſus vim rite adminiſtretur. Sane fœderatos non poſſe non meminiſſe, quanto cum Reipublicæ commodo, hoc uno remedio infauſtas ac funeſtas Magiſtri & Cruciferorum ſimultates ac diſcordias reſtinxerint, & pacifice compoſuerint, cum illis alioquin mutuis cædibus pereundum, & in proprio utrinque ſanguine ſuffocandum fuiſſet.

17. De aurea bulla.

Pergit Petrus, confœderationem hanc cum aurea, quam vocant, Bulla pugnare, qua ejusmodi conſpirationes penitus ſint interdictæ.

Reſponſio.

Reſpondet Martinus, eas ſaltem confœderationes bulla prohiberi, quæ injuſtæ, illicitæ & iniquæ ſunt, contra pacem publicam & contra Magiſtratum coitæ, in quarum numero hanc non poſſe cenſeri, utpote quæ permiſſu Cæſaris pro pace publica fuerit ſuſcepta.

18. Diploma Cæſareum.

Producit inde Petrus diploma quoddam Friderici ſecundi Imperatoris olim Ordini datum, quo contineri dicebat, nullum alium in Pruſſia Magiſtratum meri imperii jus habere exercendi, quam Ordinem, addens illud etiam, juramenta ſubditorum Dominis ſuis præſtita cum iis, quæ in fœdus dicta ſint, minime convenire. Negat

Negat Martinus, vel Diploma Cæſaris, vel juramenta ſubditorum obſtare, quo minus illi & Cæſaris indulto, & Dominorum conſenſu, in rebus honeſtis & licitis fœdus facere poſſint. 18. Refutatio.

Arguit inſuper Petrus, confœderationem eam moribus & honeſtæ conſuetudini repugnare. 19. Confœderatio an contra conſuetudinem.

Negat hoc Martinus, nec ullo probabili argumento doceri poſſe dicit: quinimo in contrarium affirmat, Status imperii Romani eodem modo, vel magis etiam obnoxios eſſe Cæſari, quam Ordines Pruſſiæ ſint Cruciferis, illos vero conſueviſſe fœdera inire, quantumvis ſæpe Cæſaris conſenſus non accederet.

Iterum producit Petrus decretum quoddam Pontificium, quo Papa confœderationem illam irritam eſſe jubet, & eos, qui in eam conſentirent, anathemate ferit. 20. Decretum Papale.

Opponit Martinus, decreta ex partium controverſia ſolenniter fieri ſolere, Ordines autem Pruſſiæ nunquam ea de cauſa ad Pontificem evocatos, nedum auditos fuiſſe: ac male omnino judicium fieri, niſi ambo, qui litigant, cauſam tractent, adeoque neminem recte judicare, niſi utramque partem audiverit, quapropter ſe decretum iſtud ſalva Pontificis Majeſtate non agnoſcere; ſed neque in iſthoc decreto mentionem ullam fieri indulti Cæſarei, neque Magiſtri conſenſus, qui acceſſiſſet, neque urgentium cauſarum, quibus adducti confœderationem eam Ordines iniviſſent. Non itaque veriſimile videri, Pontificem hoc decreto libertatibus & juribus fœderatorum derogare ſcientem voluiſſe. Reſponſio.

Proponit itidem ille quatuor bullas Pontificias ad ſingulos Pruſſiæ Epiſcopos emiſſas, quibus jubentur eos, qui jam interdicto ſint obnoxii, & a fœdere deſciverint, noxa liberare. Atqui bullæ iſtæ, inquit Martinus, ex prædicto decreto vim capiunt. Cæterum cum principalis cauſa jure non ſubſiſtat. ne illud quidem, quod ex ea conſequitur, effectum nanciſcitur. 21. Bullæ Papales.

Rurſus ille in medium affert confirmationem Imperialem ſuper libertatibus ac prærogativis Cruciferorum editam, qua ſancitum dicebat, quicquid adverſus eas libertates ac prærogativas inductum jam eſſet, aut in poſterum induceretur, id totum caſſum & irritum eſſe debere. 22. Confirmatio jurium Ordinis.

Sæpe jam dictum eſt, inquit alter, confœderationem eam Cruciferorum libertates non afficere, neque eas diminuere, ſed multo magis augere. Conſequens igitur eſt, ut multo minus Imperiali confirmationi officiat, cum nuda confirmatio non plus juris adferat, quam ipſæ libertates, quas corroborat, in ſeſe contineant. Neque veriſimile cenſeri debere, Imperatorem hac confirmatione ſpeciales Statuum Pruſſiæ libertates, jura, & indulta, tacite abrogare voluiſſe, cum de iis nihil exprimat. Adjicit Refutatio.

23. Contra confirmationem fœderis.

Adjicit Petrus: fœderatos multa proterve, calumnioſe, maligne ac petulanter in Cruciferos paſſim profudiſſe, probra & contumelias varias ſparſiſſe, præſertim autem vulgo perperam & falſo perſuaſiſſe, ad ſtabiliendas partes ſuas, quaſi confirmationem ſui fœderis a Cæſarea Majeſtate impetraſſent.

Pro confirmatione.

Negat Martinus per fœderatos conſenſu publico quidquam in contumeliam, injuriam, vel ignominiam dictum ſparſumve. Si quis autem privatim convitium fecerit, id ad omnes minime pertinere: quanquam accuſator neminem etiam nominatim expreſſerit, qui tanti facinoris reus dicatur. Confirmationem vero fœderis a Cæſarea Majeſtate editam etiam nunc in promptu eſſe, ex qua liquido intelligi poſſit, an id falſo vel perperam a fœderatis fuerit aſſertum.

Confirmatio lecta.

Exhibita & publice recitata ea confirmatione, quanquam procurator Ordinis nonnihil erubeſceret, viſo eo, quod in rebus humanis non eſſe perſuaſum habebat, tamen eodem, quo cœperat, calumniandi tenore progreſſus illud etiam in crimen vocabat, quod fœderati pendente lite novas ſumptuum exactiones in hanc litem in Pruſſia conſtituiſſent. Verum cum jam antea Cæſar pronunciaſſet, æquum eſſe ut ii, qui litem exercerent, impenſas etiam conferrent, frigidum ab omnibus judicatum eſt illud hoc loco adductum argumentum.

24. De litis concluſione.

Cæterum procurator Ordinis, quaſi jam cauſam viciſſet ad litis concluſionem procedere cœpit, ac a Cæſarea Majeſtate poſtulabat, confœderationem illam, qua de agitur, juri ſcilicet repugnantem abrogari, ac fœderatos in mulctam quadringentorum millium aureorum rebellionis, & ducentorum millium damni & impenſarum nomine condemnari, nec non a fœderatis, Nobilitate & civitatibus omnia jura, privilegia & bona beneficiaria amiſſa judicari, ipſosque juberi literas confœderationis exhibere Magiſtro, & quicquid pendente lite adverſus Ordinem injurioſe dictum factumve eſſet, revocari: denique petebat, declarationem adjici, quod ii qui receſſiſſent interim a fœdere, recte & ex officio feciſſent & conſpirationem temere initam prudenter repudiaſſent.

Reſponſio.

Ad ea Martinus, qui probationes ante ſententiam induci volebat: Jam (inquit) antea ſatis dilucide oſtenſum eſt, fœderatis jus & poteſtatem ex jure naturali & indulto Cæſareæ Majeſtatis, fœderis coëundi, cauſas etiam initi fœderis fuiſſe juſtas, licitas, honeſtas, neceſſarias ac publice utiles, tandem etiam ipſa fœderis capita juri tam Divino quam humano maxime eſſe conſentanea, nec ad ullius hominis injuriam, nedum rebellionem aliquam ſpectare. Quodſi Cruciferi quidquam eorum, quæ geſta ſunt, inficiari velint, etiam nunc parati ſunt fœderati ea omnia & ſingula affatim comprobare, modo terminus probationum expediendarum ſecundum juris ordinem legitimus ſex ſcilicet menſium adſignetur, cum ut plurimæ illarum probationum inde ex remotiſſima Pruſſia ſint accerſendæ. Atque hoc eſt unicum, de quo in præſentiarum Cæſareæ Majeſtati

Majeſtati decretum interponendum eſt, quo peracto, fœderati etiam cætera, quæ ad cauſæ concluſionem pertinebunt, in medium ex ſua quoque parte producent. Siquidem Cæſarea Majeſtas pro arbitro in hanc ſolummodo partem delecta fuerit, ut cauſæ fœderis probentur & excutiantur. Quod ſi Cæſarea Majeſtas præter opinionem, neglecta cauſarum diſcuſſione, ad ulteriorem aliquam cognitionem deſcenderit, quæ in ipſius arbitrium collata non ſit, palam profitentur & teſtatum faciunt fœderati, ſe ejus generis cognitioni minime ſtaturos.

25. Contra Cæſareum indultum.

Hic procurator Ordinis, non eſt, inquit, quod Cæſareæ Majeſtatis indultum ad confœderationis patrocinium extendatur, cum illud hujus ſeculi anno quinquageſimo primo editum, hæc autem anno quadrageſimo antea coita ſit, quo tempore ne jus quidem ex iſthoc indulto faciendi fœderis habuerunt. Deinde non fuit ea Cæſareæ Majeſtatis mens & ſententia, ut quopiam privato indulto publicum jus & auctoritatem Ordinis convellere vel labefactare voluerit. Tertio loco neque confœderatio literis indulti verbotenus eſt inſerta, uti merito ad faciendam fidem inſeri debuerat. Quarto nec in literis illis adſcriptum eſt, quo in loco ſint editæ, quod quidem eas non parum facit ſuſpectas. Quinto etiam dubitari poteſt, an eo ſigillo, quo literæ conſignatæ ſunt, Cæſarea Majeſtas eo tempore uſa fuerit. Tandem fœderati, quod a Pontifice tum temporis excommunicati eſſent, ejus indulti minime fuere capaces.

25. Refutatio.

Martinus contra: Literæ indulti non in futurum modo, ſed etiam in præteritum facti vel faciendi fœderis jus expreſſe complectuntur. Scriptum eſt enim diſertis verbis, ſi jam antea fecerint vel deinceps facturi ſint. Nihil igitur ad rem facit, quod indultum fœdere ſit poſterius. Deinde jam pridem ſæpe ac ſæpius oſtenſum eſt, indultum illud & hoc fœdus Ordinis jura & auctoritatem nequaquam afficere. Ac licet aliquid privatim a ſummo Principe contra jus commune ſtatueretur, hoc ipſo Princeps juri publico derogare per auctoritatem ſuam intelligitur, quippe qui omnia jura in ſcrinio pectoris ſui continere præſumatur. Neque opus fuit expreſſa ad verbum fœderis diſpoſitione, cum indultum generale ſit, in quæcunque fœdera eo modo facienda, quocunque fœderatis pro commodo publico melius & utilius viſum fuiſſet. Locum autem, ubi quid ſcriptum vel geſtum ſit, in literis aliis & inſtrumentis, quæ per Notarios eduntur, adſcribi neceſſarium fortaſſis fuerit. Cæſarea vero Majeſtas, quæ ubique in Romano imperio præſentem & æquam habet poteſtatem, minime ad certum locum adſtricta creditur, eoque modo plurimæ etiam antea literæ imperiales ſine loci mentione ſunt editæ, quod ex archivis ſacris manifeſtius oſtendi poteſt. Sigillum vero ipſum ſalvum & integrum eſt, nulli ſuſpicioni obnoxium, quod ex contemplatione patet omnibus.

Tandem abunde jam antea demonſtratum eſt, fœderatos jure excommunicatos non fuiſſe, neque nunc eſſe, ac Pontificiæ declaratio-

nis literas ad eos minime pertinere, qua de causa cujuslibet beneficii vel indulti sunt & tum fuerunt capaces.

26. An Magister consenserit.

Subjicit Ordinis procurator; Actoreæ parti, cujus ipse vices gerat, non satis liquido constare, num Magister generalis in hanc confœderationem consenserit, vel eam ratam habuerit. Ac etiamsi consensisset, tamen absque collegii communi adstipulatione id facere non licuisse. Ac quantumvis collegium consensisset, hoc tamen ad Episcopos Prussiæ non spectare, qui fœdus improbarunt, in quos imperium Magister non haberet. Quinimo & Magistrum & ejus Ordinem & Episcopos auctoritati summi Pontificis subjacere, sine cujus permissu nullum fœdus illis facere vel in id consentire liceret.

26. Responsio.

Ex adverso Martinus, Magistrum (inquit) generalem & Proceres plerosque cum universo equestri ordine & civitatibus in eam confœderationem consensisse, cum opus erit, liquidissimis argumentis demonstrabimus. Enimvero in quibuscunque causis ipse Princeps Nobilitati & civitatibus quidquam permittit vel interdicit, semper hoc ratum esse consuevit, quantumvis fratres & Collegium contradicant. Atque hoc jus in terris Prussiæ more majorum etiam gravioribus in causis ita receptum est, ut quicquid Magister & Proceres cum consensu Ordinis equestris & civitatum communiter decreverint, ab omnibus æque observari oporteat. Manifestum autem est, Cruciferos non solum consensisse fœderi, sed subditis etiam suis, ut id amplecterentur, mandasse. Quod autem contradixerint Episcopi, nihil refert, nec ea enim res ad Episcopos pertinet, nec cum iis hac de causa litem hic habemus, itaque non est æquum, ut Cruciferi nunc Episcoporum prætextu, quod jam pridem suo consensu comprobatum fuit, retractare debeant. Nec est quod quispiam existimet, absque permissu Pontificis Magistro & Cruciferis fas non fuisse fœderi consentire. Hoc enim non obstante, manent illi nihilominus in auctoritate Pontificis, utpote cujus potestati fœdus nihil derogat; Et ut illis fœdus hoc non prodesset, sed obesset, nulla tamen justa subest causa, prætextu auctoritatis Pontificiæ proprio facto contraveniendi, cum quilibet suo consensu sese ipsum non alium obligare manifestum sit.

27. Rursus contra causas fœderis.

Porro negat etiam Petrus, tales ineundi fœderis causas fuisse, quales prætendantur, ac quantumvis tales fuissent, equestri tamen Ordini & civitatibus non licuisse hunc in modum conspirare. Contra Martinus excipit, fœderatos omnes illas causas, & speciatim multas plures certissimis rerum argumentis comprobaturos esse. Unde manifestum omnibus sit futurum, in Cruciferis culpam hærere, qua fœderatos ad ineundam eam concordiam impulerint. Ipsosmet enim Cruciferos auctores & Duces fuisse, ut subditi bellis non necessariis impliciti, oppressi, ferro, flamma, exilio deleti & expulsi, privilegia & libertates violatæ, exactiones novæ, iniquæ, intolerabiles impositæ, nobiles, oppidani, & plebeji nullo discrimine, non audita causa, nullo juris ordine, crudeliter, inhumaniter, ac tyrannice tormentis dilacerati, facultatibus mulctati,

ctati, demum etiam pro libidine trucidati fuerint. Nec ullum aliud remedium obtinendi juris & vis injustæ propulsandæ subditos propositum habuisse, quam honestas & necessarias fœderis coëundi rationes, quas certum sit, neminem virum bonum cognito penitius rerum omnium statu unquam improbaturum, atque adeo Cæsaream Majestatem procul dubio pro judicii sui æquitate, justas & legitimas æstimaturam.

28. Contra subditorum libertates.

Urget ille rursum satis pueriliter, primum fœderis caput ex indulto Cæsareo non subsistere, ibi etenim non de subditorum, sed Dominorum libertatibus mentionem fieri. Ex adverso contenditur, proprie de subditorum libertatibus agi, idque eo magis, quod indultum pro ipsorum commodo editum, in eorundem præjudicium trahi non oporteat, sed multo sit æquius, ut Domini subditorum jura & libertates, etiam absque principali auctoritate, salvas & illæsas conservent.

Dominorum & subditorum jura.

Æquum sane Petrus existimat, a Domino subditorum jura & libertates conservari, veruntamen officio subditorum convenire non putat, Dominis hac in parte certum modum nimis licenter præscribere, atque adeo ab invitis jus suum exigere. Atqui (refert Martinus) siquidem Domini subditis jus suum sponte tribuant, nihil opus est subditis ad alia remedia confugere, vel illud ab invitis exigere. Sin autem illi contra jus & fas subditos injuriis afficere pergant, non ægre vicissim ferant, hos etiam de jurium suorum incolumitate quoquo modo sibi prospectum velle. Vetus enim illud est: Fidelis dominus, fidelis servus.

29. Contra judicium publice constitutum.

De judicio, deinceps publice constituto verba facit procurator Ordinis: quanquam id a Magistro, Commandatoribus, Prælatis, Nobilibus ac civitatibus, ex consensu publico ita constitutum sit, ut semel in anno contra vim omnem haberetur, tamen non aliam fuisse Magistri mentem & sententiam, quam ut hoc obsequio subditorum animos ita sibi repugnantes paulatim ad obedientiam reduceret: Illos vero conari, id quod semel initum sit, ad perpetuam necessitatem revocare, immo cogere Magistrum, ut illorum arbitrio judicium illud exerceat.

Responsio.

Tum Martinus: Bene est (inquit) quod vestra ipsorum confessione Judicium hoc cum superiorum consensu & publico omnium Ordinum Prussiæ decreto constitutum est. Sic enim fœderatis imputari non potest, quasi rem sua saltem auctoritate sancitam postulent, & Magistro cum suis Commandatoribus officii gratia incumbit, ut quod semel sua auctoritate in consilio publico pro communi omnium utilitate decretum est, violari non patiantur. Nec enim hic nova est coactio, sed res publice & utiliter instituta, & ante fœdus initum usurpata, quam solius Magistri arbitrio sine decreto publico abrogari, plane futurum sit indecorum.

30. Contra privatam vindictam.

Iterum oggannit Petrus, jure prohiberi subditos, ne adversus Dominum de qualibet illata vi vel injuria privatam vindictam usurpent, ac ut concessum sit vim vi repellere, hoc tamen ita locum habere, si non ex

ex intervallo, ſed in continenti defenſio interponatur, quod in fœdere ſcriptum non ſit. Reſpondet Martinus: Nec illud in fœdere ſcriptum eſſe, nec fœderatorum eo inclinare ſententiam, ut a quopiam privata vindicta Domini violentur; ſed ſi cui contra jus, contra libertates publicas, contra juris ordinem, vis vel injuria fiat, cæteri qui in fœdere ſunt, ejus defenſionem legitimam, juxta juris præſcriptum, licito more, ex naturalis æquitatis inſtinctu ſuſcipiant. Nec quidquam referre, utrum ex intervallo vel in continenti legitima defenſio fiat, quæ ſemper & ubique ſecundum leges libera & licita eſſe intelligatur.

Repetitio ſuperiorum.

Cæterum quanquam Ordinis procurator inſuper etiam alia repeteret, de bulla Carolina, qua omnes ejusmodi conſpirationes prohiberentur, deque Pontificii Legati Epiſcopi Silvenſis inquiſitione, quam Declaratio Pontificia ſubſecuta eſſet, demum de pecuniarum collationibus in litis impenſas, quaſi eo facto fœderati Cæſaris indulto fuiſſent abuſi, tamen quia ea eſt curioſi procuratoris rerum non neceſſariarum repetitio, & ad ſingula ſuperius ſatis ſuperque reſponſum exiſtimamus, non videtur operæ pretium ea hoc loco demum repetere, cum alioquin disputatio pene modum exceſſerit.

31. Contra Vectigalia per vim abrogata.

Tandem illud etiam procurator adjiciebat, & ad crimen læſæ Majeſtatis derivare volebat, quaſi fœderati re ipſa ipſoque facto ſe Principi ſuo oppoſuiſſent, ipſumque propria auctoritate ſui fœderis quaſi per vim coëgiſſent, ut vectigalia nova cum cætera tum portorium maritimum abrogaret: quodque juramentum fidelitatis commutaſſent, eoque ipſo teſtatum feciſſent, quod nollent eam fidem & obedientiam deinceps Magiſtris præſtare, quam Anteceſſoribus præſtitiſſent. Et quanquam nihil adhuc ipſo facto contra fidem attentaſſent, voluntatem tamen & propoſitum pœnam mereri, cum ea ſit criminis læſæ Majeſtatis natura, ut non factum modo, ſed etiam propoſitum in crimen incidat.

32. Juramenti immutatio.

31. Refutatio.

Ad ea reſpondebat Martinus: Procuratorem iſtum nihil niſi verba adducere, ac re ipſa nihil proponere, quo probari poſſit, Principi vim vel coactionem, quæ in conſtantem virum cadat, illatam. Vectigalia quidem uti nova & inuſitata, publicæque libertati contraria, per vim & coactionem a Cruciferis impoſita fuerint: ita ad frequentes preces & humillimas interceſſiones omnium Pruſſiæ Statuum, interveniente publico decreto, abrogata facile publicis teſtimoniis demonſtrari poſſe. Nam quod ſpeciatim de portorio maritimo dicitur, nullum unquam certe jus fuiſſe Cruciferis ſua auctoritate iſtud conſtituendi. Conſtitutum autem eſſe a civitatibus maritimis, quarum id proprium eſt, pro rerum & temporum neceſſitate, ad tuendam in mari liberam navigationem & cohibendas piratarum aggreſſuras, idque Cruciferos nimis licenter in exemplum pertraxiſſe. Et licet a civitatibus maritimis ſubſidium iſtud publicum quandoque non uſurparetur, Cruciferos nihilominus in Pruſſia illud ſibi proprium & perpetuum arrogare voluiſſe. Quod utique maritimæ civitates neque ex dignitate neque ex utilitate ſua ducentes modis omnibus

bus oppugnaverint, unde tot expoſtulationum literæ miſſæ, tot legationes & tractationes habitæ, & eo tandem deventum, ut ad illarum ſeriam poſtulationem Cruciferi niſi quid gravius experiri vellent, portorium iſtud abrogaverint. Non igitur eſſe quod hoc argumento ad invidiam fœderatorum abutantur, quaſi ab iis demum ad abrogandi neceſſitatem compulſi fuiſſent. Ad juramentum quod attinet, conſtanter aſſeverabat, huic Magiſtro iisdem verbis præſtitum fuiſſe, quibus Anteceſſoribus, neque in jurisjurandi religione quidquam immutatum. Fœderatis etiam nihil unquam in animo fuiſſe, quod ad crimen rebellionis vel læſæ Majeſtatis merito poſſit detorqueri, nedum fœdus iſtud, quod ipſemet Magiſter & Proceres indulſiſſent, conſenſiſſent, approbaſſent. Tantum abeſſe, ut ullam hic vel ſpeciem ſaltem criminis abominandi læſæ Majeſtatis agnoſcant.

32. Refutatio.

Concludit procurator Ordinis.

His ad hunc modum ultro citroque diſceptatis, ad cauſæ concluſionem deventum eſt, quam procurator Ordinis his pene verbis deduxit: Quandoquidem (inquit) cauſæ propter quas fœdus initum dicitur, per ſe ſunt inutiles, nullo jure concinnatæ, nulloque honeſtatis robore ſubnixæ, conſequens etiam eſt, confœderationem ipſam irritam & inutilem eſſe, ac merito penitus abrogari & e rerum natura exterminari debere. Ac proinde Ordinem equeſtrem & cæteros, qui eam coiverunt, libertates, beneficia, feuda ac jura immunitatis omnia commiſiſſe judicabitur, ſic ut confœderationis iſtius literas Magiſtro generali exhibere jubeantur, ipſi autem Nobiles dignitate equeſtri, oppidani privilegiis, honore & exiſtimatione priventur, ac inſuper utrique rebellionis & litis impenſarum cauſa in mulctam ſexcentorum millium aureorum condemnentur. Quicquid autem lite pendente per illos fuit attentatum, totum id propria confeſſione damnabunt, ac ſimul profitebuntur, eos qui a fœdere deſciverint, recte feciſſe, & Cæſareæ Majeſtatis mandatis obtemperaſſe.

Contra eam concluſionem Exceptio.

Procurator fœderatorum, rejecta in partem hac cauſæ concluſione, illud ſaltem in diſquiſitionem venire contendebat, utrum juſtis & æquis ex cauſis, citra Cruciferorum injuriam, fœdus coitum fuiſſet. Fœderatos autem hoc ipſum jam antea ſcriptis quibusdam docuiſſe, cauſas fuiſſe juſtas, legitimas, publice utiles, ac omnino neceſſarias. Ideoque fœdus etiam ex cauſis æſtimandum eſſe juſtum, legitimum, utile & neceſſarium. Pollicebatur etiam plura documenta eam in rem ſe producturum, modo ex præſcripto juris dilatio ſex menſium concederetur, tanto enim ſpatio teſtimoniis deducendis opus eſſe, cum in longiori provincia teſtes conquirendi ſint. Ex iis denuo & ex ſuperfluo manifeſto demonſtratum iri, & cauſas fœderis probabiles, & fœdus ipſum non improbato more coitum fuiſſe. Hoc unum igitur nunc in cognitione verſari, ut fœderatis probationum & documentorum copia ſtabiliendi fœderis ergo relinquatur. Neque ſe ſperare, Cæſaream Majeſtatem aliquid amplius judicaturam, quam ejus cognitioni delatum fuerit, cum arbiter ſumptus ſit, non ut fœdus aboleat, ſed fœderis cauſas diſcutiat.

Proinde conteſtato iterum ac iterum petebat, ne Cæſarea Majeſtas aliud quidpiam, quod in ejus arbitrium non veniat, in præjudicium fœderatorum vel definire vel alioquin admittere dignaretur.

Cæſar his auditis & cum Principibus ſibi aſſidentibus deliberatione habita, ſententiæ dicendæ diem ad viceſimum octavum Novembris prorogavit. Verum cum interim, priusquam ſententia ferretur, fœderatorum Legati ſecreto admonerentur, non modo Cæſarem decreviſſe, quod de tota cauſa abrogandi fœderis in gratiam Cruciferorum ſemel cogniturus eſſet, quod illi utique tam plane & abſolute in ejus arbitrium non contulerant, verum etiam aliorum Principum & Electorum Legatos pro judicibus in conſilium adhiberi, cum judices non eſſent, qui Principes jam dudum per literas & Legatos hoſtili ſe in fœderatos animo oſtendiſſent, & ſic aperte jam partem alteram foverent: & præterea haud ambiguus in aula rumor eſſet, Cæſaris Conſiliarios donis & pollicitationibus corruptos in Cruciferorum favorem propendere, his rebus permoti fœderatorum Legati Cæſarem aſſiduis precibus interpellabant, ut ne quid amplius cognoſceret, quam ex parte fœderatorum ejus arbitrio commiſſum fuiſſet, ſed potius ſecundum probationum momenta ordine ad rem definiendam procederet. Sin arbitrii metas exceſſiſſet, jam tunc iterum ut antea conteſtatum omnibus eſſe volebant, ſe totum iſtum proceſſum, una cum ipſa ſententia pro nulla habituros, neque decreto parituros. Quibus poſthabitis Cæſar condicto die ferendæ ſententiæ cauſa cum Electorum & Principum, qui tum aderant, Legatis pro tribunali conſedit. Hoc admodum ægre ferentes fœderatorum Legati, in judicio adeſſe noluerunt, ſed aliquos ad Cæſarem miſerunt, qui tam ſuſpectæ cognitionis inſtitutum humiliter deprecarentur. Quater etiam eo die per Notarios publicos ſolennis inhibitio ſententiæ Cæſari denunciata fuit, cum, quod non eſſet arbiter ſumptus in totam confœderationis cauſam, tum, quod illi judices una ſederent, qui maxime ſuſpecti ultro ſeſe ingererent, in quos nunquam compromiſſum fuiſſet. Verum nihilominus abſentibus fœderatis ſententia lata, & decretum: Nobiles & civitates Pruſſiæ non habuiſſe poteſtatem eam confœderationem coëundi, eamque nullo jure coiviſſe, quapropter eadem confœderatio invalida, irrita & nullius eſſe momenti jubetur. De cætero ſi quid controverſiæ ſupereſt, quod juris ordo deſiderabit, in poſterum conſtituetur. Actum id fuit anno MCCCCLIII. die XXVIII. menſis Novembris. Quam quidem ſententiam, licet ipſius confœderationis terminos non excederet, Cruciferi tamen etiam eo pertrahere volebant, quaſi ſecundum ipſos cætera quoque judicata fuiſſent, quæ in cauſæ concluſione procurator eorum judicari voluiſſet, nimirum quod fœderati omnium jurium & privilegiorum beneficia commiſiſſent, ac inſuper ad ſexcenta aureorum millia refundenda condemnati eſſent. Quinimo quod magis eſt in eam vindictæ cupiditatem erumpebant, ut quod neque unquam petitum neque judicatum erat, aperte dicerent, ſibi poteſtatem factam decreto Cæſaris trecentos ex fœderatis, quos ipſimet vellent, deligendi & capitibus mulctandi. Atque hæc quidem inhumaniſſimæ tyrannidis

Inhibitio ſententiæ ex parte Fœderatorum.

Decretum Cæſaris.

Extenſio Decreti.

rannidis ſignificatio multis capitum millibus poſtea conſtitit. Et vulgo exiſtimatum fuit, tam de confœderationis, quam mulctæ modo aliquo æquabili tranſigi commodius potuiſſe, quam ut ad extrema deſcenderetur, niſi iſthæc Cruciferorum inſolentia importune admodum prorupiſſet, quod fœderati nunc non jam ſolum de fortunis & libertatibus agi, ſed etiam ſanguinem ſuum impotentes Dominos ſitire, graviſſime dolerent. Ita ſæpe præter opinionem illud accidit, quod quam minime homines eventurum ſperant.

Lata ſententia Cæſar fœderatis literas omnes in judicium deductas, cum cæteras, tum præſertim eas, quibus fœdus & illorum jura ac libertates confirmaverat, integras & inviolatas reſtitui juſſit. Et cum unus ex Purpuratis vel Secretariis, Cæſaris literis confirmatoriis tanquam jam amplius nullius momenti futuris ſigilla detrahere vellet, exiliens Cæſar prohibuit, & abſit (inquit) ut literæ noſtræ hoc modo robur ſuum amittant. Quæ quidem benevolentiæ & benignitatis ſignificatio, quantum cum ipſa ſententia conveniat, ut ſcilicet quodpiam valeat & non valeat, cuilibet ſuum eſto judicium. Redditæ literæ.

Interim dum coram Cæſare cauſa diſceptatur, Ordines fœderati aſſiduos domi conventus agebant, in omnem eventum intenti, ſi fortaſſis quod verebantur in gratiam Cruciferorum aliquid in ſe gravius fuiſſet conſtitutum, ut communi conſilio remedium eo citius expedire poſſent. Erant tum & aliæ quædam civitates, & præcipue Gedanenſes a malevolis quibusdam, qui concordiam Ordinum ægre ferebant, & variis artibus diſſociationem moliebantur, ad cæteros fœderatos delati, quaſi Cruciferorum gratiam deſiderarent, minus conſtanter in fœdere perſeveraturi, ſi quid accidiſſet, ac magis privatum commodum quam ſocietatem publicam ſecuturi, ſic ut etiam cæteri Ordines apud eorum Legatos, eam ſuſpicionem non ſolum non diſſimularent, ſed majorem etiam fidei cautionem exigerent. Qua de re Gedanenſes certiores facti die ſeptima menſis Decembris ad Legatos ſuos in conventu Torunenſi, Albertum Huxer & Conradum Dalenſem, in eam ſententiam ſcripſerunt: Mirum ſibi videri quam ob cauſam Ordines fœderati tam ſiniſtre de ſe ſentiant, vel de fide ſua dubitent, quos antehac ſemper ſinceros & fideles re ipſa ſint experti. Nobis quidem (inquiunt) hac in parte maxima fit injuria, verum nos illud privatorum potius culpæ aſſcribemus, quam ut cauſam communem vel in minimo deſeramus. Atque ut eo magis omnibus conſtantiam noſtram hoc ſcripto teſtatam facere poſſitis, nunc adeo vobis nomine omnium civium, cum quibus conſilia denuo contulimus, plenam concedimus facultatem, de rei ſumma cum cæteris fœderatis deliberandi ac decernendi. Quicquid autem communi conſilio deeretum fuerit, nos non ſolum ratum & gratum habebimus, verum etiam quemcunque res exitum ſortiatur, ut viros bonos decet, omnem operam, facultates, denique vitam ipſam pro ſalute patriæ & libertate publica tuenda conſtanter impendemus. Eadem poteſtas facta eſt etiam literis in eam rem perſcriptis menſe Januario anni ſequentis ipſo die Epiphaniæ

Res domi geſtæ.

Calumnia in Gedanenſes.

An. 1454.

phaniæ Legatis, Reinholdo Niderhof & Ewaldo Wryge, qui ad conventum publicum Toruniam miſſi fuerant, quibus literis hoc etiam additum erat in mandatis, ut Legati non tam ſequerentur ea, quæ civitatis commodo fieri poſſe exiſtimarent, quam quæ totius patriæ cauſam reſpicerent. Etenim eo nunc in ſtatu rem eſſe, ut non de ſingulorum ſalute, ſed de univerſorum exiſtimatione, vita & libertate agi cogitarent.

Menſe deinceps Februario fœderati denuo Toruniæ conventum agentes, cognitis iis, quæ apud Cæſarem acta erant, cum animadverterent nihil æqui in eo ſe judicio impetrare potuiſſe, Cæſarem arbitrii fines exceſſiſſe, nec tam judicem quam adverſarium egiſſe, ſeque, uxores, liberos, totam denique Pruſſiæ multitudinem, eo decreto non ſolum in ſervitutem iniquiſſimis Dominis addictos, verum etiam crudelium tyrannorum libidini, eoque modo viderent jam in ſemetipſis ſaltem auxilium eſſe reliquum, præſtare autem ſemel mortem oppetere quam perpetuo ſervitutem tolerare, conſilium ex tempore capiunt, multo quidem antea præmeditatum, ſed tunc demum in lucem proditum, fidem Magiſtro reſignant, eaque de re literas ad eum perſcribunt, quarum hic erat contextus:

Fœderati Magiſtro fidem & ſubjectionem renunciant.

Reverendo Domino Ludovico ab Erlichshauſen, Magiſtro generali Ordinis Teutonici &c.

Obſequiorum noſtrorum, prout nunc rerum ſtatus eſt, ſtudio præmiſſo. Reverende Domine Magiſter generalis. Cum ad hunc dignitatis gradum fuiſſes electus, poſtulaſti a nobis, ut fidei juramentum tibi præſtaremus, quod haud inviti præſtitimus, ea lege, ut nos penes antiqua noſtra jura & libertates conſervares, & publicum judicium de vi & injuriis vindicandis exerceres. Quod quidem ipſum te Magiſtro ſæpe ac ſæpius efflagitavimus, ſed nunquam obtinuimus. Atque adeo te inficias iviſſe & pollicitationem nobis factam negaſſe, ipſemet meminiſti, quantumvis tuis magnificis promiſſionibus adducti, & fidem tuam ſecuti, Dominum te recepimus, & juramento tibi nos obſtrinximus. Promiſiſti inſuper, te nos pro fidelibus ſubditis habiturum: interim autem paſſus es nos conviciis, probris, contumeliis ignominioſe proſcindi, perfidiæ ac proditionis inſimulari: quin ipſemet nos horum criminum inſimulaſti, pro mancipiis nos venditaſti (hanc ſcilicet gratiam majorum & parentum noſtrorum fida obſequia commeruerunt) ſcriptis ignominioſis paſſim apud Reges, Principes & civitates traduxiſti, opem & auxilium per Legatos adverſus nos imploraſti. Neque hoc ſatis fuit tuæ & Cruciferorum tuorum libidini, ſed etiam in famam, corpora, honores & fortunas noſtras contra datam fidem & literas veſtras non uno modo fuiſtis injurii: fideles clientes Joannem & Gabrielem Baſenios in extraneis provinciis, per mandatarios veſtros prædæ, rapinæ, captivitati & periculo corporis & fortunarum palam expoſuiſtis. Nobis vero, iis præſertim, qui mercaturam exercent, nec conſilii nec auxilii copia, nec mari nec

nec terra, in vobis fuit, ſed complures adverſum nos violentias & injurias accumulaſtis. Quapropter nos, qui in fœdere ſumus, Ordo equeſtris & civitates Pruſſiæ, fidem & juramentum noſtrum reſignamus, nec quidquam vobis debebimus, & mediante hac reſignatione nobis & cæteris, qui partes noſtras ſequentur, de indemnitate honoris & fidei noſtræ, adverſus te & Ordinem tuum, quam optime cautum volumus, & vim injuſtam, injurias ac dominium in nos injuſte hactenus uſurpatum, Deo auxilium largiente, a cervicibus noſtris propulſabimus. Datum Toruniæ ſub ſigillis Joannis Beyſenii Equitis & civitatis Torunenſis, quibus hanc in rem communiter utimur, feria ſecunda poſt Purificationis Mariæ (4. Febr.) anno MCCCCLIIII.

Ordinis equeſtris & civitatum fœderis Pruſſici mandatarii & Legati Toruniæ congregati.

Hæ literæ Magiſtro redditæ ſunt Marienburgi ſexto die Februarii, qui ſacer tum erat divæ Dorotheæ, quibus perlectis Cruciferorum primates, quo ferociores antea fuerant, eo nunc videbantur conſternatiores, fregerat enim aſſuetam ferociam inopinatæ rei novitas & inſolentia.

De hac Pruſſorum defectione ita ſcriptum reliquit Crantzius lib. 12. Wandaliæ cap. 17. Pruſſia per ea tempora cum pacem foris haberet a Polonis & Letvanis, intus cœpit domeſtico & inteſtino bello pernicioſiſſime laborare. Nam militares terræ cum civitatibus arbitrati, ſe ab Ordine Teuthonicorum gravius in diem oppreſſum iri, inita confœderatione adverſus Ordinem, literis invicem datis, fœdus firmavere. Non potuit ea res, quæ inter multos ageretur, diu tegi ſilentio, pervenit ad Magiſtrum & fratres Teuthonici Ordinis. Cœperunt rem improbare, quod conſpiratio eſſet in juſtos Dominos, adverſus quos inire ligam, quid aliud videri poſſet, quam in caput Domini conjurare? Jubebant reſcindi illicita fœdera: recuſabant. Perlata cauſa eſt ad Imperatorem Fridericum, omnia enim prius jure quam armis experiri ſtatuerunt. Juſtificata eſt ibi pars Ordinis, irritumque fœdus pronunciatum. Ordo ipſe literas ſibi tradi poſcit; non paretur. Aggravatur deinde manus Ordinis in rebelles, & multiplicatæ ſunt injuriæ. Querelæ ad Romanam Curiam pervenerunt, ibi quoque ſuperior Ordo fuit in cauſa. Creverant perinde animi Dominorum in ſubditos, quod ubique cauſa eorum juſtificaretur. Immiſcuere ſe (ut fieri ſolet) juribus injuriæ, crebreſcunt odia in partibus. Orant deinde civitates cum militaribus, ut in antiquam quietem res perveniat, abſtineant injuriis, & moderato examine juſtitiam foveant in ſubditos. Semel exaſperati Domini fratres, acrius atque acrius in bellum exardeſcunt, quotidie minæ, quotidie injuriæ. Miſerunt urbium & militarium cœtus viros religioſos Abbates, qui pedibus provoluti Magiſtri & Commandatorum gratiam & quietem poſtularunt, & per viſcera miſericordiæ Dei magnum (quod impendere videbatur) malum averti obſecrabant. Stetit ſententia, non niſi literis exhibitis,

Crantzii ſententia.

& aliis (quas indixere) conditionibus impletis, pacis ullam esse spem. Jam secreto invicem militares cum urbibus condixere. Ubi omnia quæ ad petendam pacem pertinerent, frustra fuere, nihil tale formidantibus fratribus (cum non tam paratam ad bellum partem alteram arbitrarentur) uno pariter die tot arces cum oppidis amisere, quæ magno impetu invasa a militaribus & urbicis in potestatem accipiuntur. Illico exardescit cruentissimum bellum in multos annos protelatum, infinita cædes hominum, vastationes agrorum, eversiones arcium, concremationes oppidorum, ac mala sine fine, quæ bellum vehit. Evocavere fratres multos ad auxilia Principes, venere militares & stipendiarii sine numero. Cœpit res fieri gravior, quam ut a militaribus & urbibus Prussiæ posset sustineri. Invocavere Casimirum Regem Poloniæ, illique se subjecere ad defensionem, ut ab illo jam legitimo Domino protegerentur. Multiplex interim bellum varia fortuna gerebatur, nunc victi, vicissim victores. Incredibile est memoratu, quo ardore animorum, quibus odiis sæpe sit prœliatum, ambarum aliquando partium Duces cecidere, multi consumpti mortales, multi terra profugi: præsertim rustica plebs amissis rebus, sparsa per orbem, vastos agros reliquere &c. &c. Hæc Crantzius. Qui quidem his de rebus tantum scripsit, quantum ipsi constitit, rerum tamen gestarum ordinem non parum confudit. Videtur etiam defectionis historiam in annum præcedentem conjicere, quo Constantinopolis a Mahomete capta, & istud imperium a Christianis ad Turcos transiit. Verum quidem est, quod Mahometes & hic Ludovicus Magister generalis uno & eodem anno uterque principatum suum adepti, & uterque anno regiminis tertio fortunam diversam experti fuerint, dum alter accessionem Imperii Constantinopolitani lucrifaceret, alter a subditis tota ferme Prussia pelleretur. Sed hæc quamvis unius anni vertentis circulo (ut sic dicam) non tamen ejusdem anni numero gesta sunt. Capta est enim Constantinopolis die 29. Maji, anno 1453. Defectio autem in Prussia subsequitur mense Februario anni 1454. qui annus adhuc erat tertius Ludovici Magistri generalis, nimirum qui anno 1450. ante festum Paschatos ad Magisterium fuerat evectus.

Consultatio de novo Principe assumendo.

Interim fœderati de rebus suis magis ac magis soliciti, cum libertatem, etsi maxime cupiebant, tamen absque majori adminiculo tueri se posse diffiderent, præsertim quod non ignorarent, cum Cruciferis, qui multos habituri essent Principes auxiliares, ad internecionem sibi depugnandum esse, ut crescentibus belli periculis ac damnis inter tam multos eadem ubique constantia diu permaneat, consultare cœperunt, in cujus Regis aut Principis tutelam ac Patrocinium sese potissimum concrederent. Non una erat omnium sententia. Pomerellia, Culmensis & Michaloviensis terræ ad Poloniæ Regem inclinabant, utpote quorum majores ante ducentos annos ejus regni membra fuissent. Cæteris obstabat pax inter Cruciferos & Polonos perpetuum condicta, quam si Poloni conservare vellent, non erant adversus Cruciferos arma laturi. Alii Daniæ Regem optabant, cujus ditionibus Prussia propter maritima commercia magno cum commodo uteretur. Alii Ladislaum posthumum Ungariæ & Boëmiæ

miæ Regem. Quia vero is admodum juvenis & ea ætate esset, ut ipsemet tutoribus indigeret, Danus autem non modo Suecico bello esset occupatus, sed etiam Cruciferorum partes fovere putaretur, tandem in Casimirum Poloniæ Regem omnibus suffragiis consensum est. Ad eum Legati designantur totius Prussiæ nomine duodecim: Joannes Baysenius, Augustinus von der Schewe, Gabriel Baysenius, Nicolaus Wolkaw, Equites, Laurentius Chritz, civitatis Culmensis, Rudgerus von Pircken, Torunensis, Laurentius Pilgrim Elbingensis, Consules, Guilelmus Jordan, Joannes Meideburg Gedanenses, Joannes Kale Brunspergensis, Gregorius Schwach Regimontanus, & Nicolaus Rademan Kniphovianus. His in mandatis commissum erat, ut Casimiro terras Prussiæ, salvis singulorum juribus, privilegiis ac libertatibus, in dominium, tutelam ac possessionem dederent, ac traderent. Sin ille recusaret, cum iisdem mandatis ad Ladislaum recta contenderent. Interim fœderatos ita se paraturos, ut Cruciferorum impetus & arma facile se propulsaturos existimarent. Legati ad Casimirum.

Priusquam autem abirent Legati, Torunenses jam ea nocte, cum præcedenti die literæ, quas diximus, Magistro redditæ fuissent, per dolum ex improviso arcem, quam Cruciferi tenebant, occupaverant. Nam adolescentes quidam, mulierum ac virginum habitu & vestibus ornati, sic ut quilibet gladium sub veste occultaret, ludibundi, uti circa Bacchanaliorum tempus, quod tum instabat, fieri solet, cum aleæ fortunam se experturos simularent, a Cruciferis rerum omnium adhuc ignaris, & nihil tale suspicantibus sub vesperam in arcem recepti, paulo post omnibus in jactum tesserarum intentis, paulo post gladiis repente prolatis & omnibus ferme cæsis, rem ex sententia confecerant. Inde dato signo per flammam in altissima turri excitatam, idem in occupandis arcibus faciunt cæteræ civitates vicinæ, Birgela, Papovium, Grudentum, Altenhusa, Strasburgum, Schwetza, Mewa, eodem signo quasi per manus tradito, Cruciferis aut cæsis, aut fugatis & ejectis. Schoneccium metu direptionis a vicinis injecto in potestatem & tutelam Gedanensium metu direptionis a vicinis injecto in potestatem & tutelam Gedanensium sponte concessit. Sic passim Cruciferi metu perculsi, ut plurimum qua poterant Mariæburgum ad Magistrum confugiebant. Arx Torunensis & aliæ captæ.

Gedanenses arcem munitissimam suis cervicibus impositam a Præfecto & cæteris, qui inerant, Cruciferis spontanea deditione traditam receperunt. Erant ibi tum Conradus Pfersfelder Commandator vel Præfectus arcis, Joannes Trachenaw, Winricus de Manstet, Simon Dusebort, portorii exactor, Heinricus Hartfus, fylvarum Præfectus, Heinricus de Friburg, molendini, Wolfgangus Hirshauer, portus præfecti, Joannes Festemberg, Conradus Truchses de Pommersfeld, Heinricus Comes Tubingensis, Conradus Ottinger de Mawern, Guilelmus de Loyke, Heinricus Reibing, præfectus Grebinensis, Joannes Gros de Trockow, Andreas Zilner, Andreas Breitman de Dameraw, Joannes Wirsibaw, Ambrosius de Rambow, Judex terrestris, & Georgius de Wickerow. Hi arcem cum omnibus juribus, prædiis, reditibus & proventibus Senatui publice, Arx Gedanensis dedita.

publice, confectis in eam rem solennibus codicillis, tradiderunt, ea lege, ut ipsimet cum familia, salvis rebus, bonis, equis, armis suis, in urbe Gedanensi libere commorarentur usque ad diem Joannis Baptistæ proximum, deinceps libere abirent, quo quilibet vellet. Senatus vicissim eis luculentam pecuniæ summam (quanta ea fuerit, traditionis instrumento non exprimitur) exsolvit, & ægrotos omnes partim Cruciferos, partim sacerdotes, partim ministros, qui propter morbum aut senectutem extra provinciam abire non poterant, curandos & honestis alimentis quoad viverent nutriendos suscepit. Arce tradita cum Gedanenses deliberarent, utrum eam everterent, & tot splendida ædificia pessundarent, an potius pro urbis munitione, locum tam oportunum salvum conservarent, accidit forte fortuna, ut nonnulli ex Senatu, corona populi circumstante, Conradum, qui arcem tradiderat, & in fidem Senatus concesserat, sententiam rogarent, quidnam ipsi facto videretur optimum. Ibi tum ille, mihi quidem hic nullius consilii copia est, neque me decet aliquid in detrimentum Ordinis mei consulere, verum inter rusticos tritum est illud sermone proverbium: Si ciconiam domi tuæ incubare nolis, nidum disturbato. Quo audito cives excita promiscua multitudine, non expectato jussu vel consensu Senatus, magno conatu arcem irrumpunt, diruunt & complanant. Deinde Gedanenses Grebinum in minori insula situm, ubi Cruciferi tum equilia alebant, invadunt, nulloque negotio occupant, & munitionem dejiciunt, nemine prorsus resistente, sed omnibus ferme rerum inusitata facie consternatis, & prope solam fugam cogitantibus.

Arx Gedanensis diruta.

Grebinum.

Arx Elbingensis expugnata.

Qui in præsidio arcis Elbingensis erant, aliquandiu vim oppidanorum sustinebant, spe majoris auxilii, quod arcis præfectus Heinricus Comes Plavenius, qui ad Cæsarem missus nondum reverterat, illaturus credebatur. Sed cum eo acrius cives instarent, quo magis ille in expectatione erat, & tam noctu quam interdiu oppugnationem continuarent, tandem die duodecima Februarii deditionem fecerunt. Mox etiam arcem Hollandiæ oppidi Elbingenses occuparunt. Et sic primo defectionis impetu intra dies octo septendecim arces a Cruciferis captæ. Neque diu post Nobiles & civitates Varmienses diœceseos sui etiam Episcopi Franciscani, qui tum in aula Cæsarea disturbandi fœderis ergo circumvolitabat, fidem, auctoritatem, & obedientiam abjecerunt. Inde Brunspergenses & alii eorum exemplum secuti Clerum passim exturbant, Canonicorum domos & prædia avare diripiunt, inde oppidum Balgam invadunt, & direptum funditus diruunt. Arcem Regimontanam Cruciferi cum nec satis præsidii nec commeatus abunde haberent, sponte civibus tradiderunt, ipsi Lochstetum cum rebus & bonis suis liberi dimissi. Quo facto tota Sambia defecit. Sic intra mensem unum quinquaginta sex arces & oppida capta, quædam etiam diruta, & Cruciferis tum præter Mariæburgum, Stumam & Choiniciam nihil ferme reliquum permansit. Arces a Cruciferis captas Equites & Nobiles fœderati pro sui defensione conservare & possidere volebant, id vero civibus & agricolis periniquum videri, quasi scilicet non abjecissent servitutis jugum, sed Dominos saltem commutassent. Ea res causam præbuit, ut complures deinceps arces solo æquarentur.

Varmiensium defectio.

Dum hæc domi aguntur, Gedanenses etiam illorum curam, qui peregre essent, non abjiciendam censentes, ad mercatores & nautas Prussicos in Anglia, Trajecti, Antverpiæ, & alibi commorantes passim literas emittunt, quis rerum status sit exponunt, ac monent, ut operam dent, qua naves sese conjungant, ac quantum fieri possit, simul navigent, & ita se communiant, ut contra hostilem insultum merces salvas & incolumes in Prussiam perferant. Et quoniam ex Daniæ Regno potissimum imminebat periculum, ex communi Ordinum consilio & mandato ad Regem etiam perscribunt, rem omnem uti hactenus gesta sit recensent, injurias & violentias erga se Cruciferorum, rupta jura publica, cædes innocentium perpetratas, insolitas & intolerabiles exactiones, barbarorum hostium direptiones commemorant, quibus tandem necessario coacti sint Ordo Nobilitatis & cives, ut vim & injuriam omnem una cum iniquissimis Tyrannis a se propulsarent, quandoquidem jus suum aliter obtinere nequivissent, quodque eo usque jam res processerit, ut plerisque arcibus & civitatibus illi sint ejecti, bonamque spem fœderati conceperint, se quod reliquum est illorum potentiæ facile pares futuros. Proinde cum Prussi una cum cæteris Hansæ Teutonicæ maritimis civitatibus, vigore privilegiorum suorum, eam majorum ipsius gratiam promeruerint, ut jus sit illis bello & pace mare liberum usurpandi, commercia & negotiationem omnis generis tuto exercendi: petunt diligentissimis verbis, ut hoc etiam rerum statu libera navigatio & mansio in mari, fluminibus & portubus regni Danici, cum navibus, mercibus & rebus omnibus more majorum concedatur. Ac si quis secus forte de ipsis ad Regem detulerit, ne fidem adhibeat, neve quid in eorum detrimentum committi patiatur.

Gedanenses scribunt ad mercatores & Daniæ Regem.

Die deinceps vicesima septima Februarii Gedanenses copias suas, adjuncta mediocri manu vicinorum Nobilium Pomerelliæ, Duce Ewaldo Wrige Senatore emittunt, & ad Mariæburgum cis Nogatum fluvium castra metantur, neque diu post etiam cæteræ civitates & Nobiles, qui a fœderatis stabant, in altera parte trans Nogatum tendunt, & Mariæburgum circumsident.

Mariæburgum obsidetur.

Legati, quos a fœderatis ad Poloniæ Regem missos diximus, die decima octava Februarii Cracoviam venerant, & paucis post diebus ad Regem admissi fuerant, ubi Joannes Baysenius, legationis princeps, cæterorum nomine verba fecit in hanc sententiam: Serenissime Rex. Missi sumus Legati ad Majestatem tuam a civitatibus & equestri Ordine, ac omnibus Prussiæ incolis fœderatis, ut moerorem, infortunium, injurias ac calamitates publicas & privatas exponeremus, & si fieri queat a Majestate tua consilium, opem, auxilium & patrocinium peteremus. Ideo potissimum, quod meminimus bonam Prussiæ partem, terram videlicet Culmensem, tractum Michalovienſem & Pomerelliam in potestate & dominio Serenissimorum Poloniæ Regum fuisse, & ab eis bene

Legatorum oratio ad Regem Casimirum.

& ſumma cum laude gubernatam eſſe. Cum autem progreſſu temporis Pruteni homines barbari, inter quos principes erant Natangi & Sudani, nec non Litvani & Jazyges, nos finitimos ac vicinos ſuos variis ac continuis cladibus attererent, ac pene funditus delerent, evocati ſunt a majoribus Majeſtatis tuæ ex Palæſtina milites Cruciferi, qui tum virtutem, vires & corpora ſua ex profeſſo pro re Chriſtiana contra gentes infideles devovebant, atque hunc belli gerendi ordinem amplectebantur. Quibus Culmenſis terra certis primum conditionibus conceſſa fuit, ut nimirum barbaros ejicerent, & illorum provincias occuparent. Quam in rem majores noſtri, pro officio fidelium ſubditorum, & fortunas omnes & vitam & ſanguinem conſtanter impenderunt, utpote qui pro imperii dignitate & amplitudine, inprimis vero pro libertate publica bellum gerere dulce & jucundum exiſtimarent. Quinquaginta annos continuos bellum vario eventu geſtum eſt, priusquam barbari ſubjugarentur. Cruciferi, Magiſtro Hermanno Salcenſi majoribus noſtris in recompenſationem laboris & obſequii tam conſtanter præſtiti certa privilegia, certas libertates, & peculiaris ſui juris uſum indulſerunt, ſic ut in poſterum viderentur & pacem habituri & colendis agris operam ſecurius impenſuri. Verum ut avari ſolent, quo magis opes affluunt, eo plura deſiderant, ſic Cruciferi non contenti eo, quod liberali manu a Polonis acceperant, quodque barbaris ademerant, ſed variis etiam artibus Pomerelliam a Swantepolci filiis, Michalovienſem autem terram a Leſco Cujavienſi Principe ad ſe pertraxerunt. Quinimo Litvaniam inſuper aggreſſi non ſemel ejus ditiones ferro flammaque devaſtarunt. Quæ quanquam tum Ethnico & pagano ritu vivebat, poſtea tamen cum auſpicio Divi Jagellonis Majeſtatis tuæ parentis, quem honoris gratia nominamus, rei Chriſtianæ acceſſiſſet, merito a Cruciferis ſecura eſſe debuerat. Verum illi, qui jam non cum Barbaris pro religione, ſed cum vicinis pro imperii cupiditate pugnare adſueverant, nos ſubditos ſuos vi ac minis coegerunt bellum cum amicis ſuſcipere, neque cum Litvanis ſolum, ſed etiam Polonis, eosque infeſtare non deſtiterunt, a quibus fortunas ſuas auſpicati fuerant, idque nobis invitis ac reclamantibus, imo ſæpius contra publici conſilii ſententiam. Sic paulatim ab hoſtibus Chriſtiani nominis, ad infeſtandos amicos & vicinos converterunt, Polonos ut plurimum afflixerunt cædibus, incendiis & vaſtationibus, quos ſi non pro Dominis, ſaltem pro patronis habere debuiſſent. Atque cum foris omnibus eſſent formidabiles, domi non dominos ſed tyrannos interim erga ſubditos ſe gerere cœperunt. Nam cum vigore privilegii Culmenſis ab omnium vectigalium & exactionum onere liberi & immunes eſſemus, illi tamen non vectigalia ſolum nobis impoſuerunt, ſed varias inſuper exactiones invitis per vim obtruſerunt, rapinas varii generis excogitarunt, monetam publicam adulterarunt, menſuras & pondera publice corruperunt, facultates privatorum malis artibus expilarunt, adeoque nihil prætermiſerunt, quod illorum avaritia & libido concupiviſſet, non ut cives nos vel ſpontaneos ſubditos, ſed ut ſervos addictos & viliſſima mancipia æſtimantes. Tandem quod longe maximum eſt, & plerumque regnorum & imperiorum labes fuit, res omnis vi

vi non jure geſta, nullus noſtrum jus ſuum obtinere potuit, omnia tyrannis occupaverat, quot mandatores & præfecti, tot Magiſtros generales habebamus. Libidines autem ſtupra & adulteria adeo florebant, ut nihil excogitari poſſit & Deo & ſanctis angelis abominabilius. Non poſſumus ſine maximo animi dolore commemorare familiam, uxores, filias conſtupratas, parentes, fratres, liberos & cognatos, Nobiles & Oppidanos, nullo juris ordine, nullo merito, ſed ſaltem pro libidine, clam & palam, crudeliter trucidatos, aqua ſuffocatos, & carcerum pedore confectos. Si quis contra mutiſſet, aut innocentium vicem commiſeratus eſſet, verbera, vincula, carceres, capitis denique ſupplicium propoſitum erat. His aliisque cauſis urgentibus adducti, pro defenſione contra tyrannidem mutua fœdus anno 1440. inter nos coivimus honeſtum, pium & Reipublicæ utiliſſimum, quo vim injuſtam, rapinas, cædes & ſtupra a noſtris, uxorum, liberorum & propinquorum corporibus, mutuo, ſi opus foret, auxilio propulſaremus. Huic fœderi primum conſenſit, qui tum Magiſtratum gerebat, Paulus Rusdorfienſis cum nonnullis Cruciferorum primoribus. Verum cum ejus Succeſſor Conradus præeſſet, & qui nunc ſupereſt Ludovicus, tanto ardore flagrarunt Cruciferi fœdus illud disjiciendi, ut non ſemel dictitarint, ſatius eſſe totam Pruſſiam amitti, quam conſpirationem eam tolerari. Hic igitur Ludovicus accuſavit nos apud Pontificem Romanum, apud Cæſarem & Germaniæ Principes, ſumma cum infamia noſtra, tanquam hæreticos, proditores, rebelles & perfidos homines. Miſimus Legatos ad Cæſarem innocentiæ noſtræ rationes oſtenſuri, qui in Moravia a latrunculis, quos Cruciferi ſubornaverant, capti fuerunt. Illis tandem dimiſſis cum ad arbitrium Cæſaris deſcendendum eſſet, Cæſar autem aperte Cruciferis faveret, nec quidquam æqui a ſe impetrari pateretur, re integra judicem eum recuſavimus. Nihilominus tamen inſtantibus adverſariis, & Legatis Principum Germanorum, quos illi corruperant, adjuvantibus, Cæſar non modo fœdus noſtrum, quod jam antea literis ſuis confirmaverat, abrogavit, verum etiam ſexcentorum millium florenorum multam dixit, atque adeo infamia notatos & libertatibus privilegiisque ſpoliatos, ſervorum aut pecudum inſtar tam impotentibus Dominis rurſum nos addixit, ex quibus illi mox trecentos in fœdere primarios morti deſtinarunt. Hanc tyrannidem & tot inſignes injurias & contumelias ferre diutius non potuimus, ſed ſumptis armis, ac jurejurando & ſubjectione noſtra renunciata, in libertatem nos vindicavimus, Cruciferos eorumque præfectos & præſidia urbibus, oppidis, arcibus plerisque omnibus ejecimus, nec in poſterum unquam in eorum poteſtate futuri, ſed ſi vim facere pergant, his armis, quibus libertatem quæſivimus, etiam defenſuri ſumus. Nunc enim animis opus eſſe exiſtimamus, ut poſteris ſalvam Rempublicam patriam & libertatem relinquamus, quam ſi minus vivi obtinere poterimus, morte ſaltem liberos nos eſſe teſtabimur: præſtat enim ſemel honeſte mori, quam per ſummam turpitudinem in ſervitute ſemper vivere, ac id quod tyrannis libeat faciendo apud viros cordatos male audire. Cæterum cum is ſit rerum Pruſſicarum ſtatus, ut exiſtimemus eas ſine capite & ſummo Principe ſubſiſtere non

poſſe

poſſe, miſſi ſumus ad Regiam tuam Majeſtatem fœderatorum Pruſſiæ Ordinum nomine, ut nos & Pruſſiam noſtram tuæ Majeſtatis imperio & poteſtati hiſce conditionibus, quatenus eam ſuſcipere velit, dedamus: nimirum ut nos omnes & ſingulos penes noſtra jura & libertates publicas & privatas, ſive Culmenſis ſive Lubecenſis ſive Pruſſici juris ſint, ac penes veteres conſuetudines integre conſervet, præſertim vero ne arces a nobis deſtructæ reædificentur, ſed in rei teſtimonium perpetuo deſtructæ jaceant, & quicquid Nobilitas vel civitates ſuis ſumptibus occuparunt, id omne pro ſuo retineant, de cæteris conditionibus, quæ noſtra interſunt, idonee nobis caveatur. Hæc ſi tua Majeſtas præſtare volet, eandem ut Dominum noſtrum hæreditarium ac legitimum agnoſcimus, eique ſponte nos dedimus, & civitates, oppida, caſtra a Cruciferis capta tradimus. Qua ex re non minorem Majeſtas tua, quam nosmetipſi, utilitatem habitura videtur. Nec enim exigua erit regno tuæ Majeſtatis Pruſſiæ acceſſio. Magna ſane felicitas, & hoſtibus maxime ingrata, cum ultro potentia accedit ſine periculo & ſumptu comparata, quæ & gloriam & vires augeat. Sereniſſimi Poloniæ Reges per ducentos ferme annos continuum cum Cruciferis bellum exercuerunt, quo facile nunc ſemel tua Majeſtas defungi poterit, cui duplicatis viribus hoſtis minime par ſit futurus. Apud omnes certe juſtitiæ & pietatis amantes perpetuam merebitur laudem, quod nos crudeliter & impotenter oppreſſos a tyrannide vindicaverit. Nos vero tam conſtantes & fideles ſubditos experietur, ut a tuæ Majeſtatis & Succeſſorum fide & auctoritate nullo unquam tempore ſimus ſeceſſuri. Neque verendum eſt tuæ Majeſtati, quod iſthac re fœdera cum Cruciferis icta violentur. Jam enim illi priores ea violarunt, & in Concilio Baſileenſi varie laborarunt, ut pacem perpetuo conditam reſcinderent, neque conditionibus ſatisfacerent. Inde publicas vias occluſerunt, & ſubditis commeatum omnem in Poloniam interdixerunt. Cives Chosnenſes (Arnswaldii ſunt in Marchia nova) propterea quod ii ſe & oppidum bello adacti dediderant, contra quam convenerat ſupplicio capitis affecerunt, & nova fœdera cum Litvanis adverſus Polonos iniverunt. Non voluntate Cruciferi, neque tranquillitatis colendæ ſtudio, ſed a ſubditis adacti pacem cum Polonis fecerunt, & in hunc usque diem ægre tamen conſervarunt, quam primo quoque tempore, cum res novas moliendi occaſio affulſerit, denuo ſunt rupturi. Non aliena occupabit tua Majeſtas, ſed ſua quaſi poſtliminio recipiet, partim vi, partim dolo a Cruciferis ablata, quæ jam antea decreto ſedis Apoſtolicæ non ſemel Polonis ſunt adjudicata. Spondet nobis & fortuna tuæ Majeſtatis, & gentis Polonicæ virtus, iſthæc omnia recte & ex ſententia utrinque proceſſura eſſe; Nos certe neque nobis neque defenſoribus noſtris unquam ſumus defuturi.

Literæ Legatorum.

Poſtquam mandata expoſuerunt Legati, Gedanenſes ad Senatum perſcribunt hiſce verbis: Venimus Cracoviam die lunæ, quæ feſtum Petri Cathedræ præcedit, a Rege & Epiſcopis ac Palatinis ſplendide excepti, in honore multo habiti, & conviviis exhilarati. Legationem noſtram Regi per Joannem Bayſenium expoſuimus, is rem ad ampliorem

pliorem Conſiliariorum numerum prorogavit. Interim deſignati ſunt duo Epiſcopi, quinque Palatini, & Regni Cancellarius, qui de rerum futuro ſtatu nobiſcum conſultent. Juſſi vero ſumus nos, qui civitatum ſunt Nuncii, omnes injurias & violentias, quæ quoquo modo contra libertates & privilegia noſtra nobis obtruſæ ſunt, ſcripto exhibere, ſic ut Rex ſimul & ſemel ad omnia reſpondere poſſit. Audimus vos arcem evertere velle, quo citius id facietis, eo melius, cæterum quæ in arcis ingreſſu ſunt ædes perfectæ integras ſervari mallemus. Fieri enim non poteſt, quin Regi ſtationem aliquam in arce deſignemus, quodſi has ædes ſubverteritis, novas in poſterum in uſum Regis ædificabitis. Scriptæ Cracoviæ feria ſecunda poſt feſtum Matthiæ anno MCCCCLIV.

Aliæ Legatorum literæ.

Ad fœderatos etiam omnes conjunctim Legati eodem tempore in hanc ſententiam perſcripſerunt: Offendimus hic in aula Ordinis Theſaurarium, qui militi conducendo dat operam, ſed animadverſum fuit haud obſcuris indiciis ſtipendiarios iſtos malle operam ſuam fœderatis, quam Ordini addicere, itaque circiter tria millia conduximus, ni feciſſemus dubio procul a Theſaurario invitati in Cruciferorum fidem conceſſiſſent. Suaſerunt nobis hoc ipſum Regis Conſiliarii. Quapropter operam date, ut pecuniam in eorum ſtipendia conquiratis, hoc enim nervo res maxime nunc indigebit. Comperimus etiam Cruciferos alias magnam armatorum multitudinem contrahere, quæ quidem per ſpeculatores accuratius vobis exploranda, & ſummis viribus occurrendum, ne peregrinus miles in Pruſſiam admittatur. Conſtituendum etiam eſt decreto publico, ut quicunque pecuniam vel res Cruciferorum penes ſe habent, ante certum diem indicium faciant, & in publicum tradant, ſi quis quidquam ſciens occuluiſſet, pœna capitis & confiſcatio bonorum proponatur.

Actiones Theſaurarii Ordinis in aula Regia.

Dum hæc illi agunt, interim ex altera parte ſuis non deerat Theſaurarius Ordinis, qui ad cohoneſtandas Regias nuptias cum Eliſabetha defuncti Cæſaris Alberti filia, Ladislai Bohemi ſorore, & fortaſſis non tam ad nuptias, quam diſturbanda fœderatorum conſilia miſſus fuerat, & quinquaginta millia florenorum (ut Cromerus ſcripſit) ad corrumpendos Proceres Polonos ſecum attulerat. Atque is cum univerſos publice fœderatorum admonebat, tum privatim ſingulos orando & pollicendo prehenſabat, ad extremum clientes & vectigales Regi Polonisque Magiſtrum atque Cruciferos in omne tempus fore promittebat. Tandem etiam ſecreto ad Regem admiſſus ita verba fecit.

Quanquam, Sereniſſime Rex, ego & collegæ mei non huc ideo miſſi ſumus, ut cum quopiam litem exerceamus vel jure experiamur, (nullum enim hic judicem vel arbitrum agnoſcimus) ſed ut nuptias Regias Ordinis noſtri nomine cohoneſtemus: tamen cum compertum habeamus, Ordines Pruſſiæ rebelles non ſolum hoc agere, quo Magiſtrum & Cruciferos paſſim criminentur, & in omnium invidiam adducant, ſed etiam ut abjecto juratæ fidei vinculo, in jus & poteſtatem Regni Polonici

ſponte concedant, hoc (inquam) comperto æquitatis & publicæ pacis ratio nos movet, ut Majeſtatem tuam admoneamus, ne quid inconſulto vel præcipitanter nimis hac in re ſtatuat, ſed etiam atque etiam prius cogitet, quantæ rerum turbæ neceſſario ſubſecuturæ ſint, ſi malis hac in parte conſultoribus tua Majeſtas animum adjecerit. Accuſant Ordinem noſtrum Nobiles & oppidani rebelles non eo animo, ut aliorum in hac cauſa judicium pati velint, ſed ut ipſimet ſibi judices ſint & rerum omnium arbitri, proque ingenio & libitu ſuo omnia faciant & audeant. Nam ſi ab aliis judicari vellent, Cæſarem judicem utrinque delectum habuerunt, qui & cauſam & litem omnem decreto jam determinavit, illosque temere litigantes, & ea quæ jure non decet molientes condemnavit. Illi vero nec juri nec æquitati acquieſcunt, ſed inſuper etiam cauſam ſuam calumniis exornant, & obſtinatam animorum petulantiam ſatis abunde oſtendunt. Enimvero quod ajunt, ſe a nobis coactos, ut adverſum Polonos arma non neceſſaria ferrent, id prorſus commentitium eſt. Nullum enim geſſimus bellum aliud, quam ad tuendas provincias noſtras, quas jure poſſeſſas ultra hominum memoriam obtinuimus. Ad privatas injurias quod attinet, ſi quæ iſtæ fuiſſent, primum magis decuit ſubditos Dominorum vel auctoritati vel ſeveritati nonnihil condonare, quam privatæ vindictæ ſtudio in eos conſurgere; deinde ſubditorum tolerantia & humilitate facile effectum fuiſſet, ut Domini ultro ab inferendis injuriis abſtinerent. Illi vero opum, quas ſub miti imperio noſtro conquiſiverunt, affluentia in ſuperbiam & arrogantiam elati, in omnibus ferme rebus obſtinate nobis adverſati, tandem etiam conſpirationem coiverunt, & proculcata fide & juramento, quibus Principi ſuo obſtricti erant, rebellionem moverunt. Ex quo ſatis intelligitur, quo jure cauſa illorum nitatur, & quam improbato more turpem rem inceptaverint, & eo demeritatis proceſſerint, ut non ſolum genuinos Dominos ſuos profligare, ſed etiam Pontificis ac Cæſaris auctoritatem pedibus conculcare non erubeſcant. Quod vero tuæ Serenitatis opem & auxilium implorant, id magis ad prætendendum ſuæ cauſæ colorem, & tuæ Serenitatis detrimentum, quam ad publicæ utilitatis vel æquitatis rationem pertinet. Non enim defenſorem juſtæ cauſæ, ſed ſocium ſceleris quærunt, ut una ſecum auxiliatores ſuos in eandem calamitatem præcipitent. Æquius igitur erit, Serenitatem tuam vel prorſus iſthoc abſtinere negotio, vel noſtras fovere partes, ad ſubditos rebelles, jure victos & condemnatos, coercendos & deinceps in officio retinendos. Etenim ut Serenitas tua iſtos in tutelam vel fidem recipiat, ſalvo exiſtimationis honore fieri non poteſt, utpote cum pacem perpetuam anno 1436. nobiſcum conditam proprio & ſolenni juramento confirmaverit, & ducentis ſigillis conſignatam approbaverit, quam utique violare vel rumpere nec poteſt, nec debet. Sin, quod abominamur, præter expectationem noſtram aliud contigerit, profecto rem pernicioſi exempli committet, & eandem ſibi legem dicet, quod ſcilicet impune liceat ſuis etiam ſubditis deficere & ad nos tranſire. Quid commoditatis inde ad Serenitatem tuam perventurum, & quantus malorum cumulus ſubinde exoriturus ſit, prudenti facilis eſt conjectura. Neque in animum inducat, illorum acceſſione potentiam

tentiam regni ſui auctiorem fore: incerta eſt enim & multis periculis expoſita ejusmodi acceſſio, quæ per ſummam iniquitatem cum aliorum injuria comparatur. Nec eſt quod illorum pollicitationibus & promiſſis fides adhibeatur. Etenim uti jusjurandum Magiſtro præſtitum temere violarunt, ita eandem illorum perfidiam, quamprimum res ex ſententia non ſuccedent, tua Serenitas propediem experietur. Itaque ut rebellium, perfidorum, & extremæ fecis hominum cauſa pax jurata violetur, & belli diſcrimen incertum eligatur, res eſt matura deliberatione maxime digna. Facilius utique bellum eſt ordiri, quam ejus finem optatum invenire. Proinde quod Serenitatem tuam per ſe facturam ſperamus, idem amice monemus & rogamus, ne rebellium ſubditorum noſtrorum criminationibus fidem adhibeat, vel eos in malitia ſua obfirmet, aut contra nos juvet, nedum in tutelam vel poteſtatem ſuſcipiat.

Reſponſum eſt a Rege, ſe deliberaturum amplius, nec quidquam temere vel præcipitanter acturum. Interim tentabat, ſi quam concordiam æquis conditionibus inter Cruciferos & Pruſſos conciliare poſſet, qua cum Cruciferis in gratiam illi ſponte redire vellent. Verum cum Legati nihil horum admitterent, ſed dicerent, nullam ſibi eſſe cum Cruciferis tyrannis concordiam poſſe, idque ſibi jam per annos quatuordecim ſatis ſuperque deliberatum, & nunc quandoquidem alea jacta ſit denuo decretum eſſe, prius extrema quævis experiri: ac proinde a Rege contenderent, ne rem amplius differret, alioquin alios ſe Dominos & Patronos eſſe quæſituros, qui obviis, quod ajunt, ulnis tam luculentam conditionem amplexuri eſſent, tandem Rex atque Proceres Poloni, ne tam præclaram & inſperatam occaſionem recuperandi ea, quæ majores ſui olim amiſerant, vix unquam poſtea redituram, ſibi elabi paterentur, deditionem iis, quibus Pruſſi volebant, conditionibus accipiunt. Eam in rem publico diplomate literæ confectæ ſunt, quibus Pruſſorum juribus & libertatibus cavetur. Nimirum ut Pruſſi ad uſum & participationem omnium honorum, jurium, libertatum & prærogativarum, quibus Prælati, Barones, ac Nobiles Regni utuntur, præſertim in electione & coronatione novi Regis admitterentur: ut omnes & ſinguli Pruſſiæ incolæ in juribus, libertatibus, literis & munimentis conſervarentur, nec eæ unquam violarentur: ut omnes exactiones, telonea & vectigalia a Cruciferis conſtituta penitus abrogarentur: ut res naufragæ, quas antea Cruciferi ſumma cum injuria rapuerant, dominis reſtituerentur: ut dignitates, officia & adminiſtrationes publicæ in terris Pruſſiæ nulli extraneo, ſed ſaltem terrarum incolis & indigenis concederentur: ut omnes cauſas notabiles, quæ Pruſſiam concernunt, Rex cum conſilio Conſiliariorum Pruſſiæ tractaret, terminaret ac definiret: ut termini & limites Pruſſiæ recte conſervarentur: ut quilibet ſuis legibus ſuisque juribus uteretur, deque uno jure in aliud, ſine aliorum præjudicio, tranſeundi licentiam haberet: ut in civitatibus Torunenſi & Gedanenſi Regis nomine proba moneta cuderetur: ut abſente Rege Gubernator cum Conſiliariis terrarum rei ſummæ præeſſet: ut mercatoribus Pruſſiæ libertas eſſet cum mercibus ſuis in omnibus Regni Polonici provinciis commorandi, eas-

Rex fruſtra tentat compoſitionem.

Deditio Pruſſorum accepta.

que pro libitu ſuo diſponendi, & omnibus itineribus publicis extra regnum libere utendi. Conſignata ſunt hæc Cracoviæ die ſexta Martii anno MCCCCLIIII.

Cruciferorum bona in publicum redacta.

Theſaurarius Cruciferorum, ubi acceptam eſſe deditionem didicit, absque mora Cracovia diſcedens, in Sileſiam, indeque in Misniam & Saxoniam mercenarios milites conductum contendit. Fœderati autem eo comperto die ſeptima Martii conventu Elbingæ habito de rebus & bonis Cruciferorum undique in publicum conferendis edicta proponunt. Decernunt etiam, ut omne aurum & argentum, quod in templis captarum arcium fuiſſet, in ſcriptum redigeretur, atque inde moneta in ſtipendia militum conficeretur. Decretum item, ut reditus & proventus cujuscunque generis ex molendinis, agris, ſylvis, venationibus & piſcationibus, qui antehac a Cruciferis percipiebantur, a qualibet civitate in communem uſum aſſervarentur. Idem de ſuccini proventu conſtitutum. Juſſi etiam Gedanenſes in transmarinas regiones literas mittere ac proſpicere, ut naves & merces Cruciferorum integre in Pruſſiam reducerentur. Et hæc quidem ad rem nummariam procurandam pertinebant.

Gedanenſes ad Mariæburgum cæſi.

Supra dictum eſt de Gedanenſium militibus, qui Mariæburgum cis Nogatum fluvium obſidebant. Horum cum dimidia ferme pars ad obſidionem oppidi Chonicii, imprudenti certe conſilio, ſed ita poſtulante Caſimiro, miſſa fuiſſet, Mariæburgenſes & Cruciferi ipſis calendis Aprilibus oppido & arce egreſſi reliquos opprimunt, & cum illi, qui trans fluvium ſtativa habebant, ſuccurrere non poſſent, trecentos circiter interficiunt, cæteros loco pellunt fugantque, impedimentis omnibus, & inter ea quatuordecim machinis bellicis captis & ademptis. Alibi clades hæc multo major fuiſſe fingitur, quod ipſimet Gedanenſes in literis ſuis ad Ordines Pruſſiæ perſcriptis refellunt, in quibus ſaltem trecentorum militum jacturam commemorant, de machinis bellicis nullam faciunt mentionem. Gedanenſibus pulſis extemplo Ludovicus Magiſter edicit incolis inſulæ Marianæ, quam majorem vocant, ut res ſuas omnes in arcem Mariæburgenſem vehant, aggeres Iſtulæ diligenter circumſideant, & obſervent, ne qui milites fluvium tranſire poſſint, Gedanenſes autem omnes quoscunque in poteſtatem redigere queant, vinctos Mariæburgum mittant. Decreverant Gedanenſes poſt eam cladem majoribus copiis obſidionem repetere: verum quia a civibus, qui ex mercatu Lipſenſi redibant, certo nunciabatur, Germaniæ Promagiſtrum magnis equitum peditumque copiis per Marchiam novam bipartito in Pruſſiam contendere, & alterum agmen recta Gedanum ducere conſtituiſſe, mutato conſilio animum ad urbis munitionem adjiciunt, quo facilius hoſtilem impetum exciperent: ad cuſtodiam vero arcis Schlochovienſis, quæ in finibus eſt, militem mittunt, ducibus Conrado de Dalen & Joanne Pekaw Senatoribus.

Juramentum Regi præſtitum.

Eodem tempore Legati Regis in Pruſſiam venerunt, Andreas Epiſcopus Posnanienſis, & Joannes Coneſpolius Cancellarius, quibus Ordines

dines juramentum præſtiterunt in hæc verba conceptum: Spondemus libera voluntate, promittimus, & juramus, quod Sereniſſimum Principem Dominum Caſimirum & ejus Succeſſores Reges Poloniæ recepimus & recipimus in Dominum & hæredem terrarum Pruſſiæ, & ea omnia, quæ Cracoviæ inter ejus Serenitatem & Legatos terrarum Pruſſiæ acta ſunt, firmiter & inviolabiliter, omni fraude & dolo malo excluſo, ita uti acta ſunt, ſervabimus & adimplebimus, Cruciferis autem nullam unquam opem accommodabimus, nullam cum iisdem concordiæ vel pacis tractationem ſuſcipiemus, ſed prædictum Dominum Caſimirum & ejus Succeſſores, Reges Poloniæ, perpetuo, pro viribus, facto ipſo, manu, ope, auxilio, conſilio, juvabimus, & eisdem conſtanter adſiſtemus. Ita nos Deus juvet & ejus Sancti.

Rex venit in Pruſſiam.

Poſt hæc menſe Majo Rex ipſe venit in Pruſſiam magna & ſplendida Procerum comitante caterva, Toruniam primo, deinde Elbingam nona die Junii ingreſſus eſt. Gedanum enim, ubi peſtis nonnihil graſſabatur, hoc anno adire diſtulit. Elbingæ præſtitum fuit Regi juramentum a Proceribus, Nobilibus & oppidanis, qui per Legatos Regios nondum juramento fuerant obſtricti, ubi etiam tres Epiſcopi Joannes Marienaw Culmenſis, Caſpar Linck Riſemburgenſis ſive Pomezanienſis & Nicolaus Sambienſis, cum ſuo quisque ſacerdotum collegio in verba Regis jurarunt, abjectoque Regis permiſſu cultu Crucigerico, veterem habitum Divi Auguſtini regulam profitentium reſumpſerunt. Quos ſecuti ſunt Sacerdotes, Nobiles & Oppidani, Epiſcopatus Varmienſis. Nam illorum Epiſcopus, Franciſcus Kuhſchmalz, qui non poſtremus harum turbarum auctor fuerat, cum poſt reditum ex aula Cæſarea a ſubditis excluderetur, Vratislaviam ſeceſſerat, ubi vitam etiam cum morte paulo poſt commutavit. Elbingæ igitur, convocatis eo terrarum Pruſſiæ Conſiliariis & Ordinibus deliberatum fuit, de pecuniis in bellum jam cœptum conferendis, de rationibus, quibus præfectus Schlochovienſis ex oppido Choinicio, quod tenebat depelli, & Promagiſter Germaniæ, ne Pruſſiam cum copiis ingrederetur, arceri poſſet, demum de inſula majori occupanda & Mariæburgi obſidione continuanda. De conquirenda pecunia paulo poſt rationes initæ ſunt: hoſtis arcendi, quo minus Choiniciam prætergrederetur, curam in ſe Rex ſuſcepit, & mox non exiguas copias mercenariorum militum eo miſit. Inſulæ majoris occupandæ negotium Gedanenſibus & vicinis datum. In hoc conventu quatuor primum Palatini Pruſſiæ deſignati ſunt, Auguſtinus von der Scheibe Culmenſis, Stiborius von Bayſen Regiomontanus, Gabriel von Bayſen Elbingenſis, qui poſtea Mariæburgenſis nuncupatus & Joannes von der Jene Pomerelliæ: Joannes autem Bayſenius loco & vice Regis, Pruſſiæ Gubernator dictus. In eodem conventu Rex Gedanenſes ob ſingulare erga ſe ſtudium privilegio donavit, quo primariæ civitati concedit omnes fructus, reditus & proventus veteris & junioris civitatis, molendina, arcis aream, & alia quæcunque ad Cruciferos pertinuerant, Neringam inſulam cum propugnaculo ad portum Iſtulæ, cum omnibus pagis & prædiis, & inſulam Stublavianam cum villis omnibus, uti Cruciferi habuerant,

Quatuor Palatini.

Privilegia Gedanenſium.

rant, poſſederant, & villas pagosque verſus montana & in montanis ſitos, uti ipſius privilegii verbis omnia iſthæc ſpecialius deſcribuntur, quod editum eſt Elbingæ ipſo die Trinitatis anno 1454. Ex hoc conventu Rex Elbinga diſcedens Torunium reverſus eſt.

Inter rationes conquirendæ pecuniæ, de quibus in conventu Elbingenſi actum fuerat, illud etiam placuit, ut pecuniæ mutuæ ſumerentur, arcibus & civitatibus nonnullis oppigneratis, & ſiquidem exteri eſſent, quibus per privilegium eas poſſidere non liceret, idoneæ cautiones interponerentur, ne ea res ad privilegii præjudicium aliquando pertineret, quam neceſſitas belli nunc imponebat. Ac inter alios cives quidam Gedanenſes, Hermannus Stargart Præconſul, Theodoricus Oldenfelt, & Tidemannus Langenbeck, ex privatis fortunis ſex mille & quingentas marcas Reipublicæ mutuas dederunt, quibus hypothecæ loco diſtrictus Pucenſis cum officio piſcaturæ traditus eſt, ex quo reditus ac fructus perciperent, donec ea pecunia reſtitueretur.

Pucenſis diſtrictus oppigneratus.

Mariæburgum rurſus obſeſſum.

Menſis Junii die viceſima nona Gedanenſes copias ſuas, quæ ex quatuor millibus partim equitum, partim peditum conſtabant, quibus accedebant auxiliares Poloni & Bohemi, ſupra Derſoviam, Viſtulam trajecerunt, & die quarta Julii Mariæburgum, cis Nogatum fluvium denuo arctius obſidione cinxerunt, cum interim Poloni ultra fluvium progredientes Stumam obſiderent, quibus eodem tempore auxilia a Rege ſubmittebantur. Et hoc quidem modo Gedanenſes majorem Inſulam ſecundum in poteſtatem ſuam redegerunt, eamque in menſem usque Septembrem, nulla tamen re memorabili geſta, niſi quod commeatus ſubvectionem impedirent, uti ſuo loco dicetur, obtinuerunt.

Poſtulatur pecunia.

Poſtulabat tum a Gedanenſibus Rex Caſimirus, ut in ſubſidium ſtipendiorum, quæ militibus in obſidione Chonicenſi commorantibus debebantur, octo marcarum millia conferrent. Verum illi, cum in eos milites ex decreto conventus publico non modo jam antea ſedecim marcarum millia erogaſſent, ſed inſuper non ita pridem etiam ſex millia in annonam, ſupellectilem caſtrenſem, & rem veſtiariam illis impendiſſent, honeſte recuſabant. Cauſabantur magnam eſſe onerum inæqualitatem, cæteras civitates ſatis parce conferre, primores Nobilitatis, qui arces, oppida, territoria tenerent, pluris facere pecuniæ diſpendium, quam Reipublicæ neceſſitatem, omnem ferme belli molem, quæ toti Pruſſiæ incumbat, paucorum humeris imponi. Neque id injuria querebantur, nam alioquin præter publicas contributiones militem ſuum ſtipendiarium, & ad Conicium & ad Mariæburgum magnis quotidie ſumptibus alebant, ſic ut interdum mihi de ſtatu ejus temporis, & eo, qui nunc eſt, accuratius cogitanti, mirum videatur, quod eam belli gravitatem potuerint ſuſtinere, niſi illud æſtimandum ſit, illos pro retinenda libertate opes & fortunas omnes parvi pependiſſe. Monebant tum etiam Regem Gedanenſes de apparatu navali Daniæ Regis Chriſtierni & ejus fratris Gerardi, Comitis Oldenburgenſis, a quo direptionem civium & ſociorum maxime metuebant. Conveniebat quidem inter utrumque Regem, ut Legati in Holſatiam mitterentur, qui de rebus omnibus utrinque pacifice conſervandis actiones ſuſciperent, ſed quia Chriſtiernus non obſcure Cruciferis patrocinabatur, petebant a Caſimiro Gedanenſes, daret operam, ut iſtud periculum externum a Pruſſiæ finibus averteretur.

Conventus Grudentinus.

Menſis itaque Julii decima tertia, Rex Caſimirus conventum egit in Pruſſia Grudenti cum omnibus Ordinibus, cum quibus primum literas communicabat, a Magiſtro Cruciferorum ad Regem perſcriptas, quibus querebatur, Internuncios ac tabellarios ſuos intercipi, trucidari, ſuſpendi, ſuffocari: monebat itidem Regem, ut pacis perpetuæ & fidei ſemel datæ reminiſceretur, Pruſſia excederet, ſubditis Ordinis rebellibus nec opem nec auxilium ferret. Deinde recitabantur interceptæ literæ, quas Magiſter Mariæburgo ad Heinricum Plavenium, qui Chonicium tuebatur, perſcripſerat, quibus ſignificabat, Gedanenſes non ita pridem Inſulam majorem recepiſſe, & nunc Mariæburgum ab utroque latere denuo obſideri: nihilominus monebat, ut ipſemet cum præſidio in defenſione oppidi ſui conſtanter perſiſteret, ſpem eſſe, brevi ſe Gedanenſes inſula depulſurum.

Conſilium Pruſſiæ publicum.

Poſtea conſultatum fuit de conſtituendo Conſilio publico, quod Regis eſſet conſilium in Pruſſia, deque pecunia in ſtipendia militum, qui ad Mariæburgum & Chonicium erant, conficienda. Conſilium publicum placuit tam ex Prælatis & Primoribus terrarum, quam ex civitatibus conſtitui. Meminerant enim parentum ætate, cum Primores ac equeſtris Ordo & civitates pari dignitate paribusque votis & conjuncto conſilio Reipublicæ præfuiſſent, non ejus ſalutem modo conſervatam, ſingulorumque incolumitatem defenſam, ſed libertatem quoque publice partam: poſtquam autem civitates, Cruciferorum dolis & injuriis, conſultationibus publicis fuiſſent excluſæ, exinde Rempublicam peſſum iviſſe, & ſingulos tam dignitate quam libertate paulatim excidiſſe. Decretum igitur, ut in eo conſilio ſeptem eſſent vota Primorum, & ſeptem civitatum, ſic ut in univerſum totius conſilii quatuordecim eſſent ſententiæ, neque plures, quantumvis unius civitatis vicem plures obirent: Hi Conſiliarii Regis Terrarum Pruſſiæ nuncuparentur, iisque jus ac poteſtas eſſet, res & cauſas omnes, quæ Pruſſiam concernerent, inter ſe tractandi & diſcernendi.

Contributio publica.

Ad exſolvendum vero militibus ſtipendium, Boëmis præſertim ad equeſtrem militiam conductis, contributa fuit pecunia ab omnibus tam diſtrictibus quam civitatibus, certo nimirum ordine & pro modo facultatum cujusque, donec ad eam ſummam, quæ militibus ſtipendiariis debebatur, perveniretur. Inter majores quidem civitates, quæ facultatibus pollerent, ea fuit inita ratio, ut quoties Torunenſes, Elbingenſes & Brunſpergenſes ſinguli duo florenorum millia contribuerent, toties Regiomontani quatuor millia, Gedanenſes decem millia conferrent.

Atque

Atque hoc modo civitates territorii Culmenſis, ſi ſimplum digeras, contribuebant MMMMC: epiſcopatus Varmienſis MMMMDCCCL: Elbingenſis territorii MMDCCCCL: Pomerelliæ XIMCCCCLXX: Sambienſis XMDCX: Riſemburgenſis DL: Oſterodienſis DCL: Chriſtburgenſis CCL: Capitulum Culmenſe MM: Riſemburgenſe MMMM: Sambienſe MMM: Varmienſe MM: Gutſtadienſe CC: Nobiles ſecundum modum poſſeſſionum & agri jugerum cenſi fuere. Cæterum quoniam majores civitates in hoc bello majores operas facerent, majoremque pecuniam conferrent, quam cæteri ſocii, in compenſationem damnorum & ſumptuum concedebantur ipſis omnes proventus, cenſus, fructus & reditus bonorum terreſtrium, qui ad Regem ſpectabant, & quos ille jam antea primoribus & equeſtri ordini aſſignaverat, exceptis tamen iis bonis, quæ ad Gedanenſes ex peculiari privilegio pertinerent, excepto etiam diſtrictu Pucenſi, qui privatim oppigneratus erat, ea lege nimirum, ut præfectis arcium, oppidorum & diſtrictuum eorumque familiis victum honeſte præberent, ex reliquis omnibus proventibus quadrantem in compenſationem damnorum acciperent, dodrantem in ſtipendia militum, quoad bellum eſſet, erogarent, data etiam poteſtate, ut liceret in uſum belli proventus eos porro oppignerare vel hypothecæ dare, donec ſumptus omnes in iſtud bellum impenſi refarcirentur. Ac ita quidem tum ratio ſtipendiorum inita fuit, veruntamen non omnes ea diligentia & promptitudine, qua debebant, partes ſuas contulerunt, ſic ut ſubinde ad liberalitatem Gedanenſium in perſolvendis ſtipendiis confugeretur. Et maxima certe ſumptuum moles, præter virilem contributionem illis ferme incumbebat, ad quos tolerandos nec publice nec privatim facultatibus parcebant. Erat tum Gedani Nicolaus Poſter, qui ante defectionem præfectus arcis Gedanenſis fuerat, & orto bello in fidem Senatus, ut ſupra demonſtratum eſt, ſe contulerat. Is commotus eo rerum ſtatu, & quod ſingularem erga ſe Gedanenſium benevolentiam in rebus ſuis difficillimis expertus eſſet, ſuis etiam facultatibus civitatem ſublevare conſtituit. Itaque pecuniam omnem mille ducentarum quinquaginta marcarum, quam paratam habebat, ea conditione in ærarium contulit, ut quotannis illi centum marcæ in uſum victus ſui penderentur, quoad viveret & cum Gedanenſibus tuto commorari poſſet, ipſo mortuo, ſubſtantia ejus penes ærarium maneret. Acceperunt illi conditionem, ac ſpoponderunt, illum tuto & absque omni periculo in civitate commoraturum. At ſi forte Rex id a ſe non paſſurus eſſet impetrari, promiſerunt ſe pecuniam omnem reſtituturos, & eum in locum tutum vel Lubecam vel alio, quo vellet, traducturos. Quibus conditionibus Nicolaus apud Gedanenſes remanſit, hoc addito, ut ſi quis illum jure convenire vellet, penes ſolum Senatum in ſuam cauſam eſſet cognitio.

Nicolaus Poſter.

Stuma dedita Regi.

Hactenus Regis exercitus Stumam obſederat, nunc autem cum obſeſſi fame adeo laborarent, ut ex illis quinquaginta perirent, reliqui arcem Regi cum apparatu bellico dediderunt, vitam modo & res ſuas ſalvas pacti. Et horum quidem quinquaginta Mariæburgum ad ſuos ſe contulerunt, macie tabeque torridi, reliqui centum, in quibus erant quatuor

tuor Cruciferi, in caſtris Regiis manſerunt. Quo comperto, Cruciferi, qui Marienburgi erant, cum præſidiariis militibus ſuis, ira & dolore perciti in caſtra Regis, quæ trans Nogatum erant, erumpunt, & per horas aliquot animoſe præliantur, tandem coorta cruentiori pugna magna cum ſtrage in arcem compelluntur, ac longe major ea fuiſſet, niſi fugientes hoſtes pulvis texiſſet. Interim in altero latere Gedanenſes navem pice, reſina, ſulphure, & ejusmodi ignis alimentis plenam, ſuperne in pontem Mariæburgenſem ſecundo Nogato impulerunt, ut ponte deſtructo erumpendi facultatem hoſtibus præciderent. Et pons quidem incendio correptus, ſed magno tamen hoſtium conatu ſervatus eſt. Jam vero & ipſi inter ſe præſidiarii milites jurgio propter ſcortum concitato, intra arcem conflixerunt, ducemque ſuum interfecerunt.

Rex Chonicium obſidet.

Non ceſſabant interim Germaniæ Promagiſter, & cæteri, qui partium Ordinis erant, quin militem quanta poſſent celeritate paſſim conſcriberent, & in Pruſſiam ſuis ſubſidio adducerent. Menſis itaque Septembris initio octo millia peditum & equitum ductoribus Balthaſare & Rudolpho Saganenſium Ducibus, & Bernardo Sonnebergio Boëmo, per Marchiam novam Chonicium verſus contenderunt. Et Heinricus Plavenius jam pridem cum mille equitibus in oppidum receptus fuerat. Quibus cognitis Rex majores Polonos arma ſumere, & ad Chonicium ſibi præſto eſſe juſſit. Adfuere ferociores quam armatiores, ac diſciplinæ militaris expertes, per ſuorum agros non ſecus quam per hoſtiles, rapinis, incendiis, ſtupris ac ſacrilegiis debacchantes. Venientibus ad Cerequiciam altero a Chonicio milliari Rex cum duodecim millibus equitum occurrit, tumultuantesque ac de prærogativis & juribus intempeſtive flagitantes vix ſedavit, & in ſeptem turmas diſtribuit, inſtructosque Chonicium, quo hoſtes contendere nunciabantur, duxit. Suadebant nonnulli Proceres Regi, ne cum imperita illa & minime obſequenti multitudine hoſti pugnandi copiam faceret, ſed pateretur eum Chonicium ingredi, ibi eum facile quaſi retibus & caſſibus concludi, & commeatus inopia fameque ſine ſanguine cito expugnari poſſe. Brevi enim omnem ejus oppidi commeatum a tanta multitudine exhauſtum iri. Aut ſi tandem committere prælio rem vellet, quod majores Poloni poſcebant, vel præſidium in majori Polonia relictum, quod quinque millibus conſtabat, accerſeret, vel copias ab obſidione Mariæburgenſi revocaret. Cæterum aſſeverabant majores Poloni in ſe ſatis virium eſſe, usque adeo ut vel aurigarum ſuorum flagellis hoſtes in fugam actum iri jactarent. Quibus haud gravate Rex ceſſit, præſertim cum de paucitate hoſtium intellexiſſet.

Gedanenſes Mariæburgo diſcedunt.

Nihilominus cum exiſtimaret uno prælio debellari poſſe, Gedanenſibus ſcripſit, ut quatenus ipſis conſultum videretur majori inſula excedere, copias ſuas Mariæburgo revocarent, & ad ſeſe quam primum mitterent. Illi cum alioquin magnis ſumptibus ibi militem alerent, nec tamen operæ pretium facerent, quod inſula jam penitus exhauſta nec ſibi nec hoſtibus uſui eſſe poſſet, copias inde revocant. Quæ die decima

tertia menſis Septembris, cum jam dies ſeptuaginta ſeptem ibi hæſiſſent, veſperi caſtris deſertis agmine compoſito diſcedunt. Vix autem aggerem Viſtulæ prope trajectum Schonebergenſem attigerant, cum illos Cruciferorum milites alacriter inſecuti poſtremos cædere incipiunt. Gedanenſium milites cum de corio ſuo agi viderent, quantum poterant ita ſe inſtruunt, pauci adverſus multos, ut poſt ſe flumen & aggerem haberent, nec a tergo circumveniri poſſent. Cum maxime ab hoſtibus urgerentur, & ipſi tanquam in extremis pertinaciter ſe defenderent, in tempore præſto fuit auxilium. Gedanenſes enim ſuſpicati, id quod res erat, milites & cives navibus impoſitos eo ſubmiſerant, qui & præſidio eſſent, ſi res ita poſtularet, & illos reduces flumen traducerent. His in tempore advenientibus, Cruciferorum copiæ, ne novam pugnam inire cogerentur, paulatim retrocedunt, & compoſito agmine, ne quid fugæ ſimile diſceſſus haberet, in pacatum abeunt. Nec Gedanenſibus denuo illos inſequi placuit, cum ſcirent, eo ſe potiſſimum avocatos, ut Chonicium contenderent, quo ne ſatis mature venirent & pugnæ intereſſent. anguſtia temporis excluſi fuerunt.

Pugna ad Chonicium.

Die ſeptima decima menſis Septembris hoſtes propius ad Regis exercitum acceſſerunt, eo animo, ut ſi pugnæ ſibi copia fieret, rem fortunæ committerent. Forte autem ſpeculatores utriusque partis in ſe invicem inciderunt, commiſſoque prælio Poloni non incruenta victoria potiti ſunt. Poſtridie Rex, qui nec ipſe pugnam detrectabat, productis omnibus copiis acies inſtruxit, easque regendas atque ducendas Lucæ Gorcano Posnanienſi, Stanislao Oſtrorogo, Caliſſienſi, Nicolao Sarleio, Inowladislavienſi Palatinis, atque Dreslao Rithvianio, Caſtellano Roſperienſi, Nobilibus quidem illis hominibus & potentibus, verum in arte militari non magnum uſum habentibus, commiſit, cum id ultro ipſi ſibi depopoſciſſent, & ſuum id eſſe officium contenderent. Sub veſperum tandem hoſtiles acies apparuere. Abſceſſit Polonis prior illa alacritas & ferocitas conſpecto hoſte, cœperuntque trepidare ii, qui nunquam armatas acies conſpexerant. Duces Poloni ad iniquum locum & limoſum, ubi equi commode circumagi non poterant, inſtructum exercitum deduxere, & in confertos hoſtium ordines impetum fecere. Et favit quidem initio Polonis fortuna, turbati primi hoſtium ordines, Saganenſium Dux alter Rudolphus interfectus, Bernardus Sonnebergius vivus captus, qui tamen paulo poſt evaſit, cum is, qui eum ceperat, cæſus fuiſſet. Sed mox acrius connixi hoſtes, ſparſos & ſine ordine pugnantes Polonos repreſſerunt; ibi trepidari & concurſari temere a Polonis cœptum eſt. Interim Plavenius cum mille, quos diximus, equitibus ex oppido erumpit, & poſtremum agmen, in quo Rex erat, majori cum terrore quam periculo invadit. Itaque totum illud agmen, nulla evidenti cauſa expaveſactum, in fugam ſe conjecit, nequicquam retinente & revocante Rege. Quo conſpecto ii quoque, qui in prima acie pugnabant, fugientes ſuos ſecuti ſunt. Perſeverabat nihilominus Rex cum paucis inſtaurando pugnam, & niſi vi ab iis, quibus ejus cuſtodia mandata erat, abſtractus eſſet, vivus in hoſtium poteſtatem veniſſet. Sic hoſtes victoria

ria potiti, & fugientes pertinaciter inſecuti magnam ediderunt ſtragem, præſertim quod Poloni equites ex loco limoſo difficulter ſe expedirent. Nox tenebroſa inſequendi finem fecit. Inde Regis caſtra, in quibus ad quatuor millia curruum fuerunt, direpta, præda opulenta capta, quippe quod Poloni cum ſplendidis veſtibus, auro, argento, & rebus pretioſis, quas in itinere paſſim ex oppidis & templis congeſſerant, ad bellum proceſſiſſent. Hæc eſt illa nobilis pugna Chonicenſis, quæ etiamnum hodie Polonorum temeritate notatur. Quanta clades fuerit Prutenici annales vulgati variant. Qui quam maximam prodiderunt, utrinque circiter triginta millia cecidiſſe affirmant. Quod ſi verum eſt, nemo dubitare poſſit, quin Polonorum inſignis ſtrages fuerit. Sed vix credibile videtur intra tam paucas horas tantum ſanguinis fuſum fuiſſe, præſertim quod Poloni, quo maturius fugam inierunt, eo minus cædis ſenſerunt. Cæteri ferme conſentiunt, tria millia Polonorum eo prælio cæſa. Cromerus ſuo more ſuæ gentis cladem adeo extenuat, ut non tam gravem quam ignominioſam Polonis eam fuiſſe, & vix ſexaginta deſideratos ſcribat (tot etiam ex Ordinis exercitu deſideratos aliqui prodiderunt) Inter præcipuos periit etiam Petrus Sciecocimus Procancellarius, quocum ſigillum quoque Regium fuit amiſſum. Ex Polonis capti fuerunt Lucas Gorcanus, Nicolaus Sarleius & Joannes von der Jene Palatinus Pomerelliæ, & alii circiter trecenti triginta, qui Mariæburgum deducti ac durius habiti plerique in carceribus perierunt. Mortuos ne ſepultura quidem Cruciferi dignati ſunt, ſed equis extractos in profluentem abjecere.

Poſt eam pugnam Rex Nieſſoviam ſupra Torunium ſitam cum reliquiis exercitus conceſſit, accerſitis etiam iis copiis, quæ Mariæburgum obſederant. Huc ad Regem Legati venerunt a majoribus Pruſſiæ civitatibus miſſi, qui hortabantur, ne uno illo adverſo caſu frangeretur, neve animum deſponderet, eam eſſe belli viciſſitudinem tam victoribus quam victis communem. Neque tantam eſſe factam jacturam, ut Cruciferi propterea totam Pruſſiam uno ſe prælio fregiſſe exiſtimare debeant. Si quid nunc in pugnando temeritate vel imperitia peccatum ſit, alia vice id poſſe corrigi, etiam virum fugientem denuo pugnare ſolere. Se fidem ſemel datam nunquam mutaturos, & facultatibus atque corporibus ſuis ipſi ad extremum usque non defuturos. Rex collaudatis eis reſpondit, irritatum ſe magis eſſe clade illa quam fractum, curaturum autem ne lætitia illa hoſtibus diuturna eſſet. Paſſim enim Cruciferi literis & nunciis eam victoriam in Germania ſparſerant, & in tantum amplificarant, ut penitus jam debellatum eſſe vulgo crederetur. Sed non fuit hoc cum ipſorum commodo poſtea conjunctum. Principes enim Germaniæ ſegniores exinde facti ſunt ad ſubmittenda auxilia, cum plerique crederent, tam illuſtri victoria totam jam Pruſſiam eſſe recuperatam. Nunciis etiam & literis ad civitates Pruſſiæ miſſis, venia & impunitate propoſita, ac libertatibus & privilegiis magnifice promiſſis eas, ut ad ſe redirent, ſollicitabant. Inter cæteros Remſel de Brixen cum magna ſui nominis infamia Stumam fidei ſuæ commiſſam, & tanto labore

Legati civitatum ad Regem.

Civitates ad Ordinem ac deficientes.

ac ſumptu antea acquiſitam, nulla vi coactus, ſed ut credi poteſt, ſaltem acceptæ cladis terrore perculſus Cruciferis ſponte tradidit. Sic Pruſſimarcum a Georgio vom Berge, cive Brunſpergenſi nefarie proditum. Eodem modo Oſterroda, Salveldum, Ilavia, quam Germanicam nuncupant, Novimarcum, Mariæ inſula, Riſemburgum, arx Schonbergenſis, Epiſcopi inſula, & Leſſum Oppida, nulla vi urgente in Cruciferorum poteſtatem redierunt. Sic enim homines fortunam plerumque ſequuntur. Inter cæteros etiam Epiſcopus Sambienſis ad Cruciferos rurſum defecit. Atque is porro perbenigne ſcilicet ab eis acceptus eſt. Mariæburgum enim venientem cunctis facultatibus, privatis pariter & Eccleſiaſticis, quas ſecum apportarat, Magiſter exuit, inde vero & ex imaginibus, aliaque ſuppellectili ſacra aurea & argentea undique comportata & conflata, exiguam quandam partem emeriti ſtipendii militibus cum jurgio ac tumultu efflagitantibus ſolvit.

Derſavia deditur.

Die viceſima prima menſis Septembris, quæ Divo Matthæo Apoſtolo ſacra erat, Cruciferorum milites Chonicio profecti Derſaviam circumſident & oppugnant. Gedanenſium milites in oppidi præſidio erant, idque per continuum octiduum fortiſſime propugnabant. Sed cum pulvis & alia ad defenſionem neceſſaria deficerent, cives etiam de conſervando oppido dubitarent, & præſidiarii in civium ulteriori conſtantia parum ſpei reliquum viderent, deditio facta eſt, ſic ut milites Gedanenſium cum rebus & armis ſuis ſalvi dimitterentur, & oppidum in Cruciferorum poteſtatem concederet. Hoc exemplum ſecuta Mewa biduo poſt ad Cruciferorum auctoritatem rediit.

Mewa deditur.

Gedanenſium res pecuniaria.

Gedanenſes interim rebus ita ſtantibus cum obſidionem ſibi certo expectandam viderent, conſilium cum civibus ſuis ineunt de re pecuniaria in uſum civitatis, ſi obſidio ingrueret, conſtituenda, præſertim quod alioquin publico bello facultates cum publicæ tum privatæ vehementer acciderentur. Conſtitutum igitur, quid de ſingulis navibus & mercibus juxta earum pretium & valorem, præter portorium uſitatum penderetur, quid de vino, mulſo, & omnis generis cereviſia, quid denique ex privatis ſuis facultatibus quisque in publicum quotannis conferret, quam diu Reipublicæ rationes id deſiderarent. Et hoc maxime remedio illi difficultatem totius ejus belli ſublevarunt.

Rodanus præciſus.

Tertia die menſis Octobris milites Ordinis mercenarii Dirſavia ad Pruſtenſem usque pagum uno milliario ab urbe diſtantem celeriter progreſſi, cum nihil aliud facere poſſent, caſtellum, in quod Rodanus rivus excipitur, conciderunt, ſic ut Gedanenſes integrum quatriduum ea aqua egre caruerint, priusquam in alveum ſuum opera civium redigeretur. Qui rem tam fortem auſi fuerant, curriculo ad ſuos repedarunt, metuentes ſcilicet ne deprehenſi pro merito tractarentur.

Ager vaſtatus.

Die deinceps ſeptima Novembris (interim enim omnia fuerunt pacata) hoſtes copiis omnibus Derſavia eductis, omnem agrum Gedanenſem

nenſem usque ad urbem vaſtarunt, vicinis villis & prædiis incenſis. Ægre cives retineri poterant, quin eruptione facta prædones invaderent, ſed quia metus erat, ne majores copiæ in inſidiis eſſent, neque conſultum videbatur eo tempore præſidio urbem nudare, in præſenti placuit dolorem occultare potius, quam rem in majus aliquod diſcrimen committere. Sed & hoſtes, quia rumor erat Regem cum exercitu rurſus adventare, celerius in tutum dilapſi ſunt, quam ut ex urbe potuerint cohiberi.

Rex in Pruſſiam redit.

Rex eodem menſe Novembri in Pruſſiam rediit cum ſexaginta millibus equitum, quorum opera decreverat ignominiam Chonicii acceptam egregio aliquo facinore abolere. Culmenſem agrum primo ingreſſus paulo poſt Epiſcopi inſulam & Riſemburgum recepit, deinde copias omnes ad Leſſum admovit, ubi in præſidio erant octingenti ſtipendiarii & complures Cruciferi cum ſelecta equitum manu, quapropter Rex ab oppugnatione tantiſper abſtinuit. Erant tum in caſtris Regiis Legati Gedanenſium Hermannus Stargart Conſul & Andreas Eler Senator, quorum conſilio Rex in rebus Pruſſicis maxime utebatur, eamque ob cauſam illos ſibi Pruſſiam ingredienti præſto eſſe juſſerat. Hi de rebus præſentibus ad Senatum Gedanenſem in hanc ſententiam perſcripſerunt: Literæ Legatorum ex caſtris.

Venimus ad Regem in caſtra ad Leſſum (aliis Leſſinum) quod oppidum inter Grudentum & Riſeburgum Oſſæ fluvio adjacet. Copias Rex ſecum habet ingentes, & præcipuos Magnatum ex Polonia, Ruſſia, Litvania, Bohemia & Sileſia, ac conſtituiſſe penes animum dicitur, ſeſe ex Pruſſia non receſſurum, priusquam rem omnem ex ſententia confecerit, adeo clades Chonicenſis mentem ejus pupugit. Itaque falſum iſtum eſſe rumorem ſcitote, qui de ejus morte ſparſus fuerat. Vehementer omnino fuit erratum ab iis, qui talia tam temere in vulgus emiſerunt. Enimvero ille ipſus eſt idem, qui abhinc anno fuerat, vivit, valetque, nec quisquam amplius de ejus vita dubitat. Bohemi mercenarii Stargartenſes & Neoburgenſes comitati ſunt nos Grudentum usque, nam hoſtes, qui Mevam obtinent, per triduum inſidias nobis locaverant, ut nos interciperent. Sed bene ſe res habet, quod Dei auxilio & fortium virorum opera ſalvi & incolumes huc pervenimus: illi vero mercenarii ſtipendiorum ſolutionem urgent. Retulimus ad Regem & Conſiliarios nos jam antea octoginta marcarum millia in milites ad Chonicium erogaſſe, itaque monendos eſſe cæteros, ut his ſatisfaciant, & civitatem Gedanenſem hoc onere liberent. Poſtulatum quidem eſt a nobis, ut adhuc viginti florenorum millia in hujus militis ſtipendium largiremur, quibus expeditis poſſe Boëmos plane dimitti, & ſupervacaneos ſumptus evitari. Quia vero mandatum hanc in rem non habemus, penes cives erit conſtituere, quid amplius facere poſſint aut velint. Milites quidem haud obſcure præ ſe ferunt, ſe ſtipendiorum ſolutionem exacturos, quo jure, qua injuria, a quocunque melius & commodius exigere poterint. Quod de Duce Pomeraniæ ſcribitis, qui Butoviam & Leoburgum ſuæ fidei committi a vobis poſtulat, id ad Regem retulimus. Non abnuit ille, ut tantiſper Principi tradantur, quamdiu & Regi & vobis

bis ex uſu Reipublicæ videbitur: utque eam in rem Princeps diplomate publico recte caveat, ſe vobis eam arcem eaque oppida ita ſarta tecta, in eoque ſtatu, quo nunc ſunt, quandocunque repetiveritis reſtituturum. Et ſic quidem utrumque poſſidebit, & inde fructus & reditus percipiet, ut utrumque ab hoſtibus ſuo marte defendat & tueatur. Nuper hic per exploratorem fide dignum Regi & Conſiliariis nunciatum eſt, quod Cruciferi Mariæburgenſes decreverint Gedanum ex improviſo invadere, id quod percommode accidit noſtro negocio diruendæ junioris civitatis, de quo pridie cum Rege locuti fueramus. Ac Regem profecto & Conſiliarios omnes iſte nuncius non parum perturbabat, ſic ut plerique dicerent, minus damnum eſſe tolerabilius. Itaque Rex ſtatim juſſit ea de re literas conſcribere, quarum dignam habebitis rationem. Pridie petitioni noſtræ minime aſſentire volebat, quoniam enim ſancte recepiſſet, ſe ſingulorum jura, libertates & facultates conſervaturum, contra datam fidem ei videbatur incolis ſuburbanis immerito calamitatem eam inferri. Nunc ſecum reputat in maximo diſcrimine totam urbem conſtitutum iri, ſi hoſtes in tectis ſuburbanis receptaculum tam expeditum habituri eſſent. Ita mehercule niſi oportune nuncius iſte ſuperveniſſet, nunquam rem ex ſententia confeciſſemus. Facite igitur, uti voletis, & uti maxime ex re veſtra videbitur. Regis exercitus ipſa die Dominica ante feſtum circumciſionis Domini Inſulam Epiſcopi cepit, ubi nonnulli Cruciferorum Primores partim cæſi partim capti ſunt. Leſſum hac ſeptimana ſummis viribus oppugnabitur. Scriptum in Caſtris ad Leſſum die XXX. Decembris anno MCCCCLIIII.

An. 1455. Butovia & Leoburgum Erico tradita.

Initio anni ſequentis Senatus Gedanenſis cum conſenſu Regis Caſimiri, Erico Pomeraniæ Duci, qui Rex Daniæ, Norvegiæ & Sueciæ antea fuerat, ſed tum iisdem regnis ejectus in patriam redierat, Butoviam & Leoburgum in manum & fidem tradidit. Ipſe viciſſim Senatui literis in hanc ſententiam ſcriptis publice cavit: Se in fidelem cuſtodiam & manum tradita accepiſſe, arcem Butoviam cum oppido, & Leoburgum oppidum cum attinentibus agris, villis & cæteris eo ſpectantibus, a ſpectabili Senatu Gedanenſi, ex mandato Sereniſſimi Regis Poloniæ Caſimiri, ea lege, ut in hoc bello eidem Regi operam fidelem navet, & auxilium ferat, pro ſummis viribus ac facultatibus ſuis, ac proinde ejusdem arcis & oppidorum proventus & fructus percipiat (tribus ſaltem pagis & molendino exceptis, qui ad cives Leoburgenſes pertinebant) tam diu quam diu Regis & Senatus Gedanenſis voluntate & placito futurum ſit: Ac proinde ſpondet pro ſe & Succeſſoribus ſuis, bona fide, ſub honore boni Principis, ſe arcem & oppida iſta quandocunque a Rege vel Senatu repetia fuerint, absque mora, exceptione, & diffugio, æque integra, ſalva & incorrupta, cum omnibus attinentibus, atque ipſe in fidem & manum acceperat, probe reſtituturum. Quod ipſum ejus literæ ſuſius teſtantur, quæ ſcriptæ ſunt anno 1455. feria ſexta ante diem Epiphaniæ.

Junior civitas diruta.

Quod antea Legati Gedanenſes ex caſtris ſcripſerant de juniori oppido diruendo, id nunc Senatui maxime cordi erat, cum propter metum

metum belli, ne hoſtis ibi receptum haberet, tum quod magno civium incommodo ibidem habitabatur. Conſtructum enim id erat a Cruciferis in damnum & detrimentum Gedanenſium, & præſertim mechanicorum. Nam in eo recipiebantur omnis generis homines, omniumque nationum, quæ alias jure civili excludebantur, iis ibi dabantur a Cruciferis peculiaria ſua jura, ſuæque libertates. Quinimo peculiarem ibi Senatum, peculiaria judicia fuiſſe legimus. Quare non mediocriter ſtatus primariæ civitatis labefactabatur. Et omnino tale quiddam erat, quale hodie eſt vicus Scotorum ante urbem in ditione Epiſcopi Vladislavienſis, ubi contra juris civilis ordinem & publicas libertates ac conſtitutiones mercatura exercetur, & omnis generis opifices operas faciunt, cum maximo civium plurimorum detrimento. Rex quidem aſſenſum præbuerat, ut tam dubio rerum ſtatu complanaretur, per literas etiam Senatui junioris ejus civitatis mandaverat, ut ſolum veterent, domicilium & familiam in primariam aut veterem civitatem transferrent. Id illi facere primo detrectabant, & inter cæteros maxime reſiſtebant huic inſtituto ambo Conſules, Nicolaus Heilant & Simon Seburg, & ærarii illorum præfectus Heinricus Knobloch, qui miſſis ad Regem ex ſuo Ordine Legatis importune admodum inſtabant, & cum exprobratione jurisjurandi Regii flagitabant, ut ſe civesque ſuos una cum oppido vellet eſſe ſalvos, ſic ut intempeſtivis illorum precibus tandem Rex aſſentiretur, & literas pro oppidi ejus incolumitate ad Senatum primariæ civitatis perferendas indulgeret. Verum Gedanenſium Legati, qui tum in caſtris erant, denuo die duodecima Januarii ſcriptis literis monebant Senatum, ut ſerio rem agerent, neque literis Regiis, quas illi eſſent allaturi, moverentur: Regem, uti eſſet ingenio clementi, non potuiſſe alio modo importunis illorum precibus ſatisfacere, quam ut ſalvum oppidum etiam invitus promitteret. Itaque pergerent, & omni poſtpoſita mora impigre demolirentur. His permoti Gedanenſes die quartadecima Januarii demolitionem adoriuntur. Monachis albis, qui ædem ibi habebant, locus alius datus in veteri civitate, ubi aliud ſibi monaſterium conſtruerent, cives alii alio translati. Senatus oppidanus nihilominus demolitioni vehementer obſtabat, donec tandem die viceſima ejusdem menſis Regis literæ denuo ſupervenirent, quibus ſerio mandabat, ut oppidum iſtud quoquo modo ſolo æquaretur. Certo enim ſibi exploratum eſſe, Ordinis Magiſtrum id in conſilio ſecretiori decreviſſe, ut omnibus copiis majores civitates obſiderentur, ſuburbia vel receptui ſuis eſſent, vel igne injecto, his crematis incendium ad civitatum interiora perveniret. Hoc illi mandato permoti, priusquam ignis ad id paratus tectis immitteretur, pro ſe quisque ædes ſuas deponebant. Si qui pertinacius adhuc recuſarent, illorum domiciliis ignis injectus plurima devaſtavit. Literæ & libri publici in curiam primariæ civitatis translati. Hoc oppidum ideo junioris civitatis nomen meruit, quod ultimo loco poſt veterem & primariam civitatem a Cruciferis conſtructum fuerat, in utriusque præjudicium & detrimentum, quas cum illi creſcere pati nequirent, hac quaſi ſuam coloniam ex omnis generis hominum fece deduxerunt. Atque hi incolæ patronos & conditores ſuos Cruciferos præ cæteris venerabantur,

tur, ſic ut iſthoc bello parum illis fidei haberetur, & ſubinde Gedanenſes proditionem ſibi pernicioſam ex eo loco metuerent, eoque magis demolitionem urgerent. Habitabatur iſtud oppidum mille quadringentis domibus, ſacras ædes habebat Divi Georgii, Divæ Mariæ, monaſterium album, & conventus aliquot monialium, Curiam quoque publicam multis cellis concameratam, ubi in primariæ civitatis invidiam Angli divertebant, & pannos ſuos venales exponebant. Sed hæc ædificia omnia complanata fuerunt. Solum templum Divi Michaëlis integrum manſit, quod hodie Xenodochium eſt extra urbem, omnium Dei angelorum nomine vulgo nuncupatum.

Legatio Magiſtri ad Regem.

Circa idem tempus Ludovicus Magiſter Legatos ad Regem in caſtra miſit, Commandatorem magnum, & Theſaurarium Ordinis, cum nonnullis aliis primoribus, quibus adjuncti erant Doctor N. Blumenaw & Bartholomæus Blume Conſul Mariæburgenſis, qui poſt ob proditionem quadrifariam fuit diſſectus. Hi multis verbis odioſe admodum exaggerabant, qua ratione ordo equeſtris & civitates Pruſſiæ ſuperioribus annis, auctoritate propria, pro ſuo libitu, conſpirationem quandam iniviſſent, quam ſummus Pontifex annullaverit, Cæſar decreto abrogaverit. Cujus prætextu Dominorum ſuorum arces occupaſſent, diripuiſſent, ſolo æquaſſent. Illud vero præter omnem Cruciferorum expectationem accidiſſe dicebant, quod Rex eorum tutelam ſuſcepiſſet, eosque in cauſa omnium iniquiſſima defenderet; repetitis quam plurimis calumniis & convitiis, quæ jam antea coram Cæſare adverſus fœderatos propoſuerant. Exitus orationis erat, Magiſtrum & Cruciferos orare ac petere, ut Rex occupatas arces & oppida ipſis reſtitueret, Pruſſia decederet, rebellibus ipſorum ſubditis opem & auxilium denegaret. Ad ea Conſiliarii Pruſſiæ & civitatum Legati, qui tum in caſtris erant, reſponſum ſcripto comprehenſum exhibuerunt, quod etiamnum verbotenus extat, ex quo facile conjicere licet, quæ fuerint hujus legationis capita, nam ea in actis publicis integra non extant, reſponſum autem in hanc ſententiam perſcriptum eſt.

Pruſſi ad eam Legationem reſpondent.

Sereniſſime Rex, Domine Clementiſſime. Quod inprimis de conſpiratione Ordinum Pruſſiæ Legati proferunt, ita ſe res habet: Superioribus annis cum adhuc eſſemus in poteſtate Cruciferorum, animadvertentes, quibus ſubinde injuriis & calamitatibus afficeremur, prout cauſæ rerum illarum coram Cæſare fuſius explicatæ ſunt, quomodo impotentes iſti Domini ſeu tyranni potius, conſanguineos, fratres & parentes noſtros ad convivium invitatos immaniter trucidarent, alios indicta cauſa nullo juris ordine interficerent, alios bonis & facultatibus ſpoliarent, alios ut uxoribus & liberis eorum pro libidine potirentur aquis ſuffocarent, uxores & liberos nefarie conſtuprarent, quæ omnia ſingulatim coram Cæſare demonſtrare voluimus, ſed ibi jus noſtrum obtinere non potuimus, neceſſario coacti fuimus de remedio ad propulſandas tam enormes injurias, ad necem & exitium a cervicibus & fortunis noſtris avertendum, animum adjicere. Præter cæteras cauſas ineundi pii & honeſti

honeſti fœderis, duas tantum in præſenti recenſebimus. Quarum una hæc erat, quod poſtquam Cruciferi cum regno Poloniæ pacem perpetuam contraxiſſent, quam Ordines & civitates Pruſſiæ anno 1422. ſubſignarunt, & eam ſe firmiter obſervaturos ſpoponderunt, Cruciferi nihilominus ea pace rupta nono poſt anno cum Suitrigellone Litvano conſpirarunt, & nos per vim adegerunt, ut fide fracta auxilium Suitrigelloni contra Polonos ferremus, quo bello permultum damni agris & pagis in Cujavia illatum eſt, multa templa & monaſteria direpta & everſa, atque ea omnia nobis invitis adverſa etiam conſcientia perpetrabantur. Eodem modo cogere nos volebant per Marchionem Joannem, ut poſtremam quoque pacem rumperemus, in quo parere illis conſtanter detrectavimus, & cum majorem vim adhibituri viderentur, ad fœdus coëundum tandem deſcendimus. Altera cauſa eſt, quod cum Magiſter & primores Cruciferorum inter ſe, & nonnulli conventus adverſos ipſos diſſiderent, atque adeo capitales inimicitias exercerent, unde apertum imminebat toti Pruſſiæ & nobis omnibus exitium, præſertim quod Cruciferi ſuo libitu Magiſtrum loco moverent, nos fœdere facto etiam rogatu illorum interceſſimus, & id tandem conſecimus, ut bona utrinque gratia res componeretur, nec ad arma inteſtina, quod prope erat, deveniretur. Atque tum Magiſter Paulus Rusdorffienſis fœderatis literas dedit, ſuo & triginta novem primorum ſigillis obſignatas, inter quæ hujus etiam Magiſtri Ludovici ſigillum appenſum eſt, quibus cavetur fœderatis, ne quis illis ejus fœderis cauſa incommodum vel injuriam inferret. Quod Cruciferi adeo non præſtiterunt, ut nos etiam apud Pontificem, Cæſarem, Electores, & heri tandem apud Majeſtatem tuam odioſe perſtrinxerint, & cum ſumma infamia noſtra, falſo tamen, in crimen nos vocaverint. Cum igitur fœdus iſtud ſciente & conſentiente Magiſtro & primoribus initum ſit, cumque etiam Cæſar faciendi fœderis jus nobis indulſerit, non eſt quod fingant privata auctoritate quidquam hujus factum eſſe. Atqui color prætenſus eſt (inquiunt) quaſi fœdus iſtud ad Dei laudem, ad Principis incolumitatem, ad omnium omnino commodum & ſalutem inventum eſſet. Recte & merito. Nam quod ad injuriam & vim injuſtam repellandam inſtituitur, id utique communi omnium fit commodo. Neque ipſi negare poſſunt, auctoritate hujus fœderis & Magiſtrum in dignitate & imperio conſervatum & ipſosmet a mutuis cædibus ad concordiam revocatos. Quod ajunt, fœdus juri divino, naturali & ſcripto adverſari, vetus eſt illorum calumnia, centies jam refutata. Quod enim contra vim injuſtam comparatum eſt, id omnes leges omnia jura probant ac permittunt. Siquidem fœderatis hoc unice propoſitum fuit, ut ſi Magiſter vel Cruciferi exiſtimarent, cauſam ſibi quampiam adverſus quemvis competere, jure, non vi, agerent. Ad bullas Pontificias quod attinet, eæ nullo juris nituntur fundamento, cum eam ob rem fœderati Romam non fuerint evocati, nec quisquam ibi litem moverit, nec ignotum ſit quibus artibus ejusmodi bullæ ſoleant impetrari. Legato certe Pontificio, quem ad abrogandum fœdus miſſum dicunt, res omnis accurate fuit expoſita, & longe ſatius fuiſſet, ſi Cruciferi iis rationibus acquieviſſent. Quod porro dicitur fœdus decreto Cæſaris abrogatum

eſſe, cum temperamento quodam accipiendum eſt. Nam poſt latam ſententiam, priusquam ea in ſcriptum redigeretur, & ſub ſigillo ederetur, Cæſar aliam ſententiam dixit, & fœdus æque, ut antea, confirmavit. Et cum unus Electorum priori confirmationi ſigillum Cæſaris detrahere vellet: Abſit (inquit Cæſar) ut literæ noſtræ fiant irritæ, quin potius in robore & vigore eas conſervare volumus. Atque in eo confirmationis diplomate diſertis verbis perſcriptum eſt, ſi quod fœdus feciſſemus, vel in poſterum facturi eſſemus, quotiescunque vellemus, id jus fasque nobis eſſe. Quod autem objicitur, nos ex tribus bonis tria mala confinxiſſe, nimirum mulctæ nomine ſexcenta millia florenorum nobis luenda, in pœnam bullæ Carolinæ pro mancipiis ære emptis nos habendos, pro impenſis & injuriis trecentos ex nobis capitibus mulctandos: id enim merum eſſe figmentum, quo & plebem & militarem ordinem ſeduceremus, & in partes noſtras pertraheremus. Vere quidem affirmare poſſumus, nullum id figmentum, ſed rem ipſam, quam Cruciferi a Cæſare tantopere petiverint, flagitaverint, & eorum procurator in cauſæ concluſione vehementer urſerit, ac illud etiam adjecerit, nos ferro ſubactos, & majori ſervitio, quam mancipia ære empta, Cruciferis obnoxios eſſe. Palam etiam dixit Plavenius: ſiquidem illi nobis iterum ferro ſubigendi ſunt, rei conficiendæ rationes nobis etiamnum tentandæ erunt, quodſi ſaltem eorum trecenti capite luiſſent, facile cum cæteris tranſigeremus. In actione ſua illud etiam proferebant, nos beneficia & facultates commiſiſſe, vitam vero noſtram ipſorum gratiæ ſubmittendam. Itaque quicquid hujus diximus, rem ipſam & veritatem diximus, & id verum eſſe nunc etiam profitemur. Quod autem ipſi de Plavenio militem in Pruſſiam adducente proferunt, quaſi nos eam ob rem Magiſtrum per nuncios adiiſſemus rogatum, ne militem adduceret, ſed ita, uti profectus erat, reverteretur, id merum figmentum eſt. Quod item objicitur, nos anno ſuperiori fidem, obedientiam, & jusjurandum Magiſtro renunciaſſe, quod utique in poteſtate noſtra non fuerit, eamque in rem tale affertur exemplum: Si quis alteri quid debeat, non ſatis eſſe quod dicat, liberavi me, nihil tibi debeo, id parum ad rem facit. Etenim non indiſtincte Magiſtro juravimus, ſed hac lege, quatenus ipſemet promiſſum ſervaret, nos etiam juramento noſtro futuros obnoxios. Atqui cum ille prior juramentum violaverit, jam amplius fidei ejus obſtricti non ſumus, quin potius ipſemet ſuo facto a juramento, obedientia & omni debito nos relevavit. Tandem quod proponitur, multas viduas, multosque orphanos factos, multos homines pauperes & egenos frigore & fame periiſſe: id rectius acceptum ferrent Epiſcopo Varmienſi & Plavenio, cum aliis quibusdam deſertoribus, quorum literas & ſigilla adhuc pro documentis habemus, qui tantarum calamitatum clam & palam auctores extiterunt, cujus impietatis ſummo Judici graviſſimas aliquando rationes reddent, neque pœnam divinam evitabunt. Cæterum quoniam Magiſter in legationibus ſuis Majeſtatem tuam perſæpe plantatorem, auctorem, & patronum Ordinis ſui nuncupat, eo ipſo ſponte fatetur, Majeſtatem tuam & Anteceſſores Reges, Dominos fuiſſe noſtros, uti nunc etiam Majeſtatis tuæ dominium agnoſcimus, ac ideo haud injuria eo

eo revertiſſe, ubi fueramus antea, ac nos Majeſtati tuæ ſubjeciſſe & inclyto Poloniæ regno adjunxiſſe, ad quod dudum pertinebamus & iterum pertinemus, cum quo perpetuo deinceps vivi mortuique permanebimus.

Rex ad poſtulata Legatorum hoc ſolum reſpondit, ſe ex Conſiliariis ſuis & ex Ordine Equeſtri terrarum Pruſſiæ nonnullos delecturum, qui cum Legatis de rei ſumma tractarent. Id illi aſpernati, non ſibi integrum eſſe dicebant, ulli hominum alii, quam Pontifici, Cæſari, Regi Ungariæ ac Bohemiæ negocium illud vel tractandum vel cognoſcendum committere. Ordines autem Pruſſiæ uti ſemel Poloniæ Regi ſe dedidiſſent, ita nullum alium vel Dominum vel judicem agnoſcebant. De rebus cæteris, ut amplius ageretur, ſibi non diſplicere ſignificabant, ea lege, ut interim induciæ conſtituerentur, & quilibet arces & oppida uti nunc haberet, in poteſtate retineret. Legati vero non aliter actionem ſuſcipi volebant, quam ut Rex Pruſſia decederet, & reliqua cognitioni ſubjiceret. Cum utrumque Rex abnueret, Legati re infecta ad Magiſtrum redierunt. Regis ſententia.

Die quartadecima Januarii Rex Caſimirus propter hyemis aſperitatem & commeatus difficultatem ab obſidione Leſſenſi diſceſſit, & in Poloniam reverſus eſt, relictis in Pruſſia circiter ſex millibus militum, ac arcibus & oppidis, quantum cuique opus erat, firmatis. In terra Culmenſi belli Ducem conſtituit Andream Tenzinium, in Pomerellia Petrum Samotulium, Caſtellanum Posnanienſem, & in Pruſſia inferiori Joannem Coldam Boëmum. Miſit etiam in Litvaniam & Ruſſiam proceres quosdam, qui illos ad belli ſocietatem & auxilium pecuniarium adhortarentur. Per totam vero Poloniam tributum jugerale (duodecim groſſi de ſingulis manſis) Regi ſubminiſtratum. Rex diſcedens Pruſſis iterum ſancte promiſit, ſeſe ipſos minime deſerturum, ſed ad extremum, quatenus omnes ejus facultates ferrent, defenſurum. Rex Leſſo diſcedit.

Quamprimum Rex Leſſo deceſſerat, Ludovicus ipſe ac Promagiſter Germaniæ cum nonnullis aliis Ordinis primoribus (inter quos falſo quidam referunt fuiſſe Nicolaum Poſter, qui tum in fide Gedanenſium erat, & cum familiaribus ſuis in ipſa urbe commorabatur) & copiis mille quadringentorum equitum Derſavia in Gedanenſem agrum populabundi deſcenderunt, ac primum interciſis Rodani aggeribus rivum, ne civitatem illaberetur, averterunt, tanta rupturæ vaſtitate, ut poſtea vix intra tertium menſem rivus capi, & alveo ſuo reſtitui potuerit. Deinde per montem Epiſcopalem ducentes in planum deſcenderunt verſus juniorem civitatem ſemidirutam, ut ibi ſeſe communirent ad obſidionem inſtituendam. Id animadvertentes Gedanenſes, & paucitate hoſtium explorata, armatis extemplo civibus ac militibus, quos in urbe habebant, cum trecentis equitibus, quos non ita pridem Caſimirus ad illos miſerat, de improviſo erumpunt, & hoſtem nihil tum ejusmodi expectantem alacriter invadunt, qui & ipſe non impigre ad defenſionem ſe expediebat. Duravit prælium in quintam usque horam, hoſtium cæſi & capti circiter ſexcenti, Impetus in Gedanenſes.

centi, ex Gedanenſium parte ducenti & viginti deſiderati. Magiſter re infeliciter tentata cum reliquis copiis Derſaviam ſe recepit. Atque ab eo die Gedanenſes civitatis junioris reliquias & rudera accuratius complanarunt, ſic ut hodie vix ullum extet illius veſtigium.

Cruciferi arces & oppida oppignerant.

Initio Februarii menſis admodum diſſentire cœperunt a Cruciferis illorum ſtipendiarii, qui maximam partem erant Bohemi, quorum opera mercenaria primum in pugna Choinicenſi, & deinceps in præſidiis & excurſionibus haud inutiliter uſi fuerant. His in ſtipendium non exigua pecuniæ ſumma debebatur, quam importune admodum efflagitabant. Cruciferi cum huic rei remedium nullum pro tempore aliud invenirent, ad oppignerationem rerum & fortunarum omnium confugiunt. Spondent bona fide ſub nominis & honoris exiſtimatione, ac loco juramenti, ſeſe de omni ſtipendio & damnis præſentibus & futuris, intra certum tempus ſatisfacturos. Ni faciant obligant & tradunt illis omnes arces, Mariæburgum, oppida & ditiones cum ſubditis, quas in Pruſſia & nova Marchia tum haberent, poſſiderent, vel in poſterum habituri eſſent, cum omnibus fructibus & proventibus, ſic ut jus illis ſit, eas arces & oppida pro libitu & commodo porro oppignerandi, vendendi, tradendi, cuicunque velint. Qua quidem occaſione poſtea Mariæburgum & alia oppida & arces in Regis poteſtatem conceſſerunt, quod ſuo loco rectius explicabitur. Subſcripſerunt huic obligationi, quorum auctoritate tum res Ordinis ſtabat, ipſe Magiſter Ludovicus, Ulricus ab Eiſenhoven Commandator magnus, Heinricus Reuſs Plavenius, Eberhardus de Königsperg Theſaurarius, Joannes de Rechungen Commandator Mevenſis, Guilelmus ab Eppingen Commandator Oſterrodienſis, Joannes Comes a Gleichen, Curator Lochſtetienſis, Caſpar Zölner præfectus arcis Mariæburgenſis. Duces militum ſtipendiariorum præcipui nominis hi erant: Adolphus Comes a Gleichen, Dominus in Tunaw, Joannes Comes de Montfort, Dominus in Bregnitz, Joannes Comes ab Hohenſtein, Dominus in Heldrungen, Bernhardus de Sunnenberg & Schoneburg, Botho de Weſenburg, Bernardus ab Aſchpan, Nicolaus de Wolfsdorf, Burcardus de Janowitz & Chlumiz, Ulricus Zerwonka de Leditz, Joannes de Wihenantz, Georgius a Schliwen, Reinhardus de Reinhartz, Barones ferme omnes, cum legatis & centurionibus, quorum nomina in ipſis literis ſpeciatim recenſentur.

Eruptiones Crucigerorum.

Die menſis Februarii tertiadecima milites Cruciferorum Soldaviam in confinibus Maſoviæ vi ceperunt, oppidum exuſſerunt, arcem autem præſidio communiverunt. Cromerus auctor eſt, quod oppidum Slaveci Humbovii Maſovii, cujus fidei Rex id commendarat, proditione in poteſtatem hoſtium venerit, idque non multo poſt Joannes Colda recuperaverit, direptumque incenderit, intromiſſus ab oppidanis, cum habitum Commandatoris Elbingenſis aſſimulaſſet, multosque Cruciferorum milites ibi peremerit. Inde Cruciferorum milites circum oppida Lobaviam, Morungum, Holandiam, Elbingam, Mulhuſium, Fraweburgum, bellum circumtulerunt, agros & pagos ubique vaſtantes, & prædam

prædam quam poterant corradentes. Neque diu poſt Ludovicus Magiſter cum tribus militum millibus in Culmenſe territorium profectus, Redam, Culmam & Torunium tentavit, ſed parum ex voto ſucceſſit. Torunio a proditoribus quibusdam literas acceperat, qui illi cum copiis adventanti ſpem urbis tradendæ faciebant. Itaque Bernardum Sunneburgium cum aliquot militibus quaſi aliud acturis præmiſerat, & ipſemet cum omnibus copiis ſubſequebatur. Interim proditione detecta cum ſe parum tempore veniſſe intelligeret, pagis, vineis, prædiis circumcirca incenſis, & agro Culmenſi ac Grudentino paſſim devaſtatis retroceſſit. Torunenſes per indicium cognitis proditoribus Senatorem unum, Scabinum unum, duos ex plebe capitibus truncarunt, tertium ex plebe, qui præcipuus ejus proditionis auctor fuerat, quadrifariam diſſecuerunt. Cromerus & Parochum urbis & ſodales Dominicanos proditioni & ſupplicio pariter accenſet.

Proditores Torunenſes.

Viceſimo tertio die Februarii menſis Ordines Pruſſici fœderati Conventum egerunt Elbingæ, ubi de ſolutione ſtipendiorum militibus mercenariis debitorum conſultarunt. Homines enim iſti ſtratiotici cum comperiſſent, Cruciferos arces & oppida, atque adeo facultates & fortunas omnes præſentes & futuras, militibus ſuis oppigneraſſe, & quaſi de manu tradidiſſe, hoc idem exemplum ambientes eo ferocius & ipſi ſtipendium exigere, & minitari inſuper, ni ſibi ad aſſem ſatisfieret, ſe Pomerelliam omnem direptionibus & incendiis vaſtaturos. Talis eſt mercenariorum militum conditio, quibus ſolis hodie Reges & Principes plerumque utuntur, cum bella gerunt, & miſeri non intelligunt, quod totum id, ſi quid in bello lucrifaciunt, quod utique rarum eſt, in iſtos nihili homines, & præſertim eorum Duces, præfectos, centuriones, & neſcio quos nebulones, qui nunquam ſaturando ſunt, profundant, & interim theſauros ſuos & ſubditorum fortunas ad intimum usque fundum exhauriant. Itaque rei nummariæ conficiendæ gratia tributum per totam Pruſſiam, quæ regiarum eſſet partium, conſtituerunt, primum in omnia eſculenta & poculenta, ut frumentum, avenam & omnis generis fructus, vinum, cereviſiam, mulſum: in eos item, qui ex hiſce rebus rem familiarem conquirunt, quales ſunt œnopolæ, braſeatores, cereviſiarii, mulſarii: deinde in omnis generis merces, quibuscum mercatura communiter exercetur: in eos etiam, qui annuis proventibus viverent, & qui agros conductos, locatos, vel hæreditarios poſſiderent, nullo diſcrimine Eccleſiaſtici vel civilis ordinis, nobilis aut equeſtris vel ruſticæ conditionis habito: in mercenarios item ſervos & ancillas: in operarios, mechanicos, inſtitores, & quicunque tandem res cujuscunque generis venales haberent, de qualibet marca pretii, quo res quælibet veniſſet, nummos quaternos. Huc etiam conferebatur, ſi quis quidpiam ex bonis Cruciferorum, vel eorum, qui a fœdere deſciverant, retinuiſſet vel vendidiſſet. Conſtitutum præterea, ut portorium maritimum librale quod vocant, & alia vectigalia, quæ tempore Ordinis impoſita & per Caſimirum abrogata fuerant in unum ſaltem annum reſtituerentur. Inter hoſce milites ſtipendiarios maxime tumultuabantur ii,

Contributio pro militum ſtipendiis.

qui Neoburgi erant in præſidio, adeo ut cives metuerent, ne ipſis vim facerent, vel fortunas eorum diriperent. Re ad Gedanenſes relata continuo mittunt illi virum Conſularem Heinricum a Staden, qui oppido præeſſet, & partem ſtipendiorum in continenti exolveret, de reliquo ſpem brevis diei faceret. Is ſecum adduxit Gedano ſexaginta nautas bene armatos, tela itidem, tormenta, & alia ejus generis non pauca, quæ tuendis mœnibus ſunt neceſſaria.

Tumultus Regiomontanus.

Cæterum ubi in monte Regio rumor percrebuit, contributionem eam communi Ordinum fœderatorum conſenſu laudatam, & ejus exigendæ initium diem Dominicam Lætare conſtitutam eſſe, continuo cives plebeji veteris oppidi tumultuari cœperunt, & onus iſtud obſtinate repudiare. Miſerunt etiam nuncios ad vicina oppida, qui cives dehortarentur, & contra publicum decretum rem omnem ſecum diſturbarent ac impedirent. Scripſerunt inſuper ad Gubernatorem Bayſenium, quandoquidem ea res ad omnes, divites æque ac pauperes pertineret, ſe cum aliis concivibus rem maturius deliberaſſe, & decreviſſe, quod in Regis fide & fœderatorum ſocietate conſtanter permanere velint, hujus generis autem onera nequaquam imponi ſibi, ſed mortem potius oppetere velint. Si Rex cum exercitu hoſtibus adverſum ierit, ſe quoque corpora & fortunas pro Republica libenter impenſuros. Promiſſum quoque ſibi nomine Regis ajebant, futurum ut in libertatem aſſererentur, non autem ejusmodi exactionibus prægravarentur. Miſit Gubernator viros graves & prudentes, qui Reipublicæ neceſſitatem excuſarent, & inter plebem & Magiſtratum rem omnem amice transigerent. Sed fruſtra. Nihil enim reſponſum Legatis, quam hoc, faceſſerent hinc, redirent domum, quod hactenus corrupiſſent, in integrum reſtituerent, alioquin deteriorem fortunam expectandam eſſe. Nec multo poſt die 24. Martii certis nunciis allatum fuit, plebem veteris civitatis Senatores aliquot urbe expuliſſe, claves portarum & curiæ arripuiſſe, tormenta & inſtrumenta bellica occupaſſe. Conſpiraverant cum illis Liberi (ſic vocant, hodie plane ſervilis ſunt conditionis) Sambienſes, horum opera portas verſus Knipoviam (alterum id Regii montis oppidum eſt, quod Pregela fluvio inſulæ inſtar includitur) occluſerunt, pontes, quibus inter utramque civitatem fluvius tranſitur, reſciderunt. Deinde ad defectionem ſpectantes ſcripſerunt ad Magiſtrum, admoveret ſine mora copias, ſe in fidem ejus redituros. Is non ita pridem ad hoc ipſum illos clam adhortatus fuerat, majoribus & pluribus quam antea libertatibus & privilegiis magnifice promiſſis. Kniphoviani autem quanquam a latere, immo quaſi in ipſis viſceribus hoſtem habituros ſe viderent, tamen in fide ſe permanſuros unanimiter decreverunt. Itaque miſſis ad Gubernatorem literis quid actum ſit exponunt, rem per quosdam tractatus in aliqua meliori expectatione fuiſſe, ſed plebem oppidi veteris eo furoris proceſſiſſe, ut tres ex Senatoribus crudeliter & nefarie fuerint trucidati, cæteros partim in vincula conjectos, partim ægre ad ſe elapſos eſſe: Liberos autem Sambienſes agminatim eo invitari. Scriberet ipſe Gedanenſibus, ut omnibus copiis collectis Dirſchaviam invaderent, & Magiſtrum diſtinerent,

Knipovianorum conſtantia.

nerent, quo minus ad ſe opprimendos advolare poſſit, in hoc enim ſpem omnem Regiomontanorum conſtitutam eſſe. Mitteret quoque milites præſidiarios ad vim hoſtilem eo magis propulſandam. Nam in liberis Sambienſibus nullam eſſe fidem. Præſtare, ut utrinque transito Pregela poſſeſſiones eorum incendiis vaſtarentur, quo magis ex urbe ad ſua reverterentur, in qua frementes urſorum more diſcurrant, ita quidem, ut ab ipſorum irruptione maxime ſibi ſit cavendum. Tandem petunt, ne qua mora interponatur quoniam & Regis & ipſorum vehementer interſit, utque aliquot milites Cruciburgum & Brandeburgum, quanto citius mittantur ad Liberos ejus loci in officio continendos.

Eruptiones Crucigerorum.

Circa idem tempus Ludovicus Magiſter oppidum Redam in territorio Culmenſi denuo repente invaſit, ſperans ſe primo illud impetu occupaturum, ſed cum oppidanis præſidium Grudento ſubmitteretur, re infecta diſceſſit. Inde Culma tentata fuit, quoniam autem recens ſubſidium ex Pomerellia advenerat, hic quoque fortunam minus habuere propitiam. Interim Cruciferi alio agmine Mariæburgo erumpentes ad occupandam Swetzam profecti ſunt, quidam enim oppidanorum ad illos ſcripſerant, ut cum copiis præſto eſſent, ſe oppidum illis tradituros. Re explorata prævenit eos Samotulius, & trecentis militibus præſidium auxit, proditores autem comprehenſos ſupplicio affecit, priusquam Cruciferi advenirent. Deinde conjunctis cum Tencinio copiis, hoſtibus occurrit, & fuſos Mariæburgum usque fugavit.

Magiſter ſcribit Regiomontanis.

Initio menſis Aprilis Magiſter & Plavenius ad opifices & plebem Regiomontanam veteris civitatis literas mittunt, & collaudata illorum erga Ordinem fide & conſtantia multisque magnificis pollicitationibus accumulatis, certiores illos faciunt, Plavenium jamjam in procinctu eſſe, ut cum omnibus copiis ad eos advolet, interim monent, ut in officio conſtanter permaneant. Inter cætera ſe comperiſſe ſcribunt, Gedanenſium Legatos in montem Regium adveniſſe (& venerant quidem eo Reinoldus Niderhovius Conſul, & Tidemannus Langenbeck Senator, rei inter plebem & Senatum componendæ cauſa) proinde viderent etiam atque etiam, ne ſibi verba dari patiantur, vel illorum conſilia ſequantur, ita enim ſemper illos conſueviſſe bonis & amicis verbis amicos in fraudem inducere. Monent item, ut profugorum Senatorum bona probe aſſerventur. Tandem ipſorum arbitrio permittunt, an contra jus gentium Legatos Gedanenſium detinere velint: Magiſtro quidem & aliis id futurum longe gratiſſimum. Hæ literæ in clava lignea excavata probe occultatæ per tabellarium ferebantur, quas tamen Gubernator intercepit, & ad Kniphovianos miſit, monens ut rebus ſuis diligenter invigilarent. Illi continuo rem omnem Gedanenſibus enunciant, ac petunt, ut hoſtes alibi quam maxime fieri poſſit diſtineantur, quo minus copias omnes adverſus ipſos conjungere valeant, habere ſe alioquin plus ſatis vicinorum malorum tam in oppidis quam in agris. Nunciant etiam Legatos ipſorum Niderhovium & Langenbecium prudenter egiſſe, ac eo usque rem perduxiſſe inter ipſos Kniphovianos & veterem civitatem, ut

jam

jam de utrorumque concordia literæ fuerint confectæ, ſed quam primum fuiſſet compertum, duos Cruciferos ex primoribus Lochſtetum adveniſſe, & Plavenium cum exercitu ſubſequi, ſtatim rem omnem oppidanos veteris civitatis reſcidiſſe, concordiæ ſpem omnem abrupiſſe, eoque nomine ab illis doli mali, perfidiæ & proditionis publice & palam inſimulatos fuiſſe. Interim Bayſenius gubernator cum animadverteret, Cruciferos jam majoribus animis inferiori Pruſſiæ per Regiomontanorum defectionem inhiare, militem omnem ex præſidiis ibidem evocat, & omnibus Wormbditum convenire juſſis, delectum inſtituit, utrumque belli ducem Tencinium & Coldam ad ſe accerſit. Scribit etiam Gedanenſibus, ut auxilia ſibi mitterent: ſed quo minus id fieret præſidiarii Stargardenſes effecerunt, qui propter non numerata ſtipendia monaſterium Carthuſianorum (Mariæparadiſum vocant) invaſerant, diripuerant, ac pagos & prædia vicina pervaſtaverant, quorum inſolentia, ut reprimeretur, potius erat Gedanenſibus proſpiciendum.

Plavenius verſus Regium montem proficiſcitur.

Octavo die menſis Aprilis (qui Paſchatos tertius dies feſtus erat) Plavenius Mariæburgo cum copiis egreſſus Brunſpergum petit, ſuburbana ædificia & prædia circumquaque incendit, & agros depopulatur. Gedanenſes per lacum Hab duos Senatores Henningum German & Bernardum Bapſt cum militari manu navibus miſerant, ut hoſtem commeatu prohiberent, & aggeres Nogati fluvii diſrumperent, quod illi exiguo hoſtium diſpendio ſed maximo cum damno totius Inſulæ Fiſchuſienſis effectum dederunt. Hoſtes cum Brunſpergum fruſtra tentaſſent, biduo poſt Heiligbuelum contendunt, & ab oppidanis ultro recipiuntur. Idem evenit Melſaci, ubi Canonici nonnulli receptum habebant, quorum ope & conſilio oppidum Cruciferis eſt deditum. Utroque oppido præſidiis munito ad Regium montem recta perrexerunt: ita ut die tertiodecimo ejusdem menſis (ipſa Dominica Quaſimodogeniti) Plavenius Knipoviæ copias admoveret, & in adverſo colle (cui vulgus ab avena, niſi fallor, nomen dedit Haberberg) qui oppido imminet, caſtra metaretur. Cives veteris oppidi magno & numero & applauſu illi obviam exierunt, & Comitem a Gleichen cum mille ducentis equitibus intra urbem præſidii cauſa receperunt. Knipoviani cum tormentis aliquot inſtructis eruptione facta Plavenii copias repente oppreſſas in fugam conjecerunt, centum & ſexaginta equitibus cæſis, cum ipſi viginti, vel ut alii notarunt, quindecim ſaltem ex ſuis deſiderarent. Quo incommodo præter ſpem accepto Plavenius in civitatem veterem cum exercitu ſe recepit. Sequenti die Knipoviani ad Gedanenſes ſcripſerunt, eosque de iſthac eruptione & fugatis hoſtibus certiores fecerunt. Nunciarunt etiam, multos Gedanenſes mercatores ex Litvania cum cera & aliis mercibus compluribus ſecundo flumine ad ipſos appuliſſe: prope Tapiam vero quinque Gedanenſium naves ab hoſtibus detineri, eas ſe cupere liberatas, ſed vires ſibi non ſufficere. Petebant, ut auxilia ſibi ſubmitterentur, utque conjunctis Elbingenſium & Culmenſium copiis ad ipſos contenderent, ubi hoſtem quaſi retibus circumcirca concluſum eſſent habituri. Afferri etiam ab iis, qui Cauna adveniſſent, nunciabant, juſſu Regis novas copias

Res ad Knipoviam geſta.

pias ex Samogithia in Sambiam contra hoſtes immiſſum iri. Maturarent igitur, quantum poſſent, & ſuppetias mitterent militem, tormenta, pulverem, & nominatim viginti onera farinæ, quoniam molendinorum nulla ipſis eſſet copia. Interim Gedanenſium milites, quibus res navalis commiſſa erat, ad Dirſchaviam deſcenſione facta Liſſoviam villam diripiunt & exurunt, materiam omnem, quam Cruciferorum milites ad conſtruendum in ripa fluminis propugnaculum multo labore pluribus diebus congeſſerant, uno momento diſturbant, & in profluentem abjiciunt. Deinde in majorem inſulam deflectentes cum Mariæburgenſibus levi prælio conſlixerunt, nonnullis utrinque cæſis. His ad rem continuandam Gedanenſes & ſupplementum & commeatum ſubmiſerunt.

Gedanenſium milites.

Die menſis Aprilis quintodecimo Knipoviani, cum ipſis aliquot milites Gedanenſium acceſſiſſent, eruptione facta oppidanis veteris civitatis tria navigia & ſcapham grandiorem, quo genere communiter in Viſtula navigatur, & aliam ſcapham onerariam cum multis mercibus ademerunt, & in pacatum abduxerunt. Interim Epiſcopus Sambienſis, & ejus ſubditi, nobiles & cives, nec non Regiomontani veteris civitatis, & vicani Lebnicenſes denuo in verba Cruciferorum juraverant. Hic Epiſcopus diligenter & enixe ſolicitabat Knipovianos, magnis præmiis & majoribus pollicitationibus propoſitis, ut in fidem Cruciferorum redirent. Illi vero obſtinate recuſabant, ſubinde dictitantes, ſe fidem Ordinibus Pruſſiæ fœderatis ſemel datam minime violaturos. Quos ut in propoſito magis confirmarent Gedanenſes, Hermanno German Navarchæ ſuo mandant, ut ipſemet cum omnibus copiis ſuppetias eis ferat, mittunt in ſupplementum trecentos milites, & ſcaphas duas onerarias tormentis, pulvere, & omnis generis commeatu apprime inſtructas. Die menſis Aprilis duodeviceſimo oppidani utrinque Knipoviani & veteris civitatis ſeſe viciſſim exercentes, toto biduo, ne nocturno quidem tempore intermiſſo, telis & miſſilibus decertabant, donec die viceſimo Gedanenſium milites cum novem myoparonibus ad pugnam inſtructis adnavigarent. Qui primo adventu, eodem die Regiomontanis veteris oppidi quinque naves mercibus perquam commode onuſtas eripuerant, deinde incolumes ad ſocios Knipovianos diverterunt. Sed neque Plavenius neque Regiomontani ſuis idcirco rebus deerant, ſed Pregelam extra oppidum duobus pontibus conſternebant, ut citra aliquod impedimentum copias in adverſum contra Knipoviam collem traducere poſſent. Vallum etiam & propugnacula in muris ſuis adverſum Knipovianos excitabant, & ſubinde tela ac lapides in eos ejaculabantur. Qui nihilominus omnem impetum in menſem usque Junium fortiter ſuſtinuerunt, ſic ut per quatuordecim circiter ſeptimanas multa dura & adverſa pertulerint. Plurimum illis damni dabatur ex hoſtium navibus & ſcaphis in eum uſum contectis & undique communitis, quibus ad mœnia propius admotis ingens telorum & lapidum vis in propugnatores ſubito emittebatur. Quibus occurrebant cum myoparonibus ſuis Gedanenſes, & quod eſſent a tormentis longe inſtructiores, tanta vi ſæpius in hoſtem invehebantur, ut ſtragis atrocitatem ſanguis interfectorum ex compagibus navium

Res Knipovianorum.

vium profluens abunde teſtificaretur. Congreſſi cum Duce Saganenſi uno prælio vexillum prætorium, altero tria ſigna ceperunt, & naves duas igne injecto concremarunt. Cruciferi cum viderent hac via rem non ſuccedere, deinceps præliis abſtinebant, vias interim omnes diligenter cuſtodiebant, ne quis commeatus, ne quod ſubſidium obſeſſis inferri poſſet.

Philippus Burgundiæ Dux.

Dum hæc ad montem Regium aguntur, Gedanenſibus literæ Philippi Burgundiæ Ducis redduntur, quibus benigniſſimus Princeps ſignificabat, quod Cæſar urgentibus Cruciferis civitates & fœderatos ordines Pruſſiæ proſcripſiſſet, & cum ad alios Principes, tum ad ſe quoque proſcriptionis ejus diploma emiſiſſet, ut adverſus illos paſſim executio præſtaretur, eorum corpora detinerentur, merces & bona caperentur, ſe vero pro jure familiaritatis & commerciorum, quod utrinque intercedat, nihil eorum admittere voluiſſe, priusquam quid rei eſſet penitius ab illis exploraſſet. Huic Gedanenſes reſpondent: Agunt gratias pro ea benevolentia, qua niſi cauſa cognita in ſuos cives & ſocios nihil gravius ſtatuere voluerit. Commemorant quibus injuriis & violentiis Pruſſiæ Ordines neceſſario compulſi, primum pro communi defenſione fœdus feciſſent, deinde intolerabilem Cruciferorum tyrannidem a ſe projeciſſent, & ad Poloniæ regnum, unde olim diſtracti fuerant, reverſi fuiſſent. Sperare ſe, cum juſtiſſimam foveant cauſam, nihil ex Cæſareæ proſcriptionis literis detrimenti ex eo loco expectandum eſſe. Tandem petunt, ut benigniſſimus Princeps habita ratione neceſſitudinis & amicitiæ, quæ ipſi cum ſereniſſimo Rege Caſimiro intercedat, eo etiam attento, ſuperioribus annis, cum ejus ſubditi Hollandi itidem a Cæſare eſſent proſcripti, in Pruſſia tamen proſcriptionem eam executioni minime demandatam, ſed libera illis commercia undiquaque relicta, eodem exemplo dignaretur ſuis civibus & ſociis parcere, nec de libertatibus antiquis mutuæ negotiationis quidquam detraheret. Quibus intellectis ita Principi ſatisfactum eſt, ut in ſuis ditionibus de priſtina Pruſſorum libertate nihil immutaret.

Apparatus navales.

Ineunte æſtate, cum nihil non molirentur Cruciferi, quo fœderatis novos hoſtes undique compararent, pyratas etiam conduxerunt, qui quoquo modo illis & illorum auxiliaribus nocere ſtuderent. Ea res Gedanenſium militibus, qui ad Balgam maris portum ſervabant, metum incuſſit, ne pauci a multis opprimerentur. Itaque a Brunſpergenſibus, quorum maximo commodo ibi excubabant, auxilia poſtularunt, alioquin ſtationem eam deſerturi. Id ne fieret illi enixe rogabant, & quantum facere poterant oſtium fluminis Paſſari ita muniebant, ut ſi qua major vis ingrueret, cui reſiſtendo pares eſſe nequirent, tutiſſimus eo receptus illis pateret. Idem etiam a Gedanenſibus per literas flagitabant, ſemel enim ea ſtatione deſerta & ab hoſtibus occupata, difficulter ſibi & aliis deinceps ſubveniri poſſe. Acceſſit aliud, quod Gedanenſium curam magis augebat. Poſtulabat enim Gubernator, ut cum militibus Stargardenſibus de ſolutione ſtipendiorum tranſigere tentarent, ut eorum opera adverſum hoſtes uti poſſet. Nam qui per agrum Culmenſem in præſidiis

præſidiis eſſent, niſi ſtipendia illis numerentur, loco non poſſe moveri. In nobilibus autem & oppidanis inferioris Pruſſiæ parum eſſe fidei, & rem ſummi periculi in hoſtem ſuſpectos educere. Scribebat præterea, ſe a Knipovianis admonitum, ut juxta fœderis literas auxilia illis mitterentur, neve a fœderatis cum ſumma publici nominis infamia turpiter defererentur. Petebat, ut Gedanenſes plura illis auxilia mitterent, & pro viribus Reipublicæ honorem comiter conſervarent. Ipſe Rex etiam Gedanenſes hortabatur, ut Knipovianos porro juvarent. Se quam primum conventum Petricovienſem peregiſſet, toto cum exercitu illis adfuturum. Scribebat item Gubernator ſe a Knipovianis certiorem factum, quod Plavenius ceram, linum, & alias merces Gedanenſium, quas Tapiæ hoſtes interceperant, Fiſchuſium usque deportare, & inde per lacum Habum Mariæburgum transmittere, unde ſtipendiariis creditoribus aliquid exolveretur, & in poſterum facilior eſſet ratio arcem oppigneratam ab ipſis recipiendi: Omnino autem cavendum eſſe monebat, ne Mariæburgum merces iſtæ perferrentur. Nunciabat item, Ducem Boëmum Zaikam, quem auxilio Knipovianis miſerat, petere a ſe mille equites & totidem pedites, admonendum igitur Petrum Samotulium, ut quantas poſſet copias in Pomerellia conquireret, & in Neringam mitteret, ſe curaturum, ut inde per lacum tranſportarentur.

Knipovianis fruſtra parantur auxilia.

Knipoviani interim admodum ægre ferebant, ſe tamdiu a ſociis fruſtra auxilium expectare, nec obſcure illos deſidiæ & timoris arguebant, quod cum hoſte magna ex parte inermi congredi non auderent, neque id in literis ſuis diſſimulabant. Indignabantur ſe terra & aqua ab hoſtibus circumcludi, ſocios hoſtem ne laceſſere quidem, ſibi animum per medios etiam hoſtes erumpendi non deeſſe, ſed nec virium abunde eſſe, nec jam amplius tela, tormenta, & cætera ejus generis ſibi ſufficere. Haud prudenter id agi a ſociis, ut ignobiliora quædam oppida recuperent, ſe vero negligant, quorum auxilio, ſi tempori adſint, montem Regium veteris oppidi facile recipere poſſent. Gedanenſes quanquam alioquin majorem belli molem ſuſtinerent, interim etiam ad ſtipendiarios Stargardenſes in officio continendos ipſis cogitandum eſſet, quod illi non modo tumultuabantur, ſed etiam vicinis damni plurimum inferebant, & granaria Gedani ſe incenſuros minitabantur, denuo tamen expediunt ſcaphas decem, naves duas auxiliares, celocem & ſcapham aliam prælongam, cui propugnaculum inædificatum & tormentis apprime communitum erat, unde in omnes partes ejaculari propugnatores tuto poterant. Hæc navigia milite nautico, tormentis, pulvere, & omnis generis commeatu onerant, eisque Joannem Freiburg Senatorem, & Rudolphum Feltſtett Scabinum præficiunt, ut conjunctis cum Zaika copiis Knipovianis præſto eſſent. Conſilio prudenter inito fortuna non reſpondit. Naves adverſa tempeſtate impeditæ curſum tenere non potuerant. Dux Zaika cum nauſeam aquæ turbulentæ perferre nequiret in Neringam ad equites ſuos ſe & commilitones expoſuit. Præfecti navium Gedanum accipiendi mandati cauſa, quid deinceps facto opus eſſet, redierunt.

Clades ad Ilaviam accepta.

Secundis feriis Pentecoſtalibus clades ad Ilaviam Germanorum, quam vocant, accepta eſt, quæ quomodo obtigerit, ex literis Ramſeli Brixenſis, præfecti Barteſteinenſis ad Gubernatorem perſcriptis manifeſtius liquet: Secundis (inquit) feriis Pentecoſtalibus ad Ilaviam, quo ex præſidio profecti fueramus, cladem accepimus. Equidem expeditionem illam, quantumvis maxime volebam, adeo impedire non potui, ut mihi cum militibus proficiſcendi prorſus neceſſitatem impoſitam viderem, ni capitis diſcrimen adire maluiſſem. Ajebant rem ad Mariæburgum non ex ipſorum voluntate, ac idcirco minus proſpere geſtam, ad Morungam fuſtibus etiam a propoſito abactos fuiſſe, nunc ſibimet ſe conſilium capere, me præfectum illis conſtitutum eſſe, niſi una proficiſcerer fruſtulatim me conciſuros. Sic ad Ilaviam contendimus, & ipſis feriis Pentecoſtalibus per integrum diem oppidum ſumma vi oppugnavimus. Milites jam anteriorem portam cum propugnaculo ceperant, dubio procul etiam primum arcis murum eodem impetu capturi, ſed quod pauciores eſſent ad eam rem tentandam, & hoſtes ferocius reſiſterent, ſocios liberos & colonos, quos una duxeram, inclamant, ut ſecum murum aggrederentur. Illi vero cum animadvertiſſent periculum imminere, omnes jam dilapſi erant, & per ſylvas & vicina dumeta latitabant, ſic ut milites mei a propugnatoribus non mediocriter vulnerati rejicerentur, & eorum quinquaginta trucidarentur, pluribus jam antea in oppugnatione cæſis, nonnullis etiam miniſtrorum meorum trajectis. Cum receptui cecinisſem, jam ſe liberi & ruſtici ex latebris collegerant, & quia in diſceſſu agris & villis ſuis timerent, nunc novam præ ſe ferebant audaciam, dictitantes, ſi ego cum militibus abſcederem, ſe tamen permanſuros. Cum in caſtra perventum eſſet, cum præcipuis, qui ex ordine equeſtri & civitatibus mihi aderant, deliberabam, & omnino mihi conſultum videbatur, ut domum rediremus. Nunciatum enim mihi fuerat, a quibusdam Ilaviæ oppidanis, qui nos victores eſſe maluiſſent, ſi in craſtinum usque præſtolaremur, magnum nos infortunium habituros. Idque eo magis pertimeſcebam, quod Plavenius cum exercitu ſuo quatuor ſaltem milliaribus aberat. Milites vero tumultuari & facto concurſu vociferari, ſi caſtra moverem, fruſtulatim me conciſum iri. Sic iterum mihi cum ipſis extrema videbam experiunda. Primo diluculo Plavenius, qui noctu ex monte Regio Ilaviam pervenerat, triplici agmine in nos ducit, & usque ad teli jactum conſtitit. Excubitores duodeviginti in fronte conſtitueram, illi tum nusquam apparebant, nec quid illis factum ſit comperi. Hoſtes continuo cœperunt caſtra circumducere, ibi denuo liberi & ruſtici in fugam effunduntur, quos milites etiam ſecuti, qua quisque poterat, curſu evadunt. Cæteri oppreſſi ac cæſi. Ego ipſe beneficio civis cujusdam Regiomontani ægre evaſi in ſummo periculo conſtitutus. Et quia nebula erat denſior, eo facilius multi ſalutem fuga ſibi peperunt. Nunc ſero ſapiunt Phryges, nunc demum clamitant, ſi præfecti dicto fuiſſemus audientes, non in eam calamitatem incidiſſemus, nunc ejus proterviæ militaris illos ſero pœnitet. Cæterum non eſt, quod hæc jactura adeo magni momenti cenſeatur. Nec enim ex præcipuis militibus, ex nobilibus vel oppidanis, adeo multi deſiderantur, ſed plerique liberi,

liberi, ruſtici & calones ibi perierunt, ita ut cæſos & captos exiſtimem circiter ducentos. Nam cum eo proficiſceremur, omnes erant equites & pedites plus minus ſexcenti, major vero pars fugam ceperat, priusquam hoſtes caſtra invaderent. Equidem optarem me hac præfectura liberatum &c. Hic præfectus utcunque extenuet eam cladem, vulgares tamen annales ferme conſentiunt, circiter ſexcentos ibi fuiſſe deſideratos.

Res navales in lacu Habo geſtæ.

Biduo poſt eam cladem ex literis Bayſenii Gubernatoris Gedanenſes cognoverunt, Livonienſes Cruciferos cum ſex navibus in portum Balgenſem contendere, ut Regiomontanis adverſus Knipovianos ſuppetias ferrent: Cruciferos etiam conſtituiſſe merces Tapiæ interceptas mari Lubecam verſus transmittere, & ex iis ibi pecuniam comparare: Agitari quoque clam conſilia, de oſtio Viſtulæ, quo in lacum Habum influit, obſtruendo, ut fœderati toto lacu excluderentur, & inter ſe, amiſſa navium commoditate, facilius disjungerentur. Quibus rebus permoti Gedanenſes decem illa navigia & ſcaphas, quas jam antea Knipovianis ſubſidio comparaverant, recens inſtruunt & armant, militem ſupplent, cives accenſent, & in Habum emittunt, ducibus Joanne de Schawen Senatore, & Joanne Schmerbart Scabino. Hi Cruciferorum naves obſervare juſſi, primo adventu navigium capaciſſimum, cujus generis uſus in lacu transportandis mercibus etiam hodie frequens eſt, & ſcapham grandiorem cum aliquot minoribus, cera, lino, corio, & aliis rebus onuſtas, quas Balgenſes Mariæburgum verſus ducebant, pro ſtipendio militibus exolvendo, intercipiunt, mox etiam deſcenſione in terram facta, paſſim prædas agunt, inter quas centum quinquaginta circiter homines capti. Omnis præda cum mercibus Gedanum adducta, & quicquid a dominis non recognoſceretur, inter claſſiarios diviſum fuit. Quod quidem incommodum præſenſiſſe viſus eſt Ludovicus Magiſter, ut apparet ex literis ejus a Gubernatore tum interceptis, quibus monebat Plavenium, ut caute ageret, & modis omnibus provideret, ne vel inopinato opprimeretur, vel alio incommodo afficeretur, utque naves ſuas ita muniret & milite inſtrueret, ne cuivis injuriæ eſſent obnoxiæ. Certo enim ſibi conſtare, Gedanenſes ultra mille hominum navibus impoſuiſſe, quibus ſubſidio venirent Knipovianis obſeſſis, & naves Livonicas impedirent.

Magiſter plebem Gedanenſem ſolicitat.

Interim idem Ludovicus non deſinebat plebem & opifices Gedanenſes literis clam ſolicitare, & promiſſis in ſuas partes traducere, & nihil intentatum relinquere, ſi quo modo vel qua arte per proditionem urbis potiundæ ſpem nanciſci poſſet, vel ſaltem inteſtinæ diſcordiæ optimates & plebem implicaret. Raro enim fieri ſolet, ut inter difficultates incumbentis belli, cum ſumptus continui faciendi, & pecunia ab omnibus viritim conquirenda eſt, præſertim in tanta hominum, quæ tum Gedani erat, colluvie, concordia diu conſervetur. Cæterum quid ii reſcripſerint, ex ſequentibus literis, quarum extat adhuc exemplum, plenius intelligetur: Quod ſcribis (inquiunt) Venerabilis Domine, ut ad te &

Reſponſum Magiſtro miſſum.

Ordinem tuum revertamur, id te tuumque Ordinem etiam atque etiam cogitare decebat tum, cum jure, privilegiis & libertatibus nos exuebatis, varia gravamina imponebatis, Magiſtratus & concives noſtros contra fas inique nefarie trucidabatis. Non poſſumus etiam nunc recordari, quot modis miſeri, quam variis exactionibus & injuriis oppreſſi fuerimus, de quibus relevandis cum Anteceſſores tuos ſæpius interpellaremus, ſurdis narrabamus fabulam. Quinimo in alienum jus nos pertraxiſtis, jure noſtro nos defraudaſtis, vim apertam intentaſtis, & ad opprimendos nos penitus omnia conſilia veſtra inſtituiſtis. Quæ omnia ſpeciatim hic recenſere nihil attinet, & exteris Principibus jam pridem abunde ſatis innotuerunt, ex quibus illi & juſtiſſimam cauſam noſtram, & immanem Ordinis veſtri tyrannidem cognoſcent. Tulimus quidem patienter omnia, quoad ferendo fuerunt, donec tandem Deus optimus maximus pro juſtitia ſua injuſtitiam veſtram pertæſus, nos ex ſervitute plusquam Ægyptiaca aliquando vendicavit, & impotenti dominatu veſtro liberatos Sereniſſimo Regi Caſimiro, & Poloniæ Regno, cujus membrum antea fueramus, rurſum adſociavit, & ad caput ac corpus proprium reduxit. A quo nullo in poſterum tempore ſecedere, ſed eidem honorem, fidem, corpora & fortunas noſtras ad extremum usque vitæ ſpiritum impendere decrevimus. Itaque miramur ſane, cur nobis ſolis, non etiam Magiſtratui noſtro ſcribas, niſi quod hinc conjectari licet, te diſcordias & ſimultates inter nos ſerere velle, ut etiam alibi factum eſt, hic autem Deo bene volente nunquam ex ſententia vobis procedet. Neque adeo gratæ ſunt nobis literæ tuæ, uti fuiſſent, ſi quandoque ſupplices preces noſtras ad animum admiſiſſes, uti bonum Principem decebat. Scriptæ ſunt Gedani in vigilia Corporis Chriſti, anno MCCCCLV. ſub ſigillis collegii ſartorum & piſtorum, quibus cætera contubernia omnia, & tota communitas veteris primariæque civitatis Gedanenſis hac vice communiter utuntur.

Magiſter ſolicitat oppidanos junioris civitatis.

Cum ex hoc reſponſo Ludovicus animadverteret, parum ſuis ſe literis ibi profeciſſe, cives junioris oppidi tentandos exiſtimavit, eosque ad defectionem, vel tumultum ſaltem in urbe concitandum ſolicitandos. Non enim ignorabat adhuc eos ægre ferre oppidi ſui demolitionem, itaque ad eos ſeparatim ſcripſit in hanc ſententiam: Cum proh dolor! præ oculis videatis cladem & calamitatem belli, qua tota provincia graviter affligitur, & in poſterum, niſi caveatur, penitus conflagrabit: ne quis in nobis hujus rei culpam hærere vere affirmare poſſit, petimus a vobis, ut tandem exitium & perniciem provinciæ, & veſtram ac liberorum veſtrorum necem ad animum revocetis, ſalutem & incolumitatem veſtram amplectamini, honoris interim, fidei & jurisjurandi veſtri memores ſitis, & ad nos ac Ordinem noſtrum, utpote juſtos & legitimos Dominos veſtros, revertamini. Quod ſi feceritis, vobis omnibus & ſingulis vitæ & fortunarum indemnitatem præſtabimus, nec quidquam in eis detrimenti capietis. Quicquid vero contra nos hactenus actum vel tentatum fuit, nemini deinceps unquam fraudi vel periculo, vel dedecori futurum eſt, idque bona fide hiſce literis noſtris promittimus, ac ſancte ſpondemus. Sin

Sin quiſpiam ſecus de nobis detulit vel deferet, fidem ne adhibeatis, ſed quod nunc ſcribimus, id pollicemur pro nobis & ſucceſſoribus, Commandatoribus, & univerſo Ordine, ratum firmumque futurum. Qua in re ita vos geritote, ut perpetuam a nobis & Ordine noſtro gratiam inire cupitis: quod cum ſingulari veſtrorum omnium commodo ſemper erit conjunctum. Sin quid eſt, quod amplius deſideretis, de eo certiores nos facite quamprimum, & nuncios veſtros ad locum quendam oportunum mittite, quibus ſecuritatem præſtabimus, & noſtros (eandem ex parte veſtra ſecuritatem paciſcentes) adjungemus, qui de rebus omnibus inter nos conſtituendis accuratius agent. Scripſimus in eandem ſententiam ad contubernia & communitatem veteris & primariæ civitatis. Qua de re quid vobis videatur, quamprimum reſcribite. In majorem rei fidem ſigillum noſtrum hiſce literis appreſſum eſt, quæ ſcriptæ ſunt in arce noſtra Mariæburgenſi, Sabbatho ante Viti & Modeſti anno MCCCCLV. Per hanc machinationem Ludovicus oppidanos junioris civitatis in fraudem pellicere cogitabat. Sed res hærebat in luto. Jam enim illi inter cæteros cives ita erant diſtributi, ut nulla inter ſe conſilia ſeorſim vel ſecreto tractare poſſent, præſertim quod non ignorabant, quid cæteri cives pridem, communicatis cum Magiſtratu conſiliis, reſcripſiſſent. Unde nec reſpondere ſeorſim, nec quidquam aliud moliri illis integrum erat.

De numerando militibus ſtipendio.

Nec diu poſt, cum milites ſtipendiarii, Bohemi præſertim, Stargardiæ multa inſolenter perpetrarent, ac ex agris vicinis prædas agerent, ob ſtipendiorum ſolutionem prolatam, tandem die duodecima Junii menſis Ordines fœderati, Gedani conventum agentes, cum illis transegerunt, ut ſtatis diebus, ſolutionis integræ dodrans quidem in pecunia numerata, quadrans reliquus in mercibus omnis generis præſtaretur. Et cum major ejus debiti portio Gedanenſibus obveniret ſolvenda, in ſubſidium ærarii publici quadraginta quatuor viri boni, & patriæ amantes, partim ex ſenatoribus, partim ex civibus, marcarum Pruſſicarum quadraginta duo millia & quingentas in publicum contulerunt, quibus Senatus hypothecæ loco oppigneravit, molendinum in veteri civitate ſitum, & portorium maritimum, ut ex hiſce proventibus ſolutionem pecuniæ mutuo datæ reciperent.

Knipovianorum deditio.

Diximus paulo ante de Knipovianis in monte Regio acerrime hactenus obſeſſis & oppugnatis. Hi cum jam quatuordecim ſeptimanas Gedanenſium quantiscunque ſuppetiis obſidionem fortiter toleraſſent, interim autem a Rege fruſtra auxilium expectarent, nec in fœderatis ſociis ſpes reliqua eſſe videretur, ſiquidem obſeſſis undique viis & fluminibus nihil amplius ſupportari poterat, res vero quarum uſu maxime indigebant, commeatus, tormenta, pulvis deficerent, tandem Plavenio & Duci Saganenſi deditionem faciunt, & in ditionem ac poteſtatem Cruciferorum inviti revertuntur, Gedanenſium utique militibus incolumitatem pacti, ſic ut cum rebus & armis ſuis Gedanum usque ſalvi tutique decedere poſſent. Ex Gedanenſium militibus toto hujus obſidionis tempore deſiderati ſunt centum viginti, præter vulneratos, quorum plurimi

rimi paulo poſt ex vulneribus perierunt, cum interim ex Cruciferorum militibus & auxiliaribus quater amplius mille inter vivos eſſe deſiiſſent. Facta eſt ea deditio ipſa die Margaretæ 13. Julii. Cæterum ne ad Gedanenſes auxiliares ex hac deditione quidpiam ignominiæ redundaret, quaſi non ſatis conſtanter in ea obſidione ſe geſſiſſent, Knipoviani literis publicis & fidelem illorum operam, & neceſſitatem deditionis, quam cæterorum ſociorum ſocordia ſibi expreſſam haud obſcure indicant, palam ſunt teſtificati.

Hollandi intercepti.

Appulerant eodem tempore naves Hollandicæ complures ad oſtium Viſtulæ, quibus Senatus Gedanenſis ſub amiſſione rerum & corporis graviſſime interdixit, ne montem Regium ad hoſtes, cum quibus bellum eſſet publicum, enavigarent: ea tamen addita conditione, ſi merces ſuas Gedani divendere vellent, futuram illis viciſſim copiam, naves ſuas frumento vel quibuslibet aliis mercibus onerandi. Quam illi conditionem acceperunt quidem manu ſtipulata, veruntamen ſex iſtorum Nautarum interdicto neglecto, noctu clam verſus portum Balgenſem excurrerunt, ut ad montem Regium inde transmitterent, futurum ſperantes, quod ibi res ſuas longe pluris quam Gedani eſſent diſtracturi. Fuga illorum comperta, myoparonibus mox emiſſis, retracti & in vincula publica conjecti fuerunt. Deinde interceſſione complurium mercatorum, remiſſa graviori pœna, ducentis marcis majoribus Pruſſicis, pro ſtipendio militum mercenariorum, a quibus retracti fuerant, ſunt mulctati, minus certe, quam ipſi ſuo ipſorum teſtimonio, quod in ſcriptis ediderunt, fuerant commeriti. Placuit autem potiſſimum vel ideo mitius cum illis agere, ne Hollandi & vicini a Pruſſicis commerciis penitus abalienarentur.

Frauenburgi obſidio.

Obſidebant tum temporis Gedanenſium milites ſtipendiarii cathedrale oppidum Frawenburgum, ibique Canonicos in anguſtum redegerant, quosdam etiam ceperant, & ſatis grandi pecunia mulctaverant, eo quod a fœderatis defeciſſent, cum Cruciferis de indemnitate corporum & fortunarum depacti fuiſſent, arces & oppida quædam iisdem dedidiſſent. Cæterum Pruſſiæ Gubernator ad Gedanenſium Duces, qui rem gerebant, haſce literas perſcripſit, ex quibus ille rerum ſtatus etiam accuratius poteſt intelligi: Cum non ignoretis, quam perfide Canonici iſti adverſus Sereniſſimum Regem noſtrum & fœderatos Ordines egerint, ac hoſtibus oppida & arces, Allenſtenium præſertim tradiderint, cum ſummo noſtrorum omnium detrimento, neglectis crebris admonitionibus & interdictis noſtris. Eam ipſam ſcitote cauſam fuiſſe, cur binos Senatores Elbingenſes iſthuc miſerimus, qui proditores iſtos captivos abducerent, ut lege in eos ageretur, eorumque prædia & munitiones ibi conſtructas exurerent. Hi præter expectationem ad nos retulerunt, ſeſe a vobis prohibitos eſſe, quo minus mandatum exequerentur, neque vos captivos exhibere voluiſſe, quod id ſine mandato Senatus Gedanenſis vobis non liceret. Enimvero Dominis Gedanenſibus gratias agimus ex merito, qui ſemper nobis in re qualibet æqua & honeſta

neſta morem geſſerunt, neque ſperamus nunc illos officio defuturos. Proinde ſerio vobis mandamus, ut Canonicos iſtos omnes, quotquot captivos habetis, Elbingam ad nos perducatis, prædam ex illorum bonis & prædiis militibus dividatis, domos & munitiones funditus evertatis, ita quidem ne hoſtibus receptaculo eſſe poſſint, templis ſaltem & oppido, & molendino conſervatis. Si ſecus feceritis & aliquod ibi receptaculum hoſti reliqueritis, gravis omnino vobis eam ob rem reddenda ratio fuerit. Cæterum his ita peractis petimus etiam, imo ex auctoritate Regia mandamus, ut ex copiis veſtris ducentos præſidiarios Brunſpergam mittatis, cæteros ad tuendum lacum & mare, ad intercipiendos hoſtium commeatus, ubi quodcunque opus fuerit, diſponatis. Quod ipſum ita ſe curaturos Gedanenſes nobis ſpem fecerunt, quos etiam hortabimur, ut copias veſtras augeant, & nos ſi opus fuerit ſupplementum hinc mittemus, ut eo facilius hoſtibus obſiſtere valeatis. Scriptæ erant hæ literæ Elbingæ die 27. Julii anno MCCCCLV. Ad ea Gubernatoris poſtulata duces Gedanenſium in cæteris ſe morigeros exhibebant, Canonicos autem captivos, qui nondum ſe redemerant, non Elbingam, ſed Gedanum ſub cuſtodia mittebant. Ubi aliquandiu honeſte habiti tandem æquis conditionibus ita dimiſſi fuerunt, ut gratias agerent Gedanenſibus, quod eos in manum Gubernatoris non tradidiſſent. Durius enim ſecum actum iri haud injuria metuebant.

Dudum antea Fridericus Imperator Electori Brandeburgico negotium intercedendi commiſerant inter Poloniæ Regem, Cruciferos & Pruſſiæ Status, ſi quo modo vel pax vel induciæ conſtitui poſſent. Hactenus autem præter literas hinc inde miſſas nihil actum fuerat; quia poſt cladem Choinicenſem cum & Rex Pruſſia exceſſiſſet, & non pauci a fœderatis indies deficerent, plerique Germanorum Principum Cruciferis haud dubie victoriam pollicebantur. Cum autem ſecus eveniret, Fridericus Brandeburgicus denuo per Imperatorem admonitus petit a Rege Caſimiro, ut ſibi de pace liceat intercedere, hoc potiſſimum utens argumento: quam graviter a Turcis & fidei hoſtibus Chriſtiani affligerentur, quibus ut communibus viribus reſiſteretur, inter Chriſtianos ipſos maxime opus eſſe pace ac concordia: Regem ipſum ex præcipuis haberi, cujus vires Turcis ſint formidabiles, quos & ipſe & pater ſæpius egregie repreſſerit: Cruciferorum autem Ordinem ad hoc ipſum fuiſſe inſtitutum, ut infideles & paganos armata manu oppugnarent, & rem Chriſtianam armis amplificarent, cum quibus ſi Rex ad concordiam reduceretur, facilius communi opera communes hoſtes opprimi poſſe. Rex nihil aliud reſpondit, quam velle ſe animi ſui ſententiam demonſtrare, cum primum in Pruſſiam perveniſſet. Interim Gubernator mandato Regis fœderatis civitatibus Pruſſiæ ſcribebat, Regi non eſſe in animo ejusmodi interceſſiones, itaque externos legatos vel literas, pacis ſpeciem præ ſe ferentes, ne curarent, neve belli ſtudium eo reſpectu intermitterent.

Sub finem Julii primum Grudenti, mox Neoburgi, conventus agebantur fœderatorum, cum militibus ſtipendiariis tranſigendi cauſa.

Rex quidem receperat ſe ſtipendia illis ſoluturum, ſed hoc opinione ſerius fuit, neque milites ullius alterius quam fœderatorum fidem ſequi volebant. Illi igitur ſtipendium urgebant, hi perfidiam incuſabant, quod milites absque ducum conſenſu contra fidem datam inducias cum hoſte pacti fuiſſent, ſubditos & cives fœderatorum in vincula conjeciſſent, & vi pecuniam extorſiſſent, monaſteria expilaſſent, prædia & villas diripuiſſent, in prælium autem & conflictum cum hoſte graſſante deſcendere noluiſſent, quinimo ſtipendiarii Stargardenſes ob non ſoluta ad diem ſtipendia fœderatis hoſtiles minas denunciaſſent. Ita re utrinque diu multumque verbis diſceptata nihil tum potuit conſtitui. Placuit nihilominus in eo conventu, ut mille equites, quos ſuo ſumptu Rex in ſupplementum ſcribi juſſerat, Gedanum mitterentur, & cum cæteris copiis quamprimum in hoſtem educerentur, Nobiles etiam & pagani quanto poſſent numero illis adjungerentur.

Legati Gedanenſes ad Regem.

Ex eodem conventu internuncii Gedanenſium Hermannus Stargard Conſul, & Ewaldus Wryge Senator, Breſciam ad Regem profecti ſunt, ut de ſubminiſtrandis pluribus auxiliis & exolvendis militum ſtipendiis agerent. Ubi inter cætera mentio fuit injecta Friderici Marchionis, qui partes interceſſoris agebat, Rex autem ſuſpicabatur rem non ſerio agi, ſed interim auxilia Germanorum conciliari. Monebat itaque Gedanenſes, ut inſidias & proditiones caverent, neve ſe verbis ad alia conſilia deduci paterentur, urbem autem quantum poſſent etiam atque etiam communirent. De militibus exiſtimabant Legati, quandoquidem poſt cladem Choinicenſem in Regis verba juraſſent, nec deinceps a fœderatis conducti fuiſſent, æquum eſſe, ut a Rege ſtipendia conſequerentur. Neque Rex abnuebat, quin æquis conditionibus cum eis tranſigeretur. Tentata res etiam per arbitrum, ſed parum ex ſententia proceſſit. Illud demum Legati a fœderatis moleſtiſſime ferri proponebant, quod e Pruſſia tamdiu Rex abeſſet, cum interim & Regiomontani & alii præſidio deſtituti in hoſtium poteſtatem conceſſiſſent. Et quanquam Rex in Pruſſia non contemnendas militum copias aleret, plus tamen illos damni, quam commodi adferre, quod neque cum hoſte congredi vellent, & non ſecus quam in hoſtico inter ſocios graſſarentur, hoſtes & amicos nullo habito diſcrimine depopularentur. Reſpondit Rex, ſe quamprimum omnes, quas conſcripſiſſet, copiæ conveniſſent, & Bohemi, quos conduxerat, adeſſent, Viſtulam trajecturum, nec Pruſſia cum copiis exceſſurum prius, quam rem omnem ad optatum exitum perduxiſſet.

Portus Balgenſis obſtructus.

Eodem tempore nunciabatur Gedanenſibus, in Livonia naves, militem & commeatus ſumma vi comparari, ut præſidium Cruciferis mari transmitteretur. Illi cum pertæſi jam eſſent ſumptuum, quibus portum Balgenſem tuebantur & cuſtodiebant, ne hoſti commeatus importaretur, tempus etiam anni inſtaret, quo graviores ſolent concitari ventorum tempeſtates, & alioquin ea ſtatio navibus non admodum eſſet tuta, conſilio ex tempore capto, ut omnem eo loci ad hoſtes commeandi facultatem ſemel præciderent, portum cum quinque navibus lapide & arena impletis & in profundum depreſſis penitus obſtruxerunt. Sub

Sub finem Auguſti menſis Legati Gedanenſium, quos diximus, cum denuo inter cæteros Ordinum fœderatorum Legatos ad Regem miſſi fuiſſent, haſce literas de rerum præſentium ſtatu ad Senatum Gedanenſem perſcribunt: Convenimus Regem Gnibcoviæ, nos & cæteri Legati Torunenſium ac Culmenſium, nec non Palatinus Gabriel Bayſenius, ubi Rex inſtructiſſimum habet exercitum. Acceſſerunt nuper Cracovienſis & alii Palatini cum ſelectiſſimis copiis, & indies magis ac magis exercitus augetur. Copiæ omnes tripartito diviſæ ſunt in caſtris ante pinetum, tribus a Torunio milliaribus. Cum Palatino Cracovienſi ſimul advenit etiam Dux Oſwicenſis quadringentis equitibus comitatus. Alium exercitum ex Boëmis & Sileſiis Rex mercede conduxit, quem & ipſum in Pruſſiam ducturus eſt. Quando iter ingreſſurus ſit, nondum etiam exploratum habemus, niſi quod bipartito agmine Cruciferorum ditiones invadentur. Cauſa militum Stargardenſium multis ultro citroque verbis commutatis ita tandem per compromiſſum deciſa eſt, ut illis intra tertium menſem duodecim millia aureorum dinumerentur. Petivimus a Rege, ut nos legatione jam peracta dimitteret, id ideo abnuit, quod Marchioni diem adſignaſſet ad ejus poſtulata audienda. Nam cum de Pruſſia potiſſimum agat, Pruſſos etiam iiſce conſiliis vult intereſſe. Hortatur vos Rex, ut animo ſitis forti, & de ſe vobis nihil aliud perſuadeatis, quam quod fidelibus ſubditis a bono pioque Principe ſit expectandum.

Legatorum literæ.

Literæ ducum Mariæburgenſium.

Eodem tempore duces ſive centuriones præſidiariorum militum, qui Mariæburgum tenebant, ad contubernia civitatis Gedanenſis literas miſerunt, quibus vehementer expoſtulabant, magnam ſibi fieri injuriam ejusmodi ſermonibus, quos Gedani vulgo ſpargi audiant, quaſi ipſi Mariæburgum & cæteras arces a Cruciferis ſibi commiſſas Poloniæ Regi pretio vendere velint, idque exiſtimabant cum ſumma ſua & totius Germanicæ nationis infamia & contumelia conjunctum. Atque hinc ſumpta occaſione plebem hortabantur, ut ad priores & hæreditarios Dominos repedarent. Eamque in rem, quo commodius conficeretur, ſtudium & operam ſuam pollicebantur. Hæc quidem eo excogitata fuerant, ut diſſidium aliquod inter Senatum & plebem excitarent. Senatum enim de variis criminibus inſimulabant, plebi adulabantur, qua in partes ſuas traducta ſperabant facile urbe ſe potituros.

Reſponſum ad eas literas.

Reſponſum ita fuit illis, ut haud dubie intelligerent, artibus ſuis nullum hic locum relictum. Nos quidem (inquiunt Gedanenſes) non excogitavimus, neque confinximus, neque Senatus nobis nunciavit, vos de vendendis Cruciferorum arcibus agitare conſilia, ſed ſcimus vos ipſos hac ipſa de re cum Regis noſtri Conſiliariis egiſſe. Si hæc injuria eſt, non a nobis proficiſcitur: ſi infamia, ſi contumelia eſt, vosmet ipſos incuſate, qui eam facitis. Nos Dominum legitimum & hæreditarium habemus Caſimirum Poloniæ Regem, huic fidem dedimus, eamque præſtabimus perpetuam. Alios Dominos ignoramus, ad quos ut revertamur fruſtra ſperatis, & in cohortando nos operam omnem perditis &c.

Actio Marchionis Friderici.

Supra dictum est de Marchione Friderico, qui concordiam inter Regem & Cruciferos tentabat. Is ad Regem venit Bidgostiam trecentis equitibus comitatus, atque ibi præsentibus Consiliariis regiis & Prussorum legatis, de studio suo erga Rempublicam Christianam & utramque partem præfatus, ideo se pacificationis provinciam suscepisse proposuit, quod & utrique parti vicinus, & in Poloniæ regno a pueris altus & educatus esset, & nunc se daturum operam omnem, qua isthæc controversia aliquo saltem pacto componatur. Videri sibi rem in eo potissimum verti, quod Prussiam Rex libenter retinere velit, utpote rationibus regni sui maxime accommodatam, Cruciferi non libenter eandem amittere velint, utpote multo suo labore & sanguine comparatam. Sese illud (si possit) effecturum in Regis gratiam, ut Cruciferi ultro Prussia decedant, Rex eam vel pecunia vel aliqua alia provincia compenset. Cum Rex ejusmodi conditionem non recusaret, locus primum Neoburgi constitutus est, quo utrinque Legati data publica fide convenirent. Eo ubi ventum est, de permutanda Prussia valde alienum visum fuit Cruciferis mentionem aliquam fieri, ideoque hanc ferebant conditionem, se tantam pecuniæ summam, quanta utrinque belli impensæ stetissent, Regi soluturos, ipse vicissim Prussia decederet, & subditos illorum committeret arbitrio. Ibi tum, absit (inquit Rex qui aderat) ut ego sanguinem Christianum pretio vendam, & eos, qui fidem meam secuti sunt, vestræ libidini, cædibus & tormentis exponam. Adhæc enixe rogabat Marchio, dignaretur Rex ad animum revocare, Cruciferorum Ordinem pro honore Dei & Deiparæ virginis institutum, ad tuendos Christianos contra infideles, ideoque Provinciam illorum Prussiam ipsorum potestati permitteret. Tum Rex, scio (inquit) quæ sit istius Ordinis institutio, quod officium. Verum illi intra ducentos abhinc annos rem Christianam parum vel nihil juvarunt, quin eam oppugnarunt potius, quod vel meo & parentum exemplo liquet. Quoties cum Turcis, Tartaris & Russis bellum gessimus pro re Christiana tuenda, toties illi, egregii scilicet Christianorum propugnatores, in provincias nostras irruperunt, eas incendio, cædibus ac rapinis devastarunt. Proinde quoniam majores mei Ordinem istum in Prussia primum constituerunt, eamque Cruciferis ultro concesserunt, illi vero nequaquam officio satisfecerunt, sed contra fidem sæpius violarunt, erga Patronos autem semper ingrati fuerunt, haud immerito Prussiam recepimus & Regno nostro adjunximus, nec unquam eam manumittemus, nec a regno rursum separabimus. Actum deinde per Marchionem, ut utrinque ad decidendam causam arbitri deligerentur. Cruciferi arbitrium Cæsaris, Pontificis Romani, & Ladislai Boëmiæ & Ungariæ Regis eligebant. Rex Concilio generali rem totam dijudicandam permittebat, sic ut interim induciæ essent, & ab armis utrinque discederetur. Cum id Cruciferi recusarent, infecta re discessum est. Rex Torunium contendit, quo jam ejus copiæ convenerant, centum & quinquaginta millia equitum ac peditum, qui sub Regis adventum Vistulam trajecerunt, ac deinde Lessum oppidum (Lassinum Cromerus vocat) obsederunt.

Eodem

Comes Helffenstenius.

Eodem tempore Ludovicus Comes Helffenstenius Gedanensibus literas mittit ad Regem Casimirum scriptas, quibus Regi & subditis hostilitatem more tum recepto denunciabat, & sic rapinas & latrocinia interim perpetrata, quasi justus esset hostis palliari putabat. Is Comes ab initio belli inter duces fœderatorum stipendia meruerat, nunc autem cum ab iis non parum pecuniæ lucratus esset, hostis repente factus, ad Cruciferorum partes transiit, & e vestigio Regis subditis & fœderatorum consortibus varia incommoda intulit, prædas ex agris abegit, demum literas, quas diximus, Gedanum misit, ut Regi porro per Gedanenses exhiberentur. Illi literis ad eum remissis respondent, se non esse tabellarios ab eo conductos, nec ipsum ignorare, ubi Rex Casimirus, cujus hostem se profiteri velit, terrarum degat, cui si literas missurus esset, per suos homines mitteret. Enimvero (inquiunt) non videris usquequaque honoris & existimationis tuæ rationem habere, qui cum per integrum ferme annum, ex quo a nobis secesseras, Regis provinciam & subditos invaseris, nunc demum hostem illi te profitearis, quod fieri jam pridem oportebat. Erant eidem Comiti simultates etiam privatæ cum Senatore Gedanensi Johanne vom Walde, cui specialiter inimicitias denunciabat, eumque verbis ad summam contumeliam pertinentibus proscindebat. Is verbis etiam acrioribus respondet, & contumelias eas in ipsius sinum regerit, ac inter cætera illud ipsum graviter exprobrat, eum minime nobilis & generosi viri officio functum, qui Regis subditos hostiliter invasisset, priusquam hostem se publice profiteretur.

Res ad Lessum gesta.

De statu belli ad oppidum Lessum translati, Gedanenses, Legatorum suorum, qui in castris erant, literis, facti certiores, initio mensis Octobris in hanc sententiam scriptis: Rex noster cum exercitu suo, qui centum quinquaginta millium excedit, ad Lessum castra metatus est. Nos tentoria habemus muro proxima, sic ut hinc in oppidum balista telum adigere possimus. Oppidani multa in nos tormentorum saxa ejaculantur, sed ita nos communivimus vallo & corbibus humo oppletis, ut hactenus parum nocere nobis potuerint. Exercitus in circuitu oppidum complectitur, omnes portæ munitionibus circumvallatæ sunt, ut aditus ad obsessos omnis plane sit præclusus. Bohemici & Polonici Proceres existimant, oppidum diutius defendi nequaquam posse, sed primo impetu facile captum iri. Exploratum habent, trecentos saltem & quinquaginta milites stipendiarios civibus esse præsidio. Et affirmant plerique, Regi omnino decretum esse, ut in diem crastinum omnes copiæ oppido admoveantur, & impressionem faciant, ideoque majora aliquot tormenta Torunio, Redino & Grudento huc advecta sunt, & nunc omnia ad oppugnationem apparantur. Quod ad nos scripsistis de Cruciferorum auxiliariis, qui agminatim cotidie Vistulam trajiciunt, id Regi significavimus. Is respondit, eo se potissimum instituto advenisse, ut cum universis copiis pugnandi potestatem hostibus faceret, modo ipsi præsto essent cum omnibus auxiliis, & si congredi ausint, haud dubie se favente Deo victoriam reportaturum. Jussit etiam pontem Torunensem tolli, & secundo flumine Grudentum devehi, ut ibi fluvius sternatur, & traji-

ciendo

ciendo faciliùs exercitui ſit idoneus. Vos ea, quæ civitati in omnem eventum uſui erunt, tormenta, ſaxa, ſcalas, & cætera bellica inſtrumenta, facitote ut omnia diligenter comparata habeatis. Terra Culmenſis in toto hoc tractu penitus devaſtata eſt, adeo quidem, ut nec villa quæpiam integra ſit, nec bovem vel ovem uſpiam videre liceat, ita nulli paganorum injuria belli pepercit. Paucæ ſaltem caſæ piſcatorum hinc inde in ripa fluminis prope Culmam apparent. Quicquid a rapinis & flammis Cruciferorum manſit reliquum, totum id nunc ab exercitu Regio devaſtatur. Atque hoc modo Rex cum tanto exercitu ad Leſſum
Leſſum. deſidebat. Oppidum iſtud ſitum eſt inter Grudentum & Reſeburgum ad Oſſam fluvium, nulla ferme re nobilius, quam quod tanti exercitus impetum cum paucis præſidiariis militibus ſuſtinuerit. Rex oppugnando parum proficiebat, tormenta magna ex parte corrupta, & ad jactus miſſilium inutilia erant effecta. Commeatus omnis generis ſumma inopia, ſic ut pabulatum ultra decem ac duodecim milliaria a caſtris eundum eſſet: Viciniora enim omnia primo adventu abſumpta erant: brevi etiam quadringenti quinquaginta equi in caſtris pabuli inopia perierant, præterquam quod nonnulli Procerum & quidem præcipui miſſionem flagita-
Leſſi obſidio ſoluta. bant. Quibus rebus adductus Rex obſidionem ſolvit, & Grudentum conceſſit, ubi ponte ſuper Viſtulam conſtructo decreverat cum majori parte copiarum in Pomerelliam tranſire: partem in præſidia per ulteriorem Pruſſiam paſſim diſtribuit, civitates & arces in territorio Culmenſi iisdem præſidiis communivit. Proceres vero Polonici cum auxiliaribus plerique domum quisque ſuam contenderunt. De hac expeditione Regi
Cromeri teſtimonium. & ejus magnatibus parum honorifica Cromerus hæc ſcribit: Eodem itinere, quo ſuperiori anno ad Laſſinum non optimo conſilio caſtra mota ſunt. Prætergreſſus autem oppidum exercitus, non longo intervallo ab obſidendum id revertit. Spectabant ad deditionem oppidanorum animi, ſed quadringenti Crucigerorum equites præter caſtra noſtrorum, in quibus nulla erat militaris diſciplina, in oppidum ingreſſi eos confirmarunt. Itaque obſidione in Novembrem extracta, cum majore pene obſidentes quam obſeſſi, inopia premerentur, neque commoda eſſet frumentatio & pabulatio tanto exercitui, dilapſis agreſtibus, in quos noſtri nulla injuria ſe abſtinebant, & frumento mature ante adventum noſtrorum in munitiones convecto, ſero conſilium ſuum Rex damnavit. Et nives autem pluviis mixtæ ventique acriores jumenta & homines deſuetudine militiæ molliores affligebant. Igitur ſoluta obſidione Rex dimiſit exercitum domuitionem flagitantem, quarta ferme parte equorum amiſſa. Cujus diſceſſu ipſi quoque regiarum partium Pruſſi lætati ſunt. Neque enim minoribus, nec ſcio an majoribus etiam damnis & incommodis ab eo, quam ab hoſte, agri eorum affecti erant, ita ut ne tectis quidem parceretur. Hæc ille.

Ilavia Pruſſica. Durante adhuc obſidione Leſſenſi die decima ſeptima menſis Octobris milites fœderatorum in ulteriori Pruſſia oppidum Ilaviam, quam Pruſſicam ad Germanicæ ejusdem nominis differentiam vocant, aggreſſi, oppidum & arcis anteriorem munitionem ceperunt, omnibus qui

qui reſiſterent interfectis, & militibus Cruciferorum trecentis captis, una cum equis triginta egregie inſtructis. Cæteri cæſi, ſexdecim ſaltem exceptis, qui in munitiorem arcis partem ſe receperunt, eamque ab hoſtium inſultu conſervarunt. Milites victores ingentem omnis generis prædam earum rerum, quas vicini & pagani quique tanquam in tutum eo comportaverant, nacti ſunt, & re bene geſta, priusquam auxilia victis ex propinquo advenirent, ad ſua receſſerunt.

Eodem tempore Gedani mulier quædam deprehenſa fuit, cum Proditor Gedanenſis.
feſtinanter admodum portam urbis exire vellet, ac inventæ apud eam literæ ad præfectum Dirſavienſem, & molendini quondam Gedanenſis adminiſtratorem perſcriptæ. Haſce literas perfidus quidam civis Nicolaus Pulſaw, homo alioquin cognitæ malitiæ, ad hoſtes mittebat, quibus ſignificabat, inſignem eſſe in urbe diſſenſionem propter crebras civium exactiones, quibus diutius non eſſent ferendo. Monſtrabat etiam locum, ubi per alveum Rodani fluminis in urbem clam pervadi poſſet. Multaque addebat alia, quæ malitioſe admodum ad proditionem & perniciem univerſæ civitatis excogitaverat. Quam ob rem & ipſe & conſcii, quos indicaverat, & tabellaria, prout meruerant, ultimo ſunt adfecti ſupplicio.

Sub finem menſis Octobris Gedanenſes nomine & mandato Re- Transactio
gis cum militibus mercenariis Stargardenſibus ob ſtipendia non exoluta cum militibus Stargardenſibus.
ita tranſegerunt, ut pro Rege ſponderent ſolutum illis iri ad diem omnium Sanctorum, in ſingulos equos aureum unum, ad diem Martini binos aureos, ad natalitium Chriſti ternos, inſequenti itidem anno ad diem purificationis Mariæ ſemiſſem totius reliqui debiti, & ad Dominicam Invocavit alterum ſemiſſem, ſic ut utraque vice duæ debiti partes in mercibus, tertia in paratis nummis repræſentaretur. Si qua mora intervenisſet, unde damnum vel ſumptus militibus eſſent faciendi, ſpoponderunt Gedanenſes ſe præſtituros. Quicquid autem ipſi milites civibus Stargardenſibus deberent, in ultimo ſolutionis termino defalcaretur. His omnibus probe præſtitis milites arcem & civitatem Stargardenſem Regi Poloniæ, vel cui id commiſſum fuerit, traderent, civibus juramento ſolutis. Deinde fides illis publice daretur, qua cum rebus ſuis tuto finibus excederent, absque maleficio tamen incolarum & agrorum, neve cui hominum, neve rebus cujusquam nocerent. Atque per hanc transactionem omnes omnino obligationes, quascunque in ſtipendia ſua haberent, caſſæ & inanes eſſe jubentur. Hæc conventio ſcriptis edita eſt die Simonis & Judæ anno MCCCCLV.

Poſtulabant Gedanenſes a Rege cum Leſſo caſtra moveret, ut Regis negligentia.
cum exercitu tranſiret in Pomerelliam ac hoſtem præverteret, quo minus in agrum Pucenſem irrumperet, inde Butoviam & Leweburgum opprimeret, & ſic etiam ea parte Gedanenſibus hoſtis nimis foret vicinus. Cum autem ex literis Legatorum cognoviſſent, Regem ipſum circa Torunium remanſurum, petebant, ut duces aliquos inſignes cum exercitu

citu mitteret, qui Pomerelliam tutarentur. Etenim in militibus Stargardenſibus querebantur parum eſſe præſidii, qui majori ſociis quam hoſtibus eſſent terrori damnoque. Nunciabant etiam Cruciferos Derſaviam & Mevam ſubinde novos milites ſubmittere, eo haud dubie conſilio, ut ſumma vi reliquam Pomerelliam tentarent, itaque maturato opus eſſe, ne quod gravius interim acciperetur incommodum. Cæterum cum Rex nec ipſe veniret, nec mercenariis militibus, qui Stargardum & Neoburgum tenebant, de ſtipendiis ex ſponſione ſatisfaceret, omniaque lentius videretur agere, quam res poſtulabat, neceſſitas Gedanenſibus proponebatur, ea quæ Regis nomine pepegiſſent de ſuo ſupplendi, quod alia ratione confici non poterat, niſi ut cives in publicum contribuerent.

Semina ſeditionis.

Qui cum alioquin ſatis ſuperque continuis belli ſumptibus exhauſtos ſe quererentur, inter plebem tumultuari cœptum adverſus Magiſtratum. Muſſitabant plerique male Rempublicam adminiſtrari, pecuniam in uſum belli collatam alias dilapidari, alii alia conſilia ſuſcipienda cenſebant, & omnia ad ſeditionem ſpectare videbantur. Nec clam id erat, ſed rumor defectionis jam in Regis caſtra permanaverat. Ea res Proceres, qui tum Regi aderant, maxime commovit. Verebantur, ne ſi Gedanenſes tædio belli diuturnioris a fide Regis deficerent, eorum exemplum tota Pomerellia ſequeretur. Placuit eos ſuæ fidei admonere, & de cæteris ſpem meliorem oſtendere. Itaque ſcripſerunt illis in hæc verba:

Literæ Procerum.

Famoſi Domini, amici noſtri dilecti. Ex multorum aſſertione informamur, quomodo inter amicitias veſtras ſeu communitatem civitatis Gdanſk diſceptationes quædam & differentiæ ſorent exortæ, per quas aliqua pars civitatis veſtræ ad partem Magiſtri Cruciferorum ſeu ſtipendiariorum ejus videntur acclinari. Quæ res utique miranda, licet nonnullorum verificatione firmetur, hi tamen qui nobiſcum ſunt præſentes ex veſtra civitate, fratres noſtri, nullam de ea novitate cognitionem ſe dicunt obtinere. Neque nos talibus relationibus, quas pro fictis reputamus, fide poſſumus adhærere. Ipſa enim res, poſtquam, quod abſit, veritate eſſet fulcita, veſtræ primum ſaluti, fideique, honori & cuilibet ingenio foret contraria. Quis enim ſalutis ſuæ memor promiſſam juratamque Sereniſſimo Domino noſtro Regi coronæque ſuæ Serenitatis perpetuam aſſiſtentiam auderet violare? aut fidem pollicitam a Rege coronato tantisque dominiis & potentiis, prout vobis conſtat, remunerato, ac ex tam ſublimi & magnifica ſtirpe regia egrediente, a nobisque fratribus & amicis veſtris & tota Corona Poloniæ, ſub cujus tutela & antea prout & hactenus ab æterno perſtiteramus, & cujus ditioni corporique ordinatione divina, prout & antea unum corpus fuimus, nunc ſumus reintegrati, averti & alienari? pacisque & amicitiæ perpetuæ cum tam potenti regno fœderatæ ſuavitatem deſerere? convertique ad eum Dominum (quod abſit) Magiſtrum Cruciferorum, cujus ortus quis aut qualis ſit ignoratur, dominiumque & potentia ita, prout noſtis, debilis, ſtipendiariique ſui ex variis partibus congregati, quorum intentio eſt lucrum proprium, quo deficiente & illorum ceſſat juvamen. Nos nulla mercede pecuniali conducti, ejus amicitiæ & pacis perpetuæ,

perpetuæ, quam cum Veſtris fraternitatibus, Domino omnipotenti operante ſumus ingreſſi, contemplatione, aliquoties jam tantas potentias exercituum pro defenſione veſtra congregabamus, componendo etiam ex propriis bonis & facultatibus has exactiones pro juvamine veſtro, quas & iterum nunc ſtatuimus per totum regnum exigi & componi. Et licet non dubitamus, & fraternitates Veſtras non parvas impenſas pro hujus negotii continuatione exhibuiſſe, omnia tamen omnipotenti Deo juvante facilem accipient inſtaurationem, poſtquam pace perpetua, quam ſecuturam in brevi ſperamus, & quæ omni pretio impenſaque carior eſt, pariter potiemur. Cujus jam ſperandum fuiſſet in propinquo nuncium, ſi non illa civitas Kyennigsberg per confuſam hoſtium intromiſſionem majorem nobis paraſſet difficultatem. Et quid utilitatis ex ea miſera hoſtibus facta ſubjectione ſibi quæſiverit, Veſtræ fraternitates poſſunt cognoſcere, cum bona illorum majori quam unquam periculo continuoque diſcrimini ſint dedita. Ea propter rogare & commonefacere Veſtras amicitias ſtatuimus, & hactenus rogamus, quatenus conſiderata honeſtate, profectu, amplitudine, incrementoque veſtro, ſic conſtanter, prout nos ſperamus, in fidelitate Sereniſſimo Domino noſtro Regi gratioſiſſimo perſeveraveritis, intellectoque periculo ac incommodo veſtro, ſi, quod abſit, ad hoſtes aliquem reſpectum, quem nos non ſperamus, feceritis, velitis in eo pacis perpetuæ fœdere, in unoque Coronæ Poloniæ corpore, & mutua noſtra amicitia unioneque una nobiscum commanere. Non dubitantes nos amicitiis Veſtris perpetuam facere aſſiſtentiam & juvamen, aliosque dubitantes, ſi qui ex communitate eſſent, informantes & ſtabilientes, quatenus in ea conſtantia & fidelitate Sereniſſimi Domini noſtri Regis, ad quam ſumus pariter obligati perſiſtant & perſeverent. Datum in Thorn feria tertia in vigilia ſanctæ Eliſabethæ anno Domini MCCCC. quinquageſimo quinto.

Joannes de Czizow Caſtellanus & Capitaneus.
Joannes de Thantzin Palatinus Cracovienſis.
Petrus de Schamotuli Posnanienſis.
Petrus de Gay Caliſienſis Caſtellani, Capitaneus majoris Poloniæ.
Hintza de Rogow Siradienſis.
Joannes de Czarnkow Gnesnenſis.
Dobragoſtius de Oſtrorog Caminenſis Caſtellani.
Cæterique Prælati & Barones Regni Poloniæ, ad latus Sereniſſimi Domini Regis Poloniæ exiſtentes.

In eandem ſententiam ſcribebant etiam Legati Gedanenſium ex caſtris, quantum eo rumore conſternatus Rex fuiſſet, ac pluribus hortabantur, ne ſpem Regis, quam præ cæteris de urbe iſthac concepiſſet, fallerent, neve ſponte ſua ſibi perniciem acceſſerent. Si quid vero diſcordiarum eſſet, æquabili & amica ratione tranſigerent potius, quam in propriam necem inter ſe digladiarentur. Quo enim rem (inquiunt) iſtam evaſuram putatis? aut ubi meliorem conditionem invenietis? Apud Cruci-

Literæ Legatorum.

Cruciferos? Atqui conſtat nullas ipſis vires eſſe, quibus vos defendant, manifeſtum eſt ipſorum civitates & arces haud poſtremas mercenariis militibus ob ſtipendia addictas. Quin veſtris militibus vosmet addicite, ſi ſtipendia, quæ illis ſolvantur, non habetis: meliori paulo fueritis conditione, quam ut Cruciferis vos tradatis, qui veſtrum ſitiunt ſanguinem. Illud utique nemini dubium eſſe poteſt, ſi civitas iſthæc a Rege ſuo ſe avertit, quin in apertum ſemet exitium præcipitabit. Brevi inſtituetur hic omnium Ordinum conventus, in quo de ſumma belli conſultabitur, ubi etiam ratio habebitur impenſarum, quas civitas fecit, & ſtipendiorum, quæ militibus debentur. Ac ſi videbitur res poſtulare, ex eodem conventu vobis auxilia mittentur. Obteſtamur autem veſtrum omnium fidem, conſcientiam atque honorem, cogitetis etiam atque etiam harum rerum exitum, proſpicite finem priusquam aliquid aggrediamini. Exemplo ſaltem vobis ſint Regiomontani, qui ad Cruciferos defecerunt, eadem de cauſa, quod pro virili nobiſcum impenſas belli conferre nollent, nunc plus duplo conferre coguntur, nec exiſtimate melioris vos conditionis futuros. Quin potius concordiam modis omnibus conſervate, præſentem fortunam conſtanter ferte, & civitatem omni ſtudio adverſum malos conatus communite, ne per inteſtinam diſcordiam hoſtibus via ad tentandas inſidias aperiatur.

Gedanenſium remuneratio.

Cæterum quoniam Gedanenſes in uſum hujus belli jam inde ab initio haud exiguas impenſas fecerant in obſidione Choinicenſi & Mariæburgenſi, in ferendo Knipovianis ſubſidio, in exſolvendis militum ſtipendiis, ut aliqua ipſis referretur gratia præſentaria, Caſimirus ipſis Commandatoriam Gedanenſem, ea ſcilicet bona, quæ ſub Cruciferis Commandator ejus civitatis adminiſtraverat, & officium piſcaturæ Pucenſis, cum omnibus fructibus & proventibus oppigneravit, ut iis tamdiu uterentur, fruerentur, donec impenſas in bellum erogatas ex iis recepiſſent. Id actum & in tabulas relatum fuit die 12. menſis Decembris ejusdem anni quinquageſimi quinti. Hoc pacto cives in officio retenti, & gliſcens ſeditio prorſus extincta, & deinceps Gedanenſes nihil de priori erga Regem obſequio remittentes, primum omnium cum cæteris civitatibus & Ordinibus egerunt, ut tandem mercenarii milites, conſtitutis in ſolutionem certis diebus abſolverentur. Quam in rem cives quidam Gedanenſes ex privatis facultatibus viginti marcarum millia contulerunt.

Excurſiones Cruciferorum. Welavia. Fridlandia.

Circa finem ejus anni, quoniam hyems eſſet remiſſior (quanquam id aliqui præterita æſtate ſtatim poſt cladem Ilavicam factum exiſtimant) Heinricus Plavenius cum mercenariis militibus Welaviam tam terra quam fluvio obſidere cœpit. Sed ab iis, qui in præſidio erant, fortiter repulſus ducentis militibus cum quinque ſcaphis amiſſis turpiter abſceſſit. Mox Fridlandiam tentavit. Præerat ei oppido Scubela quispiam Boëmus cum præſidio. Is ubi adventare hoſtes accepit, ſimulata negligentia ad ipſa usque mœnia oppidi pertingere eos paſſus eſt, deinde ſubito bombardis, quas oportuno loco collocarat, in confertos diſploſis, magna clade, majore vero perturbatione eos adfecit, confeſtimque in trepidantes

dantes cum ſuis erumpens, longe eos propulit, & quingentos ex eis occidit, centum vivos cepit. Pari infortunio idem Plavenius ab oppidis Schippenbuelo & Libavia repulſus fuit, hic paucis, illic trecentis militibus deſideratis. Eodem tempore Melſacum, quod jam antea menſe Aprili ad Cruciferos defecerat, a fœderatorum militibus receptum, & quia non erat operæ pretium ibi præſidium alere, direptum & incenſum fuit, captivi Heilspergam translati. Cruciferorum item milites, qui Soldaviam & Oſterodum tenebant, copias Neideburgum admoverunt, rati ſe de improviſo oppidum oppreſſuros. Oppidani vero cum primum impetum fortiter ſuſtinuiſſent, hoſtes interim remiſſiores viderentur, ſubito eruperunt, & illos in fugam conjecerunt, nonnullis interfectis fedecim Cruciferos, & centum equos inſtructos ceperunt. Cruciferis toties brevi profligatis nihilominus eodem ferme momento a fœderatis defecerunt Alleſtenium, Reſella, Wartemberga, Ortelispurgum, Reina, Hoheſtenum, Ilavia, quam Germanicam vocant, Reſeburgum, & alia oppida ignobiliora, quorum incolæ non vi adacti, nec metu territi, ſed magnis Cruciferorum pollicitationibus, quibus vulgus ferme libenter aſſentiri ſolet, diverſam partem ſecuti ſunt. Verum eæ magnificæ pollicitationes re ipſa parum præſtabantur.

Schippenbuelo. Libavia. Melſacum. Neideburgum. Defectores.

Media hyeme Equites Maſovii ſexcenti ſubito in provinciam Cruciferorum irruperunt, & duas arces inopinato impetu captas injecto igne cremarunt, deinde Reinam obſederunt. Plavenius autem noctu ſuperveniens incautos in caſtris oppreſſit, & ad unum omnes interfecit, nec tamen incruenta potitus eſt victoria. Ita ſane belli hujus initio milites Polonici parum proſpera ſunt uſi fortuna, plerumque tamen propter nimiam (uti equidem opinor) multitudinem, quæ in obſidionibus, niſi commeatus affatim affluat, diutius contineri non poteſt, & in acie cum omnes numero confidunt, & in una multitudine ſpem victoriæ ponunt, ſinguli parum ſunt tam cauti quam animati. Sic ante annum tanto cum exercitu, quantum tota Pruſſia vix caperet, unum Mariæburgum tamdiu fruſtra obſidebatur. Sic ad Choiniciam nulla alia fuit infeliciter pugnatum, quam multitudinis fiducia, qua ſola tum Poloni nitebantur, usque adeo, ut vel aurigarum ſuorum flagellis tam paucos Germanos in fugam actum iri magnifice jactarent, ſed eam opinionem longe fefellit eventus. Sic bina vice Rex primum cum ſexaginta millibus, iterum cum centum quinquaginta millibus exiguum oppidum Leſſum obſidens, re infecta diſcedere coactus fuit. Itaque ſcite illud ſapientis dictum eſt: In bello non refert, quot milites in aciem perducas, ſed quot eam ad rem idoneos.

Cæterum hac in re, ut in plerisque aliis non tam initium quam eventum ſpectare ſolemus.

FINIS LIBRI QUINTI.

HISTORIÆ RERUM PRUSSICARUM

LIBER SEXTUS.

An. 1456. Plavenii literæ.

Anni ſequentis initio Heinricus Plavenius occaſionem obiter arripuit ad contubernia Gedanenſium ſcribendi, non quidem quod magni res eſſet momenti, ſed quoniam audierat diſſidere Senatum & plebem, hoc ipſum cuperet magis magisque augeri, ſperans futurum, ut aliquando tandem plebs ad priores Dominos inclinaret. Literæ his erant verbis perſcriptæ: Heinricus Reuſs Comes Plavenius, Ordinis Teutonici Gubernator, ſummus Mareſcallus & Commandator Elbingenſis, Senioribus, Contuberniis & toti communitati civitatis Gedanenſis ſalutem dicit. Perfertur ad nos, quod inter vos nunc etiam majori contumelia quam unquam antea traducimur, & probris inſimulamur, cum interim ſperaſſemus, futurum, ut hiſce convitiis aliquando modus imponeretur, & quisque ſe ipſum agnoſceret. Spargi dicuntur apud vos publice ſermones, quaſi palam dixiſſemus: Etiamſi cutis noſtra pergamenum eſſet, ſanguis noſter atramentum & cor ſigillum, quibus quid ſpoponderimus & obſignaverimus, tamen id nos præſtare & fidem ſervare non poſſe, & ideo Regiomontanis etiam nihil eorum, quæ polliciti fueramus, præſtitiſſe. Tale os mendax omnium harum calamitatum auctor, diuturni hujus belli protelator & Chriſtiani ſanguinis effuſor extitit. Nos iſtis calumniis per haſce literas noſtras ſemel reſponſum volumus & omnino confidimus, vos ex adjuncto Regiomontanorum teſtimonio ſatis ac ſuper agnituros, ſumma cum injuria mendaciis iſtis nos inſimulari. Etenim ſemper promiſſa, ſcripta, dicta ſervavimus, uti virum bonum & generoſum decet, & in poſterum, Deo volente, ſervabimus. Itaque poſtulamus, ne calumniis ejusmodi fidem adhibeatis: quin potius vosmet agnoſcite, & eo, quo jure pertinetis, revertimini. Nos quicquid vobis vel aliis ſpoponderimus, totum id inviolate præſtabimus, ut minime opus ſit ob iſthæc mendacia longiorem moram hiſce calamitatibus afferri. Scriptum in Regio monte, die Divi Joannis Apoſtoli & Evangeliſtæ anno LVI.

Knipovianorum literæ.

In eandem ſententiam ſcribebant etiam Knipoviani a Plavenio ad hoc incitati. Priusquam (inquiunt) ad fidem rediremus, multæ ejusmodi calumniæ & aniles fabulæ de eodem Comite Plavenio nobis referebantur, quibus tunc etiam fidem adhibebamus. Verum nunc ſecus ejus Viri fidem nos expertos eſſe palam teſtatum facimus, nimirum quod omnia, quæ nobis verbo vel literis promiſit, probe ſervaverit, & in poſterum haud dubie ſervaturus ſit, ita ut merito hanc ob rem illi gratiam habeamus. Promiſit etiam nobis luculenter, ſe vitam & facultates pro nobis in omnibus, quæ accidere poſſunt, neceſſitatibus impenſurum, de quo

quo minime dubitamus, ſed ejus verbis omnino confidimus. Ac ſi quis ſecius de ipſo ſentiat vel dicat, is haud dubie viro forti facit injuriam. Itaque petimus a vobis omnibus & ſingulis, ut hiſce calumniis a vero alieniſſimis ne fidem adhibeatis, ſed veritati & teſtimonio noſtro, quod non eſt a nobis extortum, potius credatis. Poſtulavit quidem Dominus Plavenius, ut in militum duces aliquantam pecuniam mutuam erogaremus, quam ſponte, non coacti erogavimus, neque dubitamus, quin nobis probe reſtituetur, vel alio modo compenſabitur. Moleſti ſunt nobis etiam milites extranei, negare non poſſumus, ſed videmus ipſimet, in bello non poſſe civitates præſidiis carere: interim quod mutari non poteſt, ferendum eſt, donec Deus meliora tempora largitus fuerit. Scriptum Knipoviæ die Stephani Protomartyris anno LVI.

Gedanenſium reſponſum.

Ad eas Plavenii literas Gedanenſes ita reſpondent. Quod ſcribitis de rumore apud nos ſparſo, quem falſum eſſe contenditis, & fidem veſtram in ſervandis promiſſis magnifice extollitis, tandem etiam monetis, ut ad locum, qui nobis proprius ſit, revertamur. Scitote, rumorem iſthunc de perfidia veſtra non in hac ſolum civitate ſparſum, ſed etiam in aula Sereniſſimi Regis noſtri, immo in tota, quaquaverſum patet, provincia jam pervulgatum eſſe. Cui quantam nos habeamus fidem, penes nos eſt. Fieri fortaſſe poſſet, ut promiſſis & literis veſtris ſatisfaceretis, ſi hoc ipſum in poteſtate eſſet veſtra, ex qua dudum abſceſſit. Enimvero nobis æque conſtat ac vobismet ipſis, quis nunc ſtatus ſit & conditio veſtra veſtrique Ordinis. Cæterum iſtud cogitari, tum oportuit, cum palam coram Imperatore dicebatis: malle vos habere provinciam deſertam atque evaſtatam, modo in veſtra poteſtate eſſet, quam terram excultam, quæ veſtro non ad omnia ſubjaceret arbitrio: Pruſſiam vos ſemel gladio deviciſſe, ſi iterum devincenda ſit, multorum capitibus rem conſtaturam. Nos vero veſtra mancipia nominabatis, imo in quos major quam in ſervos emptitios vitæ necisque poteſtas vobis eſſet, & alia his ſimilia. Proinde ſi quid nunc gladio poteſtis, experimini ſane, adeſt copia, facitote periculum. Non eſt autem quod vobis perſuadeatis, milites veſtros mercenarios ex rebus & bonis noſtris ſtipendia percepturos, nolite illis ſpem eam facere. Nos certiſſimum habemus Dominum, Regem ſcilicet Caſimirum, cui eam perpetuo præſtabimus fidem, quam fideles ſubditi debent, pro eo vitam & facultatem impendemus. Et hoc loco nos eſſe ſcitote, quo eſſe debemus, unde nec inconſtantia quapiam, nec ulla perſuaſione veſtra unquam abducemur. Scriptum Gedani, Dominica poſt Epiphanias.

In eandem ſententiam Knipovianis reſcriptum eſt, eo adjecto: Si proba ipſis eveniſſet emptio, conditionem ne mutarent. De teſtimonio, quod in Plavenium dixiſſent, facile ipſos excuſari, utpote quibus ad nutum & arbitrium impotentium Dominorum non modo ſcribendum, verum omnino ſit vivendum.

Reina.

Ineunte menſe Februario fœderatorum copiæ Reinam arcem in ulteriori Pruſſia ſitam obſident. Eo convolant milites Regiomontani

fub auſpicio Ducis Sagenſis, & nonnulli Sambienſes duce Blanckenſtenio. Prælio utrinque commiſſo ex hoſtibus ultra mille cæſi ſunt, cæteri ad montem Regium reverſi, fœderati ex ſuis circiter ſexcentos deſiderarunt. Die feriato, quem Dominicam Invocavit nuncupari placuit, erat tum quartadecima menſis Februarii, Cruciferorum milites oppidum
Redum. Redum capiunt, & in eo munitiones excitant verſus arcem, quam adhuc fœderati tenebant, quibus eam expugnare conabantur. Illi vero de improviſo erumpentes, hoſtes repellunt, ducentis quinquaginta cæſis, nec paucioribus captis, inter quos erant Capitaneus Neoburgenſis, & Georgius Grunebergius, hic quidem adeo graviter vulneratus, ut paulo poſt e vivis decederet. Is etiam antea captus fuerat ad Ilaviam Prufficam & fidei ſuæ commiſſus, ut ſtato die ſe ſiſteret, ſponſioni non ſatisfecerat, ita nunc morte ſubductus, militarem infamiam, quæ vivo inurenda fuiſſet, evitavit. In eo conflictu oppidum ipſum igne injecto, incertum ab hoſtibus an præſidiariis militibus, ne eo receptaculo deinceps hoſtes uterentur, con-
Bruma. ſumptum fuit. Initio ejusdem menſis Februarii tanto frigore hyems invaluit, ut mare gelu conſtrictum eſſet ab Hela promontorio per totum eum ſinum usque ad oſtium Viſtulæ, & hinc inde carpentis commearetur usque ad octavum diem ante feſtum paſchatos, quo demum gla-
Inundatio. cies diſſoluta fuit, & Viſtula ob aquæ abundantiam ruptis aggeribus totam ferme inſulam minorem usque in ipſam civitatem Gedanenſem inundavit, magna edita ſtrage agrorum, hominum, pecorum & ædificiorum. Gedani in ſuburbio, quod ab longis hortis nuncupatum eſt, aqua velut ſtagnum effecerat, ut per vias publicas ſcaphis & lembis navigaretur. Die viceſima prima menſis Februarii cives quidam Gedanenſes cum aliquot ſtipendiariis in minorem inſulam prædæ cauſa profecti, prope Stublaviam ſub aggere fluminis ſex & quadraginta Cruciferorum ſtipendiarios, qui Derſavia itidem prædæ cauſa exiverant, capiunt, ſociis eorum in fugam conjectis, & Gedanum perducunt. Dirſavienſes poſtea querebantur, ſeſe iſthac vice ultra milites octoginta deſideraſſe, & fieri potuit, ut cæteri vel interfecti vel fuga diſperſi fuerint.

Arces & oppida pignori data Regi offeruntur.

Supra dictum eſt, qua neceſſitate rei pecuniariæ adacti Cruciferi arces & oppida militibus ſuis pro ſtipendiis nondum exolutis oppignerarunt. Hi ægerrime ferebant promiſſam ſtipendiorum ſolutionem de die in diem duci, nec uſpiam locorum pecuniam apparere. Et quanquam pignoribus incumberent, verebantur tamen, ſi Rex in Pruſſiam denuo cum exercitu contenderet, ne loco ſtipendiorum plagis etiam onerati, cogerentur excedere, & ſi vi caperentur arces ac oppida, & pignora ſimul & ſtipendia amitterent. Itaque ad tutiora conſilia animum adjicientes Regi Poloniæ Caſimiro pignora venalia offerunt, quatenus ille viciſſim eis ſtipendia ſolveret & de damnis ſatisfaceret. Et tum id agebant, quod jam antea falſo ſibi imputari & ignominiæ loco adſcribi ad Gedanenſes perſcripſerant. Rex conditionem eam non putavit reſpuendam, eaque de cauſa Conventu Grudentum Ordinibus Pruſſiæ indicto, de conditionibus tractari cœptum fuit, ſed nihil certi conſtitutum, quod Germani & Boëmi ſtipendiarii nimiam pecuniarum ſummam expeterent,

terent, apud Ordines autem argenti conficiendi ratio non appareret. Illud haud dubie iſthac re per milites effectum, ut Rex ad expeditionem Pruſſicam fieret remiſſior. Id Gedanenſium Legatis, qui ad hunc con- Legati Gedanenſes.
ventum miſſi fuerant vehementer diſplicebat, nec id in ſuis ad Senatum literis diſſimulabant. Ac quod viderent multa magnifice promitti, parum autem præſtari, niſi de redemptione arcium & oppidorum commode tranſigeretur, alia ſibi ratione rem aggrediundam cenſebant. In primis monebant diligenter oppida & ſuburbia cuſtodiri a proditionibus, quibus hoſtes ut plurimum uterentur. Addebant, ſe Regi & Conſiliariis denunciaturos, ut rei ſummæ accuratiorem haberent rationem, & aliquanto maturius quam antea copias educerent, quatenus vellent Pruſſiæ poſſeſſionem retinere. Scribebant etiam, in eodem conventu communi Ordinum conſilio decretum eſſe, ut mulieres omnes, quarum mariti apud hoſtes eſſent, vel mererent, ubique exulare juberentur, quamdiu bellum hoc traheretur. Sed de redemptione arcium & oppidorum deinceps alii tractatus ſunt habiti, de quibus loco ſuo plura.

Ordines Pruſſiæ proſcripti.

Interim Cruciferi cum actiones Marchionis Brandeburgici cum Rege parum ex ſententia ſuccederent, apud Imperatorem perfecerunt, ut Ordines Pruſſiæ fœderati publica proſcriptione ferirentur. Diplomata proſcriptionis huc illuc mittebantur, ubique publicanda, præſertim in provincias inferioris Germaniæ, & ad civitates maritimas, ac ubicunque tandem Pruſſi negotiationes & commercia facere ſolerent. Neque deerant alicubi, qui Pruſſos & merces eorum detinerent ac diriperent, apud Flandros cumprimis, qui cum Anſeaticis civitatibus peculiares tum ſimultates exercebant, ob collegium emporii Brugenſis Trajectum translati. Philippus autem Burgundiæ Dux, Caroli audacis poſt ab Helvetiis interfecti pater, qui plerasque provincias Germaniæ inferioris obtinebat, cum primum a Gedanenſibus cauſam belli cum Cruciferis ſciſcitatiis, ac illorum & Caſimiri literis rem omnem edoctus fuiſſet, nolebat Pruſſos in ditionibus ſuis a quoquam detineri vel ſpoliari. Lubecenſes & cæteri, qui in fœdere ſunt Anſeatico, Imperatori ſe excuſabant, quod ex præſcripto Confœderationis alia quædam ipſis agenda, alio etiam Ordine procedendum eſſet, priusquam ad extrema deveniretur. Demonſtrabant etiam Imperii totius vehementer intereſſe, ne commercia Pruſſica, quibus Germania carere non poſſit, vel tollerentur vel impedirentur. Ita cum Imperator nihil ferme ſerio ageret, niſi quantum importunitati Cruciferorum tribuebat, ipſis non multum profuit, Pruſſis parum obfuit iſthæc proſcriptio. Soli Colbergenſes & Rugewaldenſes in hoc tractu maris Baltici cœperunt Gedanenſes & eorum merces detinere, nonnullas etiam diripere, non tam ex cauſa proſcriptionis, quam occaſione aliunde arrepta, ſed nec hoc diuturnum fuit, cum enim Gedanenſes par pari referrent, quæ in hiſce cauſis optima ratio eſt, eo facilius illi ad reconciliationem animos adjecerunt, quod duplo plus damni cepiſſent, quam intuliſſent.

Ac

Magiſtri literæ.

Ac ne ſic quidem Magiſter Ordinis deſtitit contubernia civitatum ad defectionem ſolicitare, ac inter plebem & Magiſtratum diſcordiam moliri: quod ex literarum exemplo, quas ad collegium ſutorum Gedanenſium die ſexta decima menſis Martii hujus anni miſit, manifeſtius licet intelligere. Scripſit autem his fere verbis. Ludovicus Magiſter Ordinis Teutonici corpori ſutorum civitatis Gedanenſis ſalutem, uti nunc tempus fert. Manifeſtius nunc eſt, quam ut verbis indigeat, qualiter vos omnes & cæteri totius communitatis Gedanenſis variis mendaciis & fraudibus circumventi & eo usque decepti ſitis, ut nos & Ordinem noſtrum legitimos Dominos veſtros, nullo jure, nullo noſtro merito, commutaretis & maximis difficultatibus implicaretis. Unde tot calamitates & cædes confecutæ ſunt, quæ quidem huc usque non minuuntur, ſed magis ac magis augentur, & latius ſerpunt. Et verendum, niſi maturius occurratur, ne hoc malum eo tandem evadat, ut Pruſſiæ terris exitium perpetuum, & rei Chriſtianæ maximum detrimentum inde ſit expectandum. Apparet hoc ex ea pertinacia & temeraria præſumptione, quæ per iſtas fraudes & malignam perſuaſionem contra nos & Ordinem noſtrum pridem occepit, & nunc etiam perdurat, neglectis imo conculcatis ſummi Pontificis ac Imperatoris execrationum diris, & proſcriptionis auctoritate, ſententiis, interdictis, juribus humanis & divinis, quæ omnia proh dolor vilipenditis, & eo usque & vosmet & alios decepiſtis & adhuc decipitis, ut obedientiam ac fidem Deo & ſanctæ Eccleſiæ datam violare, & exitium ſempiternæ mortis incurrere pro nihilo ducatis. Nec quidquam profecit, quod toties ab errore vos in viam revocavimus, tam amicis verbis officii admonuimus, imo ſancte polliciti ſumus, nos vobis, liberis ac poſteris errorem omnem condonaturos, nec unquam deinde mentionem facturos, privilegia etiam veſtra, jura, honorem, corpora & bona ſalva præſtituros. Hoc demum operam dedimus, ut diræ Pontificis execrationes & Imperatoris proſcriptio contra vos tanquam Eccleſiæ & Imperio rebelles inſtitutæ ad eam manſuetudinis moderationem deducerentur, qua vobis omnibus & ſingulis deliberandi tempus ſexaginta dierum indultum fuit, intra quod copia vobis eſſet ad Eccleſiæ gremium & fidem noſtram revertendi. Curavimus diligenter literas & interminationes Pontificis & Cæſaris per Sacerdotes & alios viros probos multis ex plebe denunciari. Tempus vero ſexaginta dierum ferme elabitur, interim nos parum profeciſſe videmus. Sin, quod Deus avertat, tempus plane effluxerit, nec ad nos reverſi fueritis, & in gratiam redieritis, perpetuo deinceps a Deo & ſancta Eccleſia abſciſſi & projecti eſſetis, quod utique non absque ſummo dolore animorum experiri poſſemus. Priusquam induciæ iſtæ exeant, integrum eſt nobis adhuc iſthæc negotia vobiſcum ad optatum finem absque veſtra moleſtia perducere. Sin exierint, non amplius eadem erit nec copia nec occaſio. Quid autem hoc caſu vobis & poſteris expectandum fuerit, etiam atque etiam animadvertite. Ac proinde perquam benigne vos hortamur, ut ad animum revocetis, quam jucunda vita ac dulci pace vos nobiſcum olim communiter fruebamini, & quo nunc ab eo felicitatis gradu deveniſtis, & quo tandem vos per nimiam contumaciam redigere poteſtis.

ſtis. Excutite vetus venenatum ſemen veteris hoſtis diaboli, qui odit ac deſtruit pacem, cultum Divinum omnem, & quicquid tandem ad bonum propius accedit. Revertimini ad nos & Ordinem noſtrum in pace, amicitia, concordia, gratia. Hoc ſi faxitis, ſpondemus vobis, liberis & poſteris, & hoc ipſo facto experiemini, quod omnis error, omne delictum, omnis exceſſus, quantus quantus ſit, qui his difficillimis rebus in nos commiſſus commiſſumve ſit, penitus & in perpetuum vobis & poſteris condonabitur, nec unquam exprobrabitur, Vos autem & poſteri penes omnia veſtra privilegia, libertates, jura, corpora & bona conſervabimini. Nos ita erga vos exhibebimus, ut re ipſa benevolentiam & amicitiæ ſtudium noſtrum optime cognoſcatis. Hoc ſi vobis cordi eſt, ne cunctemini, dies enim ſexaginta ferme præterierunt, & hanc animi noſtri benevolam ſignificationem cum cæteris contuberniis fabrorum, ſartorum, piſtorum, & lanionum, ad quos eodem exemplo ſcripſimus, communicate, & qui ſit veſter eam in rem animus nobis reſcribite, vel per certum hominem certiores nos facite. Quod ſi nunc admonitionem hanc cum ſumma benevolentia conjunctam reſpueritis, quod minime ſperamus, nos quidem amplius fruſtra vos hortari ſuperſedebimus, jure autem noſtro agemus, & aliis quibuscunque poterimus remediis adverſum vos utemur, donec quod æquum ſit a vobis conſequamur. Scriptum in caſtro Mariæburgi feria tertia poſt Palmarum anno 1456. In eandem ſententiam ſcribebat civibus & Nobilibus territorii Leweburgenſis & Pucenſis, qui omnes ab unis Gedanenſibus pendebant. Verum cum contubernia & cætera plebs Gedanenſis nihil iſtis literis commoveretur, & alioquin conſtans rumor increbuiſſet, Regem cum exercitu propediem adfuturum, vel ſaltem inſtructas copias in Pomeraniam miſſurum, vana fuit iſta molitio, nec quidquam Magiſtro reſponſum.

Portus vetus.

Feriis paſchalibus Gubernator Gedanenſibus per literas ſignificabat, certo ſibi compertum eſſe, quod Regiomontani naves inſtructas haberent, cum quibus in mare excurrerent, quodque non ita pridem portum, quem profundum vetus vulgo vocant, exploraſſent, ubi tuto navibus tranſiri poſſet. Itaque monebat Gedanenſes, qui rei maritimæ curam ſuſtinerent, ut ſummis hoc viribus impedirent, ne hoſtibus navigandi copia daretur. Eam ad rem ſe copias ipſis ſubmiſſurum pollicebatur, quotquot opus eſſent habituri. Nec Gedanenſes multum immorati, ne ſpatium hoſtibus enavigandi darent, copias ſuas in rem præſentem mittunt, portum illum veterem multo labore pilis & molibus obſtruunt, ac navigationi prorſus reddunt inutilem, octavo poſt ferias paſchales die. Inde cum navibus & ſcaphis ſuis in Pregelam fluvium excurrunt, & deſcenſione in terram facta tabernam prope lacum Habum, nec non arcem & vicum Brandeburgum denuo injecto igne concremant.

Agunt Cruciferi cum ſtipendiariis militibus.

Eodem tempore Mariæburgum adveniunt ex Livonia Comes Plavenius, qui ſacris initiatus erat, & provinciæ Mareſcallus & Commandator Revalienſis, & alii quidam præcipui nominis, cum ſtipendiariis militibus acturi, ne civitates & arces oppigneratas in Polonici Regis poteſta-

poteſtatem ſummo cum totius Ordinis dedecore traderent, utque illis, ſi poſſent, alio quopiam pacto de ſtipendiis ſatisfacerent. Sed fruſtra laborem omnem ſumpſerunt, quoniam Plavenio minime fidebant, itaque nec ipſum nec quenquam alium ex eo comitatu in arcem admittebant, quinimo paulo ante machinas omnes & commeatum ingentem ex civitate in arcem contulerant, facile vim etiamſi inferretur repulſuri. Sic illi re infecta diſcedere coacti. Nuda enim promiſſa adferebant, & nihil pecuniæ, quam milites maxime appetebant. Paulo poſt militum duces cum Ordinibus fœderatis inducias paciſcuntur usque ad diem Pentecoſtes, ut interim negotium de redimendis arcibus pertractaretur.

Schlochovia. Inter has inducias ſtipendiarii Stargardenſes & Neoburgenſes, quod illis fœderati pactam pecuniæ ſummam non exolverent, Schlochoviam oppidum repentina facta impreſſione capiunt, diripiunt, incendunt: deinde arcem obſident, in quam major & potior pars civium cum rebus ſuis primo tumultu ſe receperant. Gedanenſes eo comperto continuo obſeſſis auxilia mittunt, quibus non expectatis conatu ſuo fruſtrati ab obſidione diſcedunt. Exinde Gedanenſes circiter ſex millium copias Leweburgi, Puſci & vicinis locis in præſidia diſponunt, ut & mercenariorum eruptiones ac rapinas cohiberent, & ſimul Cruciferis ſpem omnem adimerent Puſci occupandi, quod tum maxime variis conſiliis & clandeſtinis artibus moliri credebantur.

Induciæ violatæ. Finitis ad Pentecoſten induciis, Gedanenſes eductis reliquis copiis Derſaviam tentarunt, cumque operam perdidiſſent, agros & villas circumcirca depopulati ſunt, & prædam ſatis luculentam domum reduxerunt. Id ægerrime ferebant milites Mariæburgenſes, quaſi contra fidem datam ruptis induciis id factum eſſet, ac idcirco videbantur actionem omnem de redimendis arcibus & oppidis ſuſceptam repudiaturi. Verum id quidem erat, ſed ejus culpa Gedanenſibus perperam imputabatur, quippe quod illis nec præſentibus nec ſcientibus Polonici proceres inducias usque ad diem Joannis baptiſtæ prorogaverant, quod utique Regi vehementer diſplicebat, utpote qui hoſtium arces & oppida pugnando quam licitando acquirere ducebat honeſtius. Eoque facilius hoc facto, Gedanenſes apud Regem excuſabantur, quia de novis induciis non eſſent præmoniti, quod ſcilicet illis, qui non minimam militum partem alerent, fuerat denunciandum.

Actio cum ſtipendiariis. Induciis igitur prorogatis, ipſo die Trinitatis conventus agebatur Grudenti, ubi demum Ordines fœderati cum Proceribus Polonicis rationes inire volebant, quibus arces & civitates oppigneratæ a Cruciferis alienarentur, & eo deinceps facilius bellum gereretur. Aderant duces militum mercenariorum, indicabant ſummam in ſtipendia ſibi debitam quadringentorum ſexaginta trium millium ſeptingentorum nonaginta aureorum Ungaricorum. Poloni præ ſe ferebant, ſi cæteris expunctis ſumma ad quadringentos aureos redigeretur, Regem Ordinibus Pruſſicis centum quinquaginta millia ſubſidio collaturum; Id prorſus iniquum Ordines cenſebant. Convenit tandem ſive minoris ſive pluris tranſigeretur, ut Rex ſemiſſem exolveret. Idque fœderati eo pertinere volebant, non quod Rex ipſis, ſed ipſimet Regi in ſemiſſem ſuccurrerent, quippe quod arces & oppida non ſibi ſed Regi redimerentur. Diu deinde multumque fuit tractatum de diebus ſolutioni conſtituendis, & id fœderati dabant operam, ut parte pecuniæ exoluta viciſſim arces aliquæ ſibi in manum traderentur. Sed hoc fruſtra fuit, nolebant enim arcibus & inprimis Mariæburgo ſtipendiarii decedere, priusquam tota ſumma exolveretur. Ita neque de diebus ſolutionis neque de ſumma ipſa conveniri potuit, ſed res integra ad ampliorem deliberationem rejiciebatur, præſertim quod Boëmorum Dux Ulricus Zerwonka amplioribus mandatis cæterorum conſortium, non ſatis eſſet inſtructus.

Inſolentia militum Stargardenſium. Interim graves erant Gedanenſibus ſui milites, quos Stargardi in præſidio habebant: quanquam enim ipſi pro virili portione in exolvendis ſtipendiis ſatisfacerent, tamen quod alii fœderatorum ex ſua parte moram facerent, hoc ipſum etiam a Gedanenſibus importune flagitabatur. Porro hi milites cum non ignorarent Gedanenſium copias hinc inde in agro Pucenſi in præſidia ut plurimum diſtributas, ex improviſo Neoburgenſibus etiam aſcitis in agrum Gedanenſem irrumpunt, & magnam jumentorum & pecudum multitudinem abigunt. Gedanenſes re ſubito comperta prædones inſecuti, primis jam in tutum reverſis, poſtremos, qui longius prædam conquiſiverant, adſequuntur, inter quos aliquot deprehendunt Cruciferorum ſtipendiarios, e quibus didicerunt, præſidiarios ſuos Stargardenſes & Neoburgenſes cum Mevenſibus & Cruciferorum militibus occulta agitare conſilia de opprimendo Leweburgo, unde Gedanenſem agrum & ditionem absque periculo poſſent devaſtare, nec deeſſe quosdam Ordinis equeſtris, nec ruſticos & colonos plerosque partibus illorum faventes, prout quisque prædarum particeps eſſet futurus. Quod indicium Gedanenſes permovit, ut deinceps ei loco majorem cautionem adhiberent. Qui capti fuerant, collo rem ſolverunt, id demum pro ſtipendio juſtum illis obtigit ſuſpendium. Nihilominus cæteri prædones rem etiam majorem aggreſſi, complures ceciderunt arbores, ex iis trabes vado infigendas fabricant, aliaque plura inſtrumenta, quibus alveum Viſtulæ occludere & tranſitum impedire conabantur, quo Gedanenſibus ſurſum deorſum navigandi facultas adimeretur. Sed cum Gedanenſibus ſurſum deorſum navigandi facultas adimeretur. Sed cum animadverterent flumen peculiari cuſtodia obſervari, rem ipſam quoque viribus ſuis majorem eſſe, ab incepto deſtiterunt, præſertim quod alterius lucri ſpes affulſiſſet. Torunium ex Polonia aliquot ſcaphæ frumento onuſtæ appulerant, quæ ſecundo flumine Gedanum erant devehendæ. Prædam eam & Neoburgenſes ſimul & Mevenſes avide expectabant, ac undique navigia contraxerant, quibus ſe facile ſperabant intercepturos ſcaphas illas, quibus præter nautas nemo eſſet adfuturus. Legati Gedanenſium, qui Torunii erant, aliquid ſubodorati, ſcaphas eas frumentarias, quantum poſſunt, militibus complent ac armis inſtruunt, Gedanenſes interim hac de re certiores facti naves aliquot militariter inſtructas adverſo flumine illis obviam mittunt. Ita ſimul impreſſione facta & prædonibus repulſis, nonnullis cæſis & eorum navigiis demerſis, ſcaphæ frumentariæ cum ingenti commeatu abducuntur.

Apparatus Regis Daniæ.

His rebus partim adverſis partim ſecundis alius accedebat nuncius Gedanenſibus nequaquam lætus. Perferebatur enim a Rege Daniæ Chriſtiano ingentem claſſem in auxilium Cruciferorum comparari, & ibi rumorem vulgo circumferri, quod brevi ipſemet in Pruſſiam cum claſſe venturus eſſet, & Gedanenſium naves & milites e mari profligaturus. Nunciabatur enim ex monte Regio, Danorum adventum apud Cruciferos in ſumma eſſe expectatione. Gedanenſes itaque rebus ſuis accuratius proſpiciendum rati aucta claſſe ſua portum diligentius cuſtodiebant, rem autem omnem & de perfidia præſidiariorum & de periculo ex Dania imminenti Regi Caſimiro nunciant, & iterum ac iterum hortantur, ne moram amplius faciat, ſed quamprimum cum exercitu in Pomeraniam accedat, ac inde vim hoſtilem avertat.

Magiſtri literæ.

Interim Magiſter Cruciferorum non ceſſabat literas ſubinde Gedanum ad plebem miſſitare, quibus eam vel in partes ſuas demum pertraheret, vel diſcordiæ ſaltem ſemina inter Magiſtratum & plebem excitaret. Erant plerumque literæ verbis iisdem perſcriptæ, quibus antea diximus ad contubernia miſſas fuiſſe, ad quas nihil hactenus reſponſum fuerat. Ut igitur aliquis eſſet finis miſſitandarum literarum, Senatus & populus circiter diem Jacobi Magiſtro reſcribunt in hanc ſententiam:

Reſponſum Magiſtro.

Sæpe jam ac ſæpius literas veſtras nobis præter expectationem obtruſas accepimus, quibus eandem cantilenam occinitis, ut ad vos revertamur, & Ordini veſtro ſubjectionis obſequia præſtemus, ne perniciem demum extremam incurramus. Nos vero meminimus, quid antehac ad ejusdem argumenti literas reſponderimus, ex quo vobis intellectu facile fuit, quæ ſit noſtræ mentis eam in partem ſententia. Sane non ignoramus, imo certo perſuaſum habemus nos extremam ultro perniciem nobis attracturos, ſi veſtris ſeducti dolis in ſervitutem Ordinis veſtri poſtliminio rediremus. Cur enim non eos, qui nunc a vobis ſtant, tueri poteſtis? civitates & arces cum ipſis incolis & ſubditis, mercenariis veſtris militibus vel expoſuiſtis prædæ & direptioni, vel mancupio dediſtis. Adeone ſimus inſani, ut ſimilem cum illis fortunam experiri deſideremus? Certe ſi quis Deus eſt, qui ſanam nobis mentem largiatur, nunquam futurum eſt, ut ſtipendiariis dedamur. Quapropter iterum ac iterum petimus, ut deinceps ejus generis literas miſſitare ſuperſedeatis, quas deinceps ne recipere quidem dignabimur, utpote quibus aliud nihil tentari videmus, quam ut inteſtinæ ſimultates inter nos & diſcordiæ concitentur. Quod vos effectum daturos nolite vobis perſuadere. Eo enim mutuæ concordiæ vinculo in omnem eventum obſtricti ſumus, ut fruſtra mali conſultores operam daturi ſint, qua hanc Ordinum concordiam convellere conabuntur. Scriptum feria tertia poſt diem Jacobi anno 1456.

Excurſio Gedanenſium.

Sub initium menſis Auguſti Gedanenſes cum inſtructis navibus ad oſtium Memelæ ſeu Chroni fluvii enavigant, & deſcenſione facta Sambiam longe lateque depopulantur, magna vi pecorum & omnis generis mercium abducta. Gratum id vehementer fuit præfecto Samogitiæ, qui

qui a vicinis Sambienſibus ſubinde premebatur. Ex eo compertum habuere Gedanenſes, omnem hactenus commeatum Sambienſibus ex Livonia & maritimo itinere Stetino ſupportatum fuiſſe. Itaque Gedanenſes mare diligentius obſervare cœperunt: præfectus autem Samogitiæ id curaturum ſe recepit, ne quis ex Litvania commeatus hoſti ſubminiſtraretur.

De redimendis arcibus & oppidis.

Hoc menſe denuo tractabatur cum Cruciferorum militibus de redimendis arcibus & oppidis pignori datis, Mariæburgo, Derſavia, Meva, Choinicio, Hamerſteno (addunt alii Fridlandiam & Ilaviam Germanicam) & eo usque actio perducta fuerat, ut de pretii ſumma & certis ſolutionum diebus utrinque conveniret, ſed præter omnium expectationem res aliunde fuit interrupta. Cum enim rationes inirentur, præſertim in majoribus civitatibus de pecunia eam in rem conquirenda, paulis-

Seditionum ſemina.

per inter promiſcuam plebem ſeditiones gliſcere cœperunt, initio potiſſimum a ſacerdotibus & monachis exorto. Ad hos enim frequenter Cruciferi literas ſcriptitabant, & monebant, ut plebem concitarent, quo onera belli diuturna conjunctis animis averſarentur, inopiam & anguſtias rei familiaris publice cauſarentur, pacem deſiderarent, & abjectis hiſce oneribus Cruciferos revocarent. Illi primum iſthoc clam agere, ſed ſedulo, ac ut plurimum inter audiendas confeſſiones, ubi cujusque animum pertentabant, & ad res novas hortabantur, modum etiam explicandi iſthæc conſilia ſubjiciebant, prætendentes interim quaſi religionis etiam & conſcientiæ plurimum intereſſet, ut res omnes in quietum ſtatum reducerentur. Non latuit res Magiſtratum in civitatibus, indicio patefacta, itaque ſeverius quæſtiones habitæ, & omnes ſacerdotum & monachorum actiones & ſermones accuratius obſervati, ſic ut primus iſte conatus citra majorem difficultatem opprimeretur. Miſſum etiam a Gubernatore Bayſenio mandatum ad ſacerdotes & monachos juſſu Regis, ut omnes omnino hoſtium literas cujuscunque generis averſarentur, nullas reſignarent, ſed Magiſtratui clauſas exhiberent. Si quis ſecus feciſſet, eum proditorem & Regis & patriæ habitum & capite multatum iri ſtatuebatur. Erat hoc initio menſis Septembris, quo tempore deprehendebatur etiam tabellarius quidam Torunenſis, & quod literas quasdam a plebejis Torunenſibus ad contubernia Gedanenſis civitatis attuliſſet ſeditioſis molitionibus plenas, in cuſtodiam dabatur. Id ubi Torunii reſcitum fuit, continuo plebis primores ad Senatum convolant, Gedanenſium factum tanquam hoſtile incuſant, poſtulant, ut operam det Senatus, qua tabellarius eorum, quem in negotiis honeſtis emiſiſſent, manumitteretur. Urgebant etiam, ut interim omnes Gedanenſes, qui tum Torunii converſabantur, carceri manciparentur, ſed illi re animadverſa continuo urbe diſcedunt, & Diboviam trans flumen ſeſe conferunt. Cæterum ea ſtruebantur ab utriusque civitatis hominibus ſeditioſis & rerum novarum cupidis conſilia, ut Cruciferos revocarent, eoque pacto ſemel (ut ipſis videbatur) omnibus belli oneribus liberarentur. Et hanc ob cauſam aliqui Gedanenſium ex plebe jam pridem antea Torunium hominem certum miſerant, qui plebem ibi ſollicitaret, ne quis tributum capitationis,

tationis, quod tum in omnibus civitatibus in uſum belli decretum erat, conferret, ac vulgo perſuaderet, quaſi etiam Gedani id conferre omnes recuſarent. Ut igitur alteri alteris reſponderent, & onera ſimul utrobique detrectarent, hic quem diximus tabellarius fuerat ablegatus. Is nimirum perpetuus vulgi, multorum capitum beluæ, mos eſt, ut omnes in ſumma libertate vivere unice percupiant, eas autem quibus illa conſervatur impenſas obſtinate recuſent, ita fit, ut præ parſimonia pecuniæ ſæpe libertatem ipſam amittant. Et profecto rerum ſtatus tum erat periculoſiſſimus, quod ubique ferme plebs tumultuaretur, ut niſi divinitus & fato quodam hominum conſilia alium ſortita fuiſſent exitum, quam quo primum a ſeditioſis inſtituta fuerant, ea dubio procul ſubſecuta rerum eſſet perturbatio, qua Pruſſi neque libertatem tueri, neque Cruciferorum jugum evitare potuiſſent, uti ſuo loco manifeſtius apparebit. Eodem tempore Gubernator Senatui Gedanenſi perſcribebat, certo ſibi nunciatum eſſe, quod bini cives eorum non ita pridem Neotichi (quod inſulæ majoris oppidum eſt) occulta cum Cruciferis conſilia tractaſſent, & inde nuncios Mariæburgum miſiſſent, hinc rurſum ad illos nuncii remeaſſent, ibique rumorem omnino percrebuiſſe, quaſi civitas Gedanenſis propediem Cruciferis eſſet dedenda. Scribebat exploratum ſe habere, militem quendam, cui Manteufel nomen eſſet, a Cruciferis emiſſum, qui extra urbem Gedanenſem converſaretur, & cum quibusdam civibus ac incolis clandeſtina haberet colloquia, & hinc inde ad hoſtes conſilia referret, quæ dubio procul ad proditionem civitatis eſſent compoſita. Proinde monebat, ut hominem iſtum diligenter obſervarent. Neque id fruſtra erat, ſtatim enim iſte Manteufel exploratus fuit, in tabernam quandam ſuburbanam ſubinde ventitans. Miſſi continuo qui hominem interciperent, ſed ille prius ab conſciis, ut ſibi caveret, clam monitus fugam dedit, quam deprehenderetur. Explorati etiam duo iſti cives haud poſtremi nominis, qui Neotichi res novas moliebantur, iſti rem palam factam videntes nunquam deinceps Gedanum redierunt. Et hi quidem in diverſis chronicis aliis atque aliis vocantur nominibus, ideoque ne per incertam opinionem cujusvis familiam perſtringere videar, ſciens nomina prætereo. Deprehenſi quoque duo Regimontani, qui a Cruciferis ad concitandam plebem miſſi dicebantur. Hi quanquam præter incertum rumorem alicujus criminis inſimulari non poterant, ipſi etiam ſe transfugas profiterentur, tamen quia noctu clam profugerent, ex fuga retracti in carcerem ducti fuerunt, & tamdiu detenti, donec cum aliis captivis permutarentur. Scribebat etiam Ericus Pomeraniæ Dux de apparatu navali Daniæ Regis & Livonienſium, qui id agere nunciabantur, ut mare occuparent, & fœderatis undique infeſtum redderent. Nunciabatur itidem de præſidiariis Choinicenſibus & nonnullis nobilibus vicinis, qui duce Caſparo Noſticio in Poloniam irrumpere, & prædas agere conſtituiſſent, quos præveniendos & illorum conatibus, quam primum Choinicio exiviſſent, occurrendum fœderati decreverunt.

His

His igitur ſeditionum ſcintillis paſſim gliſcentibus, Torunii tandem die 24. menſis Septembris ignis in flammam erupit, ſic ut plebs manu conjuncta, non jam clandeſtinis molitionibus ſed aperta fronte Senatui ſeſe opponeret, omnem omnino contributionem in belli impenſas recuſaret, quinimo bello penitus relevari vellet, præſertim quod a Rege & Polonis nullum auxilium appareret, itaque potius multis videbatur nunc dum gratiæ tempus ſupereſſet, ad priores Dominos reverti, quam deinde, quando plane omnes eſſent exhauſti & facultatibus deſtituti, vi & ingratiis ad officium compelli. Utebantur ſeditionis duces hoc inprimis argumento, quoniam terræ civitatesque Pruſſiæ in fidem & auctoritatem Regis Poloniæ conceſſiſſent, & is illas in protectionem & tutelam recepiſſet, æquiſſimum eſſe, ut ipſemet eas ſuis viribus, ſuis copiis, ſuis impenſis defenderet ac propugnaret, non ut Pruſſi cum fortunarum ſuarum diſpendio Polonis provinciæ hujus acceſſionem præſtarent. Videbantur in univerſum animi plebis vehementer exacerbati, neque tamen adhuc certum caput habebant, ſed omnino periculum erat, ne res ad inteſtinam cædem prorumperet. Senatus quia jam dudum iſthoc malum præſenſiſſet, cives ſaniores in partes ſuas pertraxerat: & tum quoque Gedanenſium cives & milites, qui aliquot navibus & ſcaphis inſtructis in flumine prædones Neoburgenſes obſervabant, ſecum retinebat, Palatinum etiam Culmenſem & Gabrielem Bayſenium ex vicinia cum aliquot equitibus in ſubſidium advocabat. Seditioſi cum in ſe vim parari viderent, & ipſi correptis armis Senatum & auxiliares invadunt. Committitur pugna, qua utrinque cæſis non paucis ſeditioſi tandem in fugam conjiciuntur, diſſipantur, & ex illis centum quinquaginta (ſunt qui ducentos ſcribant) capti in vincula ducuntur. His crimini dabatur, quod literas ad Cruciferos miſiſſent, quod eorum militem in civitatem novam noctu recipere conſtituiſſent, quod eorum inſtinctu ipſisque auctoribus plebs ad ſeditionem concitata Senatui claves portarum per vim eripuiſſet, ærarium publicum effregiſſet, rationes corrupiſſet, & inſolenter alia plura perpetraſſet. Horum facinorum ſeptuaginta duo convicti, triduo poſt publico gladio cæſi ſunt, cæteri clam elapſi vel ex civitate proſcripti. Quibus peractis & rebus in tranquillum reductis cives novo jurejurando in verba Regis adacti ſunt, hac ſolenni forma: Juro ac ſpondeo, quod Sereniſſimum Dominum Caſimirum Poloniæ Regem & ejus Succeſſores, juſtum & legitimum Dominum ac hæredem meum & terrarum Pruſſiæ agnovi recepique, quodque ea omnia, quæ inter Serenitatem ejus & Pruſſiæ terras ac civitates conventa concluſaque ſunt, firmiter, inviolate, fideliter, abſque ullo dolo malo, fraude, vel inſidiis ſervabo & adimplebo: Cruciferis olim Pruſſienſibus nunquam deinceps aſſiſtam, vel auxiliabor, nec verbo nec facto, nullam cum iisdem ſponſionem vel conventionem coibo, ſed memorato Domino Regi ejusque Succeſſoribus Poloniæ Regibus perpetuo fideliter aſſiſtam auxilio, conſilio, favore, & quæ ex ejus commodo & uſu erunt, procurabo quibuscunque temporibus, quodque ſeveri hujuſce judicii, quod hic adverſum cives infideles exercitum fuit, nunquam in malam partem meminero, neque ulla ratione factum vindicabo in perpetuum, quodque Senatui

Seditio Torunenſis.

Torunenſi

Torunenſi obediens ero, & aſſiſtentiam præſtabo corpore & facultatibus, uti bonum & fidelem civem maxime decet: Si quem ſecus facere ſcivero, ejus nomen ad Magiſtratum deferam, Senatum & civitatem præmonebo, ut a detrimento caveant, ubicunque id comperero, nec illud intermittam ullo vel amore vel malo motus. Ita me Deus adjuvet ac Sancti.

Seditio Gedanenſis.

Dum hæc Torunii geruntur, interim etiam a plebe Gedani (quod jam pridem timebatur) tumultuatum eſt, auctore Martino Coggio, præcipui nominis cive plebejo, ſed homine admodum ambitioſo & inquieto. qui alioquin conſiliis publicis verba plebis præire ſolebat. Ad hunc Magiſter generalis & Cruciferi ſcripſerant aliquoties, principatum civitatis & alia multa polliciti, ſi civitatem Ordini reſtituiſſet. Quam in rem ille jam pridem varia conſilia clanculum agitaverat, & non paucos ex plebe & corporatis contuberniis conſiliorum participes habebat. Atque etiam anno ſuperiori plebem concitaverat, ut impenſas belli defugerent, & Cruciferos recipere vellent.

Sed res tum non ſucceſſit, ut ſupra dictum eſt. Nunc ad Cruciferos ſubinde nuncios & literas miſſitabat, & ab illis recipiebat, ac interim varia moliebatur, ſed ut erat aſtuto ſimul ingenio, adeo omnia vulgo diſſimulabat, ut antehac veſtigium aliquod conatuum ejus animadverti non potuerit, nedum ut a Cruciferis eum ſtare quisquam ſuſpicaretur. Demum cum exiſtimaret fundamenta rei tentandæ jam jacta eſſe, neque ignoraret quid Torunii per plebem attentabatur, ipſa die Dominica, quæ diem divi Michaelis præcedit, erat tum viceſima ſexta menſis Septembris, aſſeclas ſuos omnes convocat in monaſterium Dominicanorum. Hæc enim plerumque curia fuit, in qua ſeditioſa hujusmodi conſilia cuderentur. Aderant ſimul ex opificibus non pauci, quos ſciebat præſentis ſtatus pertæſos rurſum ad Cruciferos inclinare. Ibi in medium proponit, eum nunc eſſe civitatis afflictæ ſtatum, ut parum bene curante Rempublicam Magiſtratu, in commune neceſſario deliberandum ſit, qua ratione cives ab iis, quæ jam dudum perferunt, oneribus poſſint liberari. Ut major eſſet auctoritas, placuit poſtridie ſeniores ſeu præfectos corporum ſimul in conſilium adhibere, qui partim per Martini complices & emiſſarios nominatim vocati, partim domeſticorum inſtinctu, qui Martino a conſiliis erant, in poſterum diem eodem frequentius conveniunt. Ibi tum Martinus in concionem prodiens: Non ignoratis (inquit) amici & vicini, quo pacto ii, qui Magiſtratum obtinent, civitatem hanc omnium noſtrorum alumnam alienaverint, & nobis ut a juſtis Dominis Cruciferis ad peregrinum Dominum Poloniæ Regem tranſiremus dolo perſuaſerint, atque ſic in bellum grave & diuturnum nolentes & pene ignorantes conjecerint, atque inde aliud poſt aliud onus cotidie nobis imponant. Cogimur acciſam omnium, quæ potui vel eſui ſunt, conferre, excubias agere, angarias exercere, & facultates noſtras pro virili contribuere, quoties ipſis libuerit, neque modus neque finis ullus, quod eſt graviſſimum, uſpiam adhuc apparet. Cæterum ſi mihi vultis adſiſtere, &

& obſequium ad ea, quæ cœpi facilius expedienda, equidem brevi rem ex difficultatibus iſtis ad bonum finem perduxero: non utique intra annum vel ſex menſes (nimis id longum foret) ſed Deo volente vel intra octiduum rem totam abſolutam dabo. Acclamant omnes, ut vulgus ſolet, cum ſe conſentire clamore ſignificant. Ibi Martinus quo certior eſſet de illorum voluntate, jubet unumquemque binos digitos elevare, ut jurantium mos eſt, & loco juramenti hoc ipſum recipere. Faciunt illud etiam uti volebat, & ipſe viciſſim operam ac fidem ſuam illis obligat. Deinde jubet, ut ſingula contubernia quatuor vel ſex viros ex ſuo corpore deligant, cum quibus rationem iniret, rem omnem eo commodius ad optatum exitum perducendi. Mox ſutores & calcearii, qui tum inter corporatos facile primas obtinebant, hos quatuor deligunt, Nicolaum Gunterum, Heinricum Tilium, Joannem Craſtium & Nicolaum Zesmerum, quibus mandant, ut conſiliis omnibus interſint, ac inprimis provideant, ut legitime res agatur, neve quid adverſus civitatem vel in corporis ſui præjudicium aut detrimentum attentetur. Cæteri quoque in eosdem conſentiunt, ea lege, ut ſi quid minus recte vel etiam periculoſe agi ſenſerint, ad ipſa contubernia die noctuque referant. Jam rumor in medium forum ad mercatores & primores civium, qui ibi magno numero converſabantur, pervaſerat, qui incerti adhuc quorſum ea conſilia ſpectarent, & rem explorare cupientes, induſtrium hominem Joannem Stuſium cum nonnullis aliis in monaſterium ſpeculandi cauſa ablegant. Is eo veniens cum ultro ad conſilium admitteretur: Martine amice (inquit) mercatores nondum ſatis intelligunt, quæ ſit rei recens inceptæ ratio, ſi ſententiam veſtram ſcirent, quo pacto civitatis ſtatum in melius adducere velletis, utique & ipſi vobiſcum operam & conſilium eo impendere non recuſarent. Ibi quatuor illi delecti, fratres, inquiunt, conſultius videtur, ut duos alios nobis adjungatis, majoris cautionis gratia, rem enim difficilem inceptam videmus, cujus rationem nondum etiam aſſequimur. Si quid ſequius agi animadverterimus, minime clam habebimus, uti jam antea conventum eſt. Placet idem cæteris, ac Arnoldus Schwetzin & Paulus Wilde prioribus adjunguntur. Die ſequenti, quæ menſis Septembris erat duodetriceſima, delecti ex plebe cum Martino rurſus concione convocata in monaſterium conſultandi cauſa conveniunt. Cum plerique rei expediendæ rationem deſiderarent, rem planam eſſe dicit Martinus, ac jubet, ut ſe in forum conſequantur, ibique ſcriptum iſtud, quod manu geſtabat, audiant publice recitari. Ubi in forum perventum, ac Conſulatus & Scabini ſimul adcitati eſſent, procedit in medium Martinus tanquam communitatis Syndicus, & repetitis iis, quæ primum in monaſterio de civium oneribus propoſuerat, in Conſulatum graviter invectus, ſcriptum iſtud Secretario Nicolao Armknecht porrigit publice recitandum. In eo viginti duo capita continebantur, quibus Patres conſcripti ut plurimum Reipublicæ perperam adminiſtratæ, perfidiæ, proditionis, peculatus, arguebantur. Inter cætera erant illa præcipua, quod alter Conſulum Hermannus Stargart judicem rerum capitalium ſemetipſum conſtituiſſet, alter Reinholdus Nidderhoſius cum Joanne Waldenſi & Bartholomæo Schlechtero Senatoribus officium piſcaturæ

ſcaturæ Scharffovienſis & ejusdem proventus in rem ſuam vertiſſet, quod cæteri Senatores cæterorum officiorum reditus publicos, qui permagni eſſent, inter ſeſe partirentur, unde bellum illis non incommodum eſſet, interim miſeros cives graviſſimis oneribus & contributionibus ad belli impenſas affligi, & funditus exhauriri, neque adhuc finem ullum apparere Martinus querebatur. Referebat illud etiam, quod Senatus Repreſſaliarum, quas vocant, literas militibus ſtipendiariis, qui Stargardi & Neoburgi in præſidio erant, dediſſet, quibus poteſtas illis eſſet conceſſa, cives ac res eorum capiendi, vinciendi, excutiendi & pro libitu tractandi, quoad ſtipendia huc usque debita penitus extorſiſſent. Mox nominatim citabat Legatos, qui Torunenſi transactioni interfuerant, Ewaldum Brigum, Senatorem, Rudolphum Feltſted, Scabinum & Jacobum Haſart civem plebejum, ex his quærebat, quid illiſce transactionis literis contineretur, an in iisdem cives hunc in modum eſſent proditi, ac libidini & prædæ militum expoſiti, & quisnam literas eas conſignaſſet. Adſeverabat Ewaldus bona ſide, ſub ſponſione honoris & vitæ, nequaquam cives eo modo proditos, vel ulli periculo expoſitos, neque ſigillo civitatis literas eas conſignatas eſſe, nec in iis aliquam civium Gedanenſium mentionem fieri. Rudolphus ajebat, principales obligationis literas civitatis ſigillo non eſſe conſignatas, alioquin alias & varias quidem inter tractandum ultro citroque fuiſſe commutatas cum militibus, quarum aliquæ fuiſſent conſignatæ, aliquæ non conſignatæ, neque liquido ſibi conſtare, quid in quibusque contineretur, quia non omnes ipſe legiſſet, ac pleræque ſuum effectum non fuiſſent conſecutæ. Poſt hunc rogatus Jacobus, rem omnem ſubvertit. Ajebat enim ſe literas vidiſſe, & ex ipſo militum præfecto audiviſſe, quod ſigillo civitatis eſſent conſignatæ, & in iisdem fortunas & corpora civium eo, quo dictum eſt, modo oppignerata. Exinde Martinus auctoritate plebis Ewaldum eſſe captivum juſſit, & mox vades exacti, ne cuſtodia exiret, priusquam ad plebem cauſam dixiſſet. Nec illi profuit, quod Conſul Martinus Cremon ſui capitis periculo ſponderet, nullas ejus generis literas extare, quibus cives captivitati vel prædæ militum eſſent expoſiti. Ibi tum Martinus Coggius rurſum, civitatem (inquit) antehac liberam habuimus, nullis contributionibus vel exactionibus oneratam, uti nunc oneramur, itaque Domine Conſul Acciſam & alias contributiones amplius non tolerabimus, ſed e veſtigio nunc abrogatas volumus. Ad eam vocem cum acclamatum eſſet a promiſcua multitudine, reſpondit Reinholdus Nidderhovius, quandoquidem ita vobis conſultum videtur, ſane ſint abrogatæ, modo ineatis alias rei pecuniariæ rationes, quibus & exiſtimationem nominis retineamus, & rebus noſtris melius proſpiciatur. Deinde Coggius habita cum aſſeclis ſuis deliberatione & verbis plurimis ultro citroque commutatis, cæteros Conſules Hermannum Stargart, Wilelmum Jordanem, ac Senatores Joannem Meideburg & Joachimum de Rivulo, plebis & contuberniorum nomine captivos eſſe juſſit. Petebant illi, ut liceret in continenti ſibi cauſam dicere, verum tum id obtineri non potuit, ſed vades conſtitui oportuit de ſiſtendo. Atque hæc eo die acta. Sequenti, qui divo Michaëli ſacer erat, Martinus convocatis

tis in curiam ſenioribus contuberniorum, & iis, qui ex mercatoribus in conſilium adhibebantur, expoſuit, ſibi in animo eſſe, Conſules & Senatores loco movere, & juramenti, quo eſſent obſtricti, gratiam illis facere. Quo audito multi non parum obſtupeſcere, qui dicerent, ſibi non eſſe commiſſum, ut Magiſtratum abrogarent, ſed potius nihil agerent, niſi illo ſciente & conſentiente. Atqui, refert Martinus, num illud grave vobis videtur eos amovere, quibus grave viſum non fuit, totam provinciam & hanc præcipue civitatem Polono tradere ac mancipare, nobis neſcientibus neque conſentientibus? Iſtud quidem, ut fiat, maxime res expoſcit, ſiquidem ad optatum finem pervenire volumus. Totum eum diem diſceptatio tenuit, aliis ſuffragantibus, aliis contradicentibus. Poſtero die rurſum in foro pro baſilica conveniunt, ibi multus iterum ſermo de removendo Magiſtratu, mox captivi vocantur ad cauſam dicendam. Quibus ad dicendum paratis, ſermonem antevertit Martinus & dixit, plebem illos ſacramento ſolvere, & miſſionem illis dare, irent & domi ſuæ continerent ſe, donec demum vocarentur. Illi permagnas plebi gratias agere, quod iſthoc onere ſe levaſſet, & quisque domum ſuam ſecedere. Quo facto cæteri quoque Conſules & Senatores Magiſtratu ſe abdicant, & quoniam (inquiunt) Martine poteſtatem tibi ſumis alios pro libitu loco movendi, indicta cauſa, nos etiam juramentum noſtrum reſignamus, nec amplius eo teneri volumus. At vos (ait Martinus) in officio veſtro permanebitis, id vobis nomine populi impero, pœna capitis propoſita, ſi ſecus feceritis. Habito deinde colloquio cum iis, quos in conſilium ſibi adjunctos habebat, ex altero conſule Reinoldo Nidderhovio quærit, quantum exiſtimaret militibus Stargartenſibus adhuc in ſtipendia deberi, cum ille diceret, videri ſibi viginti duo millia florenorum in reſiduo deberi, bene ſe res habet, inquit Martinus, tantillum debitum facile exolvemus, & brevi quidem, & utique nulla pecunia, nullis impenſis. Profecto, refert Conſul, bona hæc eſſet ratio, ſi quo modo recte poſſet iniri. Deinde jubet Martinus per conſulem omnes eos, qui Magiſtratui pecuniam in belli impenſas credidiſſent, ejusque debiti obligationes haberent, in curiam citari, ut ibi literas ſuas proponerent, & a credito abſolverentur. Qui malum! inquit Conſul, illos abſolvemus, cum pecunia nobis eam ad rem in promptu nulla ſit? Atqui, refert ille, ſi non in promptu eſt pecunia, certe caminus & ignis abunde adeſt. His verbis auditis inter multitudinem murmur oritur, quibusdam rei abſurditatem indignantibus, quibusdam hominis vanitatem in riſum vertentibus. Ille vero ne totum ſe proderet, continuo conſultationem abrumpit, & rem omnem in poſterum diem prorogat. Interim cum iſthæc verba de camino & igne, quaſi de literis creditorum concremandis inconſulto ſibi elapſa eſſent, & tum quidem inſtitutum de removendo Magiſtratu non ſucceſſiſſet, pudore & ira ſtimulatus cum aſſeclis ſuis veſperi ad monachos Dominicanos contendit, illisque perſuadet, ut paſſim in plebem ſpargerent, quaſi Patres conſcripti ea nocte excubias eſſent oppreſſuri, ac contuberniorum ſeniores & quosdam ex ſociis ſuis capite mulctaturi. Eaque ratione putabat plebem vacillantem adverſus Magiſtratum haud dubie fortius poſſe concitari, ſed hoc

etiam parum bene proceſſit. Cum enim poſtero mane Calendis Octobribus magna multitudine ſtipatus ad curiam iret, obvium habuit Conſulem Nidderhovium, qui illum omnibus audientibus hiſce verbis compellabat: Certo Magiſtratui renunciatum eſt, quam improbos & falſos ſermones in noſtri invidiam heſterno veſperi habueris de tali negotio, quod plane nunquam nobis in mentem venit, neque dubium eſt, quin totum illud quicquid eſt, tutemet falſo ac malitioſe confinxeris. Mittamus iſta nunc, inquit Martinus, & pleno gradu ad curiam properat. Ubi ſimul eo convenerunt Conſules, Senatores, Scabini, & promiſcui cives, domum jam reverterant Secretarius Armknecht & Caſpar Blumenaw, qui Stargartum miſſi fuerant, ut exempla literarum adferrent, quibus ſe Magiſtratus ob reliqua ſtipendia militibus obligaſſet. Illæ omnes e curia palam recitabantur, ſed nullibi quidquam ſcriptum erat, quod militibus eſſet facta copia cives Gedanenſes capiendi vel vinciendi, uti Magiſtratus inſimulabatur. Quibus ne moverentur cives, extemplo Martinus jubet etiam alias literas publice recitari a Ludovico Ordinis Magiſtro, a Comite Gleichenio, & a Duce Sagano in monte Regio, & ab aliis Cruciferorum alibi perſcriptas, quibus cives monebant, ut ab inſidiis ſibi caverent, Polonos enim & alios conſilia agitare, qua occaſione ſubito civitatem opprimerent, uti Torunenſibus nuper accidiſſet. Lectis hiſce literis Martinus ad aliud propoſitum deflectit, ait e Republica non videri, civitatem absque capite, hoc eſt Magiſtratu rite conſtituto in hiſce procellis fluctuare, itaque cenſet novos legi Conſules & Senatores illorum loco, qui moti eſſent, quique Rempublicam privatis commodis poſthabuiſſent. Placuit ejus aſſeclis, & vulgo in partes traducto ſententia, placuit multo magis aliquos etiam ex plebe, ex contuberniis corporatis, & ex mercatorum conſortio legi, qui biennium cum poteſtate præeſſent, quibus ſingulis annuum ſtipendium, conſulibus centum marcæ, Senatoribus vero quinquaginta ex publico darentur. Reclamabant veteres Conſules, Senatores, Scabini & ſaniores civium, contendebant rem novam eſſe & inconſuetam, nec ærarii facultates ejusmodi ſtipendiis erogandis ſufficere, neque veteres Magiſtratus indicta cauſa loco moveri honeſte poſſe, niſi jure convincerentur. Sed ſurdis narrabatur fabula, major pars, quæ turbulentæ plebis erat, vincebat. Placuit deinde majoris ſecuritatis & fiduciæ cauſa, omnes in univerſum cives, Magiſtratus, mercatores, contubernales, & reliquam plebem ſolenni juramento inter ſeipſos obſtringi. Juramentum iſtud in baſilica Arturi datum invicem & receptum in hanc formam: Omnia hactenus acta, geſta, utut acta geſtave ſunt, prorſus obliterantor, eaque nemini vel periculo vel fraudi ſunto, neve deinceps ulla coitio fiat, ſine ſcitu conſenſuque Magiſtratus & civitatis Ordinum, ne quis Cruciferorum dominatum reducito, neve cum illis conſilia, ſermones, literas conferto, Caſimirum Poloniæ Regem & ejus legitimum ſucceſſorem, ſolum Dominum omnes agnoſcunto, qui ſecus faxint, capitis anquiruntor. Illud ultimum caput de Cruciferis, invito Martino, cordati cives, qui ejus conſilia ſuſpecta habebant, ut adjiceretur, obtinuerunt. Placuit itidem, ut ſequenti die juramentum iſtud & in veteri civitate & in ſuburbio exige-

Juramentum novum.

exigeretur. Eodem veſperi Martinus domi ſuæ cum aſſeclis cojit, & per totam eam noctem nova conſilia habuit, ſecus ac eodem die communiter juratum fuerat. Id cum per fabrum quendam reſciviſſet Guntherus quidam contubernii ſutorum ſenior, illico intervenit, rogat, quæ ſit iſthæc conventio, quid ibi rerum agatur. Martinus e veſtigio jubet, ut contubernales ſuos craſtino meridie in monaſterium Dominicanorum convocet, ibi ſe rem omnem illi patefacturum. Ille rurſum, qua ratione (inquit) contubernales convocandos cenſes, cum omnes hodie jusjurandum juraverimus, ne ulla coitio fiat absque eorum, qui excepti ſunt, ſcitu conſenſuque? Martinus contra, ſi juramenta ſolum tanti facimus, omnes periimus, alia majoris momenti jam hic res agitur. Guntherus rurſum, ſiquidem non perire, ſed vobiſcum vivere velim, oportet, ut, quæ res tanti momenti ſit, liquido ſciam. Rogat tum extemplo Martinus aſſeclas ſuos, an huic homini res omnis eſſet detegenda? Cum partim conſentirent, partim hiſce verbis ſucclamarent, vide ne tamdiu detegas, donec, cum maxime voles, tegere nequeas, Martinus Gunthero reſpondet, ſeſe qui præſto ſint conjuraſſe pro fide & honore, ne rem palam faciant, ſi ipſe itidem juraret, ſe illi quod ſcire velit, indicaturum. Guntherus præfatus, ſiquidem commodo civitatis publico & absque contubernii ſui detrimento ſit futurum, in eadem verba jurat. Tum demum Martinus: Conſtituimus, inquit, ut cras omnia contubernia in monaſterium convocentur, inde in curiam turmatim ibimus, eaque occupata & quadringentorum militum præſidio impoſito, Senatum nominatim citabimus, & quæremus ex Wilelmo Jordane, quo pacto, quave ratione a Dominis noſtris Cruciferis in dominatum Regis Poloniæ tranſierimus, & qua de cauſa in graviſſimum iſtud bellum devenerimus. Ibi ille multis, ut ſolet, verbis concionem inceptabit, nos dicemus, multiloquium non hujus eſſe temporis vel otii, eſſe nobis alia agenda. Et ut brevi dicam, omnes illos in curia retinebimus, & pro cuſtodia illis aſſignabimus iſtud conclave, quod in uſum Regis ædificarunt. Deinde captivos omnes ex carceribus dimittemus, ærarium recludemus, ibi pecuniam ex Acciſa collectam, & quam cives Senatui mutuo dederunt, qua ipſi ad bellum continuandum inſtructiores eſſent, in alium uſum vertemus, & partem pro confirmandis & augendis partibus noſtris in plebem dividemus. Convenimus etiam cum militibus Stargartenſibus, ut obligationes ſuas adferant, & obſides ſolutionis præſtandæ cauſa poſtulent. Ibi facilis erit ratio dandi obſides præcipuos Conſulum, Senatorum & cæterorum, qui lautioris ſunt rei, civium, hos ſecum abducent, & ſuo arbitrio pecuniam vel cautiones extorquebunt. Sic iſtis militibus nulla ærarii impenſa probe ſatisfecerimus. Quinimmo cenſuerim hoc optimum operæ pretium futurum, ſi civibus illis, qui Senatui pecuniam mutuo dederunt, ac belli nervum ſubminiſtrarunt, nihil reddamus, ſed exolvendæ fidei ergo obligationes, quas habent, igne concrememus. Audito hoc conſiliorum diſcurſu, Guntherus porro quærit, num etiam Cruciferos in civitatem eſſent recepturi? Quæ quidem vox mirum in modum cæteros obſtupefecit, utpote quod juramento non ita pridem a ſe Cruciferos abdicaſſent. Tum Martinus, nunquid ergo

ergo cenſetis, inquit, quod Dominum in ſinu vel mantica geſtemus paratum? Innuens interim ſatellitibus, quos in partem Cruciferorum clam conduxerat, qui continuo Guntherum armati circumſiſtere cœperunt. Ille quaſi ſatisfactum ſibi jam eſſet, ſeſe rem omnem apud contubernales recte curaturum dicens abſcedit. Re deinde cum contubernalibus communicata, & periculo quod inſtare videbatur perpenſo, recta Conſulem Nidderhovium adit, quid audiverit, exponit. Conſul nihil moratus ante lucem Senatum in curiam vocat, præſidia locis oportunis diſponit, ne ſeditioſi quid de improviſo turbare poſſent. Rumor interim inter cives percrebuit, Martinum cum aſſeclis diverſa ab heſterno juramento conſilia agitare. Cordatiſſimi quique ad monaſterium properant, ubi jam fex hominum ad Martinum cœperat congregari, monent, hortantur, obſecrant, ne Rempublicam turbent, ne a bonis civibus ſeceſſionem faciant, ſemet & liberos ſuos ne perditum eant. Ita parvo tum diſcrimine ſalus & exitium civitatis ſtabat. Martinus ubi videt conſilia ſua nimio plus innotuiſſe, ad ingenium redit, animum diſſimulat. Deſcendit in forum, ubi Conſul Reinoldus cum civibus de Republica deliberabat. Ad quem ille converſus, audio, inquit, Domine Conſul, virum quendam apud te fuiſſe, qui calumnias ſparſerit ad diſſolvendam Ordinum concordiam, & neſcio an mercede vel pecunia in mei invidiam illum conduxeritis. Tum Conſul: næ tu mihi maligne iſtud adfingis, i quære ex ipſo, etiam nunc eſt in curia, & Senatui promiſit inde ſe non diſceſſurum, quousque dictorum ſuorum rationem reddidiſſet. Martinus contra, nihil hoc ad rem magnopere pertinet, ac ad plebem converſus, eamus inquit in veterem civitatem, & ſuburbium, ut heſterno die decretum eſt, & a civibus juramentum exigamus.

Quo peracto in curiam redeunt. Ibi diu multumque deliberatum fuit, qua ratione Ordinum concordia ſanciri poſſet, ne deinceps diſſolveretur. Id præcipue multos varie afficiebat, quod Martinus injecerat mentionem de occupanda curia, de militum ſtipendiis, de recipiendis Cruciferis, & omnino res ad tumultum ſpectare videbatur. Tandem rebus utcunque compoſitis, uti majori parti placebat, Magiſtratus mutatur, Conſulibus quibusdam & Senatoribus Ordine motis, & aliis ex plebe in locum eorum ſubſtitutis. Et e veſtigio concordiæ juramentum a Magiſtratibus & populo renovatum, & omnium, quæ acta fuiſſent, memoria in perpetuum abolita, fides Poloniæ Regi publice jurata: eo nominatim addito, ſeſe ſibi ipſis invicem ſumma ope & auxilio adfuturos, neque paſſuros, ut Rex in quempiam ejus tumultus cauſa animadverteret, vel ſemet rebus domeſticis interponeret. Sancitum etiam denuo capitali pœna, ne qua coitio clam vel palam in templis, monaſteriis, vel intra domeſticos parietes fieret. Non ita diu poſt ex literis Regis, Gubernatoris & militum ſtipendiariorum allatis conſtitit, veteres Conſules & Senatores in crimen injuſte vocatos, nec earum rerum, de quibus inſimulati fuerant, reos eſſe. Itaque tum demum captivitate liberati, & ad dicendum cauſam admiſſi, innocentiam ſuam plebi probarunt, & rationibus novo Senatui de adminiſtratione ſua redditis in gratiam

tiam publice redierunt, anno etiam ſequenti quotquot eorum ſupererant, ſuo ordini priſtinæque dignitati ſunt reſtituti. Et hoc quidem modo gliſcens incendium iſtud, quo minus in flammam pernicioſiſſimam erumperet, tum fuit ſopitum atque compoſitum.

Martini novæ molitiones.

At Martinus Coggius, qui ſeditionis hujus dux & auctor fuerat, & quo nemo juſtius novis rebus abſtinere debuerat, quippe qui præſentiſſimam proditionis pœnam rebus ſic amice compoſitis evaſerat, conquieſcere non potuit, quod ſcilicet eum honorem, ad quem adſpiraverat, præter ſpem conſecutus non eſſet. Etenim in Magiſtratus commutatione & infimorum evectione ſeſe patronum plebis, Reipublicæ ſanandæ auctorem, haud dubie ad clavum gubernandum evectum iri vana quadam mentis opinione ſibi perſuaſerat. Ita enim ingenium eſſe ſolet hujus generis hominum, qui præter legem & conditionem ſuam ad altiora malis artibus aſpirant, ut eos, qui in Magiſtratu collocati ſunt, apud imperitam plebem calumnientur, ſuſpicionibus onerent, maledictis premant, & modis omnibus traducant. Ea interim perſuaſione freti, hiſce remotis vel gradu dejectis, ſibi ſuccedendi locum neceſſario deſtinatum iri, quaſi non tertius quispiam ipſis poſſet anteferri. Hoc cum frequenter ſoleat evenire, tum illud etiam ex plurimis hiſtoriarum exemplis animadverti poteſt, eum qui ſemel ſtatum publicum turbare cœperit, quantumvis ei res ex ſententia pro momento quaſi temporis ſuccedat, vel ſemel impunis evadat, tandem tamen creſcente malitia ad ingenium & conſequenter ad pœnam relabi. Proinde Martinus iſte paulo poſt novam iniit conjurationem, conciliatis ſibi ad eam rem nonnullis ſui ingenii hominibus. Hi conſilium inierunt plane deploratum, Reipublicæ vel perdendæ vel in poteſtatem ſuam redigendæ. Conſtituerunt enim civitatem Cruciferis prodere, eosque clam intromittere, ac interfecto Senatu Magiſtratus honores præmium paciſci. Et hæc clanculum ſummo cum ſilentio primum agebantur. Palam Martinus, uti ſolers erat & egregius ſimulator, nihil niſi ſuam rem agere, de publicis ne verbo quidem meminiſſe, adeo ut omnes opinarentur, nihil aliud illum in prioribus actionibus, quam certam Ordinum concordiam propoſitum habuiſſe. Deinde cum ſocios ad rem ſuo tempore perpetrandam ſatis inſtructos putaret, ipſe Neotychium proficiſcitur, ibi cum Cruciferis rem communicat & conſilia confert. Interim nuncios ſubinde ad urbem ad conjurationis ſocios remittit, ac quæ præparanda ſint mandat. Qui quidem frequens nunciorum commeatus rem opinione citius evulgavit. Martinus, cum jam omnia in parato eſſe viderentur, Gedanum duos mittit ex fidiſſimis Georgium Wiſen & Nicolaum Lichtenaw, qui rem intus auſpicarentur, ipſe foris operam daturus. Hi cum tribus aliis Joanne Groſs, Laurentio Longo & Joanne Starck occulta agitantes conſilia comprehenſi ante diem Valentini publice gladio cæduntur. Quo comperto Martinus fugam capeſſit, ſed Gedanenſes miſſis militibus, qui illum perſequerentur, Lubaviæ tandem eum deprehendunt, & in urbem retractum eo, quo adductus eſt die, capite mulctant. Habita quæſtione eam fuiſſe ſeriem inſtituti conſilii faſſus eſt, ut Senatum veterem interficeret, novum ſuo arbitrio

arbitrio legeret, deinde urbem Marchioni Brandeburgenſi traderet, ac per eum interceſſorem cum Cruciferis ea, quæ ex re viſa fuiſſent, paciſceretur. Ubi rumor increbuit, ipſum comprehenſum, metuentes ſibi cæteri conjurationis ſocii, qui latebant adhuc, clam ſolum vertunt, & eam ob fugam proſcriptionis ſtylum incurrunt. Hæc eſt ſeditionis Coggianæ hiſtoria, quam ideo hic in unum locum conjeci (biennio enim iſthæc omnia ſunt acta) ne ſequentes narrationes aliquando eſſent interrumpendæ.

Cromeri Relatio.

Cromerus de hac ſeditione hæc ſcribit: Gedani quoque per id tempus promiſcua multitudo tumultuata eſt auctore Martino Coga, obſcuro quidem, ſed ingenioſo & factioſo homine, & Crucigerorum rebus favente. Cauſa ſeditionis fuit, quod Regii milites ſuburbana ejus oppidi incenderant, & quod Rex in Litvaniam ſeceſſerat, unde colligebatur & jactabatur vulgo, ei res Pruſſicas curæ non eſſe. Antiquis ergo Magiſtratibus quaſi adverſariis amotis novos creant. Dum autem gliſcit ſeditio Udalricus Ciervonca Boëmus præfectus præſidii Mariæburgenſis data opera adveniens longa & prudenti oratione in gratiam partes diſſidentes reduxit, & in fide Regia continuit, oſtendens, quanto magis expediret ei civitati a Polonis ſtare, a quibus magnis beneficiis & libertate donata eſſet, & ſine quibus ægre ſeſe ſuſtentare poſſet, quam ſuperbis & crudelibus Crucigeris ſervire. Miſit deinde ad majoris Poloniæ Proceres & ad Regem, oſtendens, in quanto diſcrimine eſſent res Pruſſicæ, & ut magis eas curæ haberent admonens. Atque ex eo tempore Regiarum partium ſtudioſus eſſe cœpit, magnaque benevolentia, cum noſtri ad redimendas a militibus Crucigerorum arces nondum ſatis eſſent parati, diem numerandæ pecuniæ prorogavit. Miſere deinde majores Poloni Palatinum Breſtenſem ad Regem in Litvaniam, miſere & Gedanenſes, orantes, ut is quamprimum ad componendas res Pruſſicas adveniret. Nec tamen quieſcebat Coga, donec Joannes Ciarnicovius Caſtellanus Gneſnenſis, qui Vladislavienſi Epiſcopo pro Gubernatore in Pruſſiam a majoribus Polonis miſſo una cum Caliſſienſi Caſtellano adjunctus erat, Gedanum venit. Cujus adventu legitimus Magiſtratus auctoribus Reinaldo Nidderhovio & Joanne Lindavio ſumpta fiducia capitale ſupplicium ſumpſit. Sic motus omnes cum eo conquieverunt. Cæterum iſthæc Cromeri narratio nec ſibimetipſi conſtat, nec cum iis, quæ recenſui, nec cum ſcriptis publicis, quæ in Gedanenſium habentur Archivo, plane convenit. Cauſas certe ſeditionis ipſe Coggius & ſocii priusquam ſupplicium paterentur, ſatis evidenter prodiderunt. Nec illud ad ſeditionem faciebat, quod Regii milites ſuburbana incendiſſent. Sed movebatur plebs exactionibus continuis, quæ ad belli impenſas requirebantur, & Rex interim Pruſſiam non magnopere curare vulgo videbatur. Ac ideo, ut præſentia ſemper magis quam præterita dolere ſolent, iſte Coggius rem (ſui fortaſſis etiam compendii cauſa) ad Cruciferos reducere ſatagebat. Bohemus etiam Ciervonca tum Regis & Gedanenſium hoſtis erat, & Cruciferorum ſtipendiarius, unde veriſimile non eſt, ut is tum Regis partes ageret, & reverſionem ad Cruciferos

ros diſſuaderet. Et certe non poſſet hoc proditionis nota carere, quod hic de Ciervonca Cromerus ſcribit. Nam quod de prorogata die numerandæ pecuniæ addit, aliquanto poſt accidit, ut ſuo loco planius oſtendetur. Nec apparet ulla mihi quidem ratio, qua adducti Gedanenſes Regis opem implorare debuerint aut voluerint, cum antea jurejurando publice conjuraſſent, ſe non paſſuros, ut Rex in quenquam ejus tumultus cauſa animadverteret, vel etiam ſeſe rebus iſtis domeſticis interponeret. Caſtellani Gnesnenſis in hac ſeditione in Receſſibus vel actis publicis nullibi ſit mentio. Quod de Joanne Lindavio dicitur, quod eo & Niderhovio auctoribus ſumpta ſit fiducia in ſeditioſum civem animadvertendi, neſcio quo pertineat. Nullus quidem ejus nominis uſpiam in catalogo Magiſtratuum Gedanenſium invenitur, ſed ſcriba civitatis tum fuit Joannes Lindaw, qui rhapſodiam hujus belli tredecennalis conſcripſit, quam ego ut plurimum in hiſce rebus bellicis ſecutus ſum.

Crantzii narratio.

Albertus Crantzius in Wandaliæ lib. 12. cap. 23. hiſce verbis rem iſtam recenſet: Laboravere interea intus Gedanenſes domeſtico diſſidio, nam communitas male parens ſenatui pro ſuo arbitratu multa ſibi volebat licere. Inter arma enim ſilent leges. Eminebat cæteris unus ferocior, qui maxime popularis haberetur, & cujus ductum plebs inconcinna ſequebatur. Eum ablegare conantur ſub honoris ſpecie, ut eo facilius abſente uterentur plebe ad opportuna rebus negotia. Arcem unam tenuere, quam ex civibus præfecto induſtrio viro dicerent indigere, rogant hominem, velitne pro utilitate publica hanc urbi operam commodare, ut cuſtos eat ejus arcis per aliquot dies, quod viro fortiſſimo opus eſſet. Homo ambitioſus honori ſuo delatum munus cupide amplectitur, vadit, arcem conſcendit, cuſtos ejus factus, ut interim abeſſet ne tumultum in populo conciret. Statuerunt ſub capitis periculo, quod interim ſciebant hominem pro ſolita temeritate non impleturum. Ille jam arcis cuſtos, majori uſus licentia, conſtituta lege ſe minus teneri arbitratus, commiſit in eam. Ea fuit, ne quis literas ab Ordine allatas aperiret, ſed Senatui clauſas perferret. Ille cum accepiſſet literas, aperuit, nihil veritus, quod ſciebat authoritatem ſuam in plebe vel maximam eſſe, & jam ſatis longe abeſſe urbi, ne quam formidaret legum vindictam. Ubi jam publico documento conſtabat, illum prævaricatum in legem capitalem, literas concilii mittunt, hominem magnæ rei gratia evocant, adeſſe non moretur, opus eſſe illius præſentia, rem eſſe magnam, quam eo præſente facilius, ſine illo nequaquam poſſent tranſigere. Iterum ille honori ſuo delatum arbitratur, homo cupidus honoris. Venit accelerans, nihil attendens, quod legis vinculis teneretur. Ubi venit, mox vinciri jubent, accuſant capitaliter, in promptu fuerunt teſtimonia, quæ recuſare non poterat, ilico damnatus capitis, priusquam reſcirent populares, gladio ultore pœnas dedit, exinde obſequentiorem habuere Patres plebem, ſubducto homine tumultuoſo, qui multitudini præſtaret audaciam. Hæc ille. Quanquam autem Crantzius rem ipſam, ut erat, exacte neſcivit, nec autorem hujus ſeditionis nominare potuit, Coggium tamen adeo vivis depingit coloribus, ut nihil niſi ſolum nomen deſideretur.

deretur. Quod autem ſcribit, arcem illi quandam per aliquot dies commiſſam fuiſſe, de eo nihil adhuc aliud reperi, quam literas, quas iſte Martinus Coggius, & alius quidam Michaël Longus ex Pucenſi vel arce vel oppido (utrumque enim extat) ad Senatum & plebem perſcripſere, quibus indicant miſeram ejus loci plebem annonæ inopia vehementer laborare, & petunt decreti publici rationem haberi, quo pretium rei annonariæ conſtitutum fuerit, ac indigentibus eodem pretio frumentum admetiri, invitis etiam frumenti dominis & poſſeſſoribus. Scribunt etiam iisdem literis, ſe in Pucenſi territorio cum nobilibus conventum egiſſe, ac illis decretum Senatus & plebis de pendenda agrorum & capitationis contributione propoſuiſſe: qui ſe in commune tributuros receperint, ſi idem in vicinis territoriis æque laudetur. Harum literarum dies refertur ad feriam ſextam poſt Catharinæ anni 1456. Unde conjectari brevi poſt id tempus nova illa conſilia agitata deprehenſaque fuiſſe, ſiquidem Coggius & tres ſocii ſequenti demum anno 1457. menſe Februario ſupplicium pertulerunt.

Alia Crantzii narratio.

Illud interim non eſt ſilentio prætereundum, quod Crantzius paulo poſt eodem loco capite 29. de ſimili ſeditionis plebejæ conſilio ſcribit, idque in annum vel 61. vel 62. collocare videtur: Hoc etiam (inquit) tempore in urbe Pruſſiæ Gedano triſtis regnabat Erynnis. Improbi cives conſpirarunt opprimere Senatum, quod haberent neſcio quid in eos, nec illos recte adminiſtrare Rempublicam calumniarentur. Incertum an cupidine dominandi exorta in civibus, aut certe propenſo in Ordinem favore ea molirentur, ſive quod eos belli tam diuturni pertæderet, res enim obſcura eſt. Cum tale inter cives conſilium diu volveretur, pervenit ad quendam ex civibus, qui Urbis interitum inde proſpiceret. Igitur prodidit, quod comperit. Deprehenſa ſunt capita ejus conjurationis viri ſexaginta: ſed erant ejus conſilii participes plures (ut ferebatur) quadringentis. Confeſſi ſunt enim cum tenerentur, jam quadriennio in eo laboraſſe, ut res aliis viis decurreret, occiſo Senatu, qui illis videretur ad juſtas conditiones minus inclinatus. In confeſſos ultimum ſupplicium decernitur, gladio illi pereunt. Cæteris per edictum innoteſcit, abeant urbe in æternum exilium male ſibi conſcii, qui vivere malint, alioqui ex hora conſtituta repertos, legibus pœnas daturos. Illi abierunt &c. Hic Crantzii locus magis appoſite videtur ad hanc, de qua jam loquimur, ſeditionem referri debere, quam ut in ſequentes annos rejiciatur. Licet enim deinceps anno ſexageſimo nova proditio per Cruciferos tentata fuerit, præluſore quaſi Gunthero quodam ſutore, quem Crantzius per quendam e civibus notare videtur, ea tamen nec effectum habuit, nec cives alii conſcii fuere, tantum abeſt, ut ob hanc noxiam viri ſexaginta gladii ſupplicium incurrerint. Qua de re ſuo loco fuſius commemorabitur.

Literæ Torunenſium de ſeditione ſua.

Tumultu Gedanenſi eo modo, quo dictum eſt, pacato, commodum adferuntur literæ Senatus Torunenſis, quibus exponitur ordo ſeditionis apud ipſos nuper excitatæ. Quas quia prolixius quam a nobis ſupra

pra factum eſt rem actam narrant, verbotenus hic ſubjiciendas exiſtimavi. Sunt autem in hanc ſententiam ſcriptæ: Certiores vos facimus, quod ex plebe nonnulli utriusque noſtræ, præſertim autem novæ civitatis opifices, qui promiſcuum vulgus, variis calumniis & enormibus mendaciis adverſus Magiſtratum conflictis, in partes ſuas pertraxerant, æſtate præterita, cum Conſiliarii Sereniſſimi Regis noſtri cum ſtipendiariis Cruciferorum militibus hic conventum agerent redimendarum arcium cauſa, cum iisdem ſtipendiariis, qui Germanicæ gentis eſſent, ſceleſta conſilia iniverunt, ac clandeſtine pepigerunt, qua ratione Cruciferos Dominos reciperent, civitatem iis proderent, ac nos & alios viros bonos prædæ necique exponerent. Unde factum, ut in ipſa cum ſtipendiariis actione Germani a Bohemis ſeceſſionem facerent, & ea quæ prope jam depacta fuerant prorſus reſcinderent & abjicerent, rati dubio procul hanc proditionis rationem magis e re ſua futuram. Nec quisquam noſtrum ad tantæ perfidiæ ſcelus cogitationem adjecerat, donec certis tandem indiciis res aperiri cœpiſſet. Primum enim contubernia civitatis utriusque ſedecim viros auctoritate propria delegerant, qui verba præirent. Hi quoties nobiſcum agerent, ſimulabant omnes rationes ſuas ad concordiam & tranquillitatem ſpectare, cum interim animo perverſo perfidiam & proditionem meditarentur. Quicquid ipſis propoſueramus, quod ad bonum publicum & ſalutem civitatis & totius provinciæ pertineret, totum id ipſi apud plebem aliter interpretabantur, & ſiniſtre deferebant, ut nimirum civium odia & indignationes adverſum nos concitarent, ea omnino exiſtimatione perſuaſi, nobis ſaltem e medio ſublatis, rem omnem in tuto futuram. Inde nova ſubinde moliebantur, quæ niſi mature occurſum eſſet, in magnum aliquod malum fuiſſent eruptura. Cæterum gliſcens iſtud malum oportune per Sereniſſimum Regem noſtrum cum Dibaviæ nuper in vicinia eſſet, aliqua ex parte ſopitum videbatur, quoniam ſedecim iſti viri nomine totius communitatis civium Regi ſpoponderunt ſe novis rebus deinceps deſtituros, Magiſtratus dignitatem comiter habituros, & dicto audientes futuros, neminem amplius in Senatum lecturos, & ſedecimviratum depoſituros: quicquid etiam in belli ſubſidium communibus votis laudatum eſſet per Ordines terrarum Pruſſiæ in proximo conventu Elbingenſi, acciſam, capitationem, & alias contributiones, ſe pro virili portione recepturos ac præſtituros. Quæ tamen omnia deinceps retractarunt, & multo pejora moliti fuerunt. Etenim cum Internuncii noſtri ex conventu Elbingenſi reverterentur & decretum Ordinum de pecuniis ad eliberandas hoſtium arces conferendis referrent, ut ſcilicet hoſtibus ab ea parte debilitatis eo maturius pax recuperari poſſet, ibi tum illi furibundi ſtrictis gladiis e Curia prorumpunt, acciſæ cameram invadunt, libros & rationes conſcindunt, & in mediam viam in luto provolvunt, præfectum cameræ trucidant, & omnia ad ſeditionem inſtituunt, optimum quemque civium, qui factum improbaret, plagis & vulneribus abſolvunt. Exinde portas inter utramque civitatem intermedias per vim occupatas noctu & interdiu apertas obtinent. Has turbas omnes ut plurimum concitabant novæ civitatis incolæ, ac ſi plures ex contuberniis veteris civi-

tatis ab eorum partibus ſtetiſſent, etiam atrociora non absque cædibus & ſanguine perpetraſſent. Eligebant poſtea viros viginti quatuor ex omni opificum genere, turbulentiſſimum quemque, hi intra curiam noſtram coeuntes conſilia habebant de Conſulibus, Senatoribus, Scabinis, & præcipuæ notæ civibus capiendis, & ſuo libitu tractandis. Eodem tempore Legatum veſtrum Ewaldum Wrigen prehendere & tormentis ſubjicere volebant, ob tabellarium ſuum ad veſtram communitatem cum literis ablegatum & iſthic detentum. Ewaldus itaque vim veritus Dibaviam in pacatum ſe contulit. Naves etiam veſtratium, qui cum mercibus huc adventabant, quo minus invaderent ac diriperent, maximo cum negotio, ab ipſis obtinuimus. Interim illi delecti viginti quatuor homines maligni & proditores, literis accerſebant hoſtes noſtros, qui in Novo foro in præſidio Cruciferorum erant, quibus & nos & civitatem tradere animum induxerant, quod nos ex eorundem literis, quas reſcribebant, cognovimus, eæque caſu in noſtras manus inciderant, priusquam ad ſeditionis auctores perveniſſent, in quibus hiſce verbis perſcriptum erat: Ex literis veſtris libenter cognovimus, vos utramque civitatem adhuc in poteſtate habere, hortamur, ut deinceps etiam ita retineatis. Cum Gedanenſes diſceſſerint, ilico facite nos certiores, tum enim condicta nocte cum omnibus copiis adveniemus, & ea vobis præſtabimus, uti promiſimus, utique viros bonos maxime decet. Vos itidem curate, quod repromiſiſtis. Tales erant literæ. Cæterum ii, quos diximus, viginti quatuor viri feria ſexta ante diem Michaëlis nos adibant, & totius communitatis nomine poſtulabant, veſtrates, qui cum navibus & mercibus huc advenerant, mercatores, cives, nautas, & cæteros, ad pontem navalem extra civitatem convocari, quandoquidem eſſent nonnulla, quæ cum illis agere vellent. Cum autem veſtratibus a negociis ſuis otium tum non eſſet, res ad diem Dominicum ſequentem proferenda fuit. Interim quid eſſet ipſorum conſilii, per fidos homines comperimus, quod ſcilicet conſtituiſſent veſtrates, quamprimum ad dictum pontem veniſſent, portis excludere, & hoſtibus qui in Novo foro & Leſſini frequenter convenerant, & in ſignum intenti erant, inermes armatis objicere, tum res & merces illorum in ſtipendium hoſti ſubmittere. Haſce turbas & molitiones quamprimum Rex Caſimirus reſcivit, Legatos ſuos Stanislaum Oſtrorogium, Scharlingium & Joannem Coſcielecium cum copiis huc celeriter miſit, qui ad dictum diem Dominicum ſummo mane nobis præſto erant. Adferebant etiam Regias literas ad præfectos noſtros Conradum a Dalen & Heinricum a Staden, quibus ſerio mandabatur, ut eidem Oſtrorogio parerent, & cum omnibus, quas penes ſe haberent, copiis illi ſeſe conjungerent, adverſum perfidiſſimos proditores Regis & patriæ, qui tot bonos & honeſtos viros facultatibus & vita privare conſtituiſſent. Rebus ita comparatis, & conſiliis proditorum detectis, quotquot in re præſenti comprehendi poterant, publice gladio cæduntur. Multi fuga ſibi mature conſuluerant, inter quos ſutor quidam Zipſerus cognomine dictus ex Polonia retractus proditionis ordinem nobis aperuit. Inter cætera indicavit, quid ad Plavenium Elbingenſem olim præfectum & Cruciferos perſcripſerint, quas literas ab eodem

eodem receperint, quibus ille ſecuritatem vitæ facultatumque ſpopondiſſet, ac in ſingulos viritim pecuniam proditionis auctoramentum promiſiſſet. Clericum etiam captivum habemus, qui literas communitatis noſtræ ſcripſerat, & ſigillo ſuo conſignaverat. Is omnium illorum indicium fecit, qui ſcriptioni interfuerint, quique a contuberniis mandatum habuerint. Zipſerum tamdiu detinemus, donec rem omnem ejus indicio certius compertam habeamus. Ex teſtibus etiam fide dignis accepimus, quod quidam ex proditoribus, Hakius cognomine, publice in tabernis & hominum congreſſibus profiteri non veritus fuerit, rem ita conſtitutam eſſe, ut quemadmodum una die omnes ferme arces eſſent dirutæ, ita uno die in omnibus civitatibus majoribus, qui in Magiſtratu ſint poſiti, trucidarentur, & Cruciferorum dominatus ubique reciperetur. Reprehenſus a quibusdam ob hoſce ſermones illud etiam addidit, rem ſemel cœptam omnino tandem eſſe finiendam. Quod ſupereſt petimus, ſi qui noſtri proditores ad vos ſe receperint, ne iſthic hominibus perditiſſimis receptaculum ſit vel latibulum. Nam quanti res ſit periculi, ſi copiam nacti fuerint, malum ſemen in agro veſtro ſerendi, ex eo conjecturam facitote, quid non ita pridem hic tumultuantes adverſum cives & mercatores veſtros in animo habuerint. Scriptæ erant hæ literæ Torunii Sabbatho poſt diem undecim millium virginum anno MCCCCLVI.

Gedanenſes a Cruciferis denuo tentantur.

Cum per totam provinciam rumor increbeſceret de ſeditioſis Torunii Gedanique tumultuantibus, exiſtimabant ſtipendiarii Cruciferorum milites, de Regiis partibus jam actum eſſe, & iiſce civitatibus ſemel deficientibus, Cruciferos facile poſſe reliquam provinciam recuperare, atque ideo illorum nonnulli, cum quibus antea de sedimendis arcibus oppigneratis actum conventumque fuerat, pacta retractare cœperunt. Eadem in univerſum Ordinis erat ſpes & expectatio. Dux etiam Saganus durante tumultu aliquoties Gedanum ad contubernia lanionum, fabrum, piſtorum, ſartorum, & totam adeo communitatem literas clam miſſitaverat, quibus ambitioſe hortabatur ac flagitabat, ut ad legitimos Dominos Cruciferos reverterentur. Neque tum ſibi temperabat, cum jam res fuiſſent in pacatiorem ſtatum adductæ. Itaque ſeniores contuberniorum ex conſilio publico totius communitatis nomine reſcribunt: Sibi literas & vanas pollicitationes ejus minime cordi eſſe ipſumque certo ſtatuere debere, Cruciferorum conſilia apud ipſos nullum unquam habitura locum. Jam pridem (inquiunt) & eo maxime tempore, cum aliquanto meliorem rerum omnium ſtatum deſiderabamus, vos & præfectos veſtros tam per literas, quam per homines pios, immo per viros primarios Ordinis veſtri non ſine ſummo animorum dolore admonuimus ejus calamitatis, quæ toti Pruſſiæ poſſet exoriri, niſi cum ſubditis in gratiam rediiſſetis. Nec ejus ſolum admonuimus, ſed etiam ſupplices fuimus, ac per omnia ſacra obſecravimus & obteſtati ſumus, ut finem ſaltem hujus miſeriæ conſiderare velletis, fidem etiam noſtram, ut bonos viros decet, nos præſtituros ingenue recepimus. Verum hæc omnia ſurdis narrabantur, nec animos veſtros ullatenus commovebant, quocunque

cunque tandem res evaſura fuiſſet. Jus veſtrum, quod decreto Cæſaris in nos obtinuiſſetis, ſummo ſtudio urgebatis, ejus executionem in ſanguinem & facultates noſtras experiri tandem conſtitueratis. Enimvero quale jus iſtud veſtrum, quale judicium fuerit, multi viri boni & veſtrarum partium jam pridem probe meminerunt, & nunc etiam deplorant. Deus ignoſcat illi, qui vobiſcum nos commiſit. Quod ſi vos & Conſiliarii veſtri tum temporis, quo omnia erant in integro, rem ita perpendiſſetis, uti nunc demum perpendere videmini, neutri in has difficultates incidiſſemus. In alienum forum, in aliena judicia extra Pruſſiam ut pertraheremur, & multis modis affligeremur, ipſimet auctores fuiſtis. Ut noſtræ naves & merces in Dania prædæ aliis exponerentur, vos ipſi procuraſtis. Tantum abeſt, ut, quod veſtræ fidei fuerat, ſubditorum defenſionem aliquam ſuſciperetis. Cæteras enormes & multiplices injurias, quibus per vos & anteceſſores veſtros, obruti ſumus, brevitatis gratia nunc ſilentio præterimus. Atque adeo nullus eſt veſtri Ordinis, nullus etiam ſtipendiariorum & auxiliarium, qui neſcire poſſit, quam multa, quam nefaria, quam turpia in nos per ſummam injuriam patraveritis, & ipſimet neceſſitatem nobis immaniter oppreſſis vel invitis propoſueritis Dominum commutandi, & ad alium confugiendi, qui nos ex iſthac violenta tyrannide ac oppreſſione liberaret ac eriperet, Sereniſſimum nempe Poloniæ Regem, quem vosmet olim Ordinis veſtri auctorem & Patronum agnoviſtis. Eidem fidem dedimus, ei obſequia, quæ debemus, fideliter præſtabimus, ei vitam & facultates impendemus, ab eo nunquam recedemus, is dulcem pacem Deo dante brevi nobis conciliabit. Quod præterea ſcribitis, ſexaginta dies excommunicationis Pontificiæ jam ferme elapſos eſſe, id quidem parum curamus. Nec enim neſcimus, nec juris eſt incogniti, neminem, qui in jus vocatus & auditus non ſit, jure condemnari poſſe. Et omnia iſthæc longe aliter acta ſcimus, quam literæ Veſtræ comminiſcuntur. Eadem eſt ratio proſcriptionis Imperatoriæ, quam veſtro more perperam elicuiſtis. Habemus jam Regem certum ſimul & fidelem, cui nec remedia nec facultates deſunt ſubditos ſuos adverſus tam præſumptuoſam aliorum, quos Dominos non agnoſcimus, vim & injuriam defendendi. Quod ſupereſt, deſinite poſthac nobis miſſitare hujus generis epiſtolas, quas neque gratas habemus, neque deinceps recipere vel legere dignabimur. Sin amplius eritis nobis moleſti, ratio nobis erit ineunda, qua literas veſtras hinc abigamus &c.

Dux Saganus reſcribit.

Hiſce Contuberniorum literis parum commotus Dux Saganus denuo ſcribit conjunctim ad Senatum, Scabinos & communitatem, eo animo, quo cauſam Ordinis pro juſta aſſereret, ac quoquo modo ſeditionem nondum plane ſopitam inter plebejos reſuſcitaret. Literarum ejus hæc erat ſententia: Quod ſcribitis negotia iſthic peracta Ordinis commodo ſuum finem ſortita fuiſſe, vosque nullis dolis, nullisque malorum hominum machinationibus a Domino veſtro, Poloniæ Rege, ſeduci poſſe, nec unquam ad Cruciferorum regimen reverſuros, petitis item, ut poſthac literis ad vos miſſitandis ſuperſedeamus, alioquin vos tabularium cum

cum ipſis literis Vulcano commiſſuros, mirum profecto nobis accidit, & rem alias inauditam eſſe credimus. Equidem quod antea ſcripſimus non ullo dolo, nec malorum more fecimus, ſed uti & virum bonum & Principem decet in cauſa honeſta, ut vos ad honeſtum locum, qui jure vobis competit, revocaremus. Proinde quod affirmatis, vos cum Rege Poloniæ conſtanter permanſuros, quodque viritim conjuraſtis, vos dominatum Ordinis nunquam recepturos, nec Cruciferis auxilio futuros: Scitote, quod Rex Poloniæ Dominus veſter non eſt, neque diu, ſi Deus volet, vobis dominabitur. Neque juramenta veſtra, nec fides Polono data jure quenquam obligant. Et res præſens omnis a Dei voluntate pendet, per quam propoſitum veſtrum haud dubie commutabitur. Nec eſt, quod fiduciam in eo ponatis, quod muro circumdati eſtis, Deus olim multas & magnas civitates celeri plaga evertit, & etiamnum ejusdem eſt potentiæ. Nec exiguo nunc morbo Torunium laborat, ex iis quæ ſuperiori tempore ſuſcepta fuerunt, uti quidem ad nos perlatum eſt. Poloniæ Rex a paucis hominibus affligitur, quos ægre ſuſtinet, quæ certe res non hominum ſed Dei manu perpetratur. Atqui manifeſtum Pruſſiam Divæ Genetricis propriam eſſe, ac Cruciferorum Ordinem in ejus honorem inſtitutum fuiſſe, id quod vos & veſtri ſimiles irritum facere fruſtra conamini. Neque quisquam vir bonus in animum inducere poterit, Deum matris ſuæ jus neglecturum, quod conſervare ac tueri ſummo honore tenetur. Unde multo magis ſperandum, cauſam Ordinis tandem prævalituram. Non autem hæc eſt ſententia vel intentio literarum noſtrarum, quod copiam vobis facere velimus nobiſcum hiſce de rebus agendi vel tractandi (procul a nobis abſit,) ſed quod futurum ſperamus, vos eam, quam antea propoſitam vobis conditionem incogitanter repudiaſtis, ultro multis aliquando precibus ſupplices a viris Principibus interceſſionis ergo petituros &c. Scriptum Kniphovii in monte Regio feria tertia poſt Galli (d. 19. Octobris) anno MCCCCLVI. Ad ea nihil reſponderunt Gedanenſes, præſertim quod prioribus literis animi ſui ſententiam abunde ſatis demonſtraſſent, ac iſthæc præteritorum commemoratio parum ad rem præſentem facere videretur.

Res nummariæ.

Supra dictum eſt de ſtipendiariis militibus Cruciferorum, qui occaſione ſeditionum civilium pactiones de redimendis arcibus & oppidis retractare ſtudebant: Quod etiam Ordines fœderati non moleſtiſſime ferebant, quippe quibus pecunia non eſſet præ manu, qua primam penſionem, uti convenerat, exolverent. Verum cum ex ſpe ſtipendiariorum res non ſucceſſiſſet, Cruciferi etiam ad exolvenda ſtipendia omnino eſſent imparati, iidem milites cum Ordinibus fœderatis circa finem Octobris Mariæburgi denuo conveniunt, & novos ea de re tractatus ineunt, ſic ut prima penſio viginti quinque millium aureorum ſtatim repræſentaretur, cæteræ in diem conſtituerentur. Gedanenſes exinde cum ſibi majorem oneris partem incumbere intelligerent, & eorum quoque ſtipendiarii, qui Stargarti & Neoburgi in præſidio erant, itidem aliquando abſolvendi eſſent, contributionem publicam, tam in civitate, quam in oppidis ciſiſtulanis ſibi adſignatis, in omnes merces terra marique importatas

tatas & exportandas indicunt: inde a civibus & extraneis, qui cum illis verſabantur, præſentem pecuniam quantamcunque poſſunt, mutuo accipiunt ex eadem contributione reſolvendam. Hæc publice ſancita ſunt Ordinum fœderatorum ſuffragio & in literas relata die Simonis & Judæ, qui erat menſis Octobris viceſimus octavus, anni MCCCCLVI.

Gedanenſium in Sambiam excurſio.

Circa idem tempus nonnulli Gedanenſium absque conſilio publico, ſuo remigio (quod dici ſolet) ac periculo contractis aliquot navibus, ſcaphis, nautis & calonibus prædæ cauſa in Sambiam excurrunt, ducibus Heinrico Stadenſi, & Michaële Ertmano, & Lochſtetum ac Fiſchhuſium delati die prima Novembris ſummo mane ex vicinis pagis & prædiis prædam ad naves agunt. Interim autem præſidiarii Regimontani ad tumultum & fugam agreſtium exciti ſupervenientes, Gedanenſes opprimunt ac in fugam conjiciunt. Ex quibus centum triginta cæſi, viginti quinque capti, inter quos dicti Duces ambo comprehenſi, cæteri ad naves elapſi ſunt. Captivi omnes capite luerunt. Qui autem in navigiis manſerant, vel eo evaſerant, prædam ingentem, ſed magno ſuo malo partam, domum reportarunt. Ob hanc Gedanenſium irruptionem Kniphovii in monte Regio, viginti quatuor cives, nimirum decem ex Senatu & ſcriba civitatis, cæteri ex plebe, in ſuſpicionem conjurationis falſo vocati, mandato Ducis Saganenſis & Comitis Gleichenii bonis omnibus ſpoliati, cum uxoribus & liberis ejecti ſunt, qui ut plurimum deinceps Gedani & Elbingæ pro hoſpitibus recepti domicilia ſua collocarunt.

Contributio publica.

Die Dominico poſt Martini Ordines Pruſſiæ fœderati Elbingæ conventum agentes ad expediendam pecuniam ſtipendiariis Cruciferorum pro oppigneratis arcibus & oppidis promiſſam, ſcito publico contributionem pecuniariam ſanciverunt, quam tam Nobiles quam cives in commune conferrent, ſingulis civitatibus, quæ tum Regis partes ſequebantur, pro rata portione certa ſumma adſcripta, ſic quidem, ut iſthac æſtimatione in ſimplicem contributionem in univerſum conficerentur aureorum octoginta duo millia cum quadringentis ſeptuaginta quinque, quorum decem millia nobilitati, reliqua civitatibus conquirenda eſſent: Eaque ſumma toties quoties ad hunc uſum & cæteras belli neceſſitates opus foret, de integro repeteretur. Cæteris interim exactionibus, quæ ad continuandum bellum jam antea laudatæ fuerant, in ſuo ſtatu permanentibus.

Legatio ad Regem.

Ex eodem conventu Ordines fœderati Legatos ad Regem mittendos legunt, ex civitatibus Torunenſi, Elbingenſi & Gedanenſi ſingulos. Legationis hæc erant capita: ut Rex ipſemet quantocitius poſſet in Pruſſiam deſcenderet ad occupandam arcem Mariæburgenſem, & controverſias quasdam inteſtinas componendas: Ut Pruſſiam adverſus hoſtes majori quam hactenus conatu defenderet, uti ſancte quidem Ordinibus promiſerat; verendum enim, ne ſi ſecus faxit, animis hominum per diſcordias & ſimultates diſtractis, id quod jam ſtrenue fuiſſet acqui-

acquiſitum, rurſus turpiter amitteretur. Quod ſi Rex ipſemet (quod maxime petebant) advenire non poſſit, copias ſaltem aliquas mitteret, quibuſcum Gubernator & Ordines arcem Mariæburgenſem accuratius munire, ac in poſterum fortius defendere poſſent: Ut Rex provideret, ne per ipſius milites ſtipendiarios ſtet, quo minus civitates ulterioris Pruſſiæ contributionem publicam communiter laudatam inferrent, ſi enim huic rei mora objiciatur, ad arces, uti conventum eſſet, eliberandas tempori pecuniam in promptu non futuram: Ut ipſemet Rex ſuam portionem depactæ pecuniæ absque mora ad dictam diem repræſentari curaret: Ut eo clementer animadverſo, quod pleræque minorum civitatum facultatibus admodum exhauſtæ ſint, ad eandem virilem portionem ſuam de ſuo centum millia aureorum adjiceret: Ut quoniam præſidiarii in arce & oppido Leſſino ipſimet quoque pignus venderè velint, Rex ſua pecunia lueret, ac quod Ordinum facultatibus deeſſet, qui propriis etiam militibus permagnam adhuc ſummam debeant, Rex ipſe præſtaret: Ne Rex ulla bona in terris Pruſſiæ ulli hominum absque ſcitu conſenſuque fœderatorum concederet: Ut diligenter provideret, ne ex Maſovia vel aliunde ex Regno Poloniæ commeatus hoſti ſubvehatur: Et tandem ut ex proceribus quempiam ad Daniæ Regem ablegaret, & ejus Regis animum erga Pruſſos penitius exploraret.

Promagiſter Livoniæ.

Eodem anno 1456. in Livonia Promagiſter dicebatur Joannes Oſthovius de Mengeden, qui magnum initio coëgit exercitum, ut Cruciferis Pruſſienſibus ſuppetias ferret, ſed mutato non diu poſt conſilio ad bellum inteſtinum deſcendit adverſus Silveſtrum Epiſcopum Rigenſem, quem cum Coggenhuſii obſediſſet, paulo poſt arcem cum Archiepiſcopo cepit, omniaque bona Archiepiſcopatus & Cleri militibus diripienda præbuit, quo quidem facto, quod utique incivile & Ordini ejus minime conſentaneum videbatur, apud Cruciferos Pruſſienſes haud magnam inivit gratiam.

An. 1457. Sueciæ Rex Carolus.

Anno inſequenti circiter Bacchanalia Gedanum appulit Carolus Sueciæ Rex, tum exul, & fide publica in urbem veniens liberaliter ac honorifice fuit exceptus. Erat ipſi propoſitum, ut ad recuperandum regnum ſuum auxilio Caſimiri Poloniæ Regis uteretur, prout etiam Henricum Angliæ Regem & Ducem Burgundiæ Philippum de ſuppetiis ſolicitabat, quibus etiam Gedano in hanc ſcribebat ſententiam: Narrat initio, quam multis & gravibus injuriis, contumeliis ac damnis Daniæ Rex Chriſtiernus ipſum & ſubditos ipſius per complures jam annos affeciſſet. Deinde graviter queritur, quod nonnulli procerum & Conſiliariorum Regni Sueciæ, Archiepiſcopi ſcilicet ac Epiſcopi cum eodem Chriſtierno conſilium iniiſſent ipſum regno pellendi & Sueciam Chriſtierno ſubjiciendi. Quo facto facile perſpici poſſet, quanta damna vicinorum ſubditi Principum in mari & navigationis exercitio eſſent experturi, quod etiam Erici Regis temporibus accidiſſet. Quibus rebus commode nunc obviam iri poſſet, eo potiſſimum attento, quod ipſemet adhuc omnes ferme Regni munitiones ac arces in poteſtate haberet, eas-

que per complures utique fideles ſubditos poſſideret. Quocirca maxime & ſibi conſultum, & in rem cæterorum Principum non minus exiſtimabat, idque precibus etiam efflagitabat, ut ipſi Principes ſummis viribus Chriſtiernum oppugnarent, ſibique ope & auxilio adeſſent: Se quoque nunc ajebat cum Caſimiro Poloniæ Rege conſilia collaturum, & rationes eas initurum, quibus injurias tam ſibi, quam illius ſubditis varie ac ſæpius illatas aliquando tandem conjunctis viribus ulciſcerentur.

Gedanenſes Suecis ſcribunt.

Gedanenſes etiam Rege poſtulante binas in Sueciam literas miſerunt, tam ad Præſulem Upſalienſem & cæteros proceres & Ordines Regni, qui Carolo adverſabantur, quam ad Epiſcopos Abenſem & Lincopienſem ac cæteros, qui Caroli partes adhuc fovebant. In prioribus literis nunciabant, qualiter Rex ſide publica Gedanum appuliſſet, ac honorifice a proceribus Poloniæ & Pruſſiæ fuiſſet exceptus, quibus ille ſcriptum quoddam totam ejus cauſam complectens (cujus exemplum una mittebant) exhibuiſſet, ac Caſimiri Regis & auxilium imploraſſet. Ac proinde petebant, ut ipſimet prudenter perpendentes, quantum mali detrimentique, quanta Chriſtiani ſanguinis profuſio ex hiſce ſimultatibus & diſſidiis inteſtinis conſequi poſſet, ſeſe ab odio erga Carolum inconſultius forte concepto recolligerent, eumque reciperent ac ſtatui ſuo reſtituerent, eamque fidem quam ipſimet jurati dediſſent, nunc demum probarent atque exolverent: præſertim quod Carolus ad cognoſcendam cauſam ſuam ultro juri ſe ſubmitteret, neque pœnam ullam deprecaretur, ſi culpam ullam in ſe hærere compertum fuiſſet. Sin ſecus ipſi facerent, etiam atque etiam conſiderarent, neque factum ſuum Principes vicinos probaturos, neque Carolo rationes defuturas ſtatum ſuum recuperandi & injurias ſuas ulciſcendi. Atque utinam (inquiunt) Cruciferi nobis ejusmodi conditionem tuliſſent, qua jure nobiſcum & æquis arbitris vel judicibus agere vellent, nunquam ad hoc infelix bellum devenisſemus. Iterum ac iterum diligentiſſimis verbis petentes, ut non tam quod ſemel occepiſſent, quam totius rei eventum perpenderent, ac a dubia belli alea animos ad meliora & pacatiora conſilia reflecterent. Quod ſi exiſtimarent vel per ipſorum Gedanenſium vel Regis Poloniæ Procerum interceſſionem, concordiæ rationem aliquam inveniri poſſe, operam ſuam haud inviti pollicebantur. Scriptum hiſce literis adjunctum Regis Caroli querimoniam continebat, quod is proditione Joannis Archiepiſcopi Upſalienſis primum bello petitus, deinde Stockholmiæ obſeſſus fuiſſet, unde factum ut plerique ejus præfecti ab eo defeciſſent, ac ita tandem fuga ſibi conſulere coactus eſſet. Alteris literis eos, qui Regis adhuc partes ſequebantur, monebant, ut in fide perſiſterent, nec ab altera factione vel minis vel blanditiis ab officio ſeduci ſe paterentur: omnino futurum confidentes, Carolo a vicinis Regibus & Principibus ad recuperandum ſtatum ſuum auxilia non defutura. Scriptæ erant die Cinerum anno 1457.

Chriſtiernus a Suecis accerſitur.

Cæterum quamprimum Carolus regno exceſſerat, Archiepiſcopus Upſalienſis & ſocii Chriſternum Daniæ Regem evocarunt, & mox Stockholmiæ diademate regni Suecici coronarunt, ſic ut is jam trium regnorum ſeptentrionalium Rex nuncuparetur. Hic Chriſtiernus jam antea anno 1449. Inſulam Gotlandiam, quæ pars regni Sueciæ ſemper fuerat, per vim occupaverat, & Danicæ ditioni ſubjecerat.

Carolus cur regno pulſus.

Cauſam expellendi Carolum plerique afferunt fuiſſe nimiam ejus tyrannidem in opprimendis & emungendis ſubditis, propter quam Archiepiſcopus oppreſſi populi ductor rebellionem concitaverit, ad arma conclamaverit, & non ſolum in regios præfectos, ſed in ipſum quoque Regem patratæ tyrannidis injuriam vindicare ſtatuerit. Joannes Magnus ſcribit, Regem non ob propriam cauſam, ſed peſſimorum præfectorum flagitia periclitatum fuiſſe, quos habuiſſe refert ad omnem nequitiam audaciſſimos, & ad omnem virtutem resque præclaras imbecilliſſimos: hosque tam avare & atrociter ſubjectum populum oppreſſiſſe, ut is tandem coactus fuerit fideliſſimam ſubjectionem pertinaci rebellione commutare. Unde illud eſt, quod cum Carolus e regno jamjam vela facturus, a quodam ex iſtis præfectis interrogaretur, an quidquam in continenti neglexiſſet, ille ſuſpirans reſponderit, neglexi profecto ante complures annos te & tui ſimiles in furcam ſuſpendere, quod ſi tum feciſſem, nunc quietius in tranquilla Republica remanerem. Cæterum Chriſtiernus regno Sueciæ qualitercunque potitus nihilo melius rem gerebat, quinimo exactiones etiam acerbius exigebat, præſulem ipſum Upſalienſem carceri mancipabat, ac ut plurimum in conquirendis Caroli pecuniis laborabat: prout etiam ingentem theſaurum (ut auctor eſt idem Magnus) a Carolo apud fratres prædicatores & Minoritas Stockholmiæ derelictum accepiſſe, ac ſeptem magnis vaſis incluſum in Daniam ſecum abduxiſſe dicitur.

Theſauri Suecici.

Vulgo autem rumor erat, Carolum maximam divitiarum partem ſecum in Pruſſiam transtuliſſe, & inſimulabantur Gedanenſes, quaſi ingentis theſauri ob receptum Carolum facti fuiſſent participes: Quod facile credens Chriſtiernus, in Cruciferorum quoque gratiam, Gedanenſes mari hoſtiliter infeſtabat, & Regi Caſimiro bellum indicebat. Senatores etiam Regni Suecici literis ſuis tam ad Caſimirum quam ad Gedanenſes perſcriptis expreſſe Carolum, quod Regni theſauros clam abſtuliſſet, ac Gedanenſes, quod eorum partem in ſuam rem convertiſſent, criminabantur. Verum iſthæc ſuſpicio inde nata videri poterat, quod Carolus in Pruſſiam veniens Gedanenſibus ſummam quindecim millium marcarum, quarum ſeptenæ marcam argenti puri (ſic enim in literas utrinque relatum eſt) æquivalerent, mutuam dederat, & viciſſim ab ipſis hypothecæ loco Puſcum arcem & oppidum, ubi ab urbanis motibus ſecretior cum aulæ ſuæ adminiſtris libere converſaretur, ac proventibus interim uteretur, acceperat. Quæ quidem pecunia nimio certe minor erat, quam ut pro Regni Suecici theſauro cenſeri debuiſſet, & hodie Gedanenſes, ſi iſthæc hypotheca, quam deinde Carolus haud magnopere reſiſtens hoſtium manibus reliquit, ſibi reſtitueretur, nimio lubens mutuam iſthanc pecuniam a ſe reſolverent.

Carolus in regnum revocatus.

Cæterum exitus harum rerum is fuit: Cum Chriſtiernus impotenter & avare nimium Suecis imperaret, atque inde omnium Ordinum odia in ſe concitaſſet, Sueci tandem auctore Catillo Epiſcopo Lincopienſi, qui captivi Archipræſulis nepos erat, conjuncta manu ad arma concurrunt, ac Danicæ factionis homines commiſſo prælio devictos regni finibus ejiciunt, & mox Carolum triennium jam exulem in regnum revocant, quem Gedanenſes navibus ſuis Stockholmiam usque comitati fuerant, qui deinde quamdiu vixit ſubditos ſuos non ſecus ac parens tractavit, ex malo bonum edoctus, nec ipſos viciſſim ſecus ac filios expertus fuit. De Catillo (quem diximus) Epiſcopo illud obiter annotare viſum fuit, quod cum Danorum inſolentiam ac injurias maximopere deteſtaretur, & inſuper Præſulis avi captivitatem ægerrime ferret, omnia Pontificalia indumenta, præſente ſuorum Canonicorum collegio induit, quaſi rem divinam ſolenniter peracturus, eaque rurſum & ſine mora ſingulatim exuens & ad ſummum altare in templo Lincopienſi reponens, votum vovit Deo, ſe non prius ea recepturum, quam oppreſſam patriam a tyrannorum ſervitute liberaſſet. Quod quidem ex eodem loco egreſſus, & omnibus militaribus armis inſtar cataphracti equitis ad præparatam militiam inſtructus, impigre poſtea præſtitit. Atque hæc de rebus Suecicis hoc loco dicta ſufficiant.

Gerlacus Ochſenweller.

Gedani interim die ſexta poſt Dominicam Reminiſcere, civis haud poſtremæ auctoritatis, Gerlacus Ochſenweller, quod contra conventionem publice initam literas ab hoſtibus accepiſſet, neque Magiſtratibus exhibuiſſet, gladio percutitur. Atque hic factionis Coggianæ fuerat non poſtremus.

Eodem tempore vere jam ineunte, Rex Caſimirus novum conſcripſit exercitum ex Polonis, Bohemis, Moravis, Sileſiis, quem in Pruſſiam duceret, loco ad delectum habendum prope Toruniam conſtituto. Interim non omittebat curam, qua arces & civitates oppigneratas a Cruciferorum ſtipendiariis redimeret, quam in rem ſummo ſtudio pecuniam comparabat; ſic ut etiam Epiſcopi Gnesnenſis, Vladislavienſis & Posnanienſis ſupellectilem eccleſiaſticam auream & argenteam ſuppeditarent. Gedanenſes jam antea ſtipendiariis iſtis quadraginta aureorum millia, cæteri Pruſſiæ ſtatus viginti quinque millia exolverant. Ad reliquos ſolutionum terminos expediendos pecunia nusquam apparebat. Cum rumor interim de novo Regis exercitu paſſim increbreſceret, ſtipendiarii dubium belli eventum perpendentes, ut bona cum gratia de reliquo tranſigerent, cum Regis Legatis & Gedanenſibus denuo tractant. Ac ita convenit tandem, ut omne acceptum ex tota ſumma defalcari paterentur, ad reliqua vero tres ſolutionum vices, utpote Bacchanaliorum, Dominicæ Lætare, & paſchatos dies conſtituerentur. Primum terminum Rex abſolvit, mutuo ſumptis eam in rem in Polonia viginti quinque millibus aureorum. Secundus terminus a Statibus fœderatis, quod indictæ contributiones lente admodum inferrentur, non totus expediebatur. Ac proinde ſtipendiarii denuo a lege conventionis reſilire ſatagebant, nimirum

Arcium hoſtilium difficilis redemptio.

mirum ut, quod jam ſolutum erat (attingebat autem ferme dimidiam totius ſummæ partem) pro nihilo haberi vellent. Actum ad extremum eſt cum illis in hanc conditionem: ut reliquum ſecundi termini ad diem paſchatos diſſolveretur, ultimus ad diem Pentecoſtes prorogaretur: ſi qua die mora fieret, omne acceptum creditoribus committeretur. Ita in ſupplementum ſecundi termini Gedanenſes nomine Regis viginti unum millia cum quingentis, & nomine fœderatorum triginta novem millia aureorum ſuppeditabant. Cum poſtrema ſolutionis dies inſtaret, Rex Gedani tum erat, ſed apparebat magna a nummis inopia, adeo, ut minus jam de reliquo conficiendo, quam de ſoluto perdendo metuendum eſſet: Rex ſpem omnem in Gedanenſibus collocaverat, qui tamen continuis impenſis ita jam erant exhauſti, ut de reſiduo, quod centum millia aureorum aliquantum excurrebat, ferme deſperarent. Nihilominus præſentia Regis & belli ſpes eo maturius conficiendi majores addebant animos. Ita Magiſtratus omnes omnino proventus intra & extra civitatem accuratiſſime excutere, de ſuo quoque quantum poſſent Reipublicæ ſuppeditare, cives privatim pro ſe quisque quod uſpiam eſſet corrogare, & quaſi oſtiatim ſtipem colligere, ſic ut matronæ etiam ac virgines ornamenta aurea & argentea in medium conferrent. Quod deerat, partim aliunde vel minutatim fœnori mutuabatur a civibus, a peregrinis ac hoſpitibus, a militibus denique, ſi quid ſupereſſet: partim a cæteris fœderatis, qui hactenus in mora fuerant, in ſupplementum majori quam antea ſtudio conferebatur. Ita ad ſtatum Pentecoſtes diem reliqua ſumma omnis repræſentata, & oppigneratæ arces ac oppida reſtituta.

Crantzii narratio.

De qua conficiendæ ſolutionis difficultate Crantzius quanquam in annum præcedentem refert, Wandaliæ lib. 12. cap. 20. ita ſcriptum reliquit. Aucta ſunt in eum modum ſtipendia, militum ſcilicet Ordinis, ut jam prompto ære exolvi non poſſent. Ipſam arcem primariam Ordinis (Mariæburgum vocant) incomparabili robore & pulchritudine inſignem, & quæ parem in provinciis multis creditur non habere, ſedem magni Magiſtri, ſatellites hypothecam pro ſtipendiis cumulatis accepere, egreſſo Magiſtro cum fratribus, cum fluerent omnibus per ora lachrymæ. Aliquandiu ſervavere Ordini, ſi forte ſolvendæ pecuniæ viam inveniret. Ubi omnis expectatio vana fuit, hoſti exhibuere luendam hypothecam. Rex, cum eſſet æris cumulati ſumma maxima (quadringenta triginta millia Ungaricorum aureorum ferebantur) remiſit illos ad Pruſſiæ urbes. Cives Gedanenſes rati finem eſſe belli, ſi primam arcem pars ſua teneret ab hoſtibus, pacti ſunt cum militibus, ut in tribus terminis ea pecunia ſolveretur. Sed adjecere milites conditionem, niſi ſecundus & tertius terminus in ſuo puncto ſervarentur, amiſſis quæ prius dediſſent, irrita pacta eſſent. Tum vero in urbibus, præcipue Gedano, corroſa eſt pecunia omniquaque, & inde tertiam in primo termino perſolverunt. Ad ſecundum terminum accepere mutuam pecuniam, pignora dantes, utcunque poterant eam quoque ſummam perfecere. Jam pene conſumpta erat ſpes omnis ulterioris pecuniæ, cum tertius propinquaret dilationis terminus, & amiſſio priorum timebatur, niſi ille impleretur.

retur. Singulis tum civibus perquiſitis, dantur cuique de publico literæ, ut vix ſumma difficultate æs corrogaretur. Tam erat propinquus terminus, ut jam lætarentur ſperantes milites, ſe priorem lucratos pecuniam, cum ecce reſtans ſumma numeratur. Jam arx, Regis impoſito præſidio, extra manus erat Ordinis, quæ res ſummo omnes affecit dolore. Amiſere ante plurimas arces cum oppidis, periere multi ex fratribus viri incomparabiles, nulla magis affecit jactura, quam ejus arcis amiſſio. Qui pecuniam accepere, omiſſa militia patriam reviſunt, ſed ferunt ita inter alios vixiſſe contemptos, ut ethnici perfidique haberentur, multos ex his malo ferunt exitu periiſſe, quod rem Deo & hominibus peregiſſent &c. Hæc Crantzius, qui quatenus ex ignoratione rerum Pruſſicarum interdum hallucinetur, ex iis, quæ non ſemel jam obiter expoſita fuerunt, quilibet facile poteſt animadvertere.

Excurſio e lacu Habo.

Cæterum priusquam hoc negotium pecuniarium expediretur, ſtatim poſt bacchanalia Gedanenſium milites, qui in lacu Habo excubabant, de improviſo verſus montem regium excurrentes, tabernam Haberſtro prope urbem diripiunt ac incendunt, ac ibidem duas naves multis & pretioſis mercibus, & earum cuſtodem Secretarium Ducis Saganenſis intercipiunt, ac nemine reſiſtente Gedanum perducunt.

Regis adventus.

Rex Caſimirus decimo quarto poſt Paſchatos die Gedanum venerat tribus circiter equitum millibus ſtipatus, Præſule Vladislavienſi & multis proceribus comitantibus, quem honorifice tum cives & eo ordine exceperunt, ut cum quingentis equis cataphractis, quatuor millibus ſagittariorum, & quingentis militibus ſtipendiariis occurrerent, contubernia vero ſingula cum armis & vexillis ſuis peculiaribus procederent. Eodem die centum & quinquaginta ſcaphæ frumento onuſtæ, ſecundo flumine ſub regio præſidio devectæ Gedanum appulerunt, quod adeo gratum erat omnibus, ut certiſſima ſpes eſſet, hoc Rege, quamdiu tandem bellum id duraret, de re frumentaria recte proſpectum iri. Die poſtea qui Dominicam Jubilate conſequitur, Magiſtratus & cives Gedanenſes univerſi, nec non Nobiles ac equites territoriorum Gedanenſis, Pucenſis & Dirſchavienſis Regi fidem juratam præſtiterunt.

Privilegium Gedanenſium.

Exinde Rex Gedanenſibus alterum principale privilegium conceſſit, in quo de fide, obſequiis & impenſis ipſorum in recuperanda Pruſſia ſibi præſtitis luculenter teſtatur, ac propterea concedit illis prærogativas ſingulares, ratione juris maritimi ac navigationis diſponendæ, ac in cæterum conſtituit, ut trium civitatum, ex quibus urbs tota conſtat, imperium & gubernatio penes unum primariæ civitatis Senatum ſit: Ut omnes merces ex Polonia, Litvania & Ruſſia, absque ullo impedimento, exoneratione vel depoſitione in locis aliis, recta Gedanum ad examen & probationem bonitatis devehantur: Ut nemini extraneo jus civitatis uſurpare, ſine ordinum conſenſu liceat: Ut omnium officiorum & beneficiorum tam ſpiritualium quam ſecularium, excepto templo cathedrali, auctoritas & diſpoſitio penes civitatem ſit: Ut jus habeant cives monetam

monetam auream & argenteam cudendi: Ut Senatus quotannis octo Conſulares nominet, & ex iis Burgrabium, qui vices Regias gerat, Rex deſignet: Ut nulla arx vel civitas circumquaque intra quintum milliare prope urbem extruatur: Denique ut nullum novum vectigal nec aqua nec terra Gedanenſibus imponatur, temporibus perpetuis. Editum Gedani Dominica Cantate anno 1457.

Michaël Schmitt.

Eodem tempore naves quædam ex Anglia Gedanum appulerunt, in quibus ſartor quidam Coggianæ factionis, Michaël Schmitt, qui inter cæteros ſeditioſos ſententia lata proſcriptus fuerat, deprehenſus fuit. Isque ex nave eductus paulo poſt capite mulctatur. Adeo interdum homines facinoroſos divina vindicta perſequitur, ut cum propter perpetrata ſcelera impunitatem quoquo modo nacti, aliis locis omnibus vel compluribus ſaltem tuto de capite eſſe poſſint, nihilominus eum ipſum locum, a quo maxime debebant abſtinere, ac ubi meriti ſupplicii pœnam certiſſimam ſibi propoſitam ſciunt, ultro adire non vereantur.

Arces & oppida ex pacto tradita.

Poſtquam, ut diximus, pecuniæ reliquæ ſolutio Cruciferorum præſidiariis probe & integre præſtita fuerat, illi die ſecunda feriarum Pentecoſtalium arcem Mariæburgenſem cum omni inſtrumento bellico vacuam tradunt ac relinquunt. Die ſequenti Rex Caſimirus arcis & oppidi poſſeſſionem accipit, civibus in ſua verba jurejurando adactis. Deinceps etiam præſidiarii Ilavienſes & cæteri hypothecarii excedunt, ac oppidorum & arcium poſſeſſionem Regi relinquunt, ipſi ſub fide publica cum pecunia & rebus ſuis Pruſſia pacate decedunt.

Cruciferorum ſcriptum in ſuos ſtipendiarios.

His oppidis & arcibus hoc modo amiſſis, Cruciferi ſcriptum edunt ſatis ignominioſum in eos ſtipendiarios ſuos, qui arces & oppida vendidiſſent, exprobrantes ipſis perfidiam & proditionem, eo nimirum argumento, quod ipſimet Cruciferi pro luendis pignoribus tantam æque ſummam iisdem ſolutionum diebus, uti Rex & fœderati Status obtuliſſent: Quod maxima militum illorum pars conditionem Ordinis accepiſſent, iis autem a ſe expulſis, cæteri nihilominus in propoſito ſemel & perperam quidem ſuſcepto perſtitiſſent: Quod Livoniæ Promagiſter per Legatos ſuos majorem etiam ſummam, quam Rex & fœderati ſtatis diebus exolvendam, vadibus quoque in majorem cautionem conſtituendis, obtuliſſet, illi vero nec diei nec horæ moram admittentes, niſi pecunia ſibi præ manu repræſentaretur, conditionem omnem reſpuiſſent: Ac nihilominus deinde Regi & fœderatis plusquam integrum annum in ſolutionem indulſiſſent: Quod tandem etiam ipſemet Magiſter magnus luculentiores longe conditiones, quam fœderati unquam, præſens tuliſſet: Quod ingentem vim auri & argenti, ſignati & non ſignati, Stumam usque miſiſſet, eamque illis repræſentaſſet, ac de reſiduo ſolvendo æque ac Rex & fœderati ſufficientem cautionem interpoſiturus fuiſſet. Ex quibus rebus Cruciferi abunde perſpici poſſe putabant, quantopere ii venditores & fidei & honori ſuo defuiſſent, qui communi hoſti, quam illis, quorum ſtipendia merebant, arces & oppida reſtituere maluiſſent. Commemorabant

rabant insuper alias injurias, quibus illi cæteros Ordinis Mariani fratres, ministros ac servitores, qui cum illis simul in arcibus fuerant, affecissent, quod nimirum eos ignominiose rebus omnibus direptis expulissent, quod eos ad horas precum matutinas venientes, vestibus nudatos virgis cecidissent, lectulos eorum gladiis conscidissent, temploque nudos ejecissent, quosdam etiam noctu oppressos & duriter pulsatos in vincula conjecissent, quorum nonnulli, ut propositam necem effugerent, e fenestris semet præcipitassent: Quod Magistrum ipsum, cum penes illos esset, fidelibus ministris omnibus abactis, pro captivo secum habuissent, & in eas angustias redegissent, ut ne pedem quidem ex arce proferre auderet, nec quisquam procerum vel aliorum colloquendi causa ad ipsum admitteretur, immo omnes interminatione rapinarum, vulnerum & cædium absterrerentur, ut ne quidem literas ad quenquam dare, nec a quoquam recipere auderet: Ac in summa tam inhumaniter eum tractassent, ut fidei Cruciferis præstitæ penitus oblivisceretur: Quod item ipsius Magistri cubiculum aliquando noctu per vim effringere, ipsumque cum ministris trucidare voluissent, nisi facinus illud divinitus fuisset aversum: Quod contra datam fidem, tum, cum Mariæburgum Polonis & fœderatis traderetur, Magistrum, ademptis etiam adversus promissum rebus & imaginibus sacris, quasi captivum secum abduxissent, & tandem non absque vitæ periculo medios inter hostes Choiniciam dimisissent: Ac in hisce rebus omnibus multifariam, juramentum, fidem & sponsiones turpiter violassent. Hæc erat ejus scripti sententia, de quo tantum commemorasse sufficiat.

Consilium tyrannicum.

Inter cætera, quæ post traditionem arcis Mariæburgensis excedentes reliquerant, inventum etiam fuit quasi consilium articulatim conscriptum, qua scilicet ratione civitates, si pro tribunali Cæsaris causa cecidissent, in Ordinem ac potestatem redigendæ & mulctandæ, immo funditus perdendæ essent. Ubi multa congerebantur de munitionibus civitatum subvertendis, de arcibus labore & sumptu civium extruendis, ampliandis & reficiendis, de successionibus hæreditatum ad proximiores saltem gradus restringendis, unde quidem luculenta caducorum accessio sperari posset; de armis, tormentis & instrumento bellico civibus adimendis, de variis exactionibus ubique locorum imponendis, de triente proventuum omnium in singulis civitatibus annuatim Cruciferis exolvendo, de certa parte bonorum & fundorum civilium in censum Ordinis redigenda, de portorio civitatibus maritimis adimendo, de multis prærogativis in negotiatione & evectione mercium per ordinem usurpandis, de jurisdictione, judiciis & mulctis civitatum, pro Cruciferorum emolumento constituendis, & ut uno verbo rem totam absolvamus, de juribus, proventibus & libertatibus civitatum simul & semel abrogandis. Ex quibus dubio procul intelligi potest, quid Cruciferi tandem molituri, & quam misera conditio Prussiæ civitatum, si res aliter cecidisset, futura fuisset. Sed tum, ut vulgo dici solet, absque hospite rationes inibantur. Quid autem mira hæc videri possunt in animis hostilibus, exacerbatis & vindictæ cupidis? cum haud raro etiam in imperiis placidis & æquis, hujus

hujus generis adulatores & pravi consultores non desint, qui Principis jus & auctoritatem, sine subditorum injuriis & expilationibus conservari vel stabiliri non posse, tam impudenter quam tyrannice affirmare non vereantur.

Dirsavia Gedanensibus concessa.

Postquam Rex Casimirus Mariæburgum occupasset, inter alia Gedanensibus in compensationem tam sumptuum in eliberandis arcibus & oppidis impensorum, etiam Dirsaviense territorium cum omnibus proventibus concessit, quod ipsi viro Consulari Othoni Brambeck administrandum commiserunt. Interim copiæ Regiæ & Gedanensium Mewam oppidum obsidebant, nam cum milites Cruciferorum acceptis stipendiis oppido decessissent, continuo Mewenses ad Cruciferos redierant. Copiæ Regiæ latus oppidi terrestre corona cinxerant, Gedanenses in præterfluente Vistula naves in statione habebant. Et jam exiguo negotio oppidani eo ferme adacti fuerant, ut brevi post deditionem facturi viderentur, cum præter omnem expectationem Poloni adversus expressum Regis mandatum, & præfecti sui voluntatem & interdictum per temerariam seditionem arreptis signis obsidionem solvunt, qua de causa Antesignanus illorum Joannes Kotiwicius per regiam sententiam supplicio capitis fuit mulctatus. Et sic Gedanenses etiam recesserunt.

Mewa obsessa.

Prælium in lacu Habo.

Circa diem Jacobi Elbingenses & Brunspergenses in lacu Habo Balgam versus excurrerunt, indeque magnam vim pecoris navibus suis in Neringam insulam transtulerunt. Quos cum Cruciferorum octo naves e vestigio persequerentur, Elbingenses, qui postremum agmen ducebant, hostium adventum maturius præsentientes instructa acie præter spem illis occurrunt, & prælio commisso mox navem unam cum quadraginta armatis submergunt, ex cæteris non pauci interfecti, & quinque fratres Ordinis cum Capitaneo Balgensi, & undequadraginta stipendiarii capti. Ægrius, quam pro numero, ferebant hanc jacturam Cruciferi, propter eos milites, quos inter fortissimos censebant, adeo ut aliorum multo plures libentius desiderassent.

Conflictus navalis.

Eadem æstate Gedanenses tres naves majores armis & militibus egregie instructas in mare emiserant speculatum, ne quis commeatus hostibus mari subveheretur. Hæ cum circa hoc tempus prope Bornholmum insulam stationem haberent, forte fortuna inciderunt in sedecim naves ex Dania versus Livoniam vela facientes. In his vehebantur Cruciferorum auxiliares, qui vexillis statim agnitis, continuo denunciant Gedanensibus, ut sese dedant: illi deditionem obstinate recusantes defensionem parant. Confligitur acerrime a quarta hora vespertina usque ad diem rursus illucescentem, neutra parte longius pedem movente, Gedanensibus vero ab hostibus in coronæ ferme modum circumdatis. Animadverterant interim Gedanenses, a tormentis hostes non nimium instructos esse. Eo vehementius ipsi tum demum fulminare, & majoribus tormentis crebros lapides instar grandinis in confertos hostes ejaculare. Quæ res, cum ex uno tormento subinde plures lapides emissi majorem stragem ederent, non diu post ipsis victoriam, hostibus fugam conciliavit. Unam ex iis navibus tormentis oppressam Gedanenses ceperunt, cum centum quinquaginta militibus, quorum quadraginta se dediderunt, cæteri

teri obtruncati vel in mare projecti. Ex hoſtium parte trecenti deſiderati, Gedanenſium ſaltem duodecim, utrinque vero complures vulnerati. In ea navi, quam diximus, erant quinque Cruciferi Livonienſes & claſſis præfectus quidam Sinbergius, qui inter deditos Gedanum fuerunt perducti.

Schippenbuel. Eodem tempore oppidum Schippenbuel inteſtino incendio ferme totum conflagravit. Qua occaſione arrepta Plavenius cum militibus, qui Allenſteni & Wartemburgi in præſidio erant, celeriter ad oppidum dubio procul facile occupandum. Illum autem fœderatorum militum in vicinia præfectus Otho Machevitius jam prævenerat, adductis aliquot equitum ac peditum ſignis, quo animadverſo & conflictum formidans Plavenius retroceſſit. Otho oppidum continuo reſtauravit, commeatu & præſidio communivit, ipſe cum reliquis ſexcentis militibus ad ſua revertens in itinere a mille quingentis hoſtium ex inſidiis opprimitur, cum aliquandiu fortiter dimicatum eſſet, donec Othonianorum ducenti eſſent occiſi, quadraginta capti, cæteris fugam capientibus, ipſe vehementer vulneratus tandem cum aliquot viris nobilibus in hoſtium poteſtatem devenit.

Otho Machewitius captus.

Mariæburgum proditum. Deinceps nocte, quæ diem vigeſimum ſeptimum menſis Septembris conſequitur, oppidum Mariæburgum auctoribus Conſule Bartholomæo Blumen & aſſeclis, denuo Cruciferis proditur, & copiarum præfectus Bernardus Sonneburgius cum ſexcentis equitibus clam recipitur, qui præſidiarios regios de improviſo aggreſſi majorem illorum partem dormientes obtruncarunt, paucis in arcem elabentibus. Arcis præfectus Ulricus Zerwonka audito tumultu cum omnia circumſpiceret, animadvertit hoſtes occupato jam oppido etiam arci appropinquare, ubi continuo ſaxis, tormentis & baliſtis fortiter rejiciuntur. Quamprimum illuceſceret, ex arce in oppidum continue fulminatur, ſic ut nemo auderet in publicum prodire, nec in plateis quisquam ſe conſpiciendum præbere, ſed in ædibus parietes perforabant, ut ultro citroque commeandi facultas eſſet. Deinde ne ex arce opprimerentur, noctu ſubitario opere foſſam ſatis latam educunt, quæ arcem ab oppido dirimeret. Quo opere perfecto Sonneburgius ipſo die divo Michaëli ſacro, tranſito flumine Nogato in majorem inſulam irrumpit, ut vel occuparet eam vel inde opimas prædas ageret. Unus ex regiis præfectis N. Lubeſewſki cum inaudiſſet Mariæburgum proditum conjunctis ſecum Gedanenſium militibus, qui Dirſaviæ in præſidio erant, arci ſubſidium laturus advolat. Cum in inſulam deveniſſet, de Sonneburgio per inſulanos certior factus, paulo poſt ipſum cum copiis in conſpectu habuit. Milites ejus ut plurimum trepidabant, quod eſſent admodum pauci, hoſtes autem plures octingentis, itaque ad fugam ſpectantes, trans flumen remigrare ſatagebant. Ipſe dux ſtricto gladio primos remorabatur, & hic conſiſtendum inclamabat, cum idem Gedanenſibus videretur, fit militare decretum, eum qui fugeret pro hoſte habendum: ita timidis animum ad ſeſe defendendos adjiciunt, carris conjunctis ſubitariam munitionem conſtruunt, ſic ut

ut a tergo aggerem Viſtulæ pro vallo haberent. Hoſtes illorum paucitate contempta bis impreſſionem faciunt, ut carraginem perrumperent, ſed fortiter a paucis propelluntur. Interveniunt interim quadringenti milites levis armaturæ, quos Gedanenſes Starigardo evocaverant. Hac acceſſione confirmati obſeſſi ultro jam munitionem aperiunt, & hoſtem invadunt; pugnatur primum acriter utrinque, nec alterutri loco cedunt, donec ipſe Sonneburgius equo dejiceretur, qui quadraginta jaculis conFoſſus ſub eo conciderat. Tum paulatim hoſtes cedere, mox etiam fugam dare, inde Mariæburgum & Neotychium verſus properare. Initio fugæ octoginta circiter cæſi, Neotychii vero ducenti: Sonneburgius ipſe vehementer vulneratus parum abfuit, quin vivus in poteſtatem veniret. Exinde Regis & Gedanenſium milites Neotychium oppidum diripiunt, & arcem Mariæburgenſem inducto præſidio fortius communiunt.

Conflictus in majore inſula.

Sonneburgius, ut hanc jacturam aliqua ratione ſarciret, paucis poſt diebus civitates Culmam proditione, & Ilaviam inſidiis cepit. Ilavienſes præſidiarii rerum omnium ſecuri pabulatum longius exiverant, interim hoſtes altera porta recepti illos redeuntes non ſine riſu, nemine tamen læſo, excludunt. Culmæ proditio toties iterata civitati exitium conflavit, cum enim poſtmodum a Rege per vim reciperetur, fœde direpta & cives facultatibus omnibus exuti fuerunt, adeo, ut ab eo tempore in hunc usque diem priſtinum ſplendorem recuperare nequiverit, quæ antehac inter primarias Pruſſiæ civitates præcipuæ auctoritatis fuerat, a qua ceteræ pleræque in cauſis dubiis jus petere conſueverant. His rebus ad Caſimirum perlatis ſex millia equitum & peditum in Pruſſiam miſit, partim ut arci Mariæburgenſi majori præſidio eſſent, partim ut in civitatibus, ubi illorum uſus eſſet, diſponerentur.

Culma & Ilavia captæ.

Circa diem Martini Gedanenſes naves & ſcaphas aliquot inſtructas per lacum Habum Memelam Cruciferorum arcem & oppidum emiſerunt, quæ eo appellentes in quatuordecim Lubecenſium (ut videbantur) naves inciderunt, quibus commeatus varii generis, panni, ſal, butyrum, carnes, Cruciferis ſubvehebantur. Quibus parvo labore oppreſſis, quod ibi pauci in armis eſſent, Gedanenſes octo navium illarum commeatu affatim onuſtas Gedanum perduxerunt, cæteras igni corruptas ſubmerſerunt. Binas etiam munitiones, quas ad Memelam ejusdem nominis fluvium tuendum Regiomontani conſtruxerant, diruerunt & combuſſerunt. Captarum navium ergo male vulgo milites audiebant, quaſi Lubecenſibus amicis & fœderatis magna vis, major injuria facta fuiſſet. Claſſiarii autem rem eo colore defendebant, in navibus paucos admodum fuiſſe Lubecenſes, & eos quidem mercenarios, maximam vero partem Danos fuiſſe, Pruſſorum & nominatim Gedanenſium hoſtes. Et quanquam naves in vexillis Lubecenſium inſignia præ ſe ferrent, non tamen eſſe novum, ut hoſtes & piratæ fallendi cauſa alia atque alia ſigna uſurparent. Ac ut maxime Lubecenſes fuiſſent, nullam tamen ipſis factam injuriam, ſiquidem jam antea per Gedanenſes præmoniti fuiſſent, ne ſuppetias hoſti ferrent, neve ullum ſubveherent omnino commeatum.

Memela.

Ambſtero-damenſes.

Inter cæteros Gedanenſium adverſarios non poſtremi erant etiam Ambſterodamenſes, qui non ſolum quacunque ratione poterant ſui lucri cauſa Cruciferis commeatum ſubminiſtrarent, & portum occluſum per vim aperire conarentur; verum etiam in Belgio Gedanenſium naves & merces ubicunque deprehenſas hoſtiliter diriperent. Qua re graviter commoti Gedanenſes par pari referebant, & quantum poſſent incommodi Ambſterodamenſibus inferre non deſiſtebant. Cæterum ne cum tota Belgica natione inimicitias ſuſcipere velle viderentur, cæteras Hollandiæ ac Selandiæ civitates maritimas hac de re faciebant certiores, iterum ac iterum hortantes, ut a commeatu Cruciferis ſubvehendo cives ſuos abſtinere juberent, neve quis poſthabita hac admonitione ſibimetipſi periculum accerſeret. Deinde Amſterodamenſes incuſabant, quod his neglectis hoſti non ſemel ſuppetias tuliſſent, portus occluſi molem violenter perrumpere conati fuiſſent, & commeatum ac militem Balgam & Memelam importaſſent. Quo in facto deprehenſos aliquos levius quidem quam pro merito mulctatos: ipſos autem priori injuria non contentos, nullo juris colore, mera temeritate ac inſolentia ductos, cives, naves & merces Gedanenſium in alienis portubus ac ditionibus capere, detinere, propria auctoritate diripere, eo plane poſthabito, quicquid Sereniſſimus Poloniæ Rex ad Illuſtriſſimum Burgundiæ Ducem & ipſos etiam Ambſterodamenſes ſcripſiſſet, ac officii & humanitatis eos admonuiſſet. Tandem hortabantur, ut ipſæmet Ambſterodamenſibus vicinis & cognatis auctores fierent, de injuriis ſibi ſatisfaciendi, alioquin ſemetipſos injurias ulturos & Ambſterodamenſes pro hoſtibus habituros: admonentes inſuper, ne quis alius res vel merces ſuas in illorum naves inferret, nam eodem ſe loco, quo Ambſterodamenſium, res iſtas habituros. Cæteris qui ad ſeſe commeaſſent, modo hoſtico abſtinerent, omnia amica & pacata futura pollicebantur.

An. 1458. Polonorum cum Cruciferis leve prælium.

Anni ſequentis initio trecenti Poloni ex arce Mariæburgenſi profecti Schwezam contendebant, quos Starigardum prætergreſſos prope pagum Schoritz Cruciferorum milites, centum equites & aliquot pedites cum manu ruſticanorum, quos e vicinis pagis evocaverant, e veſtigio inſequebantur. Poloni cum ſibi dimicandum eſſe viderent, triplici agmine hoſtes invadunt, primo ſtatim congreſſu quinquaginta milites occidunt, exinde cæteros in fugam conjiciunt, quos pertinaciter inſecuti, maximam eorum partem priusquam ad portam oppidi veniſſent, trucidant, tanto fervore, ut niſi nox interveniſſet, parum abfuerit, quin in iſthac trepidatione Poloni ſimul irrumpentes oppidum caperent. Cæteris atque adeo paucis elapſis, triginta capti, inter quos Cruciferi quatuor, capti etiam cives aliquot, qui hoſtibus oppidum antea prodiderant, iique publico gladio cæſi.

Die decima nona menſis Januarii circiter mille equites & plurimi pedites Cruciferorum ex ulteriori Pruſſia Mariæburgum advenerunt, ac oppidanis commeatu & munitionibus ad perferendam obſidionem abunde proſpexerunt. Paulo poſt in majorem inſulam irruperunt, & Lichtenavium

tenavium utrumque pagum majorem & minorem, cum aliis octo vicinis concremarunt. Tertio die poſt cæteros inſulæ pagos ferme omnes incendiis conſumpſerunt, ſic ut tota inſula penitus devaſtata, & quicquid ſuperfuerat pecoris, jumentorum, & quarumcunque rerum, omnia abducta, corrupta vel direpta cernerentur. Quibus perpetratis poſt biduum Mariæburgo verſus ulteriorem Pruſſiam remearunt, ſed in itinere multi militum male veſtiti frigore, quod intenſiſſimum erat, perierunt. Inſula major devaſtata.

Poſtero, quo illi diſceſſerant, die, ſub noctem duo Cruciferorum Capitanei Georgius Reke & Tidemannus Dunenſis cum ſeptuaginta militibus Mariæburgo egreſſi molendinum in vicinia modico præſidio munitum, quod cujusdam nobilis Gonnicii a partibus fœderatorum ſtantis proprium erat, improviſo occupant, ſed infelici prorſus incepto. Gonnicius enim cum equitibus quadraginta ſubito ſuperveniens Tidemannum & majorem militum partem, dum ſibi fuga conſulere volunt, in paludem glacie congelatam compulit, ubi fracta glacie ad unum omnes miſere perierunt. Alter Capitaneus & viginti quatuor milites capti ſunt, paucis admodum elapſis. Die viceſima ſecunda menſis Martii milites Cruciferorum ex Neomarco & Leſſo oppidis egreſſi Dobrinenſem agrum invaſerunt, & circiter quadraginta pagis direptis ac incendio conſumptis magnam vim pecorum abegerunt. Quo tempore Culmenſes etiam erumpentes ſuburbium Torunenſe apud divorum Georgii & Laurentii exuſſerunt. Gonnicii defenſio. Dobrinum vaſtatur. Suburbium Torunenſe.

Inter hoſce tam varios tumultus bellicos nihil moleſtius erat Gedanenſium rebus, quam quod præter inteſtinum hoc malum etiam cum Chriſtierno Rege Danorum, qui tum quoque poſt Caroli fugam Suecis qualitercunque imperabat, decertare cogebantur, ac inde quo minus mari libere uterentur, prohibebantur. Multum quidem impenderunt operæ penes Regni Suecici proceres ac Ordines, ut inter Caſimirum & Chriſtiernum pax quoquo modo conciliaretur, vel ſaltem ad inducias controverſia redigeretur. Verum id fruſtra fuit. Quamprimum igitur mare cœpit eſſe navigabile, Gedanenſes naves unam & viginti partim onerarias, partim celoces & myoparones varii generis armant & in mare emittunt, ad reprimendos & intercipiendos hoſtes ipſorum cum navibus & rebus, nominatim Danos & Cruciferos eorumque ſocios, aſſeclas & auxiliares, nec minus eos, qui portubus hoſtium uterentur, quive quovis modo commeatum vel arma hoſtibus ſuggereret, ope vel auxilio juvarent. Ea tamen lege, ut hiſce navibus præfecti neque fœderatos Anſeaticos, neque alios amicos, neque ſubditos etiam trium regnorum ſeptentrionalium, qui quidem pacate portum Gedanenſem peterent, vel inde exirent, ac ultro citroque commerciorum cauſa commearent, affligerent, detinerent, vel damno quolibet afficerent. Nominatim illud etiam mandatis erat adjectum, ut, ſi quam navem Danicam vel Ambſterodamenſem claſſiarii intercepiſſent, ne eam vel merces in eam illatas in mari diriperent, alienarent. vel prædæ haberent, ſed legitimæ cognitioni reſervarent, eam potiſſimum ob cauſam, ut, ſi quæ res vel merces Gedanenſium navalis expeditio.

amicorum in iis navibus deprehenſæ fuiſſent, eæ dominis pro jure amicitiæ reſtituerentur. Mandatum itidem, ut merces hoſtibus & aſſeclis ereptæ in civitatem importarentur, & triduo venum exponerentur particulatim diſtrahendæ, nec ante in aſſem vel per averſionem venderentur, utque captivi omnes arbitrio Magiſtratus reſervarentur. Ejusmodi hujus expeditionis maritimæ leges fuiſſe reperiuntur.

Lubecenſium expoſtulatio.

Supra dictum eſt de ſedecim navibus Lubecenſium, per Gedanenſium emiſſarios interceptis. Id factum adeo ægre ferebant Lubecenſes, ut admonitionem quoque Gedanenſium, qua ſibi a malo illos cavere debere ſignificarant, qui hoſtibus ipſorum ſuppetias tuliſſent, vel commeatum ſupportaſſent, in eum finem accipere velle viderentur, quaſi ipſis hoſtilia fuiſſent denunciata. Improbabant Gedanenſium etiam inceptum, quod non ſatis ſibi putarent cum Danis ſimul & Cruciferis bello decertare, ni inſuper etiam mare infeſtum haberent. Commemorabant injurias civium ſuorum, quibus in Cruciferorum (cum quibus illi pacem & amicitiam colerent) portubus, Balga & Memela, naves & merces ereptæ, ac partim igne conſumptæ, partim in alios uſus abductæ fuiſſent. Addebant illud etiam, tum, cum ipſi bellum gererent cum Hollandis, Anglis & Danis, Gedanenſes interim noluiſſe commerciis iſtorum abſtinere, quinimmo mercium ſuarum, quas tum amiſiſſent, reſtitutionem a Lubecenſibus efflagitaſſe & obtinuiſſe. Exiſtimantes nunc etiam in ſimili cauſa damna civibus ſuis illata ex æquo & bono reſarciri, & in poſterum injuriarum finem fieri debere.

Gedanenſium reſponſio.

Ad eas literas Gedanenſes communicato cum fœderatis conſilio ita reſpondent, ut primum animi ſententiam declararent, quonam iſthæc admonitio pertinuiſſet, non ad hoſtilitatis ſignificationem, ſed ut ii, qui ſuppetias hoſtibus ferre conſuevisſent, incepto deſiſterent, & a malo ſibi caverent, utpote quorum facto & bellum prorogaretur, & hoſti commeatus ſuppeteret, & Pruſſorum rebus ac fortunis maxime noceretur. Etenim (inquiunt) a vobismetipſis exemplum capite, ſi vobis cum hoſte potentiori bellum intercedat, cui gerendo vires vix ſufficerent, etiam amici veſtri naves, militem, commeatum, cum veſtro ſummo detrimento ſuggerant, quo animo ſitis hoc amicitiæ genus laturi? & an non id incommodum ſummis viribus a vobis averſuri, & ejusmodi amicis malum, quantum poſſetis, daturi? Quod ipſo facto non ſemel demonſtraſtis. Meminiſtis dubio procul in bello civitatum Vandalicarum cum Danis geſto nos ſimiliter a vobis monitos fuiſſe, uti nunc vos monuimus. Quod ita, uti amicos decet, accepimus, interdiximus civibus noſtris, ut ab hoſtium veſtrorum portubus & commerciis abſtinerent. Qui ſecus fecerunt, deprehenſi navibus, fortunis, & corpore factum luerunt. Ac quod magis eſt, cum inter cætera publice ſignificaſſetis iis, qui ad vos & ſocios navigare, & cum iis commercia exercere vellent, acceſſum & diſceſſum liberum & ſecurum præſtitum iri, tantum abeſt, ut noſtrates indemnes præſtarentur, ut etiam a veſtratibus ipſis non in mari ſolum, ſed etiam in hujus pene civitatis conſpectu ante oſtium fluminis naves & merces noſtratium invaderentur ac hoſtiliter diriperentur. Proinde, quod jam ad veſtrates attinet, in portubus

tubus Cruciferorum interceptos, ſi factum id veſtratibus moleſtum eſt, a noſtratibus certe, vel vobis ipſis arbitris, peccatum eſſe non exiſtimamus, quod eos veſtro ipſorum exemplo hoſtium numero habuerimus, qui ſæpius admoniti commeatum hoſtibus ſuppeditare non deſierunt, atque adeo in navibus ſuis hoſtes tranſportarunt. Quod etiam ſcribitis, noſtrates in Danicis & Anglicis bellis mercium ſuarum reſtitutionem obtinuiſſe, equidem nihil nobis iſtorum conſtat, unico ſaltem excepto, quem in mari captum, cum non ad hoſtes veſtros, ſed in Flandriam navigare vellet, deinde reſtitutum meminimus. Ad expeditionem noſtram maritimam quod attinet, uti eam inviti ſuſcipimus, ita tam gravibus impenſis ſuperſedere mallemus. Verum cum non minus ab aliis, qui hoſtem in nos armant, quam ab hoſte ipſo cavere cogamur, eo jure nos uti, quod omnibus ratio naturalis indulget, pro rerum noſtrarum tutela non invidebitis.

Conflictus in Habo.

Die duodecima menſis Aprilis naves aliquot Elbinga & Brunſpergo exierunt, quæ mercatorum onerarias in mare usque comitarentur. In Habo lacu tum temporis excubabant, cum quibusdam navibus & ſcaphis milites Cruciferorum haud magno numero, qui cum illis congreſſi paucis quibusdam cæſis, quinquaginta duos in hoſtium poteſtate reliquerunt. Cæteris fugam capeſſentibus onerariæ naves citra impedimentum in mare enavigarunt.

Variæ excurſiones.

Circa idem tempus Mariæburgenſes oppidani Gedanenſium navem quampiam cum viginti quatuor militibus in fluvio Nogato interceperunt, cum navis præfectus fortiſſime reſiſtens ab hoſtium multitudine tandem adeo eſſet vulneratus, ut viribus deſtitueretur. Neque multo poſt milites Mewenſes expediti in fluvio Viſtula octo ſcaphas Gedanenſium detinuerunt, quæ Torunii frumento, lardo, cupro, & varii generis commeatu onuſtæ fuerant, magno quidem cum hoſtium commodo, qui tum ab omni ferme commeatu admodum erant imparati. Scaphas vacuas Elbingenſes adverſo Nogato enavigantes receperunt. Eodem tempore Heinricus Plavenius, qui Commandator Elbingenſis fuerat, & Baro Blanckenſtenius oppidum Welaviam obſidione cinxerunt, & jam caſtra vallo communiverant, ſpe oppidi capiendi. Verum Samlandenſes, qui a fœderatis ſtabant, auxilio venerunt oppidanis, & hoſtem, priusquam ad arma venire poterat, caſtris exutum in fugam conjecerunt, trecentis per tumultum eum interfectis. Pridie Pentecoſtes Magiſter ipſemet ac Heinricus Plavenius cum ſexcentis equitibus & quadringentis peditibus Mariæburgum advenientes prope oppidum caſtris locum ceperunt, & poſtquam oppidanis de commeatu & præſidio proſpexisſent, arcis oppugnationem tentare cœperunt. Verum Gonnicius, qui molendinum tenebat, & opere ac præſidio egregie muniverat, crebris excurſionibus illos divexabat, ut quoquo modo ad pugnam eliceret, & hanc occaſionem milites in arce intenti expectabant. Cruciferi autem quod ſedendo quam pugnando, ſi fors ita ferret, rem obtinere mallent, certamen detrectabant. Ibi tum ille factus animoſior ultro oppugnatum

Welavia tentatur.

Mariæburgi arx tentatur.

venire,

venire, & quaqua poterat incommodis eos afficere, cum interim etiam ex arce tormentis ſubinde affligerentur, adeo, ut cum haud mediocri militum ſuorum jactura, octavo, poſtquam advenerant, die, re infecta diſcederent.

Lubecenſes pacem tentant.

Interim Lubecenſes, quorum plurimum intererat, ut navigatio per Daniam eſſet quam liberrima, omnem operam dabant, ſi quo pacto inter duos Reges Danum & Polonum pax conciliari vel ſaltem induciæ conſtitui poſſent. Eamque ad rem commodius perficiendam adhibebant huic conſilio Adolphum Sleſwici Ducem, qui & jure cognationis apud Caſimirum plurimum poſſe videbatur, & auctoritate apud Chriſtianum patruum permultum pollebat. Gedanenſes etiam a Lubecenſibus requiſiti idem ſentiebant, modo interim a ſuppetiis & commeatu Cruciferis ſubvehendo abſtineretur. Rebus ultro citroque communicatis dies Stockholmiam indicitur, & utrobique publica fide cavetur. Nomine Poloniæ Regis & Pruſſiæ fœderatorum Legati mittuntur Reinholdus Nidderhovius Conſul & Bernardus Paweſt Senator Gedanenſis, qui cum ſeptem navibus egregie inſtructis in Sueciam transfretarunt. Aderant ibidem Interceſſores Dux Sleſwicenſis & Lubecenſium Legati. Cum ad colloquium primo ventum eſſet, nullus harum rerum exitus inveniri potuit, eo maxime obſtante, quod Daniæ Rex, ſive certa pax, ſive ſaltem induciæ conſtituerentur, Cruciferos ſimul comprehendi volebat, quod Poloni & Pruſſi penitus recuſabant. Inter cætera, quæ ultro citroque non ſatis interdum amice referebantur, Nidderhovius Chriſtierno exprobraverat, quod Poloniæ Regem & ejus ſubditos bello laceſſiviſſet, priusquam id denunciaret, idque haud regio more factum aſſerebat. Ibi tum Rex animi impotentia victus non ſatis conſiderate præter omnium, qui aderant, expectationem in hæc verba prorupit. Si vobis bellum antea non denunciavi, at jam ratione trium regnorum meorum Poloniæ Regi omnibusque provinciis, ac nominatim Pruſſis & Gedanenſibus reſpectu Cruciferorum denuncio, tamdiu quoad illos pro legitimis Dominis ſuis recipiant. Ego vero (inquit pari fiducia Nidderhofius) ea poteſtate, qua nunc fungor, nomine Clementiſſimi Domini mei Poloniæ Regis, ejusque provinciarum, & nominatim Pruſſorum & Gedanenſium, Majeſtati Tuæ omnibusque regnis & ſubditis ejus itidem bellum renuncio, nec unquam tamdiu vivi & ſuperſtites eritis, donec nos tyrannos iſtos Cruciferos pro Dominis recipiamus. Sic abrupta præter ſpem omni actione Nidderhovius conſurgens ad naves ſuas contendit, vela explicare jubet, & adſpirante vento ſecundo pridie Joannis Baptiſtæ Gedanum revertitur. Comitabantur eum nihilominus cum tribus myoparonibus Legati Lubecenſium, & tres equites Suecici, quibus ille publica fide caverat. Hi variis modis rem denuo tractabant, nec quidquam intentatum relinquebant, an qualiscunque pax inter Cruciferos & Pruſſos coiri poſſet, verum ea res plane rejecta fuit, nec enim Pruſſi Cruciferorum ullam mentionem fieri patiebantur. Petierunt tandem, ut bona cum pace liceret ipſis ad Magiſtrum commeare, ſi forte ejus ipſius indicio aliquod conventionis remedium poſſet inveniri. Quo conceſſo Fiſchhuſii Magiſtrum

Rex & Nidderhofius invicem bellum indicunt.

adierunt.

adierunt. Multis ibi ſecreto actis Gedanum reverſi illud ſolum publice retulerunt, ſpem ſibi factam brevi de induciis inter utrumque Regem diem iri conſtitutum. Exinde Gedanenſibus cura major acceſſit expeditionis continuandæ. Itaque prioribus navibus duodecim adjiciunt milite, commeatu & tormentis inſtructas. Deinde vicino territorio Derſavienſi accuratius proſpicere volentes, viros nobiles & rei militaris peritos, Ludovicum Mortangium & Jacobum Zanum in annum proximum cum centum equitibus ſtipendio conduxerunt; ita quidem, ut totum illud territorium eorum fidei committerent, & in equos ſingulos ſeptimanis ſingulis ſemiſſem aurei Rhenani ſolverent. Sed ſi quid aliunde vel a Rege vel Ordinibus fœderatis communiter ipſis deberetur, id in hanc rationem minime deveniret. Quicquid autem damni ab hoſtibus perpeſſuri eſſent, quoad civitatis ſtipendia mererent, ex æquo & bono reſarciretur. Quemcunque vero Gedanenſes ipſis ſummi Ducis loco præficerent, ei dicto audientes eſſent. Et quæcunque arces vel oppida eorum fidei committerentur, ea Gedanenſibus quandocunque jubentibus bona fide reſtituerent.

Gedanenſium cura.

Poſt diem Joannis milites Regii, qui Mariæburgenſem arcem tenebant, cum per ſpeculatores accepiſſent, oppidanos prædatum enavigaſſe, iisdem revertentibus in fluvio Nogato inſidias locant, & de improviſo oppreſſis viginti ſeptem naves & ſcaphas commeatu & præda onuſtas eripiunt, ac inter illos cives quadragrinta tres & ſeptuaginta milites partim interficiunt partim captivos ſecum abducunt.

Mariæburgenſes præſidiarii.

Die quarta decima menſis Julii Rex Caſimirus cum viginti millibus militum & ſexcentis Tartaris ex Polonia in Pruſſiam venit, quem major Polonorum exercitus ſequebatur. Primo adventu Papoviam arcem obſedit, quam non ita pridem hoſtes ex inſidiis occupaverant, unde Torunenſem agrum vehementer infeſtabant. Arx erat inſigni opere munita, neque videbatur absque ingenti jactura & cæde capi poſſe. Verum anteſignani cum calonibus & Tartaris adeo cupidi erant hoſtilis virtutis periclitandæ, ut ſuo exemplo totum exercitum ad oppugnationem pertraherent. Itaque omni ex parte ingens multitudo pariter invadit, quæ a paucis præſidiariis haudquaquam ſuſtineri poterat, eoque impetu arx capta. Hoſtes mox ſeſe dedunt, ab exercitus Præfecto Petro Samotulio in gratiam recepti, ne ab irata multitudine violarentur, minori porta a caſtris averſa dimittuntur. Cæterum parum abfuit, quin in ipſum Samotulium furor verteretur. Exinde fremitus adverſus Regem & Proceres fuit, cum propter emiſſos hoſtes, tum quod Proceres nonnulli per miniſtros ſuos cellas arcis commeatu & facultatibus refertas, occuparant, milites autem prædam ſibi, qui arcem cepiſſent, deberi contendebant. Quare, quod fieri ſolet, cum id, quod obtinere nequeas, alteri etiam invideas, ſubjecto igni a furente multitudine arx tota cum omni copia & compluribus ſatellitibus Procerum, qui cellis & prædæ pertinacius incubabant, conflagravit, muri deinde, ne ab hoſtibus arx inſtauraretur, diruti ac ſolo æquati. Triduo ibi ſtativa ſunt habita. Inde

Papowia capta.

ad Culmam caſtra mota, quam oppugnare tum quidem Ducibus exercitus, quod eo undique hoſtium copiæ confluxerant, & major erat cura Mariæburgenſis oppidi recipiendi, ex uſu non videbatur. Itaque Mariæburgum exercitus ductus. Quod cum animadverteret Sonneburgius Culmæ præfectus, nocturno itinere per viarum compendia cum expeditiori equitatu copias Regias antevertere conſtituit, ſed a via ſemel aberrans totam eam noctem alioquin tenebroſam fruſtra obequitavit. Orto die ubi ſe in hoſtium milites animadvertit incidiſſe, comites fuga ſibi quemcunque conſulere juſſit. Diſſipatos Regii inſecuti non levi ſtrage affecerunt, multis cæſis captisque. Sonneburgius ipſe eo die quindecim milliarium itinere confecto ægre evaſit rebus omnibus amiſſis. Exinde Mariæburgo copiæ quadraginta millium admotæ, ſed neque vallum ductum neque irruptio tentata fuit. Ideo quod Ungarus quidam ex Proceribus Janus Iſcra Regem aſſidue ſpe pacificationis ludificabat, promittens brevi futurum, ut Mariæburgenſes ultro ſe dederent, & ipſe Rex majori cum commodo exercitum in Ungariam adduceret, & regnum hæreditarium conjugis ſuæ, utpote defuncti Regis Ladislai ſororis, & Alberti Regis filiæ occuparet, eoque jure Matthiam Corvinum excluderet. Sed quis horum conſiliorum fuerit exitus, Ungaricarum rerum commentarii copioſius demonſtrant.

Mariæburgum obſidetur.

Neoburgum proditum.

Interim dum ad Mariæburgum deſidetur, præſidiarii Cruciferorum Culmenſes & Mewenſes Neoburgum proditione capiunt. Oppidum tenebant Gedanenſes, eique præfecerant milites duce Heinrico Stadenſi Senatore, viro alioquin honeſtæ converſationis. Is cum Neoburgenſes de præſidio multoties conquererentur, idque deduci peterent, ſpondentes ſemetipſos oppidum probe defenſuros, tandem aſſiduis illorum querelis commotus absque conſenſu tamen Senatus Gedanenſis præſidium eduxit, quo una porta egreſſo, altera Cruciferorum milites, qui in vicino latitabant, recipiuntur. Nec deerant, qui tum ea ex compacto geſta ſuſpicarentur. Stadenſis ipſe deinceps Gedanum non rediit, ſed in monte Regio domicilium ſibi optavit.

Induciæ Danicæ.

Supra dictum eſt, quantopere Lubecenſes elaboraverint, ut inter duos Reges Danum & Polonum induciæ conſtituerentur, quod initio quidem fruſtra tentatum fuit, deinde tamen eo usque obtinuerunt, ut a die Pantaleonis usque ad Bartholomæi anni ſequentis inducias utrinque pacifcerentur, ea lege, ne interim alter alterius hoſtes adjuvaret, ac ut deinceps perpetuæ pacis aliqua poſſet iniri ratio, placuit arbitros deſignari, qui ad Calendas Maji Lubecæ convenirent, & de rei ſumma concilianda tractarent. Et Daniæ quidem Rex arbitros ex ſua parte conſtituit Adolphum Schleſwici Ducem & Lubecenſes, Poloniæ Rex cum Gedanenſibus & Elbingenſibus, duas ex his civitatibus, Roſtochium, Wismariam, Stralſundum, Gripswaldum & Stetinum, ad conſtituendum diem repræſentandas. Hi quatuor arbitri de rebus omnibus controverſis deque damnis cognoſcerent ac pacem quoquo modo conciliarent, ſi convenire non queant, ſuperiorem arbitrum eo ipſo in loco communi

muni conſilio deligerent, & eas pacis rationes inirent, quibus ſubditi Regis Poloniæ in tribus regnis ſeptentrionalibus ſecundum vetera privilegia, ac itidem ſubditi Danici in Poloniæ regno, uti antiquitus conſueverunt, cum rebus ſuis ultro citroque commeare ac libere paſſim converſari poſſent.

Piratæ gladio cæſi.

Eadem æſtate, menſe Auguſto, durantibus hiſce induciis nauclerus quidam Gedanenſis Joannes Weinricus, qui inſigniorem navem & in ea magnam vim mercium pretioſarum vehebat, per fauces freti Danici in plagam occidentalem enavigaturus in ipſo mari Balthico circumventus ac interceptus fuit per duos celebres piratas, qui totam eam æſtatem graſſati fuerant, & prædas paſſim egerant. Hi erant Jonas Matzken Danus & Joannes Heinrici Suecus ex nobilibus familiis, qui ſuo Marte absque aliquo Regis auctoramento piraticam exercebant. Ea res Gedanum nunciata omnium animos commovit: Itaque naves, quæ jam antea in eum uſum inſtructæ erant, continuo emittuntur. Piratæ infra Bornholmum inſulam deprehenſi, ubi itidem navem Lubecenſem oppugnabant. Eam conſpectis Gedanenſibus omittunt, & ad pugnam ſe parant. Erant illis duo myoparones ad vim vel inferendam vel propulſandam fortiter inſtructi. Habebant etiam ſecum navem Weinrici paulo ante captam, ſed præter calones & nautarum pueros nullo præſidio magnopere communitam, itaque primo impetu facile fuit recepta. Adverſus myoparones vero tanto cum impetu & alacritate Gedanenſes irruerunt, ut initio conflictus complures piratæ tormentorum violentia fuerint confecti, plurimi etiam vulnerati. Ubi propius ad manus ventum eſt, & Gedanenſes injectis harpagonibus naves conjungere cœperunt, nec ulla fugæ ſpes apparuit, non tantum animi fuit piratis, numero quoque jam inferioribus, ut Martem amplius periclitari, vel honeſte potius occumbere, quam ignominioſe mori mallent, ſed quotcunque ſuperfuerant ultro in poteſtatem ſe dediderunt. Sic cum ſuis Myoparonibus & navibus raptis octavo die menſis Septembris Gedanum perducti ſunt, & ſexto die poſt ambo Capitanei cum ſeptuaginta quinque ſociis gladio cæſi, & capita ſecundum littus exempli cauſa palis præfixa. Cæteri inermes poſt præſtitam juratoriam cautionem dimiſſi.

Mariæburgi obſidio ſoluta.

Interim fruſtra Mariæburgum obſidebatur, dum Rex vana ſpe pacis conciliandæ ab hoſtibus eluditur. Et jam in duos menſes extracta erat obſidio, cum ingruente autumno, fœtore & pabuli victusque inopia regius exercitus ita cœpit affligi, ut octingenti homines, equorum autem ſeptem millia fame & peſte brevi interirent. Eam ob rem fremere multitudo, & facto agmine ad Regis tentorium orare, ut vi ſe oppidum non munitiſſimum capere pateretur, aut vero obſidionem ſolveret, cum utrumque ſuaſu Procerum quorundam negaretur, negligentius omnes munera belli obibant, ſolutaque diſciplina neque cuſtodias & excubias ſervabant. Crevit inde hoſtibus audacia, ita ut illi erumpentes levibus incommodis Polonos afficerent. Inde coorta major indignatio, quam auxit clamor hoſtium, auro ſe redemiſſe ne oppugnarentur e mœnibus

vociferantium. Et ſane deprehenſi ſunt nonnulli noctu ad oppidum cum mandatis quorundam Procerum commeantes. In primis autem, ut Cromerus ſcribit, Joannes Brezius Procancellarius eam infamiam vulgo ſuſtinuit, &, ni fuga ſe ſubduxiſſet, violatus eſſet a concitata multitudine. Ita Rex Mariæburgo Torunium profectus eſt, ubi ipſo die Dionyſii induciæ cum hoſtibus viginti menſium confectæ ſunt, ea conditione, ut intra id tempus octo utrinque arbitri pacis apud Culmam convenirent, inter quos ſi res confici non poſſet, ut Alberti Ducis Auſtriæ ſummum eſſet arbitrium: interim autem oppidum Mariæburgenſe Jonas Iſcra Bohemus ſequeſter obineret, ac utri parti adjudicaretur id traderet, aut, ſi infecta pace diſcederetur, Cruciferis reſtitueret. Dum autem hæc fiunt, univerſa nobilitas moræ longioris impatiens injuſſu Regio domos diſceſſit. Quocirca Rex etiam ſuffecto in præfecturam Mariæburgenſem pro Ciervonca Sciborio Chelmio, diſcedentem exercitum ſequi coactus eſt, nequicquam retinentibus Pruſſis, & inprimis Gedanenſibus, qui ei in quatuor millia militum, ſi apud Mariæburgum manere vellet, ſtipendium pollicebantur. Sed uxoris deſiderium Regi fuit antiquius, quæ quidem per eos dies ad quintum nonas Octobres Caſimirum filium pepererat, quæ cauſa fuit Regi eo magis Cracoviam properandi.

Induciæ ruptæ.

Induciis, quas conſtitutas paulo ante diximus, non magni penſis, cum jam exercitus Polonicus deceſſiſſet, præſidiarii milites arcis Mariæburgenſis captata occaſione erumpunt, & Cruciferorum ſubditis in fluvio Nogato naves duas vi armata eripiunt, aliquot etiam oppidanos ex ſuperiori arcis loco tormentis interficiunt. Eaque cauſa fuit, ut Cruciferorum milites Mewenſes & Neoburgenſes par pari referentes, Gedanenſium, Torunenſium & Maſoviorum novem ſcaphas frumento & mercibus aliis onuſtas & quinquaginta rates lignorum ſubvectrices in Iſtula caperent ac diriperent. Die deinde Dominica, quæ Martini diem ſubſequebatur, quadraginta pedites & quindecim equites Mewa ſummo diluculo egreſſi villam Gedanenſium Roſtaw irrumpunt, expoliant, prætorem vicanum cum quatuor colonis captivum abducunt. Quo confeſtim comperto coloni Pruſtenſes & Zipelaviani e veſtigio prædones inſequuntur, Langenawii vero eosdem prævertunt, & pontem apud molendinum Ruſchinenſe, qua tranſeundum erat, interrumpunt, & ſic hoſtes in medio comprehenſi ad unum omnes interficiuntur, præda omni recepta, tribus ſaltem equitibus, fortuna cæteris meliore, per fluvii vortices elapſis.

Roſtaw.

An. 1459. Comitia Petricovienſia.

Anno novo ineunte Rex Caſimirus generalem Regni conventum Petricoviæ habuit, ubi tandem de bello vel pace cum Cruciferis conſultatio definiretur. Multos Procerum Polonorum belli tam diuturni jam pridem tædebat, ideoque omnia ſegnius adminiſtrabantur, quæ diligentius agi res ipſa deſiderabat. Multi Cruciferorum donis, pecuniis vel magnificis pollicitationibus inducti putabantur, ut auctores eſſent a bello deinceps abſtinendo. Unde paſſim rumor increbuerat, Cruciferos hiſce condi-

conditionibus pacem facere velle, ut centum millia florenorum impenſæ bellicæ nomine Regi numerarent, viginti millium tributum quotannis penderent, duo vexilla auxiliaria ad quodvis bellum mitterent, & ut ſinguli Magiſtri in Regis verba jurarent: Pruſſiam vero cunctam ſibi haberent iisdem finibus, quibus ante id bellum habuiſſent. Probabat magna pars Polonici Senatus has conditiones, ſed Pruſſorum Legati commodum advenientes orabant Regem & Senatum, ne ſe in fidem ſuſceptos immanibus Cruciferis ad exquiſitos cruciatus & in teterrimam ſervitutem proderent: Elbingæ ſe conventum egiſſe, novoque ſeſe fœdere obſtrinxiſſe, extrema omnia pati malle, priusquam in Cruciferorum impotentium dominorum poteſtatem redirent. Erant & in Senatu Regio, qui cenſerent non ex fide atque dignitate Regis & Polonicæ nationis fore, ſocios deferere, ſuaque olim amiſſa nuperque recuperata rurſus prodere aut vendere. Non diuturnam pacem eo pretio redimi, ſed perpetuorum hoſtium vires refici ac opes augeri. Nec ignotum eſſe ex ſuperiorum temporum actis, qua fide ſemper ferme pacta & pacem perpetuam ſervaverint, quin ſæpiſſime pro libitu ruperint ac violaverint. Ita decretum tandem, Pruſſos non eſſe deſerendos vel prodendos. Exinde nova expeditio in Pruſſiam indicta, & auxilium pecuniarium eam in rem laudatum. Sed hæc omnia tam oſcitanter & frigide gerebantur, ut niſi ipſimet Pruſſi præſidia ſibi ex re præſenti comparaſſent, & niſi hoſtibus in auxiliis extraneis parum ſpei repoſitum fuiſſet, haud dubie bellum iſtud tamdiu minime duraſſet, ſed Poloni Pruſſiam minore aliquanto labore, quam pridem receperant, brevi rurſus amiſiſſent.

Oſilienſes.

Eodem tempore Clerus & nobilitas Oſilienſis (Inſulani ii ſunt ad Livoniæ confines) miſſis Gedanum Internunciis vehementer conquerebantur de claſſiariis militibus, qui præterito autumno in inſulam irruptionem feciſſent ac prædas abegiſſent, cum ipſimet cuperent amicitiam cum Gedanenſibus colere, & ab ipſis omnia pacata viciſſim expectare. Quibus Gedanenſes reſpondebant, negari non poſſe, quin Oſilienſium inſula ad ditionem & imperium Cruciferorum pertineat, a quibus cum cotidie non niſi hoſtilia experiantur, recte & jure belli claſſiarios ſuos feciſſe videri, qui hoſtium ſubditis quoquo modo nocere ſtuduiſſent. Præterea ſe compertum habere, Jodoco Cruciferorum procuratori in Curia Romana Epiſcopatum inſulæ non ita pridem beneficii loco conceſſum eſſe, qui cum antehac Gedanenſibus exitium machinatus fuerit, & nunc etiam machinari non deſinat, non poſſe non pro hoſte ipſum haberi. Compertum etiam eſſe Sonneburgium hoſtem ſuum in iſthac inſula poſſeſſiones quasdam ſibi comparaſſe, in quas impreſſionis initium factum eſſe pergratum ſibi accidiſſe. Cæterum quandoquidem induciæ denuo conſtitutæ ſint inter Poloniæ Regem ac Cruciferos & eorum ſubditos usque ad diem Margaretæ, quantumvis eæ jam per Cruciferos violatæ ſint, tamen ſe tempus iſtud pacatum ipſis præbituros, nec de cætero, quantum fieri poſſet, benevolentiam omnem præcidere.

Carolus Rex Sueciæ.

Carolus Sueciæ Rex, quem regno pulſum ſupra diximus, tum temporis adhuc Puſcum obtinebat, quindecim millibus marcarum Pruſ-

ficarum ipſi per Gedanenſes oppigneratum. Id vero videbatur Daniæ Regi pactis induciis nequaquam convenire, quod ſcilicet Gedanenſes ipſius hoſti receptaculum præberent, præſertim quem res novas moliri & clandeſtina conſilia in Sueciæ regno agitare inſimulabat, arces etiam aliquot, inter quas præcipue Wiburgum per emiſſarios & conjuratos ſuos occupaſſe aſſerebat, & eam ob cauſam vehementer & acriter cum Gedanenſibus per literas expoſtulabat. Illi autem ita reſcribebant, ut & ſeſe & Regem Carolum omni ea ſuſpicione prorſus vacuos eſſe demonſtrarent. Nam cum Carolo primum Chriſtierni literas oſtendiſſent, ille ſancte affirmaverat, quod harum induciarum tempore, nullum nuncium nullasque literas in Sueciam miſiſſet, nec ulla conſilia promiſſioni ſuæ contraria ſuſcepiſſet, nec miſſurus nec ſuſcepturus eſſet, quamdiu cum Gedanenſibus futurus, & iſthæc induciæ duraturæ ſint. Proditionem arcis Wiburgenſis aſſeverabat ſibi penitus ignotam fuiſſe, nec ad ſe quidquam pertinere, nunc audiviſſe ſaltem ipſius Chriſtierni milites arcem eam prodidiſſe vel abalienaſſe, nullo ipſius Caroli commodo vel adjumento. Cumque interim complures ex Suecia adveniſſent, qui hoc ipſum affirmarent, eo magis Chriſtierno Gedanenſes calumnias ejus exprobrabant, & ipſo facto oſtendebant, ex ſua parte nihil adverſus induciarum fidem fuiſſe commiſſum.

Tractatio de pace.

Induciis inter Caſimirum & Cruciferos cautum illud erat, ut octoni arbitri delecti Culmam convenirent, & de pace coëunda tractationem ſuſciperent. Caſimirus ſuos Nieſſoviam usque miſerat, quibus Gedanenſes adjunxerunt Hermannum Stargardum, Joachimum von der Beck Conſules, & Joannem Lindavium Secretarium. Hi Culmam propius accedere non audebant, quoniam de ſecuritate non ſatis ſibi cautum arbitrabantur, & ibi nec apparatus nec commeatus quicquam eſſe audiebant. Cruciferorum etiam arbitri, inter quos præcipuas agebant partes Dux Palatinus Rheni, Dux Saxoniæ, & Marchio Brandeburgicus, non alio loco, quam Culmæ convenire tractareque volebant, ſic ut tota res ob loci incommoditatem in caſſum recideret. Nec alioquin ſane Cruciferi inducias tantopere curabant, quin occaſione quacunque data Regiis & fœderatis incommodarent. Nec eo contenti fœderatos ac præ

Cruciferorum calumniæ.

cæteris nominatim Gedanenſes ad exteros Reges, Principes ac civitates per calumniam deferebant, quaſi illi pacem fregiſſent & inducias violaſſent, unde neque ſeſe ullo juris vinculo teneri potuiſſe, quo minus & ipſi par hoſtibus referrent. Quæ quidem eo ſpectabant, ut Danus & alii in Gedanenſes eo magis concitarentur, ad eosdem infeſtandos ac naves & merces eorundem detinendas ac violandas. Qua re vehementer illi commoti ad Daniæ Regem & Principes ac civitates maritimas ſui purgandi cauſa ſcribunt, ac Cruciferis perfidiam & malignitatem acerbe exprobrant, pluribusque verbis exaggerant, qualiter Cruciferi fidei & honoris immemores, inducias ſolenniter ſancteque pactas maligne violaſſent, Regis Poloni ſubditos terra marique privatim & publice per ſummam perfidiam invaſiſſent, crudeliter ſpoliaſſent, excruciaſſent, ac immaniter trucidaſſent. Hæc (inquiunt) minime nobis expectanda putavimus

tavimus ab iis, qui fidem adeo ſancte polliciti fuerant, immo quorum omnis vita & religio a fide pendere debebat. Etenim ſi illud nobis prius exploratum fuiſſet, iisdem nos remediis defendere & vim vi repellere poteramus. Sub ſpecie vero pacis & induciarum quempiam, qui alterius fidem ſequitur, circumveniri, nimis quam hoſtile videtur. Orabant tandem, ne quis hominibus iſtis, qui perfidiam & fraudem ſusque deque habere conſueſſent, auxiliaretur, neve commeatum ſubminiſtraret, ſed Regi potius Polono & Pruſſis ſubditis, qui vim injuſtam juſtis armis propellere cogantur, ſuppetias ferret. Futurum enim, ut ipſi finitis induciis, quæ ad diem Margaretæ proximam exeant, claſſem expedituri ſint, ac eos, qui hoſtes ſuos juvarent, hoſtiliter habituri. Monentes ut ſibimetipſi quilibet a malo caveret. Editæ ſunt hæ literæ die Viti & Modeſti anno 1459.

Acta cum Dano Rege.

Apud Daniæ Regem vero Gedanenſibus alioquin non optime volentem, Cruciferorum calumniæ tantum valebant, ut nonnulli Gedanenſes cum navibus & mercibus in freto Danico detinerentur, & novorum vectigalium exactionibus divexarentur. Ei rei color prætendebatur, quaſi merces Anglicanas, quæ non eadem cum Hanſeaticis libertate cenſerentur, navibus ſuis pervexiſſent, quod utique ſecus habere compertum poſtea fuit. Qua de re cum Gedanenſes non immerito conquererentur, arbitri utrinque denuo delecti, Dux Sleſwicenſis, Epiſcopus Raceburgenſis, ac Senatus Lubecenſis, & ex Gedanenſium parte Stralſundenſes & Wiſmarienſes, tractandæ pacis cauſa Lubecæ convenerunt. Actionis initio Legati Regis iterum & varie de exule Carolo Canuto, qui a Gedanenſibus reciperetur, conqueſti ſunt, de proditione, quam is induciarum tempore in Suecia Gedanenſium auxilio machinatus fuiſſet, de Gedanenſibus item, quod ſtantibus induciis ipſorum claſſiarii in Regis littora excurriſſent, prædas egiſſent, Danorum naves detinuiſſent, nec ex pacto convento reſtituiſſent, ac alia inſuper multa in damnum & ignominiam Regis perpetraſſent; ideoque poſtulabant ante omnia rationem damnorum haberi, & de reſtituendis iis cognitionem interponi. Contra Gedanenſes, cum horum alia ſuis rationibus refutaſſent, alia penitus ut efficta negaſſent, multis verbis demonſtrabant, quot modis Daniæ Rex, induciis & pactis conventis violatis, contra fidem datam Gedanenſes injuriis affeciſſet, rebus ac vita ſpoliaſſet, & nihil minus quam de ſervandis induciis unquam cogitaſſet, quæ quidem damna ipſi etiam æſtimato ſibi reſtitui volebant. Multis ultro citroque in altercationem deductis, nihil tum aliud effectum, quam induciæ in diem longiorem hiſce legibus prorogatæ: Ut induciæ recentes nunc a die divi Bartholomæi deinceps per quatuor annos continuos durarent, interim utrinque maleficio & injuriis æque temperaretur: Utra pars poſt completas inducias bellandum ſibi putaret, anno integro prius alteri denunciaret: Gedanenſes darent operam, ne qua machinatio per Carolum vel ejus aſſeclas in Daniæ Regis & regnorum ejus detrimentum vel fraudem inſtituatur: Captivi utrinque, qui quidem nondum eſſent æſtimati, ſine pretio reſtituerentur: Legibus & conditionibus cæteris priorum

priorum induciarum hoc pacto ne derogaretur: Damnorum cognitio arbitris quoquo tempore salva remaneret. Cæterum id caput, quod de Carolo dictum erat, Gedanenses excipiebant, Carolum in Suecia natum, & Regem aliquando dictum ibidem habere cognatos ac amicos suos, proinde si quid illi molirentur vel conficerent in ejus usum vel commodum, illorum facto se minime teneri contestabantur.

Morunga. In Prussia finitis jam induciis die Julii decimo tertio, qui divæ Margaretæ sacer erat, Heinricus Plavenius Morungam obsedit, eo firmiori spe oppidi potiundi, quod cum civibus nonnullis proditionem instituisset. Sed res in cassum cecidit, & inde fugatus parum abfuit, quin ipsemet in potestatem hostium perveniret. Deinde cum alia ulciscendi copia præ manu non esset, agros vastavit, & segetem omnem igne consumpsit, non ibi modo, sed etiam circa Wormditum & loca vicina. Ge-
Keischovia. danenses eodem tempore cum magna manu Keischoviam petiverunt, eo animo, ut arcem ibi complanarent. Verum eam Cruciferorum præsidio adeo munitam offenderunt, ut re infecta remigrandum esset. Tertio die
Subovicium, Grebinum. melioribus auspiciis rursum erumpentes ambas arces vicinas Subovicium & Grebinum captas & direptas solo æquarunt. Eodem tempore Lo-
Lobavia. bavia oppidum Episcopatus Culmensis a Rege deficiens Cruciferorum
Mariæburgenses. præsidium recepit. Initio Septembris Regii milites ex arce Mariæburgensi cum oppidanis acerrime conflixerunt, sic ut utrinque complures desiderati fuerint, & oppidani tandem fusi fugatique in pacatum retrocesserint.

Passenhemium. Circa diem Michaëlis Cruciferi non contemnendam cladem acceperunt apud Passenhemium, oppidum inferioris Prussiæ, astu & stratagemate conciliatam. Nam adversus id, quod induciarum legibus continebatur, Cruciferi oppidanos Regias partes sequentes subinde ad defectionem sollicitarent (ac erat id oppidum Cruciferis ad devastandam vel recuperandam totam eam Prussiæ partem admodum oportunum) oppidani re cum præfecto præsidii Regii communicata, a Georgio Lobavio, qui Wartemburgi in vicinia Cruciferorum equitum Magister erat, postulant præsidium sibi submitti, cujus ope milites Regios ejicerent. Ille rem ex usu suo æstimans, & jam spe victoriam certissime præcipiens, haud mora advolat cum quingentis equitibus & valido peditatu. Ac cæteri quidem interim foris manere jussi, trecenti equites immittuntur, qui ab oppidanis & præsidiariis repente ad unum omnes concisi sunt. In cæteros deinde, qui rerum omnium erant securi, nec aliud expectabant, nisi ut & ipsi mox reciperentur, ex oppido subito eruptio facta, major eorum pars cæsa, reliqui fuga elapsi, præfectus Lobavius cum viginti quatuor equitibus captus. Ex iis, quibus fuga saluti fuit, quidam ex Al-
Allæstenium. læstenii præsidio simul advenerant, qui domum revertentes oppidum Allæstenium domestico igne conflagratum repererunt, templo tantum & domunculis quibusdam salvis, quibus incendium pepercerat.

Naves Vistulanæ. Circa finem Octobris naves & scaphæ circiter centum & viginti, panno, sale, halece, & alio commeatu onustæ Gedano Toruniam profectæ

ctæ per hostes cursum secure tenuerunt, & merces salvas pertulerunt. Ubi cum frumento rursum onustæ retro domum contenderent, earum postremæ a Neoburgensibus & Mewensibus invasæ, circiter triginta scaphæ frumentariæ, cum capi salvæ non possent, igne injecto perierunt, cæteræ Gedanum incolumes reverterunt.

Eodem tempore præsidiarii Mewenses excogitato novo artificio, Stratagema inutile. quo Starigardum improviso opprimerent, multos rusticanos homines instruunt, qui cum curribus suis mercatus visendi causa, qui singulis septimanis publice haberi solet, ad oppidum mitterent, ipsi vero cum expedita manu subsequerentur. Res autem ita ex composito agebatur, ut cum rusticani multitudine curruum pontem occupassent, milites e vestigio præsto illis forent, ac oppidanos opprimerent. Sed consilium hoc ad hostes emanavit, eumque habuit exitum, ut rusticani e ponte in oppidum propere facessere jussi, rebus omnibus spoliarentur, milites autem hoc ipsum subodorati rusticanos sequi supersederent.

Jam pridem antequam hæc agerentur, per exploratores cogno- Laweburgum. verant Gedanenses, Laweburgum sibi finitimum insidiis & proditione peti, ac Cruciferos in id data opera incumbere, ut eo loci pedem figerent, ad Gedanenses e vicinia magis ac magis divexandos & ab aliis rebus distinendos. Oppidani quidem Gedanensibus sancte polliciti fuerant, se pariter cum cæteris civitatibus fideliter regias partes secuturos, ac vitam & facultates pro salute provinciæ impensuros, modo ne peregrino milite præsidiove, quod admodum grave futurum illis esset, onerarentur. Nihilominus autem fama proditionis magis ac magis increbrescebat, nullo tamen auctore certo, nisi quod secreto nunciabatur, nobiles nonnullos & alios præcipuæ notæ viros in territorio Laweburgensi coitiones cum hostibus facere, consilia cum hostium primoribus conferre, et quanquam certum indicium non erat, quorsum ea consilia tenderent, Gedanensibus tamen erat suspicio (neque falsa sane, quod exitus docuit) de intercipiendo Laweburgo telam adornari. Itaque cum literis tum Internunciis Ericum Pomeraniæ Ducem, cui civitas isthæc jussu Casimiri commissa fuerat, tempestive monent, ut quod fidei ejus creditum esset, diligentius aliquanto curaret, oppidum & arcem majori præsidio muniret, ac omnino provideret, ne summo cum Reipublicæ detrimento, atque adeo ipsius sinistra quapiam existimatione in hostium manus deveniret. Cæterum cum deinceps magis ac magis animadver- Gedanenses Laweburgum occupant. terent, rem eam Duci parum esse cordi, ac interim manifestiora proditionis indicia erumperent, incendio melius in vicino, quam suo, occursuri, oppidum ipsum ex improviso occupant, suoque milite communiunt. Mox compertum est in ipso tumultu Consulem Laurentium Senftopf, qui proditionis conscius ferebatur clam profugisse, & cum uxore ac liberis solum mutasse, eamque ob rem habito judicio publice fuit proscriptus. Ægre ferebat Gedanensium istud factum Dux Ericus, eoque interpretabatur, quasi Gedanenses civitatem eam consulto sibi eripere, ac suæ ditionis facere vellent, secus ac pactis cum Rege Casimiro convenerant. Purgabant illi se, factum

factum ob eam saltem causam commissum, ut proditioni jamjam erumpenti occurreretur, a qua nec ad ipsum quidem Ducem commodum aliquod fuisset perventurum. Neque cupere se pluribus molestiis occupari, cum alioquin abunde ipsis commissum esset, cui recte curando vix sufficerent. Neque diu post Gedanenses postquam animadverterent, ab eo loco jam nihil esse periculi, oppidum & arcem Duci restituunt, ita quidem, ut illo consentiente unum ex Consularibus suis Joachimum von der Beke cum ducentis militibus in præsidio relinquerent, & cum Duce paciscerentur, si qua major vis hostium ingrueret, ipse majores suppetias semper paratas haberet.

Excursiones variæ.

Eodem tempore Gedanensium milites, qui Starigardi in præsidio erant, viginti quinque equites, qui Mewa & Neoburgo pabulatum in alienos agros exiverant, interceperunt, ac eodem temporis momento simili modo fœderatorum milites, qui in oppido Hollandia hybernabant, viginti quatuor equites ab hostibus ceperunt, inter quos erant quatuor Ordinis Cruciferorum fratres. Quo eodem tempore Capitaneus etiam Elbingensis, cui Calceario cognomen erat, cum manipularibus suis ex ala Plavenii duodeviginti equites intercepit, qui Stuma isthuc in sylvam profecti fuerant, cum canibus & retibus, & venationem exercebant. Hos ille simul cum carne ferina Elbingam lætabundus perduxit. Eodem etiam tempore Gubernator Baysenius inducias bimestres cum hostibus pepigerat, invitis quidem cæteris fœderatis, eo saltem proposito, ut commeatus, quo tum indigebat, Elbingam tuto convehi posset. Itaque subditi Regii ultra sexaginta currus omnis generis commeatu onustos simul Elbingam convexerunt, quos etiam hostes sine maleficio transire patiebantur. Cum autem inde reverterentur, ac ferme halecem & salem in usus suos coëmptum ducerent, a Cruciferorum militibus, posthabitis induciis, oppressi & rebus omnibus perfide spoliati sunt.

Jo. Albertus natus.

Circa finem hujus anni Regi Casimiro natus est filius Joannes Albertus, qui Patri deinceps in regno Poloniæ succesſit.

Bruma intensior.

Ejusdem anni fine & initio sequentis, quod tempus brumam vocamus, adeo intensum fuit frigus, ut Gedano Helam per mare congelatum pedibus & equis itinere quinque milliarium tuto commearetur, ex summa autem turre Helensi circumquaque in mari meræ glaciei prospectus pateret. Et adeo vehemens fuit isthæc hyems, ut adhuc die Gertrudis, quæ non procul ab æquinoctio abest, ex Dania, Lubecam, Rostochium & vicinas civitates per glaciem iretur. Quod ante hoc tempus factum fuisse nemo meminerat. Ex Livonia itidem in Daniam & Sueciam per mare congelatum frequens ubique erat commeatus.

An. 1460. Commeatus in Mazoviam.

Anni sequentis initio Gedanenses Casimiro denunciabant, quod Cruciferi ex monte Regio in Litvaniam & Mazoviam libere commearent, & omnis generis res necessarias ad protrahendum bellum inde exportarent, æque ac tempore pacis fieri consueviſſet, quodque Mazoviæ Duces eam in rem cum hostibus inducias sexennales pepigissent. Quod cum

cum secus esset factum, ac Casimirus volebat, deinde severius est interdictum.

Torunenses.

Circa finem mensis Februarii Torunenses per exploratores cognoverant, Culmenses, qui Cruciferorum partes sequebantur, prædatum exivisse, collectis suis copiis in vicina sylva prope molendinum in insidiis consederunt, ac cum præda revertentes celeriter oppressrunt, septuaginta ipsorum captis, quatuor & viginti cæsis, suorum saltem sex desideratis. Compertum deinde habentes, milites Cruciferorum, qui Lessini in præsidio erant, pabulatum satis procul excurrisse, occasionem intercipiendi oppidi offerri sibi existimantes, acceptis secum sexcentis equitibus Polonis, qui Dibaviæ stationem habebant, ad oppidum excurrunt, cumque jam admotis scalis oppugnationem ordirentur, ecce Poloni repente conversis equis, tanquam lymphatici, in pacatum refugerunt. Et sic Torunenses etiam spe decepti non absque suorum clade repulsi, proposito destiterunt.

Obsidio Mariæburgensis.

Die vicesima prima mensis Martii copiæ Regiæ cum fœderatis Prussicis Mariæburgum oppidum arctiori obsidione cingere cœperunt, ac vallo & carragine ita concluserunt, ut nec intrandi nec exeundi facultas pateret. Mewenses, quamprimum fluvius cœpit esse navigabilis, tribus navibus instructis commeatum inferre constituerant, sed illi a Gedanensium scaphis, quæ fluvium servabant, oppressi & in fugam conjecti sunt, sic ut duas illarum navium & scapham commeatu & armis onustam vi caperent, tertia vero tormentis percussa ac dissoluta cum rebus ac hominibus in fluvio periret, paucis admodum, qui projectis armis ad ripam evaserant, elabentibus. Exinde Mariæburgenses paulatim eduliorum inopia premi cœperunt, sic, ut deficiente farina, panem ex braseo pinserent. Aliquando centum & plures homines miseros, frugum consumptores, ancillas, mulieres & pueros emittebant, vel ab hostibus interficiendos, vel libere dimittendos: sed illi in castra minime admissi gregatim in oppidum repellebantur. Ipse Cruciferorum Magister paulo post cum octingentis equitibus, & compluribus carris commeatu onustis aderat, obsessis suppetias laturus, sed nullam omnino rationem videbat vel viam quidquam in oppidum inferendi. Itaque cum re infecta recederet, milites e Regiis castris eum continuo Stumam usque persecuti postremum agmen infestarunt, carros aliquot, qui tardius sequebantur, interceperunt, adeoque hostium copias eo tumultu conturbarunt, ut parum abfuerit, quin Magister ipse dum postremos in ordinem vult redigere, in hostium potestatem deveniret. Nihilominus oppidani eam obsidionem abhinc in Augustum usque mensem sustinuerunt.

Excursio hostium.

Diebus aliquot post, hostes, qui Neoburgi, Mewæ & Choinicii in præsidiis erant, extemporariis procursionibus pagos hosce fœderatorum Russentzin, Langenaw, Rostaw, & Rosembergum invadunt, diripiunt & incendunt, magna vi pecorum in prædam abacta. Tertia hebdomade post paschatos festum Gedanenses circiter centum quinquaginta naves instructas adverso flumine Torunium miserunt, quæ commeatu

Naves viſtulanæ.

omnis generis onuſtæ revertentes curſum, nemine impedire auſo, per medios hoſtes tenuerunt. Sequebantur rates circiter ſexaginta tabulas & ligna vehentes, quæ a Mewenſibus & Neoburgenſibus invaſæ, partim direptæ, partim incenſæ, reliquæ in pacatum ſunt reverſæ.

Gottlandiæ gubernator.

Hoc eodem tempore Gedanenſium claſſiarii naves aliquot ad litora Gottlandiæ inſulæ interceperunt, partim ex Cruciferorum portubus emiſſas, partim, ut ad ipſos commeatum importarent, expeditas. Hiſce rebus autem jam pridem ſtudebat Gubernator ejus inſulæ Olaus Axelſen, in Gedanenſium invidiam, odium & detrimentum, ut illorum hoſtibus & aſſeclis tutum receptum præberet, ac omnis generis commeatum ſubminiſtraret, unde maximum lucrum in Cruciferorum rebus aciſis ſibi comparabat. Cæterum hiſce navibus interceptis, & compendio lucelli ſui prærepto, per calumniam graves querelas ad Regem ſuum Chriſtiernum contra Gedanenſes pertulit, quaſi nimirum illi in locis & ditionibus ejus Regni latrocinarentur ac prædas agerent, & inſuper inuſitatam navigationem ſectarentur. Qua calumnia motus Chriſtiernus cum Gedanenſibus, in quos alioquin plerumque non ſatis placato fuerat animo, per literas vehementer expoſtulat, quaſi pactionibus, Lubecæ non ita pridem initis contravenirent & per fretum Balticum inuſitato itinere navigarent, quantumvis iisdem pactionibus diſerte cautum eſſet, uti in regno Daniæ non niſi per fauces Oriſſundenſes vela facerent, ſalvis antiquis vectigalibus: quaſi item illorum claſſiarii Regis ſubditos ad Gotlandiam & Bornholmum inſulas hoſtiliter invaderent, ac inde prædas agerent. Ideoque prorſus volebat, ut illorum naves & milites ſuis portubus, inſulis ac ditionibus abſtinerent, & pacta Lubecenſia modis omnibus obſervarent. Hæ uti meræ erant Olai præfecti calumniæ e vento captatæ, ita minime difficilis erat Gedanenſium ratio de iis ſeſe rebus honeſte expurgandi. Etenim in iisdem pactis diſerte & expreſſe cavebatur, ut Gedanenſibus & aliis Regis Poloniæ ſubditis jus eſſet libere navigandi per omnia maria, freta, portus & flumina totius Regni Daniæ, eo modo, quo antiquitus Anſeaticæ civitates navigare conſueviſſent. Neque nominatim quidquam de freto vel Baltico vel Oriſſundenſi, quorum utrumque pars maris eſt, conſtitutum fuerat: Utque Danicis ſubditis in Regno Poloniæ ubilibet locorum libere converſari, commeare liceret. Alterum in iisdem pactis caput erat, ut neutra pars alterius hoſtes reciperet, commeatu vel quovis alio modo adjuvaret. Unde jus optimum Gedanenſibus fuiſſet eos, qui hoſtem commeatu, navibus, militibus juviſſent, vel juvare voluiſſent, intercipiendi & a propoſito ſibi nimis damnoſo repellendi ac coërcendi. Atque in hanc ferme ſententiam expoſtulationi Regiæ tum reſponſum fuit.

Simon Lublaw.

Medio menſe Julii Simon Lublaw, nauclerus Gedanenſis, unico navigio, ſed apprime ab omnibus rebus inſtructo in mare excurrens tres naves onerarias Regiomontanis eripuit, in quibus centum & viginti homines, reliqui cæſi vel ſubmerſi, prout illorum aliqui & inter hos ex Cruciferorum equeſtri ordine unus non minimæ notæ ſemetipſos in mare projecerunt: Gedanenſe navigium autem ſeptuaginta ſaltem armatis hominibus inſtructum erat.

Eodem

Welavia.

Eodem tempore Cruciferi Welaviam oppidum arcte obſidebant, ex utroque latere vallis & munitionibus conſtructis, circumcirca vero agri plane erant vaſtati, & ſegetes deperditæ, ut inde nihil oppidanis uſui eſſe poſſet. Illi quidem acriter & ſtrenue diu ſe defenderant, frequentibus excurſionibus multum hoſtibus damni dederant, multos occiderant, neque paucos ceperant, maximum etiam Magiſtri tormentum, quo contra oppidum utebatur, eripuerant. Et in præſidio cives ſecum habebant milites non ſtrenuos minus, quam rei militaris permultum expertos. Suſtentata fuit obſidio usque in autumnum, ſed cum a Rege eo usque nullum appareret auxilium, nec amplius ipſis commeatus copia ſuppeteret, cum magno totius ejus provinciæ malo deditionem Cruciferis facere coacti fuerunt.

Irruptio in Cruciferos.

Tum temporis etiam Gedanenſes, Elbingenſes & Brunſpergenſes viginti quatuor navigia ex majoribus ſcaphis, armis & hominibus probe inſtructa in Cruciferorum ditionem expediverunt. Milites enavigato Habo lacu in terram egreſſi permultum damni dederunt, ſeptem pagos & quinque prædia nobilium & duo molendina hactenus intacta diripuerunt & exuſſerunt. Cum præſidiariis etiam oppidi Heiligenbuel (quaſi ſacrum collem dixeris) pugna congreſſi eosdem profligarunt, complures interfecerunt, quosdam captivos abduxerunt, & ſic cum luculenta præda domum reverterunt.

Mariæburgum deditum.

Supra dictum eſt de obſidione Mariæburgenſi, quæ huc usque diligentius continuata fuerat, & nunc demum illi, qui in arcis erant præſidio, cuniculos ſubter templum in civitatem egerant, & ſic conſtitutum fuerat, ut hi ex cuniculo, obſeſſores foris ſimul & ſemel irrumperent. Id animadvertentes oppidani primo colloquium petunt, mox ulteriori defenſione deſperata deditionem faciunt, ac continuo in verba Regis iterum jurant. Conſul Bartholomæus Blume, qui Cruciferis oppidum prodiderat, ad ſupplicium deditus proditoris more punitur, corpore in quatuor partes diſſecto. Cum rem geſtam Gedanenſes Regi literis nunciarent, illud ſimul etiam ſignificabant, conſenſu Stiborii Bayſenii gubernatoris & Joannis Coſcielecii arcis præfecti, Capitaneum oppidi & duos Cruciferos cum aliquot præſidiariis captivos in manum ſibi traditos, quibus aliquot cives ſuos a Cruciferis captos commutarent. Idque ſibi dari petebant pro tot impenſis in eam obſidionem factis, proque opera, qua ipſi nunc oppidum iſtud ſecundum recuperaſſent. Petebant itidem Welavianorum, qui tum adhuc obſidebantur, rationem haberi, ac ſubſidium illis mitti, eo præſertim attento, quod ejus oppidi certa poſſeſſio ad vicinos in officio continendos plurimum eſſet allatura momenti. Rex priori petitioni benigne ſubſcribebat, & Mariæburgum opera & impenſis Gedanenſium denuo receptum luculenter teſtabatur. Auxilia vero Welavianis nimium ſero mittebantur, tum ſcilicet, cum jam oppidum hoſtibus deditum fuiſſet.

Pruſtum.

Die triceſima menſis Auguſti Cruciferi ducibus Joanne Gleichenio, Friderico Runeccio & Caſpare Noſticio cum mille equitibus & valida

lida peditum manu pagum Pruſtum uno ab urbe milliari diſtantem, ubi Gedanenſes extemporariam munitionem exſtruxerant ac præſidio firmaverant, adoriuntur & expugnant, munitionem disjiciunt, ſcultetum & alios paganos triginta interficiunt, pagum diripiunt ac incendunt. Rumore in urbem perlato cives paſſim pedites ac equites incompoſito agmine, nullo certo duce, ſuis auxiliatum excurrunt, & ſic diſperſi magis quam conglobati a Cruciferorum militibus circiter ſexaginta, inter quos Conradus Dalenſis vir conſularis cæduntur, ducenti & inter eos duo Conſulares Joannes Meideburgius & Joannes Abzagen capiuntur. Exinde hoſtes etiam munitionem Raduno fluvio impoſitam occuparunt, & incendio deleverunt, fluvium etiam ruptis aggeribus averterunt. Hæc clades majori dolore Caſimirum affecit, quam pro damni æſtimatione, præſertim cum Gedanenſes etiam auxilia ſibi mitti peterent, ac Regem admonerent, ut aliquanto majorem Pruſſiæ rationem haberet, quam plerumque res alias huic præverteret. Promittebat Rex propediem auxilia ſe miſſurum, interim diligenter hortabatur, ut in fide ſibi data perſiſterent. Id enim erat, quod verebatur, ne nimia Polonorum his in rebus cunctatio Pruſſiæ ad Cruciferos relabendæ præberet occaſionem.

Lawæburgum obſeſſum.

Die decima octava menſis Septembris Cruciferorum milites oppidum Lawæburgum decem milliaribus Gedano diſtans obſidere cœperunt, & in abigendis paſſim pecoribus & reſecandis paſcuis magno incommodo vicinos affecerunt. Duravit iſthæc obſidio in quartam ferme ſeptimanam. Oppido præfectus erat Gedanenſium nomine conſularis illorum Joachimus von der Beke cum ducentis militibus, qui in cæteris præſidio Erici Pomeraniæ Ducis, ſi qua major vis ingrueret, nitebatur. Etenim paulo ante obſidionem idem Dux equites aliquot in oppidum immiſerat, & Joachimo ſignificari juſſerat, ſeſe brevi plura auxilia miſſurum. Poſtea cum jam oppidum obſideretur, ducenti ſubmiſſi equites, qui per medias hoſtium ſtationes nemine reſiſtente tranſiverunt; quæ res in ſuſpicione primum eſſe cœpit. Subſecutus eſt paulo poſt ipſemet Dux cum ducentis itidem equitibus. Cum jam oppidum in poteſtate haberet, Gedanenſium militibus miſſionem dedit, demonſtrans neceſſario ſibi cum hoſtibus eſſe depaciſcendum, neque rationes ferre ſuas, ut diutius pateretur ditiones & ſubditos bellorum injuriis divexari. Prætendebat inter alia tredecim viros nobiles ditionis ſuæ, dum Regis Caſimiri negotiis operam darent, ab hoſtibus captos fuiſſe, quos alia ratione redimere non poſſet, niſi oppido Lawæburgenſi & arce Butovienſi in poteſtatem traditis. Et quanquam Lawæburgenſes ſe paratos oſtendiſſent, pecuniam eam pro redemptione captivorum conferre, modo in partibus Regis & Gedanenſium permanere liceret, majorem tamen eam ſummam eſſe, quam ut ipſi ſolvendo eſſent futuri. Hoc pacto Lawæburgum cum arce Butovienſi tum in Cruciferorum poteſtatem devenit, non ſine maxima Caſimiri offenſione. Quæ res apud plerosque clandeſtinæ conſpirationis ſpeciem habere videbatur: Gedanenſibus autem eo moleſtius accidebat, quod Dux oppidum fiduciaria manu a ſe acceptum hoſtibus nulla urgente majori neceſſitate tradidiſſet, unde nunc hoſtis e vicinia cervicibus ipſorum magis ac magis imminebat.

Lawæburgum & Butovia hoſtibus traduntur.

Die

Die decima nona Septembris ingruente nocte, Cruciferorum milites, qui Hollandiæ & Liebſtadii in præſidiis excubabant, Wormbditum Epiſcopatus Varmienſis oppidum de improviſo irruerunt, multos cives paſſim occiderunt, multos more pecudum agminatim abegerunt, rebus omnibus direptis & ingenti præda abducta. Quarto die poſt Regii milites molendinum prope Mewam opere & præſidio munitum incendio conſumpſerunt, & ibidem fratrem Ordinis Cruciferorum cum quinque militibus trucidarunt, armenta & greges monaſterii Pelplinenſis, quæ ibidem tanquam in pacato paſcebantur, abegerunt, vicinis etiam pagis direptis.

Wormbditum.

Molendinum ad Mewam.

Die viceſima quarta Septembris Elbingenſes & Brunſpergenſes oppidanis Heilgenbuel (aliis Heiligenbeil) magnam vim pecorum ex illorum paſcuis abductam eripuerunt. Oppidani vero præſidiarii abigeos e veſtigio perſecuti, prædam omnem receperunt, ac multos inſuper occiderunt, & inter illos Joannis Scalii præfecti Brunſpergenſis fratrem, virum alioquin ſtrenuum & bellicoſum. Ex Cruciferorum etiam parte perierunt Commandator Balgenſis & Keckerwicius eques auratus. Utrinque cæſi circiter nonaginta. Elbingenſes & Brunſpergenſes ſeptuaginta equos amiſerunt, cæteris fuga dilapſis. Die undecima menſis Octobris duo duces Regii alter Gothardus, alter Sremſcius dicti, cum ſexcentis equitibus & ducentis peditibus e Polonia adventantes, aſſenſu Abbatis & Gedanenſium in Olivenſi monaſterio caſtra locarunt, ideo quod per exploratores allatum fuerat, ab hoſtibus agitari conſilia hujus monaſterii per inſidias intercipiendi. Hi vero monaſterium iſtud egregie muniverunt, ac ibidem per duos ferme menſes ſtationem habuerunt, deinde cum nullus hoſtium appareret, relicto quantum ſatis viſum fuerat præſidio, Gedanum commigrarunt. Die tertiadecima menſis Octobris Cruciferorum milites Lawæburgo clam profecti, circa Puſcum oppidum, quod poſt priorem direptionem Gedanenſes modico præſidio tenebant, in inſidiis latitantes media nocte, cum forte fortuna magni orirentur imbres, quadripartito in oppidum irruerunt, & plerisque oppidanis ſomno oppreſſis illud occuparunt. Gedanenſium milites partim aquatica partim terreſtri fuga primo ingruente terrore ſibi conſuluerunt, oppidum direptum, incenſum, & non pauci incolarum interfecti ſunt. Arcem adhuc tenebant pignoratitiam Caroli exulis Sueciæ præſidiarii, qui ſequenti die cum hoſtibus depacti, armis & rebus ſuis ſalvis deceſſerunt, & arcem Cruciferis reliquerunt. Gedanenſes in hoc tumultu amiſerunt equos ſexaginta, viginti militibus captis. In chronico quodam ſcriptum inveni, nocturnam iſthanc impreſſionem civium quorundam Puſcenſium proditione conciliatam, qui quidem ſui & fortunarum incolumitatem pacti, ſed eandem conditionem cum cæteris proditores experti fuerint.

Heiligenbuel.

Oliva.

Puſcum captum.

Die Simonis & Judæ trecenti equites Poloni & trecenti pedites Germani ex Olivenſi monaſterio profecti, ultra Puſcum irruptiones fecerunt, pagos complures diripuerunt ac incenderunt, ac magnam vim prædæ ſecum abduxerunt. Altero die retro abeuntes, cum Puſcum præte-

Olivenſes præſidiarii.

prætereundum eſſet, Fridericus Runecius cum quadringentis equitibus & trecentis peditibus ſeſe oppoſuit. Acre prælium commiſſum eſt, in quo tandem Germani pedites facto cuneo hoſtium equitatum interruperunt ac ordines turbarunt, equites perturbatos Poloni a latere aggreſſi obvium quemque proculcarunt ac ceciderunt. Inde tota hoſtium fuga conſecuta, quorum centum & quinquaginta cæſi, quinquaginta duo equites & duodequadraginta pedites capti. Inter quos etiam Dominus Triſſenius & Balthaſar Baro Donenſis in poteſtatem venerunt. Eodem tempore oppidum Barteſtenum & major ferme pars ulterioris Pruſſiæ, Welavianorum exemplo territi, a Rege deficiens ad Cruciferorum dominatum reverſa fuit. Regium etiam oppidum Goluba Cruciferis proditione traditum, & in eo non pauci Dobrinenſium equitum cum omnibus facultatibus ſuis capti fuerunt. Arcem Ziervonca Bohemus fortiter defendit ac Regi conſervavit. Dobrinenſis ora, ne porro vaſtaretur, vectigalis hoſti facta.

Barteſtenum.

Goluba.

Mariæ inſula.

Circa diem Martini Poſcarſcius Capitaneus Suecenſis cum præſidiariis ſuis magna alacritate & aſtutia Mariæ inſulam occupavit, ac oppidum direptum paſſim incendit. Cruciferorum milites cathedrale templum occuparunt, idque ſubito communitum fortiter defenderunt multis ſubinde Regiorum ſubeuntium interfectis, ſic ut illi tandem magno cum detrimento oppido excedere cogerentur. Poſcarſcii audaciam ſimili facinore compenſaturus Bernardus Sonneburgius, cum expeditis aliquot militibus Viſtulam noctu transgreſſus, clam & inopinato auxilio quorundam proditorum captivorum, qui negligentius adſervabantur, per cloacam ſubtractus arcem Suecam ſuperiorem occupavit. Proditione animadverſa Poſcarſcius cum ſuis arce egreſſus pontem exuſſit, ne hoſtes ſequi poſſent. Tormentis tamen invicem nonnihil damni intulerunt, ubi inter cæteros Conſul Torunenſis Joannes von Lohe tormenti ictu periit. Poſcarſcius deinde arcem munitionibus circumdedit, & obſeſſis exitum omnem intercluſit, vel fame tandem illos domiturus. Deinde cuniculis actis ad interiorem arcis partem penetravit. Hoſtes continuo amplam & munitiſſimam turrim occuparunt, unde aliquandiu oppugnationem ſuſtinuerunt. Tandem ne duces ſemetipſos invicem perdere conſueſcerent, obſeſſi aliquantam pecuniæ ſummam, & præcipuorum captivorum liberationem depacti, incolumes ex arce dimittuntur. Ita audacia hujus utriusque ducis eundem ferme exitum habuit.

Arx Suecenſis capta.

Novæ deinde proditionis ratio adverſus urbem Gedanenſem inſtituta, quæ quidem adeo ſupine & leviter per auctores concinnata fuit, ut in ridiculam ferme comœdiam deſineret. In proximo conflictu Pruſtenſi captus fuerat inter cæteros Gedanenſis quidam ſutor Nicolaus Gunterus, pauper & egens, cui non erat, quo ſeſe in libertatem redimeret. Hunc Schonecum usque pertractum Cruciferi tandem ultro libertate ſua donant, ea lege ut illis civitatem Gedanenſem proderet, cujus rei rationem deinceps eſſent inituri, modo ipſe virilem operam pollicerétur, ac ipſi viciſſim multa magnifice promittunt, ſi rem demandatam probe effectam reddidiſſet. Ille conditionem ambabus manibus complectitur,

Nicolai Gunteri comœdia.

ctitur, gratulans ſibi clanculum, quod tam levi pretio libertatem eſſet recepturus, quantum autem eſſet proditionis auctoramentum parum intelligebat. Mox ipſi pullum aſſum comedendum apponunt actionis futuræ ſymbolum. Guntherus ita dimiſſus in urbem ad ſuos redit, quaſi fuga elapſus, nec quidquam ea de re cuiquam enunciat, exiſtimans forte Cruciferos tantam rem molientes parum in ipſo momenti poſituros. Poſt aliquot interjectos dies primores Cruciferorum, qui Mewæ & Choinicii erant, literas ſcribunt cum hac epigraphe: Nicolao Guntero, qui Schonecii pullum aſſum comedebat. Has literas ad illum mittunt, per monachum quendam Carthuſanum. Gunterus literas nec legere nec pingere poterat. Monachus prælegit, lectas in foculum abjicere voluit. Id vero prohibere Gunterus ac dicere, plures ſibi ſocios eſſe & hujus incepti conſcios, quibus majoris fidei cauſa literæ demonſtrandæ eſſent. Et ſic dimiſſo monacho ipſe quaſi ſocios conventurus recta ad Conſulem contendit, cui Senatores aliquot conſilii cauſa præſto erant, quibus rem indicat. Literæ Cruciferorum illud ſaltem continebant, ut Gunterus cum omnia haberet parata, nullis arbitris in Monaſterium Carthuſianum veniret, ubi omnia penitius eſſent conſtituenda. Prior enim & fratres ejus monaſterii proditionis hujus non tam erant conſcii quam auctores. Placuit Gunterum eo proficiſci, equo ex publico dato, omnia conſilia accuratius explorare, & omnino ſimulare ſerio ſe rem agere, ac quid denique conſtitutum fuiſſet absque mora Conſuli renunciare. Gunterus ad locum conſtitutum veniens præfectos Cruciferorum Joannem Gleichenium, Fridericum Runeccium & Caſparem Noſticium cum Priore & fratribus invenit de rei ſumma conſultantes. Ubi tandem ita res conſtituta fuit, ut ad diem duodeviceſimam noctu præfecti cum copiis ſuis ad portam altam præſto eſſent, quas Gunterus cum aſſeclis ſuis, quos ea nocte tum excubias acturos Gunterus (uti edoctus erat) illis perſuaſerat, reſerata porta admitteret. Aliud agmen ad hortos longos duceretur, ibique ignis in granaria immitteretur, qua re inopinata cives perterriti, poſthabitis omnibus eo frequentes accurſuri eſſent, & ſic urbis occupationem faciliorem futuram. Dum omnia ſolicite penſantur, ut in re magni momenti, Prior inter cætera mentionem injecit, ſe audiviſſe, quod Gedanenſes ante paucos dies excubias civiles ſtipendiariis militibus duplo ampliaſſent, ac cives in ſuperiores ædium contignationes magnam vim ſaxorum ac telorum comportaſſent, quod argumento eſſe poſſit, aliquid harum rerum ad ipſos emanaſſe. Totum hoc Gunterus pro deridiculo habere, exquiſitis omnia mendaciis oblinere, imo interpoſito juramento factum quicquam negare, affirmare vero complures ſtipendiariorum ſuas partes ſequi, & ſibi non civibus ſuppetias laturos, jam pridem ipſis ſtipendia non exolvi, inhiare ipſosmet civium fortunis. Inter cætera cum Gunterus quæreret, urbe hunc ad modum capta, an etiam civibus ſua jura & privilegia ſua ſalva eſſent relicturi, minime inquit Gleichenius, ſed nova illis concedemus. Et hoc dicto cum Priore & cæteris conſedit, ac Prior incepit nova privilegia conſcribere, atque re ſic conſtituta Gunterus dimittitur. Dum is equo conſcenſo celeriter abit, unus ex monachis cogitabundus aliquandiu, mihi videtur (inquit)

equus iſte, quo Gunterus vehitur, in Gedanenſium equili publico nutriri, & ibi me eundem vidiſſe memini. Hæc res ſuſpicionem injecit ducibus, ne Gunterus aliquam in ſe ipſos fabam cuderet, & hic unus equus in cauſa fuit, ut ſegnius aliquanto rem exequerentur. Nihilominus Prior ipſe Martinus Schelle indigena Gedanenſis, & alius frater David Roger, die conſtituta, circiter veſperam ad Gunterum clam contendunt, ut omnia penitius explorarent. His ita deprehenſis & in curiam deductis, Gunterus ordinem totius proditionis recenſuit, quam illi partim fatebantur, partim inficias ibant. Ambo deinde in carcerem conjecti. Captus etiam in pago Quadendorf conſors ipſorum Thomas Kiel, laicus, qui negotium ſuſceperat milites Cruciferorum ad hortos longos circumducendi, & granariis ignem injiciendi. Adverſus haſce molitiones in civitate clam conſtitutum fuerat, ut cum hoſtes per portam ſuperiorem admiſſi fuiſſent, undiquaque ex alto lapidibus & telis obruerentur, transverſariæ plateæ vero tormentis eſſent inſtructæ, quæ in tranſeuntes utrinque exploderentur. Cives armati in foro ſub vexillo Regio ſtarent, reliquias excepturi. Milites ſtipendiarii hortos longos obirent, ac inde hoſtem propellerent, quibus etiam cum dolabris & hamis cæteroque inſtrumento vigiles incendiarii præſto eſſent. Reliqua multitudine per muros & alibi idoneis locis diſpoſita: Mariæburgenſibus etiam & Dirſchavienſibus denunciatur, ut ad diem conſtitutum cum armis ad urbem præſto eſſent, ſi qui fortaſſis major numerus hoſtium ſuperveniret, auxilium laturi. Sed hæc omnia conſilia Gunteri equus ad nihilum redegerat, & hoſtibus cautioni fuerat, quo minus rem conſtitutam aggrederentur.

Excurſiones.

Die viceſima Novembris milites præſidiarii Olivenſes in agrum Puſcenſem & Laweburgenſem prædatum feliciter exiverunt. Et cum præda onuſti reverterentur, ruſtici vicini cum quibusdam Cruciferorum militibus occurrunt. Illi relictis equis, pedites omnes conglobati, teſtudine facta, fortiter irrumpentes, ruſticos & nobiles, qui illis aderant, ad unum omnes ceciderunt, ac ingentem prædam in monaſterium perduxerunt. Hoc ſucceſſu invitati milites quidam Gedanenſes veteris civitatis in agrum Carthuſianum excurrunt, ut ſues, quorum ibi magna erat copia, e ſylvis & paſcuis abigerent: ſed eventu diſpari a ruſticis circumventi cæduntur ac fugantur. Tertio Calendas Decembris denuo quadraginta milites ex Olivenſi monaſterio procurrunt, ea mente, ut Carthuſiam de improviſo opprimerent ac diriperent, ſed a ruſticis prævenți ad unum omnes interficiuntur. Die decima quinta Decembris Cruciferorum milites pagum Strieſs in conſpectu Gedanenſium diripuerunt ac incenderunt, magna vi pecudum abacta, quos e veſtigio expeditiſſimi quique inſequentes, abigeos ad unum omnes interficiunt, & prædam totam ſalvam reducunt.

FINIS LIBRI SEXTI.

HISTO-

HISTORIÆ RERUM PRUSSICARUM

LIBER SEPTIMUS.

An. 1461. Calcearius Elbingenſis.

Initio anni ſequentis 1461. circa diem Epiphaniæ, quam vocant, cum Hollandenſes ex militibus Calcearii, Capitanei Elbingenſis, decem intercepiſſent, ille ſtatim prædones inſecutus & ſuos recepit, & hoſtium duos Centuriones comprehendit, ex vulgaribus autem militibus quosdam proſtravit. Die Converſionis Pauli idem Calcearius ex equitatu Plavenii decem equites intercepit, qui ex Foro Pruſſico verſus montem Regium contendebant, bini ex iis denuo effugerunt, quorum alter erat frater Ordinis, qui anno ſuperiori a Gedanenſibus in mari captus & in cuſtodiam datus inde ſe dolo & arte eripuerat. Quo eodem tempore Poloni, qui in præſidio Raceovienſi erant, Sonneburgii viginti equites Dobrini ceperunt, & Torunium captivos perduxerunt.

Mutatio in Epiſcopatu Varmienſi.

Initio menſis Februarii Guttſtatenſes interim dum præfectus ipſorum Retzius ad Caſimirum gravium quarundam rerum cauſa profectus, arrepta occaſione abjiciendi imperii Polonici præſidiarios ſuos in molendino prope oppidum ſtationem habentes ex compoſito opprimunt & cogunt, ut cum equis & armis ſaltem, cæteris omnibus ademptis decederent. Deinde oppidani molendinum diripiunt, in quo Retzius luculentas divitias hactenus ex varia præda congeſtas aſſervare putabatur. Et ſic Guttſtatenſes ad Epiſcopum ſuum Varmienſem, legitimum Dominum redierunt. Neque diu poſt Retzius Seeburgum arcem & oppidum a Cruciferis cepit, ubi deinceps domicilium ſuum collocavit. Ipſe etiam Epiſcopus Paulus Lehendorf paulo poſt a præſidiariis Regiis & fœderatorum arcem & oppidum Heilſpergam redemit, & cum illis in ſtipendia deberentur octo millia florenorum, eandem ſummam ipſis Epiſcopus in dies certos ſoluturum ſe ſpopondit, & ſic Heilſpergam ab eis recuperavit. Canonici quoque Varmienſes arcem & oppidum Alleſtenum a militibus Cruciferorum diſſolutis ſtipendiis receperunt.

Commeatus ad hoſtem inhibiti.

Ineunte vere paſſim in Pruſſia tabellarii & mercatorum literæ intercipiebantur, quæ in locis hoſtilibus & præſertim in monte Regio ſcriptæ fuerant, ex quibus manifeſto patebat, quanto periculo ac detrimento Lubecenſes & alii, qui tamen amicorum numero habebantur, Pruſſicos fœderatos afficerent, quod ſcilicet naves omnis generis mercibus onuſtas primum Stockholmiam transmitterent, inde Revaliam vel Rigam, & porro montem Regium peterent, ac hoſti non commeatum modo, ſed etiam arma, milites & inſtrumenta bellica affatim ſubminiſtrarent. Qua re commoti Gedanenſes ex fœderatorum conſilio navibus ſuis in mari excubantibus plures addunt, quarum milites per totam hanc

æstatem a Lubecensibus, Pomeranis, & aliis in hosticum commeantibus ingentes prædas egerunt. Et illi quidem sibi tanquam amicis & neutram belli partem sequentibus injuriam fieri permultum conquerebantur, ac vicissim Prussorum res ac naves ubiubi poterant, detinebant. Verum ordines Prussiæ fœderati nulla ratione adduci poterant, ut hostibus suis continue suppetias ferri, & eo diutius bellum protrahi paterentur. Meminerant etiam eodem modo secum actum fuisse, in aliis vicinorum bellis, cum & ipsi neutram partem sectarentur, & utriusque injuriis exponerentur. Quo casu plerumque infirmiores ad potentiorum arbitrium & commoditatem res suas componere consueverunt.

Daniæ Rex Gedanensibus infestus.

Ex alia parte Gedanenses speciatim Daniæ Rex infestabat, eisque navigationem tutiorem per fretum Balticum indulgere nolebat, secus ac in proximis induciis conventum fuerat. Præfectus etiam Gotlandiæ Regiis subditis severissime interdixerat, ne quis Gedanum navigaret, neve ullum eo commeatum supportaret, immo naves etiam instrui mandaverat, quibus Gedanenses aggrederetur, totoque mari excluderet. Gedanenses autem mature huic proposito occurrentes omnes ejus naves priusquam instructæ essent, ex insula abduxerunt. Sed ne incendium istud longius serperet, Proceres regni Sueciæ interceserunt, ac apud Regem perfecerunt, ut utrinque omnis hæc contentio ad cognitionem arbitrorum, qui inducias pepigerant, rejiceretur. Cum Rigensibus etiam & Revalienſibus Gedanenses convenerunt, ut illis usus maris liber esset, & Livonienses portus omnes liberi, ea lege, ne quem Gedanensium interim infestarent, neve ex iisdem portubus quidquam Cruciferis præsidii subveheretur.

Lawæburgenses & Puscenses.

In Prussia posthæc variis excursionibus res acta fuit. Circa finem Februarii milites Lawæburgenses & Puscenses in agrum Gedanensem excurrerunt, ubique pagos Zechankeberg & Schidlicium, & qui novi horti dicuntur, aliaque ædificia suburbana ad Rodanum sita incenderunt, & pecora abegerunt. Gedanenses re comperta continuo portis erumpentes hostem persequi institerunt. Sed cum conspicerent magnam militum copiam, qui ad pugnandum expediti prædonum agmen claudebant, ipsi viribus impares pugnam committere non ausi retrocesserunt. Ac illud demum consilii ceperunt, ut etiam reliqua ædificia diruerent, quo minus deinceps hostibus prædæ vel usui esse possent, pecoribus & hominibus in urbem receptis. Pugna in Vistula. Circa finem porro mensis Martii Gedanenses centum circiter naves & scaphas emiserunt, quæ adverso flumine Torunium contenderent, ac inde commeatum adveherent. Vix Mewam pervaserant, vident Torunenses & Bidgostienses, qui naves quadraginta frumento, carne & alio commeatu onustas Gedanum devehebant, cum hoste confligentes, & paulum aberat, quin a multitudine superati tandem in hostium manus omnes devenissent. Gedanensium adventu hostes fusi fugatique, naves onustæ Gedanum libere demissæ, & ipsi quoque Gedanenses Torunium provecti, navibus oneratis nullo uspiam hoste in armis conspecto Gedanum salvi reverterunt.

Non

Non procul ab urbe Gedanensi monasterium erat Carmelitarum, cujus solennitas tum celebrabatur ad octavum post paschatos diem, eo ex urbe multitudo hominum, præsertim virginum & mulierum, quantumvis dehortante Magistratu confluxerant, cum repente quinquaginta equites armati, qui post montana sese tamdiu occultaverant, prorumpunt, inermem turbam sine discrimine sternunt, cædunt, disturbant. Erant aliqui opifices præsto gladiis & securibus armati, qui sese equitibus opponebant, sed ii ad unum omnes lanceis confossi perierunt. Exinde hostes deprehensas mulieres ac virgines vestibus pretiosioribus & ornatu muliebri spoliant, quasdam etiam, quarum eos libido ceperat, in equos sublevatas secum abducere parabant. Magistratus urbanus jam antea tumultus cujusdam in hac solenni festivitate opinionem conceperat, adeoque in omnem eventum summo mane ejusdem diei sexaginta equites paratos esse jusserat. Hi, quamprimum res innotuit, erumpentes in ipso tempore fugientibus occurrerunt, mox prædones insecuti, omnes prostraverunt, octo vel septem exceptis, qui præda & virginibus abjectis fuga evaserunt. Et sic Gedanensium equites mulieres & virgines jam hostium mancipes ac reliquam prædam omnem receperunt. Earum illæ, quæ in hostium potestate fuerant, pecuniam viritim contulerunt, unde in singulos equites duo aurei Ungarici donativi nomine distribuerentur. Carmelitæ.

Die decima septima mensis Maji, quæ tum in Dominicam Exaudi incidebat, Torunenses quadraginta quinque currus commeatu onustos, qui in subsidium Culmam mittebantur, cum equis & quadraginta viris interceperunt, centum etiam equites, qui his commeatibus præsidio adjuncti fuerant, re per exploratores cognita, repente circumvenerunt, ac omni ex parte impetum in eos facere cœperunt. Illi vero cum Torunensium majorem numerum viderent, quam ut cum eis manum conferere auderent, nulla parata defensione sponte sua hosti sese dediderunt. Ac sane ipso facto apparet, eos non ex animosissimo equitum genere fuisse, qui gratiam hostis quam propriam virtutem periclitari maluerint. Sonneburgius sæpe deinceps dicere solitus est, in toto isthoc bello vix ullam majorem hoc facto Cruciferis ignominiam accidisse. Ideoque quoscunque postea ex istis, qui interfuerant, in potestatem suam redigere poterat, eos omnes nullo habito discrimine tanquam numero militum minime dignos suspendio necabat. Sonneburgici milites capti. In vigilia corporis Christi Gedanenses cum mille ducentis partim equitibus partim peditibus Puscum profecti sunt, eo proposito, ut præsidiarios ejus loci milites ad pugnam elicerent, ideoque vix dimidiam militum partem in conspectum producebant. Cum autem ob suspicionem insidiarum elici non possent, Gedanenses omnia circumcirca depopulati cum præda pecorum, quam novissimæ hostium deprædationi ante urbem factæ acceptam in paribus vel etiam duplo referebant. Eodem tempore Gedanenses aliquot naves commeatu onustas & complures rates pro usu lignorum Torunio Gedanum secundo flumine deducebant. Cum quibus Mewenses alacriter congressi majorem quam pro numero hominum stragem ediderunt. Et Puscenses frustra tentati. Conflictus cum Mewensibus.

quanquam primo impetu Gedanenſium militum major pars jam eſſet cæſa, nihilo melius tamen hoſtium res ſe habebat, qui jam per intervalla concurrebant. Et omnino videbatur, in tam exiguo utrinque & tam pertinaciter pugnantium numero, quaſi ex compacto res agi, ut omnibus mutuo peremptis, tandem vel unus aliquis alterutrius partis victoriam repræſentaret. Tandem vero Gedanenſes quamvis numero pauciores, recollectis tamen animis, impetu in hoſtem quanto maximo poſſent facto, reliquos fortiter profligant, ſic ut naves & res ſuas omnes in pacatum perducerent. Die decima ſexta menſis Junii Plavenius oppidum & Morunga. arcem Morungam obſidere cœpit, agris paſſim circumquaque depopulatis, mox foſſis & munitionibus circumdedit, ſic ut obſeſſis omnis ferme aditus & exitus occluderetur. Nihilominus circa diem Bartholomæi Elbingenſes hoſtibus mira arte & dolo deluſis, commeatum obſeſſis intulerunt, quo deinceps obſidionem usque ſub finem Octobris ſuſtinuerunt. Ac tum demum fame coacti & rerum omnium penuria, cum a Rege nec auxilium nec commeatus ſubmitteretur, in Cruciferorum poteſtatem conceſſerunt. Stiborii Bayſenii Gubernatoris filius arcem cum præſidio tenebat. Is ingenti pecuniæ ſumma ſic depactus eſt, ut cum centum equitibus armatis & inſtructis libere dimitteretur; cæteris omnibus in hoſtium manu relictis. Civibus etiam copia facta, qui Cruciferorum imperium defugerent, intra dies quatuordecim cum uxoribus, liberis & rebus ſuis ſolum vertendi.

Hermannus Stargard captus. Die viceſima tertia Junii Hermannus Stargart, Conſul Gedanenſis, cum Joanne Lindavio Secretario ad Regem Caſimirum ablegatus publicorum negotiorum cauſa cum Rege acturus, ejus profectione per exploratores hoſtibus comperta, in itinere ex inſidiis interceptus, Mewam deducitur, ubi in tertium usque annum in carcere habitus mœrore tandem animi vita deceſſit, ibidem in fano Divi Georgii tumulatus. Sunt ex vulgaribus Chronicis, quæ illum ab hoſtibus in puteo ſuffocatum memoriæ prodiderunt. Die viceſima ſexta Junii Gedanenſium ex- Ambſterodamenſis piratica navis. cubitores in mari inſignem & optime inſtructam navem piraticam ſub promontorio Reſehovet interceperunt, quam ducebat Batavus quidam Ambſterodamenſis, qui per complures annos in juniore civitate Gedanenſi domicilium habuerat. Hanc navem Ambſterodamenſes anno præterito 1459. apparaverant in ſubſidium Cruciferorum, & Gedanenſium, uti dictitabant, excidium. Et ſane hoc biennio naves Gedanenſes ſubinde vim & injuriam expertæ fuerant, quantumvis auctorem ignorabant. Nauclerus in carcere morbo correptus ſtatim deceſſit, alioquin publice in ipſum fuiſſet animadverſum. In hac nave captus fuit inter cæteros Magiſter equitum ex Ordine Cruciferorum Wilelmus Stenius, quem Gedanenſes cum duobus Senatoribus ſuis Joanne Meidenburgo & Joanne Abzagen, qui anno ſuperiori circa Pruſtum capti, & Secretario Lindavio, qui comes Hermanni Stargarti fuerat, permutarunt. Cum igitur Ambſterodamenſes tam hoſtilem animum denuo jam oſtenderent, Gedanenſes etiam volentes ipſis malum & infortunium dare, eadem æſtate tredecim illis naves mercibus onuſtas & nautis probe inſtructas in mari ademerunt.

Unde

Unde illi malo ſuo edocti, quod Pruſſica navigatione carere non poſſent, ad concordiam cum Gedanenſibus deinceps ineundam eo magis animum adjicere cœperunt, quam rem ſuo loco commodius proſequemur.

Caſimiri adventus in Pruſſiam. Circa diem divo Bartholomæo ſacrum Rex Caſimirus in Pruſſiam venit, ac Chonicium & Fridlandiam obſedit. Fridlandenſes octavo obſidionis die deditionem fecerunt, & militibus Cruciferorum libere dimiſſis præſidium Regium acceperunt. A Choinicio ob cæli intemperiem ac aſſiduos imbres, & præſertim, quod ægre ferrent Poloni, quod ibi Rex fruſtra hæreret, & interim in Pruſſia Cruciferi rem ſuam gnaviter gererent, re infecta diſceſſum fuit. Inde irruptiones in ditionem Erici Pomeraniæ Ducis factæ, & luculenta præda abducta. Revertentes Polonos & Tartaros conſecuti Pomerani, & majore vi adorti magna ſtrage profligati ſunt. Captivis Regi traditis, cætera præda militibus ceſſit. Quo facto Sophia Erici uxor, mulier præſtanti forma & libe- Sophia Erici uxor. rali ingenio, ſuavique eloquio prædita, in Regis caſtra ſupplicis habitu veniens, Regem marito ſuo placatum reddidit, feruntque Caſimirum (ut Cromerus ſcribit) formam & prudentiam ejus admiratum, pœnituiſſe aliquatenus, quod eam olim non contemnendum principatum & magnam vim auri ab avo Erico ſeniore Daniæ Rege pro dote afferentem uxorem non duxiſſet. Interim Regii quoque milites Naclenſe ter- Naclenſes. ritorium pervaſtabant, quod incolæ ad Cruciferos tranſiſſent, iisque tributum penderent, quantumvis Regi eſſent ſubjecti. Eodem tempore Alexander natus. Eliſabetha Regina Poloniæ Caſimiro genuit quartum filium Alexandrum, neque diu poſt Rex acerbum de morte Sophiæ Reginæ, matris Sophia Regis mater obit. ſuæ, nuncium accepit. Febrim ea ex melopeponibus contraxerat, & mox paralyſi accedente extincta eſt, uno & quadraginta annis, poſtquam Vladislao Regi nupſerat, exactis.

Brunſpergenſes. Die undecima menſis Septembris Brunspergenſes auxilio ruſticorum, quos eam in rem clandeſtine conduxerant, ſtipendiarios ſuos milites intra oppidum oppreſſerunt, & arcem occuparunt, tum cum præfectus illorum Joannes Scalius Bohemus & civitatis Conſules ad Regem eſſent profecti. Hujus facti cauſam prætendebant, quaſi idem Scalius cum Hollandenſibus ex compacto conſilium iniviſſet, ad Brunspergenſes noctu opprimendos & civitatem diripiendam, quibus milites ab arce ſuppetias ferre debuiſſent. Cæterum hæc res non tum primum cœpit, ſed jam antea ſtatim poſt feſtum paſchatos Epiſcopus Varmienſis ab eodem Scalio oppidum ſibi tradi poſtulaverat, utpote quod ad Epiſcopatum ſuum pertineret, & ipſe tam a Rege quam a Cruciferis Epiſcopus eſſet confirmatus. Scalius autem reſponderat, oppidum ſibi in tutelam fiduciariam a Rege commiſſum & concreditum, non ſe poſſe cuiquam ſine expreſſo conſenſu mandatoque Regis tradere. Sin Rex conſentiret, & ſibi ſtipendium & impenſæ belli reſunderentur, officio ſuo ſe ſatisfacturum. Poſtulaverat tum Epiſcopus itidem a Brunspergenſibus, ut ſe Dominum agnoſcerent, illi reſponderant, ſe in fidem Regis juraſſe, quo juramento ſi ſolverentur, imperata Epiſcopi ſe facturos. Quoniam

igitur

igitur Brunspergenſibus perquam grave erat, ut duobus Dominis inſervirent, præſertim vero quod Poloni præſidiarii (ut fieri aſſolet) multa intemperanter ac nimium licenter agerent, id demum conſilii ceperunt, quo a Polonorum inſolentia quoquo modo liberati, æquis conditionibus, quæ magis in rem ſuam eſſent, cum Epiſcopo tranſigere ſatagebant. Scalius deinde rurſus conſtituerat nocturna irruptione civitatem opprimere, & jam ex militibus ejus circiter quadraginta & ipſemet anteſignanus murum tranſcenderant, & id propere agebant, ut cæteris portam aperirent, cum cives ad arma ſubito concurrentes ad unum omnes trucidant, inter quos erant Wormbditenſis & Varmienſis præfecti, uno Scalio excepto, qui rurſus per murum omnium primus evaſerat.

Fridlandia. Die ſeptima decima Septembris Fridlandia, oppidum inferioris Pruſſiæ, per Conſulem & Plebanum Cruciferis prodita, & circiter mediam noctem Cruciferi intromiſſi, cum quibus Regii milites, qui in præſidio erant, reliquum noctis ſtrenue pugnarunt, exiſtimantes ſe cum ſolis hoſtibus rem habere, eoque facilius oppidum ſeſe cum civibus defenſuros ſperabant. Poſtquam illuxit, tam ab hoſtibus quam a civibus undique oppreſſi ad unum omnes contrucidantur. Hoc tam egregio facinore Fridlandenſes ab interfectis trecentos equos cum armis lucrifecerunt. Calendis Octobribus quingenti Cruciferorum equites Lawæ-
Rodanus interciſus. burgo & Puſco Gedanum adequitarunt, & profluentem Rodanum tribus in locis interciſum a civitate averterunt. Gedanenſes, quibus paulo ante hoſtium conſilia explorata fuerant, ſuos in armis paratos habebant, itaque mox erumpentes in ipſo ferme facto hoſtes deprehenderunt, quorum primo impetu circiter centum ſeptuaginta cæſi, centum viginti quinque equi capti, cæteri in fugam conjecti. Tertio demum die reparato aggere, fluvius ſuo alveo reſtitutus.

Schippenbuel. Eodem tempore cives oppidi Schippenbuel jam dudum a Cruciferis obſeſſi, cum neque ſuppetiæ ferrentur, nec tantas haberent copias, ut æquo Marte confligere poſſent, urgente fame hoſtibus ſeſe dedide-
Raſtemburgenſes. runt. Idem etiam fecerunt Raſtemburgenſes. Eodem tempore Brun-
Brunſpergenſes. ſpergenſes cum militibus ſuis & equitibus ex diſtrictu Heilſpergenſi collectis, cumque ruſticis Pogeſanicæ ditionis templum & oppidum Varmienſe obſederunt, quod utrumque Scalius modico præſidio defendebat. Brunſpergenſes autem Epiſcopo ſuo utrumque acquirere ſatagebant. Cæterum non diu poſt copiæ Regis & fœderatorum ex Hollandia & Wormbdito ſupervenerunt, ut obſidionem diſturbarent. Brunſpergenſes jam templum ipſum occuparant, cui Regii milites ignem injecerunt, quo Brunſpergenſium circiter centum ſexaginta ſimul cum ipſo templo concremati ſunt, & totidem ferme capti. Ruſtici vero Pogeſanienſes circiter ſexcenti, qui toto hoc bello permultum damni fœderatorum militibus dederant, ad unum omnes contrucidati.

Tumultus Gedanenſis.. Die undecima menſis Octobris Magiſtratus Gedanenſis per exploratores & alia indicia comperit, nova proditionis conſilia agitari auctore

ctore Friderico Runeccio, qui cum civibus nonnullis depactus dicebatur, ut veterem civitatem proderent, & Cruciferorum militem noctu reciperent. Continuo cives & præſidiarii omnes ad arma convocati, portas ac vias omnes occupant & communiunt, & tanquam jam depugnaturi in acie conſiſtunt. Rebus ita ſtantibus ex literis interceptis & aliis indiciis in proditores inquiritur. Hi erant Michaël Heilman ſcriba veteris civitatis, Nicolaus Weſtphalus, Petrus Francke, Caſpar Schröter, & Henningus Voius nauclerus, qui eadem veſpera in vincula conjiciuntur. Interim totam eam noctem Gedanenſes in armis pervigilant, expectantes an hoſtes eſſent adventuri, & conſilia executuri. Sed ſtatim rumor foras emanaverat, civitatem omnem in armis eſſe, quod indicio fuit hoſtibus, proditionem eſſe detectam, itaque nihil hac vice tentandum exiſtimarunt. Poſtero die quinque illi proditores publice gladio cæſi ſunt. Cæterum profecto dignum eſt admiratione, quod iſthæc civitas toto hoc bello durante, tot proditionibus & tumultibus inteſtinis tam varie tentata & divexata, absque graviori aliquo detrimento ſe toties expedire potuerit, niſi quis exiſtimare velit (& recte meo quidem judicio) malum iſtud tam frequenter incumbens, divina potius diſpoſitione, quam humanis conſiliis averſum fuiſſe.

Sub finem Octobris, Gedanenſes ſeptem ſcaphas majores & qua- Res in Viſtuordecim minores milite inſtructas Torunium & Bidgoſtiam emiſerant, ſtula geſtæ.
quæ cæteris navibus ibidem commeatu onerandis retro navigantibus præſidio eſſent. Ex quibus duæ poſtremæ, cum diutius immorarentur, a Mewenſibus & Neoburgenſibus interceptæ ſunt, quatuordecim militibus cæſis, cæteris captis. Neque ita diu poſt Gedanenſes circiter ſexaginta naves halece & aliis mercibus receptis cum præſidio quatuordecim ſcapharum Torunium emiſerunt. Hic eadem ſpes affulſit hoſtibus, ſi extremas invaderent, lucrum aliquod arripiendi. Cæterum Gedanenſes poſt principia navem anglicam ingentem milite & aliis neceſſariis bene inſtructam collocaverant, quæ totum agmen claudebat. Hanc hoſtes cum quinque ſcaphis invadunt, & primo impetu inſiliunt, Gedanenſibus haud multum repugnantibus, ſed in navem recepti & undique circumventi quadraginta cæduntur, & cæteri in flumen præcipitati piſcibus eſcam præbuerunt. Eodem tempore fœderatorum milites Leſſum Leſſum
oppidum ſcalis admotis ceperunt ac diripuerunt, inſigni præda ibidem captum.
inventa, unde Poloniæ Regem, cum tam numeroſo exercitu re infecta bis diſcedere oportuerat. Nocte ea, quæ undecimam Novembris præ-
cedit, Cruciferorum milites Strasburgum oppidum, quod Poloni Brod- Brodnicia.
niciam dicunt, proditione ceperunt, atque eodem impetu arcem etiam invadere conati, in quam præcedenti die præſidium immiſſum fuerat, quod illi ignorabant. Itaque ex arce tantus in eos impetus factus eſt, ut non ſolum repellerentur, verum etiam compluribus cæſis oppido ejicerentur, quod tamen paulo poſt receperunt.

Die tertia menſis Decembris naves Gedanenſium circiter quin- Conflictus
quaginta Torunio & Bidgoſtia cum commeatu revertentes prope Me- in Viſtula.

wam cum hoſtibus conflixerunt. Et hoſtes ibi duo propugnacula in duabus ſcaphis majoribus extruxerant, e quibus per ambitum & transcurſum pugnari poterat, eaque milite & multis ſcaphis præſidii cauſa communiverant. Hæc propugnacula in medio fluminis alveo, qua noſtratibus navigandum erat anchoris firmiter ſubnixa conſtituebantur. Gedanenſes re intellecta ad parvam quandam inſulam divertunt, ibique adverſus hoſtilem conatum, alterum propugnaculum in terra, alterum in magna quadam navi extruunt, duobus malis & velis inſtruunt, & in medio ejusdem turrim quaſi humiliorem erigunt, ex qua ſeptem vel octo homines tela & ſaxa ſuperne ejacularentur. Die ſequenti manum conſeruerunt multis utrinque cæſis, multis telorum jactu vulneratis. Ubi primus ardor deferbuit, ad colloquium deventum eſt, quo hoſtes poſtulabant, ut Gedanenſes partitionem facerent, & alteram partem omnis commeatus ipſis relinquerent, alteram tuto ſecum deportarent. Illi vero indignitate rei commoti, & cum intelligerent hoſtem a telis & pulvere non affatim inſtructum, denuo impetum faciunt, & acrius etiam, quam antea rem gerunt. Et jam haud dubie victoriam in manibus habebant, cum forte fortuito navis illa cui propugnaculum erat impoſitum, incenſo pulvere tormentario perrupta diſſiluit, cum magna hominum ſtrage & omnium terrore. Itaque dum cæteri accurrunt, dum ſociis opem ferunt, dum res ab exitio quantum poſſunt vindicant, hoſtes hac occaſione pro fortuna ſua utentes paulatim retroceſſerunt. Die deinceps octava menſis Decembris Fridericus Runeccius oppidum Stargardum ſive Starigradum noctu per proditionem cepit ac diripuit, in quo Gubernatoris Stiborii filium, qui præſidio præerat, cepit. Proditoribus nihilo magis quam cæteris parcitum fuit, bonis omnibus direptis, & oppido ferme funditus everſo ac devaſtato.

Starigradum.

Legatio ad Regem.

Legati Ordinum Pruſſiæ fœderatorum jam antea ſub finem Septembris deſignati, hoc tempore ad Caſimirum venerunt, Stiborius Bayſenius Gubernator, Nicolaus Pfeilsdorfius, Nicolaus Salendorfius, Ludovicus Mortangus Palatini & Caſtellani, Simon Holſtius Conſul, Clemens Maternus Senator Elbingenſes, Joannes a Schawen Conſul, & Arnoldus Backer Senator Gedanenſes. Hi conquerebantur, quod cum Rex tam numeroſo ſtipatus exercitu in Pruſſiam acceſſiſſet, parum tamen effectum, & præter expectationem copiæ tam ſubito nulla re præclare geſta dimiſſæ fuiſſent. Ajebant hoc ipſum ita vulgo accipi, quaſi Rex Pruſſiam non admodum curaret, itaque in hominum animis rerum omnium ferme deſperationem animadverti: præſertim, quod Pruſſorum conſilio, quo jam pridem debellari potuiſſet, neglecto, aliorum opinionibus vel privatis potius cupiditatibus nimium obſequeretur. Ideoque Pruſſi eam ſui rationem benigne haberi petebant, ut cum jam omnes fere facultates in Regis obſequium profudiſſent, vitæ ſaltem ſuæ conſuleretur. Deinde flagitabant, ut Rex copias tantas in Pruſſiam ulteriorem mitteret, quantæ ad avertendas & ſolvendas civitatum & arcium obſidiones ſufficerent: Vulgus hominum hoc ipſum vel maxime deſiderare, & inde fidem a Polonis ſibi datam experiri cupere, hactenus ſibi verba ſaltem data,

data, defenſionem ac tuitionem Pruſſiæ magnifice ſæpius promiſſam, ſed reipſa nihil frugi conſecutum: Unde quo quis ad præſtanda Regi obſequia paratior fuiſſet, eo magis nunc apud cæteros, quaſi non optime de patria ſentiret, in ſuſpicionem veniret. Hunc ſcrupulum niſi Rex animis hominum maturius eriperet, rem omnem in pejus & opinione quidem citius eſſe relapſuram, cauſamque ſibi præbitum iri de ipſo Rege & ejus Conſiliariis publice conquerendi, quod Pruſſos ſemel in fidem acceptos tam miſeris modis deceperint, ut loco defenſionis nunc eos hoſtibus prodere haud obſcure videantur, quod opibus & facultatibus in rem ſuam pridem exutos nunc etiam domeſticorum & ſociorum invidiæ atque adeo honoris & vitæ diſcrimini objectos deſerant, quod denique plurima polliciti fuiſſent, & nihil eorum præſtitiſſent. Tandem etiam arcem Mariæburgenſem in ſummo periculo conſtitutam eſſe, atque adeo leviter haberi & curari demonſtrabant, quaſi teſſeris in alea vel per ludum comparata fuiſſet, ideoque monebant accuratiorem ejus curam haberi, eo conſiderato quanti ejus redemptio conſtitiſſet & quanta hoſtibus acceſſio denuo futura eſſet, ſi ſemel in eorum poteſtatem revertiſſet.

Reſponſum Regis.

Ad ea Rex per Procancellarium reſpondit: Non absque gravi cauſa factum fuiſſe, cur exercitus Polonicus opinione Pruſſorum celerius fuerit dimiſſus, utpote qui tardius conveniſſet, & ea anni tempeſtate ob vim frigoris & pluviarum in caſtris perdurare nequiviſſet. Ac ſane paucos tum Pruſſiæ Conſiliariorum in caſtris ſibi præſto fuiſſe, quorum conſilio & ope aliud quid conſtitui potuiſſet. Nec idcirco tamen viris fortibus ſpem omnem abjiciendam, ſe quidem pro boni Principis officio Pruſſos fideles ſubditos ſuos non opibus modo, ſed impenſa etiam ſanguinis & vitæ propriæ defenſurum, eamque in rem cæterorum ſubditorum auxilio & facultatibus minime parciturum. Nunc hanc ab ipſis operam ſe viciſſim petere, hortarentur amicos & ſocios, ne quid de fide Regis dubitarent, ſed fidos ſe Regi præſtarent, ac jurisjurandi dati recordarentur: Se viciſſim ipſis in perpetuum non defuturum, quinimo fidem ſibi addictam luculenta Regiæ benignitatis munificentia abunde repenſurum. Nec poſſe ſibi non dolere, facultatibus eos hanc ob rem exhauſtos, ſperare tamen has etiam aliquando reſarciendi copiam non defuturam. Se quoque cum ſubditis & ditionibus ſuis permultum in hoc bellum impendiſſe, multa etiam adverſa pertuliſſe, hoſtium etiam latrocinia, incendia, direptiones, vaſtationes expertum. Enimvero perſiſtendum eſſe in incepto, & cætera Deo horum omnium auctori & diſpenſatori committenda, qui huic etiam bello finem optatum ſuo tempore ſit inventurus. De reliquo Legatis ipſis probe conſtare, quanti ſumptus impenſi, quantæ per hoſce annos contributiones a Polonis laudatæ, quot expeditiones in Pruſſiam factæ ſint: Regem ſperare, meliorem a Pruſſis ſe gratiam initurum, quam ut de ſe merito ſuo conqueri debeant. De quibusdam amicis & ſociis ipſorum multo juſtius conquerendum, qui neglecta fide & honore tam Regem quam ſocios prodidiſſent, & defectionibus ſuis & bellum & impenſas diutius protraxiſſent, quorum perfidiam & ipſe Deus ulturus & ipſimet Cruciferi tandem oſuri

ſint, quantumvis ad tempus iſta diſſimulentur. Cæterum decreviſſe Regem nihilominus copias aliquas in Pruſſiam mittere, quibus ſi ſuos ipſi milites conjungerent, poſſe interim obſeſſis ſuppetias ferri, donec Rex comitia ad diem Nicolai indicta cum Ordinibus Regni & Pruſſiæ peregerit, ac conſtantem belli & impenſarum rationem iniverit, qua exercitu egregio ſimul & ſemel comparato ſuprema tandem huic negotio manus feliciter imponatur. Hactenus Regem de ſuo bellum in Pruſſia geſſiſſe, multos proventus in hunc uſum ex provincia percepiſſe: nihilominus nunc etiam pro ſalute ſubditorum, qui fidem ejus ſecuti ſint, nullas impenſas, nullas difficultates, nulla pericula detrectare. In arcium etiam & civitatum præſidiis ſeſe milites induſtrios collocatos habuiſſe, quos ipſi ſocii quidam ejeciſſent ac profligaſſent, quaſi nimium illis moleſti eſſent, nunc cum hoſtem eorum loco recepiſſent, putandum ſcilicet, omni jam ipſos moleſtia liberatos. Atque hos quidem curam, operam, & impenſam Regis non eo, quo dignum erat, animo agnoviſſe. Regem autem nihilo ſegnius in Pruſſiæ defenſione perſtiturum, ac ſi quid in ſeſe forte poſſit deſiderari, eſſe ſibi ſuperſtites filios & ſucceſſores, qui vicem ejus pari conſtantia ſint expleturi. Pluribus verbis in eam ſententiam ultro citroque commutatis, cum præſertim illud urgerent Legati, ut plures aliquanto mitterentur copiæ, non ſolum quibus arces & oppida ab hoſtium impreſſione ſe tutari poſſent, ſed etiam obſeſſi liberarentur, ac ut Pruſſis arx Mariæburgenſis committeretur, ubi ſocii, ſi qui neceſſario deditionem facere cogerentur, receptum haberent. Ad extremum nihil aliud actum fuit, quam ut omnium horum plenior deliberatio ad indicta jam comitia rejiceretur. Cum aliud in præſenti obtinere Legati nequirent, rogarunt, ut Rex ſtatim finitis comitiis ad Pruſſiæ fines propius accederet, eoque commodius ex propinquo ope & conſilio ejus uti liceret. Quod ſe Rex facturum Legatis ſtipulato promiſit.

Epiſcopus Varmienſis.

Sub decurſum hujus anni in publico conventu Elbingenſi varia agebantur cum Paulo Epiſcopo Varmienſi & Brunſpergenſibus de præſentibus belli negotiis & incommodis. Hic Epiſcopus conſenſu Regis & fœderatorum jam pridem Epiſcopatum in poſſeſſionem acceperat. Nihilominus autem Cruciferorum amicitiam retinebat, imo nec prohibebat, quo minus Regii ſubditi in ejus ditionibus vi opprimerentur & variis injuriis afficerentur, quantumvis Regi fidem & obſequentiam omnem ſancte promiſiſſet. Contra Epiſcopus aſſerebat, ſe ea conditione Romani Pontificis auctoritatem ſecutum, ad Epiſcopatum veniſſe, ut eum pacifice adminiſtraret, ac neutrius partis bello vel armis implicaret, idque ſibi etiam a Rege promiſſum, ſed minime præſtitum fuiſſe, quippe quod ſtatim ab initio Regiarum copiarum præfecti civitates ejus occupaſſent, & diripuiſſent: Rex etiam arcem ejus primariam Heilſpergam a præſidiariis ambiviſſe, templum etiam Varmienſe adhuc ab ejus militibus obtineri: Atque iis rebus factum eſſe, ut ſui etiam ſubditi de defenſione & incolumitate ſua cogitaverint. Multis eam in rem verbis ultro citroque commutatis, interjectis etiam aliis actionibus, de fide Regi arctius devincienda, de captivis liberandis & rebus eorum reſtituendis, de commeatu

meatu hoſtibus non ſubvehendo, de caſtris nonnullis tradendis & præſidiis recipiendis, nihil demum effici potuit, niſi quod vix captivi per Epiſcopum ad tempus relaxarentur, cautione in diem certum ſeſe ſiſtendi ab ipſis expreſſa.

An. 1462. Eruptiones Gedanenſium.

Anni ſequentis initio, die octava menſis Januarii, Gedanenſium ducenti equites cum octoginta peditibus Pruſtum exiverunt, quoniam rumor allatus erat, hoſtes eo venturos, ut Rodani profluentis aggerem interciderent. Cum autem neminem invenirent, equites relictis peditibus, qui ſubſidium Derſavienſium præſtolabantur, Subbowicium usque procedunt, ubi hoſtes longe majori numero obvios habent, ſic, ut quanta poſſent minima jactura retrocedere cogerentur, duodetriginta equis amiſſis & duodecim equitibus captis. Interim dum inſolentius hoſtes victoriam perſequuntur, commodum ſuperveniunt Dirſchavienſes, quorum auxilio hoſtes in fugam rejecti & eorum circiter ſexaginta interfecti. Quod ſi pedites, qui Pruſti remanſerant, ſimul adeſſe potuiſſent, haud dubie nullus hoſtium evaſurus fuiſſet. Initio menſis Februarii Gedanenſium ſexaginta equites & ducenti pedites ultra Puſcum in hoſtilem agrum excurrerunt, ac inde mediocrem prædam abegerunt, tribus pagis direptis & incenſis. Poſtero mane cum Puſcum prætervelherentur, per ſinum maris congelatum Puſcenſes oppido erumpentes illos invadunt. Gedanenſes quantumvis numero inferiores nihilominus adeo ſtrenue ſe ſuaque defendebant, ut prædam integram retinerent, quadraginta peditibus amiſſis, & triginta equitibus ab hoſte captis: Contra Puſcenſes loco prædæ, quam Gedanenſibus adimere cogitaverant, ſeptem vehicula interfectis onuſta domum reportarunt.

Eruptiones aliæ.

Eodem tempore Mariæburgenſes & Elbingenſes ex territorio Wolitenſi inter Brandeburgum & Balgam omnia depopulati, prædas abegerunt, tabernas & villas ad maris ſinum poſitas omnes diripuerunt ac incendio conſumpſerunt. Et eodem tempore Torunenſes Bernardo Sonneburgio Præfecto Culmenſi quadraginta currus commeatu onuſtos interceperunt, quadraginta ſimul equitibus captis. Et alibi milites Regii non procul a Subowicio præfectum Moſſeccenſem cum duobus equitibus & quatuordecim equis curulibus, ex inſula minori ingentem prædam abducentem ex inopinato oppreſſerunt, & ſimul cum præda captivum abduxerunt.

Brodnicia.

Acriter interim obſidebatur a Cruciferis arx Strasburgum (oppidum enim jam antea tenebant) nec quidquam opis vel auxilii uſpiam apparebat. Itaque a fœderatis Ordinibus Pruſſiæ Gabriel Bayſenius Palatinus Culmenſis, Otto Machevitius, & duo Senatores Gedanenſes, Philippus Biſchoff & Joannes Meidenburgus ad Regem Cracoviam denuo miſſi, petiverunt, ut Pruſſicarum rerum majorem aliquanto curam ſuſciperet, arcemque munitiſſimam & nobiliſſimam Brodniciam, quæ jam ægre aliquot menſium obſidionem toleraret, miſſo præſidio tueretur, neve in poteſtatem hoſtium venire pateretur: permultum in una ea arce momenti

momenti esse ad retinendam Prussiam, & cæterorum animos confirmandos. Consultissime autem eum facturum esse, si quam primum in Prussiam ipse cum exercitu veniret, ac Mariæburgi domicilium caperet. Si pecunia non suppeteret, Prussos accisam (tributum cervisiarium vulgo sic appellant) ac redituum Prussiæ semissem collaturos, atque adeo facultates ipsorum & fortunas omnes in potestate Regis futuras. Sin esset remissior, videret ne ditiones amplissimas atque opulentas magno labore ac sudore, multo sanguine & maximis impendiis, de manibus cupidi & improbi hostis recuperatas, non sine summo dedecore rursus amitteret, & viros bonos in fidem receptos tetris & immanibus tyrannis proderet. Hac legatione motus Casimirus magnam partem aulici comitatus sui, & quantum mercenariorum militum statim cogere potuit, in Prussiam ad liberandam obsidione Brodniciam ad Petrum Duninum præfectum suum præmisit. Duninus vero quamvis auctus copiis, tamen nec hostem aggrediebatur, nec obsessis succurrebat, Cruciferorum scilicet vires reformidans, quasi illi ad famam advenientium e Polonia militum omnes copias Brodniciam contraxissent (nimirum omni ulteriori Prussia deserta) & hujus unius oppidi munitione sese tuerentur. Itaque obsessi cum diutius inopiam & famem ferre nequirent, tandem arcem Cruciferis dediderunt, ut paulo post suo loco dicetur.

Gedanenses cum Livonibus.

Toto hoc tempore Gedanenses, priusquam ver novum appeteret, de rebus maritimis & navali commeatu a portubus hostium arcendo, sibi mature prospiciendum existimarunt. Et proximis quidem annis pro vicina familiaritate liberam omnibus ad Rigenses & alias Livoniæ civitates, quantumvis Cruciferis subessent, navigationem amicis, concesserant, ea tamen lege, ne per hanc occasionem Cruciferis commeatus subveheretur. Quoniam autem hac in re fides promissa desiderabatur, neque mirum videri poterat, si subditi Dominos suos commeatu vel clam adjuvarent, ab hoc tempore Gedanenses Rigam, Memelam & Parnoviam Livoniæ civitates, respectu Cruciferorum pro hostibus habere cœperunt, omnibusque civitatibus tam ad mare Balticum, quam in Belgico accolentibus denunciarunt, ut ab illarum portubus & commerciis prorsus abstinerent, nisi hostilia experiri mallent, quæ res novarum deinde turbarum & simultatum cum Belgis præbuit occasionem.

Brodnicia.

Die Februarii vicesima quinta Regii milites propugnaculum ad Golubam ab hostibus constitutum occupant, septem & viginti præsidiariis captis. Octavo die post iidem milites cum aliquot cohortibus fœderatorum Prussiæ, mille videlicet peditum & mille ducentorum equitum Brodniciam profecti sunt, ut in arce obsessis suppetias ferrent. Horum duces erant Joannes Scalius & Gothardus Retzius. Supra enim dictum est, Petrum Duninum, cum adhuc ad arcem aperta essent omnia, præ metu plusquam muliebri rem aggredi noluisse. Cæterum nunc omnes viæ & aditus circumcirca ita erant occlusi & insessi, ut nulla vel virtutis vel audaciæ ratio pateret, qua inceptum suum perficerent. Quod animadvertentes obsessi, & priorem Dunini segnitiem execrantes, cum summo totius provinciæ detrimento, vitam & res suas depacti, Cruciferis arcem dediderunt.

Post

Conventus Glogoviensis.

Post Paschatos deinde festum conventus habitus fuit Glogoviæ ob hasce controversias indictus, quæ Regi Casimiro cum Cruciferis & cum Georgio Podiebracio Bohemo intercedebant. Ad quem conventum etiam ex Prussia in negotio Cruciferorum Legati mittebantur. Glogoviam advenienti Casimiro Georgius Bohemus, qui prior eo venerat, cum Vratislaviensi & Olomucensi Episcopis, & quatuor Silesiæ Ducibus splendido & ambitioso apparatu ad unum milliarium occurrit. Vicere tamen nostri (inquit Cromerus) magnificentia & multitudine in sex turmas descripti. Inter Polonum & Bohemum pleraque composita & transacta fuere. De rebus Prussicis nihil agi potuit propter absentiam Magistri, idque vel studiose, tergiversantibus Cruciferis, successu belli & receptæ Brodniciæ elatis, vel quod Commandatores e Germania & Livonia in ea temporis angustia præsto esse nequiverant, uti quidem Magister hoc ipsum causabatur, & Podiebracium literis orabat, ut conventus ob res Cruciferorum tractandas usque ad diem Jacobi proximum prorogaretur. Casimirus vero cunctationem illam sibi & Prussis maxime suspectam prorsus repudiabat.

Pusconses abigei.

Quarta die mensis Maji Puscenses ex territorio Gedanensi de improviso nemine prohibente prædas egerunt. Quod cum e voto successisset, ac interim omnis generis armenta & pecudes in vicinia non procul ab urbe in pascuis montanis, quasi tutiori loco servarentur, illi initio mensis Junii reversi eadem spe, sed non eodem successu, rem tentant. Erant omnino trecenti equites ex Laweburgensibus ut plurimum adsciti, qui ductu duorum lanionum captivorum per montana & compendiosa loca eo devenerant, ac inde jam pecora agminatim præ se agere cœperant. Gedanenses re maturius explorata milites suos emittunt, qui compendiosiori via prædatoriam istam manum circumvenientes, in locis angustis & impeditis invadunt, cædunt, fugant, ac centum & triginta equitibus interfectis, octoginta equis captis, prædam omnem recuperant.

Eruptio in Poloniam.

Die sexta decima mensis Junii Cruciferorum præsidiarii Choinicenses, Mewenses, Stargardenses & Puscenses, contractis omnibus copiis in Poloniam excurrerunt, duodeviginti pagos diripuerunt, & ingentem prædam nacti sunt, qua viritim divisa singulis bini equi & terni boves obvenerunt. Gedanenses interim de Puscensium profectione certiores facti circa diem divo Joanni sacrum trecentos equites & quadringentos pedites expediunt, cæteram manum navibus per sinum Puscensem trajiciunt, ac sic de improviso oppidum terra marique invadentes capiunt, & cum vicinis pagis ac villis diripiunt, & cum luculenta præda & multis captivis domum remeant.

Puscum direptum.

Culmensium messis.

Die vicesima nona Junii milites Regii cum Torunensibus mille, ducenti equites & quadringenti pedites Culmam excurrunt, partim ut oppidanos ad pugnam elicerent, partim ut pabulo sibi prospicerent, in quem usum trecentos messores cum falcibus secum adduxerant. Oppido igitur corona circumdato cum nemo exiret, interim messores omne frumen-

frumentum totius ejus, quam late patebat, agri refecuerunt, & ſic nulla re alia perfecta copiæ domum reverterunt.

Tumultus Nieſſowienſis.

Circa initium menſis Julii Rex Caſimirus cum copiis ſuis Torunium ſe contulit, ut e propinquo machinationes Cruciferorum accuratius proſpiceret, quorum quidem milites rem Polonicam non mediocri detrimento cotidie atterebant. Regina in arce Nieſſowienſi divertebat, oppidum autem jam antea poſtulantibus Torunenſibus in ſuperiorem ripam transtulerat, nonnullis adhuc ædificiis deſertis in priori loco remanentibus. Cæterum Bernardus Sonneburgius Culmam Cruciferorum nomine tenebat. Is noctu milites ſuos Viſtulam trajicere juſſit conquirendæ prædæ cauſa. Hi in vetera Nieſſowii ædificia delati, cum præda nulla appareret, eadem incendunt, unde ingens vicinos Polonos invaſit timor, exiſtimantes hoſtem cum omnibus copiis adeſſe. Itaque Tartari cum nonnullis ex aulico Regis comitatu primum explorandi cauſa emittuntur. Ii hoſtes ad ripam aſſecuti omnes interficiunt ac concidunt, ſex tantum beneficio naviculæ ſeſe ſervantibus.

Rodanus diſturbatur.

Die ſextadecima menſis Julii Fridericus Runeccius & Caſpar Noſticius Cruciferorum duces ad fanum Albertinum in colle quodam uno milliari a Gedano diſtanti caſtra metati ſunt, unde ſylva ibidem cæſa, arbores & truncos in profluentem Rodanum provolverunt, & aggeribus hinc inde perruptis fluminis curſum averterunt, ac paucos ibi dies commorati cum agrum longe lateque devaſtaſſent, Derſaviam tranſierunt, & oppidum obſidione cinxerunt.

Derſavienſes.

Ex altera parte ſubſidio ipſis miſerunt Mewenſes quinque ſcaphas militibus inſtructas, qui tamen tertio die receſſerunt. Cæteri etiam cum aliquoties oppidum fruſtra tentaſſent, tandem pactis cum Derſchavienſibus induciis, ut illi copiam haberent meſſis colligendæ, Stargardum conceſſerunt. Gedanenſes ægre flumen repararunt, ut ſexto demum die menſis Auguſti rivus ad priorem ſtatum ſuum reduceretur.

Frawenburgum.

Eodem tempore Magiſter Cruciferorum Brunſperga egreſſus cum militibus comitante Epiſcopo Warmiam ſive Frawenburgum, quæ diœceſi nomen dedit, obſedit per integrum menſem. Rex continuo auxiliares copias miſit per Petrum Duninum, qui tum inſtructa acie hoſti pugnandi poteſtatem fecit. Sed quoniam Magiſtri copiæ maximam partem ex agreſtibus & tyronibus conſtabant, non auſus fuit rem diſcrimini committere, ſed motis noctu caſtris diſceſſit, ſic tamen, ut in ea fuga circiter trecentos deſideraret. Caſtra capta & direpta fuerunt.

Fiſchhuſium direptum.

Dum hæc ad Varmiam geruntur, Gedanenſes inſtructis aliquot navibus & ſcaphis milites tam Germanos quam Polonos imponunt, qui in hoſticum transfretarent, & quantum poſſent hoſtibus malum inferrent. Hi circa decimam diem Auguſti in Sambiam ad Fiſchhuſium appellunt, & primo diluculo ſeptingentis armatis expoſitis oppidum hoſtibus

bus non defendentibus ſed paſſim trepidantibus capiunt ac diripiunt. Poloni, qui præ cæteris prædæ cupidiores erant, nec prætorio nec templis, quod interdictum erat, abſtinere, ſed omnia rapere, trahere, ornamenta & ſupellectilem Eccleſiaſticam diripere. Quam rem indigne ferentes Germani parum abfuit, quin ipſimet inter ſeſe manus conſererent. Quod, ne fieret, juſſerunt duces & oppidum & templum undiquaque incendi, ſic, ut milites abitum maturare, & ad naves reverti cogerentur. In reditu (quod quidam ſcribunt) una illarum navium vel diutius in hoſtico morata, vel adverſo vento adacta, Varmiam delata dicitur, ubi milites cum præda in hoſtium poteſtatem devenerunt.

Induciæ inter Reges.

Eodem tempore induciæ inter Reges Daniæ & Poloniæ denuo per arbitros delectos, Arnoldum Epiſcopum Lubecenſem, Lubecenſes & Stralſundenſes a die Bartholomæi præſentis anni usque in ſequentis anni diem eundem prorogatæ ſunt, de damnis cognitione in commodius aliquod tempus ſuſpenſa.

Excurſiones.

Die ſextadecima menſis Auguſti Fridericus Runeccius cum militibus ſuis in Poloniam excurſiones fecit, Bidgoſtienſium agris crudeliter devaſtatis & pecore omni abacto. Quod damnum ut ulciſcerentur duces Polonicarum copiarum, Joannes Scalius & Petrus Duninus pridie divi Bartholomæi adjunctis ſibi Gedanenſium & Elbingenſium militibus, Brunſpergam excurrerunt, & cum oppidum & arcem fruſtra tentaſſent, villas omnes circumcirca diripuerunt, & agrum omnem populati ſunt, magna vi pecorum & armentorum depulſa. Idem in agro oppidorum Heiligenbuel, Balgenſi & Brandenburgenſi factitarunt. Inde cum præda Elbingam verſus contendentes, cum præter Brunonis montem iter faciendum eſſet, ſubito oppidani a tergo ſunt illos adorti ſpe prædæ recuperandæ. Verum Scalius hoc ipſum metuens in noviſſimo agmine carraginem, quæ loco propugnaculi eſſet, conſtituerat, ex qua milites Brunſpergenſium inſultum fortiter ſuſtinebant, tandem etiam propulſabant, trecentis illorum cæſis & quadraginta ex primoribus civibus captis. Poſt hæc Scalius cum Regiis copiis, ſexcentis ſcilicet cataphractis, ducentis equitibus, & quadringentis peditibus Gedanum venit, & urbe transita in pago Striſenſi caſtra metatus eſt. Huc ad eum venerunt Dirſchovia milites ducenti, Gedano trecenti equites & quadringenti pedites, & quartus quisque civium Gedanenſium, qui tum ad excubias tranſcripti erant, accurrit præterea incondita multitudo agreſtium & carbonariorum, quibus hoſtes incommodaverant, ſic, ut iſthæc acceſſio ultra tria hominum millia conficeret. Hi ditiones hoſtiles circa Starigardum, Lawæburgum, Butoviam ad Puſcum usque & mare immaniter devaſtabant, ſic, ut nec hominibus, nec pecudibus, nec ædificiis parceretur, ſed omnia ferro flammaque conficerentur. Decima quarta demum Septembris die caſtra metati ſunt ad pagum Schwecinum uno milliari a cœnobio Sarnowicenſi diſtantem, & ibi carrorum munimentis agmen concluſerunt, ut ad hoſtilem impetum propulſandum eſſent inſtructiores.

Pugna ad Puſcum.

Triduo poſt Cruciferorum etiam copiæ ex proxima ſylva cum carragine & acie inſtructa proceſſerunt, nihil niſi vindictam fumantium villarum ſperantes. Et jam Regias copias lunata quaſi acie circumdabant, ac undique arbores ſuccidere juſſerant, quibus hoſtes impediti ne fugam quidem capeſſere poſſent. Duces erant Fridericus Runeccius, Caſpar Noſticius, Caſpar Wernsdorfius & Fridericus Hoheneſt. In illorum exercitu erant mille cataphracti, ſexcenti levis armaturæ equites, quadringenti pedites, & mille trecenti agricolæ, præter aliam inconditam multitudinem, quæ paſſim ex Pomerania & Caſſubia confluxerat. Milites Regii, qui jam hoſtium opinione ſemicapti erant, aditu & exitu undique præcluſo, disjectis carris ſuis aciem recta in hoſtem tendunt. Interim carraginis cuſtodiam equitum præfecto cum quadringentis civibus Gedanenſibus ac nonnullis equitibus commendant. Mox etiam hoſtes aciem explicant, adeo, ut primus conflictus eſſet acerrimus, nec utrius partis victoria futura eſſet, facile dijudicari poterat, niſi quod Cruciferorum equites paulum retrocedere videbantur. Sed illi fractis jam lanceis pugnam mox reſtituentes cominus manu ſtrenue rem gerebant. Simul etiam pedites inter ſe concurrunt, & cruentam plane pugnam edunt, nec multum aberat, quin Regii loco pulſi eſſent, niſi illud animadvertens Lucaſſus ex carragine ducentos Gedanenſes & cæteros, quos ſecum habebat, equites in tempore ſubmiſiſſet. Hi recenti irruptione in latus facta, ut hoſtes non mediocriter terrebant, ita ſuorum animos gnaviter confirmabant, adeo, ut hoſtilis acies ab ea parte jam inclinare paulatim inciperet. Et Regii milites fortunæ ſuæ deeſſe nolentes, adeo ferociter hoſtem premere cœperunt, ut ibi jam haud dubia fuga eſſet. Mox etiam in altero latere cataphracti & cæteri equites turbatis & diſſipatis ordinibus in fugam conjecti, quæ cataphractis eo gravior & difficilior erat, quod equos armatos haberent impediriores. Paſſim autem arbores in aliorum perniciem ſucciſæ corruentes in ipſos auctores reciderunt. Cadavera in univerſum in loco pugnæ reperta ſunt, ultra mille equitum, peditum ſeptingentorum, & agricolarum quadringentorum. Septuaginta equites, & inter illos aliquot cataphracti, vivi in regiorum poteſtatem pervenerunt. Fridericus Runeccius cum ducentis quinquaginta militibus, qui ejus ductum ſequebantur, ſtrenue pugnans occubuit. Cadaver Gedanenſes in cœnobio Zarnowicenſi, ſepulturæ mandarunt. Noſticius Sileſius pro ingenii vanitate ante pugnam quidem ſeſe juramento cum commilitonibus ſuis obſtrinxerat, ſeſe usque ad extremum ſpiritum loco non ceſſuros, ea lege addita, ut qui latum unguem ad fugam inclinaſſet, is Regi Poloniæ tanquam perfidum mancipium in perpetuam ſervitutem cum ignominiæ nota dederetur. Sed cum ad manum atrocius ventum fuiſſet, ipſe omnium primus fuit, qui præſidio currentis equi ſalutem expeteret. E Regiis militibus deſiderati trecenti, e Gedanenſibus plures quam ducenti, & inter hos Matthias Heine, qui ſimul cum Joanne Meideburgo Senatore Dux conſtitutus fuerat, plures etiam quam trecenti quinquaginta vulnerati, qui domum relati plerique mortem ex vulneribus contraxerunt. Hoſtium etiam caſtra direpta, & centum currus cum commeatu & variis rebus abducti.

Cruciferi victi.

Hæc

Hæc eſt illa pugna in angulo (quem vocant) Puſcenſi, ab omnibus Prussicarum rerum compilatoribus tantopere decantata, cujus rationem tamen ferme nullus explicat, quomodo cœperit vel exitum habuerit. Narrant aliqui, milites regios a Cruciferorum copiis, quæ ſeptingentorum numero illos ſuperabant, intra ſylvam adeo arcte obſeſſos fuiſſe, ut fame debellari prorſus potuerint, ipſos autem vi & ferro ſibi viam aperuiſſe, ſic ut eo die ter pugnatum dicant; ac iti ejusmodi pugnis ajunt plures ex Cruciferorum militibus cæſos fuiſſe, quam ex Polonis in pugna ad Choiniciam, cum totus Regis exercitus in fugam conjiceretur, occiderint, præter illos, qui in ſylva paſſim per corruentes arbores & inter paludes in fuga perierint. Ac omnino prædicant, Cruciferos toto hoc novennio, quo bellum hactenus continuatum fuit, nullam unquam majorem cladem accepiſſe. Verum hæc incertiora ſunt, quam ut pro veris fidem mereantur.

Cromeri pugna Puſcenſis.

Cromerus hac eadem de pugna initio libri 25. ita ſcribit: Porro Duninus hoſtibus a Frawenburga depulſis Gedanenſemque agrum populatione infeſtantibus, ipſe quoque copias eo traduxit. Neque ſatis habuit hoſtem liberioribus excurſionibus prohibere, ſociosque defendere, ſed in hoſticum progreſſus Stargardenſium, Bythovienſium, Lemburgenſium & Puſcenſium, quæ territoria non ita pridem in hoſtium poteſtatem venerant, fines ferro & igni vaſtare adortus eſt. Eſt autem Puſcenſe territorium in ſpeciem Iſthmi anguſtis faucibus junctum continenti. (ubi tamen Cromerus errat, nam Helæ territorium hunc Iſthmum conficit, Puſcum autem oppidum in interiori maris ſinu ad littus adjacet) Hoſtes ubi noſtros prædæ cupiditate longius ad iniqua loca inter ſtagna & lacus provectos animadvertere, validam & ipſi manum, deducto e proximis ſuis munitionibus præſidiario milite, agreſtibusque arma ſumere juſſis, coëgerunt, oportunitate locorum contra noſtros uſuri. Idque eo majori fecere fiducia, quod commodum Fricius Runeccius Auſtrius & Caſpar Noſtivicius Sileſius, novos milites e Germania & Sileſia ipſis adducentes advenerant. His igitur copiis coadunatis occurrere noſtris parabant, tramitesque omnes, ne qua noſtri ex anguſtiis effugere poſſent, ſucciſis quoquo verſus arboribus intercipiebant. Qua de re Duninus per exploratores factus certior, ad Regem mittit curriculo, qui eum, ut periclitantibus actutum ſubveniat, orent. Nec mora Rex Albertum Gorſcium cum reliquo comitatu ſuo ac Tartaris Litvanicis ad ſuccurrendum ſuis mittit. Id ubi Duces hoſtium compererunt, minore parte in caſtris adverſus Duninum relicta, ipſi cum majore ac delecta ripam Viſtulæ, qua Gorſcium tranſiturum eſſe exiſtimabant, inſederunt, ut eum, priusquam ſe cum Dunino conjungeret, opprimerent. Sed Gorſcius deflexo itinere alibi libere fluvium trajecit. Ubi id intellexerunt hoſtes, omiſſo Gorſcio propius ad Duninum caſtra moverunt, ut eum, priusquam ſe cum eo conjungeret, ad pugnam elicerent, aut certe in anguſtiis concluſum, excluſo Gorſcio, obſeſſum tenerent. Non ignorabat Duninus de adventu ſuorum, exploratum etiam habebat, longe majores eſſe hoſtium vires quam ſuas. Itaque non minus de auxiliariis illis, quam de ſui ex-

ercitus periculo ſollicitus, noctu hoſtes in ſe intentos fallere, ac per devias ſylvas evadere ad Gorſcium decreverat. Id ne facere poſſet, hoſtes diligenter caverant, transitu omni, quemadmodum diximus, impedito. Mutato igitur conſilio, ferro per medios hoſtes viam ſibi ad ſuos aperire ſtatuit, inſtructaque equeſtri, qua peditem contegebat, acie, in hoſtes contendit. Alacres & illi pugnam capeſſunt magna ſpe victoriæ. Et ita ſe auctore Noſtivicio invicem adjurarant ac devoverant, ut, qui de ſuis pedem retuliſſet, ſine omni tergiverſatione pro ſervo Regi ſeſe dederet. Ubi ad congreſſum ventum eſt, Paulus Jaſenius aulicus Regius ab latere inter duas acies magno impetu procurrens haſtas hoſtium in noſtras intentas avertit. Eodemque momento noſtri inopinata re perturbatos ſumma vi adoriuntur, & mox vel confractis vel abjectis haſtis, gladiis utrinque res geritur. Pugnatur acriter, audacia noſtri, hoſtes multitudine ſuperabant. Cumque totas tres horas dubio marte pugnatum, utrinque quaſi ex compoſito diſceſſum eſt. Mox recreatis paululum viribus utrique non ad pugnam, ſed ad perſequendum alteros contendunt, utrique alteros victos diſceſſiſſe rati. Occurſu mutuo inſtauratur prælium, rurſusque una hora dimicatum eſt, donec ſauciato Friccio Duce exercitus, & peditibus noſtris aſſiduo baliſtarum ictu dextra hoſtium latera ferientibus, retrocedere ſenſim ii cœperunt. Sed mox revocante & ſiſtente Friccio redintegrabatur pugna, ſi quod noſtri trepidantibus recolligendi ſeſe ſpacium dediſſent. Interim dum ciet pugnam animatque ſuos Friccius interfectus corruit. Ibi tum effuſa fit fuga hoſtium cum altero Duce Noſtivicio, jurisjurandi paulo ante dati & ab omnibus exacti immemores. Pedites deſperata longiore fuga pars in caſtra ſeſe recepere, pars ea prætergreſſi ſtagna lacusque propinquos petivere. Noſtri perſecuti fugientes magnam cædem edebant, pernicitate equorum freti. Ubi ad caſtra hoſtilia perventum eſt, ibi nonnihil difficultatis objectum erat. Etenim hoſtes ea, qua parte ſtagno non tegebantur, foſſa & ſudibus acutis foras obverſis munierant. Sed cupidis victoribus non facile quicquam obſtat. Noſtri enim prævertendos ſibi eſſe hoſtes perterritos priusquam ad caſtrorum defenſionem accurrerent rati, admotis calcaribus cœcorum in morem in ſudes objectas ruebant, confoſſisque equis nonnullis tandem contextum ſudium perfregerunt, & uno impetu caſtra ceperunt, atque diripuerunt, quindecim bombardis majoribus, ducentis curribus, armis, impedimentis & commeatu referta. Interim equites hoſtium caſtra ſua prætervecti plurimi evaſere. Ala una in locum dejectu arborum a ſe ſeptum delata, nec inveniens exitum, a noſtris conciſa eſt. Cæſa eo die hoſtium duo millia, capti ſexcenti, & major propemodum quam pro numero noſtrorum ſtrages edita. De noſtris centum gregarii milites ceciderunt. De nobilioribus tantum Hector Chodoraſius deſideratus eſt, ſed pauci reperti, qui ſaucii non eſſent. Duninus in femore & in manu vulnera accepit. Ad Puſcum hoc prælium commiſſum eſt quintodecimo calendas Octobris. Triduum poſt in iisdem ſtativis humando cæſos & ſaucios curando conſumptum eſt. Hæc Cromerus, ubi tamen Gorſcii auxilia, quæ pridem flumen tranſierant, prorſus obliviſcitur.

Eodem

Eodem tempore Cruciferorum milites cum equitibus circiter centum quinquaginta Strasburgo profecti in Maſoviam irruperunt, temerario magis quam felici auſu. Major enim pars apud Jaſenicium pagum a Polonis trucidata, cæteri capti ſuere. Culmenſes etiam præſidiarii pabulatum excurrentes prope Swezam undetriginta & duodecim equites amiſerunt. Die 25. menſis Septembris Caſimirus Gedanum miſit quingentos cataphractos equites & mille pedites, qui conjunctis Gedanenſium copiis Schonecum profecti oppida Bernam & Butoviam præter omnium expectationem oppreſſerunt, diripuerunt & incendio conſumpſerunt, una cum vicinis pagis & villis. Inde Schonecum reverſi Gedanenſes domum contenderunt, Regii autem milites agrum Stargardenſem, Mewenſem & Neoburgenſem in tranſitu omnem devaſtarunt, ac ingentem prædam retulerunt. Die 25. menſis Octobris Ulricus Zerwonca Boëmus Golubam recepit, ibique hoſtium ducentos pedites & quadraginta equos cepit, cum ingenti vi omnis generis commeatus, quem hoſtes Culmenſibus ſubvehendum deſtinaverant. Die viceſima ſeptima menſis ejusdem quinquaginta naves mercibus onuſtæ Gedano Torunium ablegatæ ſunt, quibus præſidio erant magna quædam navis, quæ binorum malorum velis agebatur, ac propugnaculo communita erat, & duodecim ſcaphæ militibus inſtructæ, quæ quidem nullo ab hoſtibus oſtentato periculo curſum tenuerunt. Obvias etiam habuerunt prope confluentem fluminis Bro & Viſtulæ ſeptuaginta naves Torunio & Bromberga demiſſas frumento & aliis mercibus, quæ deportari ſolent, onuſtæ, quæ & ipſæ citra impedimentum aliquod Gedanum appulerunt, niſi quod in itinere ſcapha una, quæ farinam & frumentum portabat, vi fluminis ſubmerſa ſuit, & alteram cum ſeptem nautis nimium immorantibus hoſtes interceperunt. Initio menſis Novembris præſidiarii Paſſenheimenſes oppidum Seeburgum ceperunt, diripuerunt ac incenderunt. Circa diem Andreæ Torunenſes & Golubenſes ſexaginta pedites & octoginta equites Culmenſium, & Grudentini octodecim pedites & duodecim equites Neoburgenſium interceperunt. Die nona Decembris Gedanenſium milites ultra Cœnobium Zarnowicium magnam vim pecorum & armentorum abſtulerunt, ac in urbem perpulerunt, & tantam quidem copiam, ut civibus ſeptem ſexagenas boum pretio venderent. Nocte inſequenti latrones quidam, incertum an ex Cruciferorum militibus fuerint, an circumvagantes ſuo marte rem perpetrarint, tabernam non procul a portu ſitam diripuerunt, & cauponem cum familia & rebus omnibus male mulctatos ac pene exanimes abducere cœperunt. Ad ejulatum & clamorem nocturnum exciti, qui in propugnaculo portus excubabant, repente occurrunt, cauponem liberant, latronibus partim in ipſo facinore cæſis, partim captis & ad ſupplicium in urbem retractis.

Variæ excurſiones.

Golubam.

Navigatio in Viſtula.

Seeburgum.

Latrocinium.

Inſtabat jam dies Domini noſtri natalitius, cum Wormbditi quidam proditores, inter quos erat unus Elbinga pridem ejectus, conſilium inierunt de oppido Epiſcopo per proditionem tradendo. Sed ea res ad notitiam Conſulis pervenit unius indicio, qui proditorum partes ſe-

Wormbditum.

quebatur, verum ex pœnitentia facti ad faniorem mentem reverſus fuerat. Conſul rebus omnibus exploratis indicium ad oppidi præfectum Saccium defert, is porro Scalium & præfectum Hollandenſem e vicinia cum copiis evocat. Illi per noctem eam ſilenti agmine profecti ſummo mane ad oppidum accedunt, & dum Epiſcopi milites per occultum aquæductus canalem interim in oppidum agminatim irreperent, tam intus quam foris lepide quaſi caſſibus comprehenſi excipiuntur, ſexaginta cæſis, ſeptuaginta peditibus & totidem equitibus, qui foris portam reſerari præſtolabantur captis, quatuor ſaltem elapſis, qui ex eo equitum numero ſalvi Epiſcopo remanſerunt.

An. 1463. Gedanenſium excurſio.

Initio ſequentis anni quinta die Januarii ſexcenti quinquaginta pedites Gedano profecti ſunt, & per Caſſubiam in agrum usque Stolpenſem populabundi excurrerunt, ac inde ſedecim ſexagenas boum præter minora pecora abegerunt, & quatuor pagos diripuerunt, idque in odium Erici Pomeraniæ Ducis, qui non ita pridem, cum in agro Puſcenſi pugnaretur, Cruciferis ſexcentos equites auxilio miſerat, ſed hi adhuc in itinere erant, cum jam hoſtes profligati fuiſſent, ac proinde quanto poterant citius in pacatum reverterant. Cæterum cum Gedanenſium milites hanc lucrati prædam domum remigrarent, hoſtes Laweburgo, Butovia, & aliis ex locis cum ingenti ruſticanorum manu paſſim conglobati, prope Stenſitium pagum, cis monaſterium Carthuſienſe, ipſos confertim adorti ſunt, quos jam de vita tuenda magis, quam pro retinenda præda ſubire certamen oportebat. Cæſi ſunt ex ipſorum peditibus circiter ducenti, centum & quinquaginta capti. Equitum primo centum quinquaginta Gedanum revertebantur, de cæteris conclamatum omnes exiſtimabant, ſed illi fuga paſſim dilapſi & per devia montium loca palantes non diu poſt, paucis ſaltem deſideratis, redierunt. Initio menſis Februarii hoſtibus par pari ferme relatum. Milites enim Stargardenſes & Kiſchowienſes non procul Gedano tres pagos inopinato diripuerunt, & circiter trecenta quinquaginta pecudum & armentorum capita in prædam abegerunt. Exinde e vicinia ruſticani & e ſylvis carbonarii exciti hoſtes jam ſecuros inſecuti, de præda recuperanda digladiari cœperunt, ſed pauciores erant, quam qui tot hoſtibus pares eſſe poſſent, & jam quadraginta ex ipſis & quidem audaciſſimus quisque conciderant, & cæteri fugam circumſpiciebant, cum præter expectationem trecenti Gedanenſium equites laborantibus ſupervenerunt. Ibi tum haud dubie fortuna converſa fuit, hoſtes in fugam acti, centum quinquaginta cæſi, & omnis præda recepta.

Hoſtibus par pari relatum.

Legatus Pontificius.

Circa finem anni ſuperioris Pontificius quidam Legatus in Poloniam venerat, Hieronymus, Cretenſis Archiepiſcopus, cujus adventus jam per integrum annum in expectatione fuerat, pacis inter Regem & Cruciferos conſtituendæ cauſa miſſus. Rex eam ob rem comitia Petricoviam indixerat, ſed ob plurimorum Senatorum abſentiam nihil hoc de negotio tractari potuit. Legatus vero vehementer apud Regem urgebat cauſam Joannis Sennenii, qui per bullas Pontificias, exploſa libera electione, contra

contra Regis voluntatem Epiſcopatum Cracovienſem obtinere volebat, ſed per Regem ejectus fuerat. Hunc, ut dignitati ſuæ reſtitueret Legatus, cum Rege diligenter agebat, aſſeverans Epiſcopatum ſemel a ſede Apoſtolica ipſi collatum invito adimi jure non poſſe. Cæterum aſſeverante Rege, malle ſe regno excidere, quam ſeſe invito illum pati Epiſcopum eſſe, Legatoque viciſſim vociferante, præſtare, ut tria regna pereant, quam jus & auctoritas Pontificis ac Eccleſiæ perturbetur, re infecta & irritatis utrinque animis diſceſſum eſt. Convenit tandem, ut alia comitia ad Calendas Majas in oppidum Breſtenſe indicerentur, interim Legatus ad Magiſtrum Ordinis profectus eſt, de conditionibus pacis cum eo tractaturus. Cum ad diem conſtitutum frequentes adeſſent tam Poloni quam Statuum Pruſſiæ Legati, ſtatim animadverſum fuit, qua ratione Nuncius Pontificius rem tractaturus eſſet. Eo enim ejus conſilia ſpectabant, ut Polonos a Pruſſis ſegregaret, hoc eſt, ut pacem inter Polonos & Cruciferos conficeret, Pruſſos autem excluderet, & ſocietate Polonorum illis adempta, ſolos Cruciferis divexandos objiceret. Id vero nulla ratione nec Poloni nec Pruſſi admittere, ſed conjunctim vel bellum denuo vel pacem eligere volebant. Itaque licet ſeorſim a Legato accerſerentur, ſimul tamen ſemper vel ad colloquia privatim, vel ad conſilia publice veniebant. Legatus interim non ſolum actionem omnem Pruſſis & Polonis communem reſpuebat, ſed palam etiam cauſæ Cruciferorum patrocinabatur, & ſubinde Pruſſis defectionem exprobrabat, ſic ut haud dubie ſpem omnem pacis per hunc verſipellem Legatum conficiendæ jam omnes abjicerent. De quo Legato & actionibus per eum contra Pruſſos inſtitutis ita ſcribit Cromerus lib. 25. Ad conſtitutam diem, hoc eſt, ad calendas Majas conventum, indeque infectis rebus diſceſſum eſt, orta inter Polonos & Legatum acerba contentione & jurgio ex hujusmodi cauſa. Veniebant Legati a civitatibus Torunenſi, Elbingenſi & Gedanenſi, eos Legatus Pontificius ingreſſu oppidi & conventu prohiberi oportere contendebat, quod eas civitates ſimulque cæteros Pruſſos, qui cum Polonis ſentiebant, ipſe ſive adeo Pontifex diris devoviſſet. Contra Poloni iniquiſſimum id eſſe præjudicium affirmabant, & ab inſtituta re alieniſſimum. Admiſſi igitur Legati fruſtra reclamante Legato Apoſtolico. Mox ille toti oppido ſacris interdixit, verum id interdictum Poloni contempſerunt, orto initio a militibus, qui per ſpeciem ſupplicationis ob rem bene geſtam a ſuis apud Heilgenbeilam, oppidumque id a Scalio captum ac direptum, facto concurſu ad templa, nolarum ſive campanarum pulſu feſtoque cantu oppidum impleverunt. Ibi vero furere Legatus, vociferari, non modo ſe, verum etiam Pontificis & ſedis Apoſtolicæ auctoritatem contemni. Nec ceſſere furori ejus Poloni, graviter in eum invecti per Oſtrorogum, quod, cum pacificatoris perſonam ſuſtineret, nihil minus quam paci ſtuderet, ſed claſſicum etiam caneret. Cujus rei clariora etiam documenta proferebantur ejus literæ ad Cruciferos a noſtris interceptæ. Ita tunc irritatis animis diſceſſum eſt. Et Legatus quidem Cracoviam, ubi controverſæ Epiſcopæ ſequeſter & adminiſtrator a Pontifice conſtitutus erat, proficiſci cupiens, cum prohiberetur a Polonis, Vratislaviam ſe contulit, indeque miſſis ad Regem

gem in Litvaniam literis queſtus eſt de Breſtenſi contumelia, in Vladislavienſem Epiſcopum potiſſimum culpam conferens. Quod ſi Rex agi de pace nihilominus a ſe vellet, extra fines Poloniæ locum conſtitueret, quo tutius adverſarii venire poſſent. Et hæc quidem oſtentans, Pruſſos & Pomeranos Vratislaviam Jubilæi gratia venientes in partes Cruciferorum pertrahere omni ratione conatus eſt, minis etiam intentatis. Quin mulieribus maritorum conſuetudine & contubernio interdixit iis, quæ maritos a fide Regi data avellere nequirent. Miſit tamen poſtea Caſimirus ad eum legatos poſtulatum, ut interdictum ſive diras, quibus Pruſſi Regias partes ſecuti, indicta cauſa, devoti erant, relaxaret, & æquiorem ſe in componenda pace præſtaret. Verum illo non niſi ad tempus, quoad de pace tractaretur, relaxare diras volente, acceptum id a Rege non eſt, nec ipſe in Poloniam deinceps venit. Hactenus Cromerus. Dum hæc in Polonia geruntur, ad easdem Calendas Maji Gedanenſes, Elbingenſes & præfecti Regii cum Cruciferis inducias pepigerunt annuas, ratione piſcaturæ in lacu Habo utrinque absque maleficio exercendæ, literis eam in rem ſolenniter confectis, ſic ut non obſtante bello piſcatio utrinque eſſet libera, non in lacu ſolum, ſed etiam littoris & riparum uſus neceſſarius omnibus relinqueretur. Et hæc quidem pacta deinceps ſingulis annis, quamdiu bellum duravit, ex æquo & bono utrinque renovata fuerunt.

Induciæ piscationis.

Chriſtiernus Daniæ Rex.

Eodem tempore Chriſtiernus Daniæ Rex novas quærebat occaſiones, quibus Gedanenſes contra priores transactiones hoſtiliter ſpecie quadam juris inſectari poſſet. Ac primum quidem veterem querelam repetebat, quaſi ſtantibus induciis Carolus Canuti, Rex profugus, ipſum & majores ſuos Gedani palam falſo criminatus eſſet, ac famoſos libellos, qui Danorum honorem fœde ſuggillarent, publice proſtituiſſet. Deinde cum iſthæc male excogitata jam ab initio frivola omnibus apparerent, ad manifeſtam vim animum adjiciebat, & per conductitios piratas Gedanenſium naves mercatorias per regnum ipſius, & præſertim per illud fretum, quod Balticum vocant, ex pacto convento ſecure tranſeuntes infeſtabat. Huic rei color iſte prætendebatur, quaſi fretum Balticum in libera navigatione fuiſſet exceptum. Ei calumniæ Gedanenſes opponebant ipſa verba conventionis, quæ ſic habebant: Ut liceret Gedanenſibus per omnes maris tractus, aquas, & flumina trium regnorum, nullo penitus excepto, libere navigare. Cæterum cum aliud verbis, aliud re ipſa agi viderent, ipſi quoque idem exemplum ſecuti, conductitios milites emittebant, qui Regis naves ac milites prædantes vel hoſti ſuppetias ferentes obſervarent ac cohiberent. Qua de re mox ad Regem a Danis querelæ delatæ, ſubinde literæ Gedanum miſſitabantur, quibus naves & res ablatæ & captivi homines repetebantur. Verum Gedanenſium milites hunc aſſueverant morem, ut, captis e medio ſublatis & navibus ſubmerſis, prædam inter ſe partirentur, & nihil harum rerum in portum Gedanenſem adducerent. Unde quoque nec res reſtitui poterant, nec ulla ſpes erat viciſſim a Danis quidquam recuperandi. Ita utrinque non quidem aperto prorſus Marte, ſed tecte hoſtilia perpetrabantur,

bantur, donec paulo poſt aliquot naves onerariæ Gedanenſium ſale onuſtæ ex Gallia revertentes, & per fretum Balticum Revaliam navigare volentes a Danicis piratis invaderentur, qui ſua jam ſpe, quod numero prævalebant, prædam devoraverant. Verum fortuna penes Gedanenſes fuit, Dani victi, & qui cæſi non fuerant, prope omnes capti, & cum navibus Gedanum miſſi palam indicium fecerunt, & extabant conductionis literæ, quod Rex adverſus Gedanenſes hoſtilia moliretur, quodque contra ſponſionem inducias aperte violaſſet. Ea res non mediocriter Danorum etiam animos commovebat, utpote qui jam perſpiciebant Regis perfidiam in caput ſuum & jacturam rerum ſuarum propediem redundaturam. Itaque Proceres & nobiles regni Danici Regem tam obſecrare quam graviter objurgare, ut pacem amplecteretur. Sane voluntas ei non deerat pro perpetuo ſuo erga Gedanenſes odio ad apertum bellum progrediendi, ſed Dani bellum gerere nolebant, & inter Suecos fluxa erat fides, utpote qui tacite Carolo Canuto favebant.

Die viceſima ſexta menſis Aprilis milites Mariæburgenſes cum civibus & multis agricolis majoris inſulæ lignatum profecti ſunt, ad reficiendum Nogati pontem, quem impetus fluminis glaciem trudentis dejecerat. Sed a Stumenſibus ex improviſo circumventi centum quinquaginta equos amiſerunt, compluribus civium & agricolarum interfectis. Triduo poſt Joannes Schalius e baſilica Varmienſi cum expedito milite egreſſus, oppidum Schippenbuel ſumma vi oppugnavit, oppidanis pertinaciter ſe defendentibus, ille ignem injecit, quo totum ferme oppidum intus conflagravit. Cives autem & præſidiarii milites intra muros & turres ſe tenentes adeo fortiter propugnarunt, ut Schalius re infecta recedere cogeretur. Die ſeptima menſis Julii milites Pucenſes in ea munitione, quam Gedanenſes in pago Pruſto erexerant, circiter centum Polonos & agricolas ceciderunt, & triginta ſeptem equos interceperunt. Et eodem tempore Cruciferorum milites auxiliantibus Brunſpergenſibus armenta & pecora Elbingenſium abegerunt, & ipſorum equilia optimis equis deſpoliarunt. Et eodem tempore Torunenſes cum regiis militibus agrum Culmenſem depopulati, frumentum omne circumcirca vel abſtulerunt vel corruperunt.

Excurſiones variæ.

Ad diem, qui divæ Margaretæ ſacer dicitur, tertio Idus Julii inſignis proditio Gedani iterum conſtituta fuit per opifices quosdam, homines temerarios & rerum novarum ſtudioſos, qui ita inter ſe convenerant, ut eo die ſub tempus illud, quo in templis miſſa celebratur, ſeditionem plebis commoverent, Senatorum & præcipuorum civium domos diriperent, omnes, qui a partibus ſuis ſtare nollent, ſine diſcrimine trucidarent, & urbem occupatam Cruciferis traderent. Atque hanc in rem jam antea non paucos Cruciferorum milites clam & paulatim, nautarum & bajulorum veſtibus tectos in urbem induxerant. Pacti etiam cum Magiſtro vel ejus præfectis, ut ſub idem tempus cum copiis prope civitatem præſto eſſent, & rem ab ipſis bene cœptam, quam optime poſſent, exequerentur. Princeps hujus proditionis erat Georgius Koch ſmegmatis coctor, homo turbulentus, audax & manu promptus. Erat inter cæteros

Proditio Gedanenſis.

cæteros ſocios quidam Burcardus Ruſſe, vir alioquin non malus, ſed multis tum pollicitationibus eam ad inſaniam illectus. Is pridie ante civitatis ſtatum, qui deinde ſubſecuturus eſſet, animo conſiderans & pœnitentia tactus, cum jam cædes, direptiones, Cruciferorum tyrannis & crudelitas ante oculos obverſarentur, quid optimum facto eſſet ſecum deliberare cœpit. Nec res ampliorem conſultationem admittebat, in craſtinum enim diem facinus erat deſtinatum. Mox ſaniori mente recepta Conſulem adit, vitæ veniam deprecatur, & proditionem omnem cum ipſis auctoribus detegit. Conſul e veſtigio, quanquam veſpera eſſet, Senatum in curiam vocat, quaſi de hoſtibus ſubita conſultatio obvenisſet. Mox etiam delecti ex civibus & opificibus publicorum conſiliorum participes vocantur, inter quos nonnulli proditorum erant. Ibi tum Burcardus producitur, & inſtitutæ proditionis ordinem denuo recenſet, & ſocios nominatim indicat. Qui inter delectos aderant, mox in cuſtodiam, cæteri ex domibus extracti adducuntur. Multi ex obſcurioribus fuga elapſi, multis etiam, quos per imprudentiam a cæteris ſeductos credibile erat, ne delictis vindicta major videri poſſet, ne manus quidem injecta. Auctores fatebantur, hoc ipſis fuiſſe conſilium, ut ex Senatu, Scabinis & civibus primores quosque circiter quinquaginta, quos in albo nominatim deſcripſerant, capitibus plecterent, ac deinde occupata curia & ærario, Cruciferis urbem proderent. Horum viginti tres paucis poſt diebus publice gladio cæſi. Milites Cruciferorum, qui mutato habitu clam in urbem irrepſerant, partim capitibus mulctati, partim aqua ſubmerſi, partim ad remos condemnati. Crantzius ſcribit, ejus proditionis plures quadringentis participes, ſexaginta tantum gladio cæſos fuiſſe. Credo, quod Cruciferorum milites deprehenſos numero civium adjecerit.

Gnevum ſive Mewa obſeſſa.

Sæpe jam antea Mewenſium facta fuit mentio, quot modis illi Gedanenſibus varia intulerint incommoda, præſertim quod Viſtulam flumen ubique redderent navigantibus infeſtum, nec ſine magna navium & militum copia ſurſum deorſum propter illorum deprædationes commeandi facultas eſſet. Horum inſolentiam & multiplices excurſiones nunc tandem compeſcere, & flumen pacatum præſtare Gedanenſes conſtituerunt. Accitis igitur Mariæburgo & Derſchavia copiis, cum Rex etiam duce Petro Dunino non contemnendam Polonorum manum ipſis in ſubſidium mitteret, militem ſuum, ductore Joanne Meidenburgo viro conſulari, paulo ante diem divo Jacobo ſacrum Mewam mittunt. Hoſtes ad pugnam exire non auſi, munitionibus & oppido ſe tenebant, ſubſidium aliquod majus a Cruciferis expectantes. Gedanenſes ſimul & Poloni, cum pugnandi copia nulla fieret, oppidum vallo, foſſa & corona cingunt, fame tandem illos domaturi. Et ita jam obſeſſum erat, ut nemini nec exeundi nec adeundi via pateret. Hæc obſidio jam in alterum menſem continuata fuerat, cum Magiſter & Cruciferi copias ſuas omnes ex Sambia & Natangia collectas expediunt, quæ Mewenſibus auxilium ferrent. Ex monte quoque Regio quadraginta quatuor naves & ſcaphæ majores in Viſtulam enavigare juſſæ. Quo comperto Gedanenſes decem naves tormentis & militibus egregie munitas obviam miſerunt. Eæ prope Principis inſulam (quam vocant) in Viſtula ſtationem ceperunt, & in prima fronte navem munitiſſimam & propugnaculo inſtructam locarunt, ut hoc pacto hoſtes, quo minus Viſtulam ingrederentur, aditu arcerent. Nec tamen provideri potuit, quin nocte aliquæ Cruciferorum ſcaphæ eo usque progrederentur, ut Gedanenſium pagum Janikendorf in Scharpovia ſitum diriperent ac incenderent. Ex altera parte Cruciferi terra ducebant ſeptingentos equites, mille quingentos pedites, Plavenio & Sonnebergio ducibus, qui prope Neoburgum trajecto fluvio Stargardum contenderunt, ibique præſidiarios Choinicenſes, Laweburgenſes & Pucenſes ſibi adjunxerunt, ut ſimul Mewenſibus ſubſidio venirent. Die duodecima Septembris Derſchaviam prætergreſſi in agro Zatkovienſi caſtra metati ſunt. Poſtero die minorem Gedanenſium inſulam irruperunt, quos cum inſulæ præfectus arcere vellet, coloni ipſummet dehortati ſunt, & Plavenium tanquam Dominum ſuum cum duobus millibus equitum & aliquot peditibus comiter exceperunt. Interim Cruciferorum naves, de quibus diximus, a Viſtula in Habum lacum receſſerant, quas Gedanenſes usque ad unum milliare ultra Elbingam ſtrenue inſequebantur. Ibi ſe conjungunt illis viginti quinque Elbingenſium ſcaphæ bene inſtructæ, & Gedanenſium ſpeculator Jacobus Vochs cum myoparone ſuo, cui paulo ante Cruciferorum claſſiarii tres ſcaphas abſtulerant, quas continuo Gedanenſes ab illis recuperaverant. Sic hoſtes eo loco ab Elbingenſium & Gedanenſium navigiis circumvallati erant, ut absque pugna diſcedendi jam omnis eſſet facultas præciſa. Die Septembris decima tertia Magiſter ex monte Regio tria navigia tecta (Smacas vulgo nuncupant) ſuis ſubſidio miſit, ſed ea per Gedanenſes profligata, & in iis ſexaginta milites capti fuerunt. Pugna navalis.

Triduo poſt 15. cal. Octobris ſummo diluculo Gedanenſes & Elbingenſes circumfuſi omnis generis tela & tormenta inſtar grandinis in hoſtem ejaculari cœperunt, quibus multi mortales perierunt. Exinde naves illorum invadunt, ibi demum cominus manu & gladiis acriter decertatur, eo quidem eventu, ut major pars hoſtium cæderetur, vel in aqua periret. Aliquot enim naves cum militibus, nautis & rebus omnibus vi tormentorum ſubmerſæ fuerunt. Sic, ut ex hoſtibus in hac navali pugna cæſi ſint ſupra mille ſeptingenti, a Gedanenſibus plures quam ducenti ſexaginta capti, inter quos erat Acilius (Etzel vulgo) Commandator Memelenſis. Ab Elbingenſibus capti ducenti quadraginta. Præfectus Balgenſis cum quinque ſcaphis & centum quinquaginta hominibus ægre evaſit, cæteri omnes vel cæſi vel capti. Reliqua etiam navigia omnia in Gedanenſium & Elbingenſium poteſtatem devenerunt, æquis partibus diviſa. De cætero etiam apparatu bellico, tormentis, armis, telis, magna copia conquiſita. Hæc eſt illa pugna navalis in lacu Habo tantopere celebrata, qua Cruciferis non multo minus damni quam in prælio Pucenſi fuit illatum. De qua certiores facti Cruciferorum milites, qui minorem inſulam invaſerant, continuo inſula relicta Stargardum ſe contulerunt. Pridie quam pugnatum fuit, Plavenius ex eadem inſula trecentos ſuorum militum ſcaphis impoſitos ſubſidio miſerat, quos coloni majoris inſulæ, poſtquam Cruciferos victos accepiſſent, omnes ferme trucidarunt, triginta ſolum exceptis, qui ægre elapſi a Dirſchavienſibus intercepti fuerunt.

fuerunt. Poſt eam pugnam Gedanenſes ad munitionem Pruſtenſem novos milites ſubmiſerunt, & loco munitionis Jutlandicæ, quam Cruciferorum milites disjecerant, ad defenſionem minoris inſulæ duas alias ex eadem materia, quam Plavenius ad ægre faciendum Gedanenſibus eo convexerat, conſtruxerunt.

Elbingenſes in Sambiam excurrunt.

Circa finem menſis Septembris Elbingenſium milites cum Schalii copiis in Sambiam navigarunt, & ibidem noctu clam expoſiti ad fanum usque divi Adalberti, quod inter oppida Lochſtedum & Fiſchuſium interjacet, ubi tum ſolennes dedicationis erant feriæ, excurrerunt, ac de improviſo magnam hominum multitudinem oppreſſerunt, compluribus cæſis, nonnullis captis, & magnam vim pecorum & omnis generis prædam abactam ad naves perduxerunt. Pene ipſum etiam Magiſtrum Ludovicum, qui ad easdem ferias venerat, interceperunt, niſi Conſul Regimontanus celeriter equum ipſi ſubminiſtraſſet, cujus velocitate tum ſalvus evaſit: currus tamen ejus cum quadrigis fuit interceptus.

Comitia Petricovienſia.

Ad diem Hedwigis, qui decimum quintum menſis Octobris occupat, Rex Caſimirus Petricoviæ Conventum egit, Pruſſicis Ordinibus ſimul eo vocatis, quibus denunciavit auxilia, quæ Poloni deinceps ad continuandum in Pruſſia bellum decreviſſent. Addidit illud etiam, quod Legatus Pontificius, de quo ſupra dictum, nova a Pontifice mandata accepiſſet de pace tractandi, atque is Internuncios ſuos eam in rem Vratislavia Petricoviam miliſſet, & denuo ſtudium ſuum obtuliſſet: quodque itidem Lubecenſes cum quibusdam aliis civitatibus tractandæ pacis negotium ſuſcipere vellent. Hac de re Pruſſici Legati ſententiam rogati, Pontificii Nuncii actiones plane repudiarunt, quoniam antea leviter admodum rem egiſſet, ac inter Regem & Magiſtrum non ſatis bona fide converſatus fuiſſet. Lubecenſes ut compoſitionem tentarent, non abnuebant, modo eas ſibi civitates adjungerent, quæ Regi non diſplicerent, & tractationes etiam ipſæ pro Regia dignitate in Pruſſia inſtituerentur.

Tractatio de pace.

Hæc actio inſequenti anno per Lubecenſes, adjunctis ſibi Roſtochienſibus, Wismarienſibus, Luneburgenſibus, & e Livonia Rigenſibus & Derptenſibus, ſummo cum ſtudio tentata fuit, conventionis loco Torunium indicto, quo tam Rex & Ordines Pruſſiæ, quam Magiſter Cruciferorum Legatos ſuos ablegarunt. Verum nihil tum effici potuit, partim quod Nuncius Pontificius interim Lubecam venerat, & actioni ſeſe immiſcere vel ingerere volebat, cum tam Pruſſis quam Polonis plurimum eſſet ſuſpectus: multo vero magis quod de conditionibus utiliter ferendis inter partes ratio non apparebat. In eo quidem conveniri poſſe videbatur, ut Poloniæ Rex Pomeraniam, Culmenſem, Michalovienſem & Elbingenſem tractum totum haberet, reliquam inferiorem Pruſſiam Cruciferis relinqueret. Verum de cæteris conveniri non poterat, nimirum ut de Mariæburgo intra viginti vel triginta proximos annos judicio, arbitrio pactove tranſigeretur, interim autem in poteſtate Regis arx ea maneret: Ut Magiſter & Cruciferi in verba Regis jurarent, ſemperque deinceps in ejus fide ac clientela eſſent: Utque Rex militibus Cruciferorum emerita undecim annorum ſtipendia exolveret. Hæc neque Polonis omnia, neque Cruciferis acceptanda videbantur. Ita hæc etiam tractatio pacis incaſſum cecidit. Quam ideo ſequenti anno exemptam ſuperioribus adjungere malui, quod tota res nullum ſortita fuit effectum: Nedum ut ea, quæ utrinque in iſthoc tractatu de cujusque jure in haſce provincias producta fuerunt, pluribus verbis hic repetenda, ſed ad priora reverti majus operæ pretium exiſtimaverim.

Hollandia oppidum.

Die viceſima quarta menſis Octobris ſummo mane Plavenius oppidum Hollandiam proditione quorundam civium occupavit, qui dum illorum præſidiarii pabulatum exiviſſent, illum intromiſerant. Cæterum Regii milites arcem & duas turres cum porta civitatis ad arcem vergente retinuerunt. Atque illi continuo Petrum Duninum in obſidione Mewenſi commorantem in auxilium accerſunt. Isque ſequenti nocte cum expeditis equitibus advolans & in arcem receptus, tanto oppidanos affecit incommodo, ut Plavenius rebus deſperatis, incenſo multis in locis opdo, cum ſuis ſeſe militibus evolveret. At milites Regii, incendio celeriter extincto, oppidum recipiunt, proditoribus capitali ſupplicio ſubjectis.

Nicolai Sengeri latrocinium.

Die tertia menſis Decembris milites Gedanenſium, qui ad pagum Pruſtum in propugnaculo excubabant, non procul ab Olivenſi monaſterio ex vagis Cruciferorum prædonibus decem equites ceperunt, duodecim trucidarunt. Hanc latrunculorum manum quidam Nicolaus Senger, cauponis Reinfeldenſis filius ferme per biennium in Gedanenſes circumduxerat, eorumque ſubditos & colonos rapina, ferro & incendio affecerat. Is cum cæteris captus & a militibus palo affixus, igne concrematus fuit.

Caſſubii.

Die duodecima menſis ejusdem agricolæ Caſſubii, quibus Cruciferorum milites permultum incommodi intulerant, agminatim conglobati pagum Lauſigum, ubi hoſtes prædam & commeatum aſſervabant, invaſerunt ac diripuerunt, & præter cæteram prædam inde abactos ſexaginta boves & trecentas oves Gedanum perductas præſenti pretio vendiderunt.

An. 1464. Mewa dedita.

Obſidio Mewenſis in annum ſequentem protracta fuit, cum tandem hoſtes de ſui deditione agere cœperunt, & ita conventum, ut ipſis calendis Januariis arcem & oppidum Joanni Coſcielecio præfecto Mariæburgenſi, nomine Regis traderent. Cruciferi, qui ibi erant, Ulricus Eiſenhovius antea Commandator Mewenſis, Heinricus Richtenbergius antea Puſcenſis præfectus, Conradus Pfirsfeld antea Commandator Gedanenſis, Stanislaus Dowenſis, Nicolaus Weiſſenbachius, Fridericus Hohenneſtus, & Stephanus Schoneichius, depacti vitam & res ſuas, in pacatum deducti fuerunt. Coſcielecius quendam Poſcarſium ſuo loco Mewenſem præfectum conſtituit. Is autem ſtatim initio, novo prorſus & inaudito exemplo, immo Scythico more, opulentiores cives ſeptendecim in vincula conjecit, quos inſimulabat, quaſi oppidum denuo Cruciferis prodere

Poſcarſii tyrannis.

dere voluiſſent, eoque colore bonis ipſorum Harpyja inhiabat, neque diu poſt aliquos illorum tormentis excarnificatos, indicta cauſa necavit, aliquos fruſtatim conciſos, ne res manifeſta fieret, vaſis compactos inde transtulit: Longe ſecus quam Pruſſiæ gubernator, & Coſcielecius, & Gedanenſes per ſolennes literas civibus ſpoponderant, adeo, ut jam multos Polonicæ tyrannidis ejus præ Cruciferorum imperio pœniteret, ac id circo oppida nonnulla, quæ jam in Regis poteſtatem exemplo Mewenſium concedere decreverant, hoc crudelitatis genere prorſus deterrerentur. Rex & proceres, re per ſummam querelam ad eos delata, factum hominis vicarii ægerrime quidem tulerunt, nihil tamen in Scytham gravius conſtitutum fuit, quam ut iſthac præfectura amoveretur, cætera crudelia facinora impune ipſi ceſſerunt.

Allenſtenum. Fridlandia. Sonneburgii defectio.

Per eosdem dies Joannes Scalius Boëmus oppidum Allenſtenum Cruciferorum ditionis ex improviſo intercepit. Et qui Fridlandiæ fuerant in præſidio milites Cruciferorum, cum ſibi ſtipendia non ſolverentur, oppido hoſtiliter direpto & incenſo diſceſſerunt. Bernardus vero Sonneburgius, quem alii minus appoſite Schoneburgium vocant, quod valde acciſas eſſe vires Cruciferorum animadvertebat, cum Rege pactus eſt, ut, quæ tunc præſidiis ſuis tenebat, deinceps quoque, quoad bellum iſtud maneret, quietus retineret, cum Regiis libera commercia haberet, cum iis vero, qui Cruciferorum eſſent partium, nihil ſibi commune eſſe duceret, bello autem finito, juſta mercede a Rege accepta, præſidia deduceret, ac munitiones, quas obtineret, Regi traderet. Obtinebat autem Culmam urbem, Brodniciam item arcem cum oppido, & Altenhuſium arcem.

Cromerus de Colberga.

Hæc Sonneburgii defectio Cruciferis in difficillimis illorum temporibus maximo accidit incommodo. Addit Cromerus, non mediocriter & illam cladem Cruciferos adflixiſſe, quam apud Colbergam Pomeraniæ oppidum accepiſſent. Erat (inquit) oppidum id in ditione Epiſcopi Caminenſis, verum detrectabant oppidani ejus imperium. Hermingus igitur Epiſcopus facta clam aliquanta manu, acceptisque a Cruciferis ſeptingentorum equitum auxiliis, noctu oppidum aggreditur, ut nec opinantes oppidanos opprimeret. Verum ii commodum a Gedanenſibus fœderatis facti certiores de conſilio Epiſcopi, receptisque in urbem auxiliaribus eorum copiis maritimo itinere transmiſſis, hoſtem ſcandere muros incipientem adorti fuerunt, & ad internecionem ceciderunt. Quam narrationis additionem penes auctoris fidem relinquo. Equidem non crediderim Cruciferos tum in domeſtica difficultate conſtitutos, ſeptingentos equites procul a domo & per mera hoſtica loca, Epiſcopo Caminenſi ſubmittere potuiſſe. Nec hac de re quicquam in publicis actis, nec in archivo Gedanenſium invenitur. Niſi fortaſſis Cromerum ratio temporis & rei geſtæ fefellit, vel quod, ut in rebus Pruſſicis ſolet, de ſuo nonnihil adjecit. Illud non inficior, quod ſtatim ſubjicit, ſic attritis Cruciferorum viribus, placuiſſe Polonis mercenario milite rem eo anno in Pruſſia gerere, præſertim quod expeditiones publicas nullo ordine, nullaque

Poloni mercenario milite utentes.

laque diſciplina militari, ſed ſumma licentia conſtantes, ſociis & amicis magis quam hoſtibus damnoſas eſſe animadverterent, quod neque Principis imperium ſatis exaudiebatur, & nihilo magis in ſociorum quam in hoſtium agris a vi & injuria temperabatur. Hoc enim omne toto hoc bello Pruſſi plus ſatis experti fuerunt, adeo quidem, ut niſi ipſimet corpora, facultates, & provinciæ vires in hoſtem convertiſſent, ipſis omnino male hiſce defenſoribus conſultum videri potuiſſet.

Conventio cum Epiſcopo Varmienſi.

Initio menſis Martii Varmienſis Epiſcopus pactis cum Pruſſiæ Ordinibus induciis, tandem ad componendam totam rem animum adjecit. Itaque paulo poſt habito Elbingæ conventu, cum Regiorum Conſiliariorum conſenſu in has conditiones itum eſt: Ut Epiſcopus perpetuo deinceps Regis partes ſequeretur: Ut ejus ſubditis ab hac die libera facultas eſſet in civitatibus Regiis commorandi & negotiandi: Utque deinceps Cruciferos & eorum auxiliares commeatu, armis, ſubſidiisve ne juvarent. Quam conventionem Rex deinde ratam habuit, ac ſolennibus literis confirmavit.

Peſtis Gedani graſſatur.

Hoc eodem tempore Gedani lues peſtilentiæ cœpit, ac per totam eam æſtatem vehementer graſſata fuit, ſic ut intra civitatis muros circiter viginti millia hominum mortem obirent. Quod propter anni centeſimi revolutionem annotatu dignum viſum eſt, ſiquidem noſtro ſeculo an. 1564. adeo graviter civitatem peſtis afflixit, ut intra muros ſaltem ultra viginti quatuor hominum millia morerentur, præter eos, qui initio, cum malum nondum appareret, in rationes relati non fuerunt.

Elbingenſes in Sambiam.

Menſe Aprili ſtatim poſt diem divo Georgio ſacrum Elbingenſes cum navibus & ſcaphis aliquot inſtructis in Sambiam prædandi cauſa trajecerunt, quibus occurrentes Lochſtetenſes & Fiſchhuſienſes commiſſo prælio male rem geſſerunt, navigiis ſuis prope omnibus demerſis: Elbingenſes vero victores in terram egreſſi magnam vim pecorum in agris nacti, cum alia præda feliciter domum remigrarunt.

Cruciferorum milites cæſi.

Eodem tempore Cruciferorum milites, qui Laweburgii, Chonicii, & Kiſchaviæ in præſidiis erant, & ipſi prædandi cauſa Tucholium usque excurrerunt, ſed non æque proſpero ſucceſſu. Nam Tucholienſes, re comperta & ſubſidio Mewenſium accerſito, aliquantam manum in inſidias locarunt, & inſequenti nocte ex improviſo hoſtem bipartito aggreſſi oppreſſerunt, ducentis cæſis & equitibus quadraginta captis.

Chriſtierni Legatio.

Eadem æſtate Chriſtiernus Rex Legatos ſuos publica fide Gedanum miſit, quibus hæc erant in mandatis data: Primum poſtulabant, ut liceret Regis ſui ſubditis in ditiones Cruciferorum tuto cum mercibus & aliis rebus ire ac regredi: quod totum in continenti denegatum fuit. Deinde conquerebantur, quod Gedanenſes Regis hoſtem, Carolum Canuti, navibus inſtruxiſſent, ac milite adjuvarent, quo magis in mare excurreret, ac Chriſtierni ditiones & ſubditos ingentibus damnis & incommodis

commodis afficeret. Ad hæc Gedanenſes reſponderunt: Carolum jam pridem ſub fide publica ſecum fuiſſe, eique ſemper liberum fuiſſe proficiſci quo vellet, ſe vero neque claſſem neque militem ipſi ſuppeditaſſe, neque tamen incognitum eſſe, ex Swecia naves aliquas ab amicis illi ſubmiſſas, aliquas etiam ipſum ſuis nummis comparaſſe, cum quibus quoquo verſus enavigaverit, ſibi non liquere, nec ipſum ſe morari, nec rationes ejus ſibi cum ſuis communes eſſe. Tertium erat, quod de prorogandis induciis agebant. Verum quoniam compertum erat, induciarum colore ſaltem incautis verba dari, ac interim quavis occaſione præbita, naves, merces ac homines violari, Gedanenſes adduci non potuerunt, ut quid amplius paciſcerentur, vel ſecuritatem Danis ſponderent. Hac ſaltem conditione diſceſſum fuit, ſi Gedanenſium naves & homines mari per Regem ſecure uterentur, ſe quoque quid officii ſui eſſet, non futuros immemores: ſin hoſtile quid paterentur, ſubditi quoque Regis eandem vicem expectarent: Utri vero partium iſthæc conditio diſpliceret, ſex ſeptimanis ante quam pacto diſcederetur, alteri bellum publice denunciaret, ac deinceps quisque fortunam ſuam experiretur. Interim dum hæc aguntur, Carolus multis e Swecia & aliunde navibus conquiſitis & milite inſtructis in Sweciam enavigavit, ab iis, qui partes ejus clam fovebant, revocatus, & duobus præliis cum Chriſtierno commiſſis, in quorum poſteriori Chriſtiernus etiam vulnus accepit, Danis inſigni clade profligatis, ipſe victor Sweciæ regnum recuperavit, unde ante annos octo fuerat ejectus.

Carolus regnum recipit.

Simon Lublaw.

Die viceſima tertia Junii Simon Lublaw, cujus opera navali Gedanenſes utebantur, cum navibus ſuis in fluvium Memelam excurrit, in cujus oſtio naves undecim offendit, quas ſuperiori anno Regimontani Gedanenſibus & Elbingenſibus ademerant, easque nemine obſiſtente (nullis enim erant militibus inſtructæ) absque labore ullo recepit. Deinde ad arcem Memelam militem admovit, ſperans eam ex inſidiis opprimi poſſe. Sic enim cum proditoribus quibusdam amicis & familiaribus ſuis, qui ibi in præſidio erant, ex compacto convenerat, ut adventi noctu portam aperirent. Sed hoc conſilium ſucceſſu caruit. Paulo enim ante moniti fuerant Memelenſes, ut rem ſuam accuratius curarent, quoniam inter ipſos proditores verſarentur. Quocirca excubiæ diligentius agebantur, & animi proditores ad factum perpetrandum deficiebant. Simon autem re infecta & navibus ſaltem poſtliminio reductis in pacatum receſſit. Paulo poſt Elbingenſes cum Scalii militibus Frawenburgo exeuntes usque ad mœnia Regii montis excurrerunt, inſigni omnis generis præda abacta, & navibus & granariis ad ipſum flumen Pregelam direptis ac incenſis, nec tantillum animi fuit Regimontanis, ut quisquam ad coërcendum hoſtem vel damnum vindicandum egrederetur.

Elbingenſium eruptio.

Neoburgum obſeſſum.

Circa finem menſis Julii milites Regii Neoburgum obſidere cœperunt, quod a Cruciferis tenebatur. Id oppidum, quoniam in ripa Viſtulæ ſitum eſt, eam habebat oportunitatem, ut fluminis trajectum liberum hoſtibus præſtaret, cæteris vero navigationem impediret. Ad hæc ager ſylveſtris

ſylveſtris abundabat materia, vallis & machinis faciendis & aliis belli uſibus apta: Placuit igitur Polonis illud quam primum adoriri, & in poteſtatem redigere. Dux illorum Thomiecius quidam erat, homo multum arrogans, ſed nullius ingenii vel conſilii. Is juſſus ſe cum Dunini copiis conjungere, quoniam non ſatis conſtabat, quantum ejus eſſet oppidi præſidium, mandato neglecto, ſolus nimirum gloriam deportaturus, Neoburgo militem admovet. Hoſtes cum Polonorum paucitatem animadverterent, continuo erumpunt, & centum circiter cæſis cæteros in fugam conjiciunt. Et major ea clades præſertim in fuga fuiſſet, niſi in ipſo temporis momento quaſi data opera Torunenſium & Gedanenſium naves, quæ tum in Viſtula excubabant, ſuperveniſſent. Harum auxilio hoſtes repulſi non etiam nullos ex ſuis deſiderarunt. Ipſe Thomiecius in iſta rerum perturbatione ad naves confugiens & in flumen prolapſus parum abfuit, quin ſubmergeretur. Quatriduo poſt Petrus Duninus collectis ex Polonis & Pruſſis ſeptingentis equitibus & duobus peditum millibus oppidum denuo obſedit, valloque & foſſa cinxit. Ludovicus Magiſter aliquantam militum manum obſeſſis ſubſidio miſit, quibus regii milites ad duo milliaria e caſtris progreſſi obviam facti, ſic, ut oppidani nihil eorum ſentirent, eosdem commiſſo prælio profligarunt. Atque hæc obſidio in annum ſequentem extracta fuit.

Obſidebant tum etiam Gedanenſes ſummo cum labore & impendio terra marique Puſcum in ſextum usque menſem, cum interim hoſtes varie multa tentaſſent, quibus vel obſeſſis ſuppetias ferrent, vel ab incepto opere Gedanenſes averterent. Tandem circa finem Septembris duces præſidiariorum ſuam ac militum ſalutem & res depacti Gedanenſibus arcem & oppidum tradiderunt.

Puſcum receptum.

Dum hæc alibi geruntur, Heinricus Plavenius, qui Pruſſimarcum tenebat, cum fortunam Cruciferis ubique minus faventem cerneret, mentionem pacis injicere cœpit, quæ tamen ipſi cordi non erat, eaque de re primum per literas, deinde etiam præſentibus verbis cum Gubernatore egit, ac omnis generis conditiones in medium attulit, quibus pax quam conſtantiſſime confici poſſe videretur. Interim vero quod in pacis tractatione non facile animadverſum iri exiſtimabat, ternas ſimul & ſemel inſidias ad capiendas totidem civitates egregie & artificioſe inſtruxit. Sed eæ artes (quoniam non eſt conſilium adverſus Dominum) nequaquam homini verſipelli profecerunt. Primum enim inſtructa jam antea Torunii proditione cum mille armatis noctu ad urbem acceſſit, ſecundum flumen, qua parte averſi ab hoſtibus ſecuriores erant oppidani atque vigiles, jamque præteritis piſcatorum ſuburbanis domiciliis & antemuralibus ſuperatis, taciti ſcalas mœnibus admovebant hoſtes, cum a vigilibus illuceſcente jam aurora animadverſi & ſtrepitu clamoreque tumultuantium & concurſantium deterriti, relictis ſcalis cœpto irrito raptim ſe recepere, veriti ne loci iniquitate & eruptione civium opprimerentur. Eodem ſtratagemate ſuburbium Elbingenſe prope cepiſſent, niſi forte fortuna ancilla, quæ ex agro veniens urbem ingrediebatur, animad-

Plavenii molitiones.

Torunium.

Elbinga.

animadverſis hoſtibus repagulum, quod ante portam erat, ſubito occlu-
Dirſchavia. ſiſſet. Sic etiam Dirſchaviæ muro jam ſcalas admoverant, ſed ab excubitoribus repulſi, re infecta diſceſſerunt.

Dirſchavienſium cladeſ. Initio menſis Decembris cum mediocris navium multitudo adverſo Viſtula Gedano Torunium navigaret, & jam Dirſchaviam præterirent, re per exploratores cognita milites Cruciferorum Stargardenſes ſcaphis aliquot in currus impoſitis ad ripam contendebant, ea ſpe ſe navibus illis incommodum illaturos, & prædam aliquam luculentam reportaturos. Id volentes prævenire Dirſchavienſes, priusquam illi ſcaphas ſuas in flumen expedire poterant, agminatim ex oppido eruperunt. Sed quod pauci eſſent præ hoſtium multitudine, fuſi fugatique inſignem acceperunt cladem, ac tantam quidem, quantam toto belli tempore nullam, multis civium & ſociorum cæſis, multis captis, & equis ferme omnibus amiſſis: Gedanenſibus interim, qui rerum harum omnium erant ignari, flumen ſecure navigantibus.

An. 1465. Neoburgenſis obſidio. Cum Neoburgenſis obſidio præter expectationem in ſequentem hunc annum protracta fuiſſet, ægre moram hanc ferebant Poloni, quod ibi fruſtra aſſidentes tempus tererent, nec quidquam ex ſententia ſuccederet: præſertim, quod ex oppido continuis cum diurnis tum nocturnis excurſionibus & frequenti ignis ejaculatione divexarentur. Accedebat aliud quamvis non magni momenti incommodum, quod non ita pridem præfecto militum Thomiecio quinquaginta equites bene inſtructi Gedano miſſi, ſed in itinere ab hoſtibus Stargardenſibus omnes vel cæſi vel capti fuerant. Itaque Thomiecius ad ſolvendam obſidionem percupientibus id militibus Regiis prorſus animum adjecerat. Quem Gedanenſes, quibus explorato compertum erat, oppidanos fame laborare, & neceſſitate urgente ſæpius erumpere, multis precibus illo a propoſito dehortabantur, quod brevi oppidanos in deditionem neceſſario venturos perſuaderent, ac inſuper ducentos milites in ſubſidium domo ſubmitterent. Interim Caſpar Noſticius laturus obſeſſis opem, ſexcentos equites & quadringentos pedites mercenarios e finitimis Poloniæ & Pomeraniæ locis conducebat, exiguo ſaltem ære auctoratos, Chonicii vero luculentum ſtipendium ipſis ſe numeraturum pollicebatur. Eorum non paucos hyemis aſperitas partim confecit in itinere, partim debilitatos ſubſiſtere coëgit, reliqui vero cum perveniſſent Chonicium, nec ipſis numeraretur promiſſum ſtipendium, paſſim dilapſi ſunt. Qua re cognita, obſeſſi, cum nullam auxilii ſpem præ manu viderent, tandem Calendis Februariis Magiſtro nequicquam deprecante & auxilium affatim pollicente, fame duro neceſſitatis telo magis ac magis compellente, Regiis præfectis oppidum dediderunt, & libere cum armis & rebus omnibus abire permiſſi quo vellent, quinquaginta tribus curribus res ſuas aſportarunt. Hanc deditionem Magiſter Cruciferorum ægerrime ferens, præſertim quod Gedanenſes Polonorum abitionem, quam indies ſperaverat, ſuo conſilio diſcuſiſſent, omnem quam circum ſe habebat manum octingentorum equitum & quadringentorum peditum, ducibus Heinrico Plavenio & Georgio Lovenſi in

Neoburgum deditum.

Cruciferorum eruptio in territoria Gedanenſium.

in minorem inſulam, civitatis Gedanenſis territorium, emiſit, qui acerbe igni & ferro infeſtabant omnia, complures villas diripiebant, ac prædando usque ad ſuburbium Gedanenſe, quod longos hortos nuncupant, progreſſi, ac inde celeriter repedantes, cum plus terroris quam damni intuliſſent, cum omni præda, quæ pro eorum numero haud erat multa, Stargardum concedebant, ad quod obſidendum Regias copias propediem acceſſuras intellexerant.

Tractatio de pace. Circa feſtum paſchatos Cruciferi ad Gubernatorem Pruſſiæ Stiborium miſſis literis conventum utrinque petiverunt, quo de pace tractaretur. Quam rem ſibi non diſplicere Gubernator ſignificans, conventionis locum Neringam inſulam Gedanenſis territorii deſignavit, ac Cruciferis fide publica ſatis proſpexit. Ubi tribus vicibus conventum fuit, ac tentatum, ſi quo pacto ex diuturni belli difficultatibus ad quietum aliquem ſtatum perveniri poſſet. Gubernator ex conſenſu fœderatorum hanc conditionem pro rerum præſenti ſtatu non inutilem fore cenſebat, ſi Cruciferis in Pruſſia manendi copia eſſet, æque ut in Germania & alibi poſſeſſiones ſuas habent, & in Ordinem ſuum nobiles indigenas reciperent, ea potiſſimum ratione, ut eorum, qui vita migrarent, facultates extra provinciam hæredibus extraneis ne tribuerentur, ut antea plerumque factitatum fuerat: deinde ſi Cruciferi Poloniæ Regis clientelam agnoſcerent, & in ejus verba jurarent, quo pacto facile Pruſſiæ partem retinere poſſent. Cruciferi contra, id ſe ſalvo honore ſuo facere non poſſe cenſebant, quandoquidem alii eſſent ſui Ordinis auctores & Patroni præter Poloniæ Regem, nec ſibi integrum eſſe quidquam ex Ordinis inſtitutis absque conſenſu Provincialium Germaniæ & Livoniæ Magiſtrorum immutare. Itaque ſaltem inducias annuas petebant, ut interim his de rebus maturius conſilium caperetur. Inducias dari non placuit, cum ſatis appareret, eas ad protrahendum potius bellum quam pacem optandam prætendi. Et quanquam nonnihil in colloquio motum fuerat de Pruſſia dividenda, & quæ ditiones Poloniæ Regi, quæ Cruciferis cedere deberent, nihil tamen certi conveniri potuit, ſed re prorſus infecta fuit diſceſſum.

Elbingenſium præda. Paulo ante diem Divo Joanni Baptiſtæ ſacrum Elbingenſes ingentem prædam ex agro oppidi Heiligenbuel abegerant, quibus domum revertentibus Brunſpergenſes tranſitum denegabant. Quanquam enim Epiſcopus illorum cum Rege pacem coiverat, cum Cruciferis tamen itidem amice ſentiebant. Elbingenſes ditionem Brunſpergenſem longiori itinere circumire coacti, interim ab hoſtibus, quibus prædam abſtulerant, majori manu oppreſſi & prædam amiſerunt, & non paucos ex ſuis partim cæſis partim captis deſiderarunt. Hanc rem admodum ægre ferentes haud diu poſt adjunctis ſibi Hollandiæ & Varmiæ præſidiariis equitibus ac peditibus noctu egreſſi Brunſpergam accedunt, peditibus in inſidiis locatis. Mane cum apertis portis oppidani armenta & pecudes in paſcua emitterent, pedites extemplo proſiliunt & prædam capiunt. In oppido conclamatur ad arma, mox cives erumpentes prædam inſequuntur.

quuntur. Ibi tum ab equitibus circumventi circiter triginta cæduntur, cæteris ad oppidum refugientibus. Et hanc Brunſpergenſes denegati tranſitus mulctam luerunt.

Stargardenſium ſtratagema.

Die ſecunda menſis Julii Stargardenſes milites Derſchaviam novo inſidiarum genere prope ex improviſo oppreſſiſſent, niſi fraus ſucceſſu caruiſſet. Præmiſerant enim non paucos ex ſuis habitu muliebri paganico indutos, & circum faciem ac barbam peplis velatos, qui fraga terreſtria & alia id genus oppidanis venum adferrent. Venibant autem ex intervallo bini, terni, quaterni, diverſis itineribus, quo minus rem ſuſpectam facerent. Ex compoſito autem in ponte ſublicio ante portam conſidebant omnes, eo conſilio, ut quam primum cæteri, qui tacito agmine ſubſequebantur, in conſpectum venirent, ipſimet ponte jam occupato portam etiam apertam ſuis præberent. Cæterum forte fortuna uni illorum, dum fraga venderet, peplum decidit, ibi viro ex barba agnito ſtatim fit civium concurſus, & cæteri etiam nudati, proditione animadverſa ad unum omnes trucidantur, pons deinde ſubductus, porta clauſa & in muro excubiæ diſpoſitæ. Hoſtes mox advolantes cum rem proditam viderent, depopulatis ſuburbanis re infecta indignabundi receſſerunt.

Excurſiones.

Die viceſima tertia menſis Julii Cruciferorum præſidiarii, qui Mariæ Inſulam & Stumam tenebant, Torunenſium ſex naves majores omnis generis mercibus, & alias duas bobus & ovibus onuſtas, quæ ſecundo flumine Gedanum petebant, in Viſtula interceperunt. Cum eodem tempore non pauci Gedanenſium mercatores, qui ex nundinis Posnanienſibus domum repetebant, ab hoſtibus capti & abducti fuiſſent. Triduo poſt, Regii milites Mariæburgo, Dirſchavia, Mewa & Neoburgo, equites terra, pedites navigiis ad Mariæ inſulam advolarunt, ſpe prædæ recuperandæ, ſed tardior quam ex re fuit adventus, binas enim naves repererunt nondum exoneratas, ex quibus tamen merces pretioſiores jam ablatæ erant, has recuperarunt, & cæteras vacuas ſecum abduxerunt. Triceſima die menſis ejusdem milites Stargardenſes denuo Dirſchaviam excurrerunt fortunam periclitaturi, quorum adventum cum mature comperiſſent Dirſchavienſes, continuo armati primo hoſtium agmini occurrunt, hoſtes paulum obſiſtentes cum numero eſſent inferiores, capta fuga inſequentes ad locum inſidiarum, ubi majores copiæ conſtiterant pertrahere conabantur. Sed Dirſchavienſes ulterius hoſtem perſequi nolebant, ſatis actum exiſtimantes, quod eum ab oppido removiſſent. Itaque ad locum ſuum reverſi cum ante portam armati toto die ſtetiſſent usque ad veſperam, nec amplius hoſtis quisquam compareret, armis depoſitis eodem loco in propatulo ſibi cœnam inſtrui curant. Inter cœnandum cum hoſtes ex improviſo ſuperveniſſent, raptim in oppidum confugiunt, uno ſaltem occiſo, & viginti quatuor civibus ac militibus captis, armis autem omnibus hoſti relictis. Eodem die milites circiter ſexaginta ex Mewenſi præſidio profecti monaſterium Carthuſianum & cœnobium monialium Zarnowicenſe diripuerunt, templa omnibus ornamentis ſpoliarunt, & luculentam ex agris prædam abegerunt. Utrumque monaſterium ab omni iſthac injuria facile Gedanenſes defendere poterant, niſi monachi & moniales Cruciferorum patrocinium, quam partes regias ſequi maluiſſent.

Dirſchavienſes.

Initio menſis Auguſti Cruciferorum milites Stargardenſes, adjunctis ſibi vicinis præſidiis in ditiones Stolpenſium Pomeranorum Ducis Heinrici, qui tum Regis partes ſequebatur, impreſſionem fecerunt, & paſſim agros depopulati ſunt. Dux autem, quod iidem hoſtes paulo ante Colbergam tentaſſent, ſed fruſtra, in omnem eventum a copiis mediocriter paratus erat, quas adjuncta ruſticanorum manu emiſit. Hi hoſtem præda onuſtum & jam ſecurius revertentem prope Slagam oppidum nacti ex improviſo oppreſſerunt, & omnes ferme prædones conciderunt, octoginta equitibus captis & mox in flumine ſubmerſis, ſic ut de trecentis hoſtium (tot enim in univerſum fuerant) ſeptem modo ſalvi evaderent. Stargardenſes cæſi.

Die undecima menſis Auguſti Cruciferorum milites Stargardenſes novo ſtratagemate Mewam medio pene die occupaſſent. Egreſſi fuerant e præſidio milites Mewenſes ad duo vel tria milliaria comportandi ex agris commeatus cauſa, & per aratores, quos damno ſæpius affecerant, vindictæ cupidos, Stargardenſibus, qui in confinio latitabant, proditi, intercluſo ad oppidum & arcem reditu, omnes vel capti vel interfecti fuerunt. Stargardenſes, cum e captivis & aratoribus didiciſſent, arcem præſidio ferme vacuam eſſe, poſtridie eam oppugnarunt, cepiſſentque, niſi Martinus Brzenius nobilis Boruſſus peditum ductor cum paucis eam ſtrenue defendiſſet. Is cives juſſit ſaxa, quibus viæ publicæ ſtratæ erant, ſolo eximere & in arcem comportare, quibus loco telorum uſi hoſtem ſuperne propulſantes, impetum omnem in quartum usque diem ſortiter ſuſtinuerunt, donec Gedano & Mariæburgo auxilia ſubmitterentur, quibus non expectatis, & ſuburbanis direptis & incenſis, hoſtes ad ſua remigrarunt. Mewa periclitatur.

Cum igitur ad hunc modum e Stargardo illi, qui regiarum erant partium, in Pomerania toties & tam varie infeſtarentur, eo duxit exercitum Jaſenius juſſu regio, quadringentos nimirum equites, & trecentos pedites, quibus ſe paulo poſt Gedanenſium copiæ & ruſticani complures cum ſecuribus, ligonibus, hamis & dolabris adjunxerunt. Hi ex una parte ductis foſſis & excitatis turribus & propugnaculis ad oppidum aſſederunt, ſic ut nihilominus obſeſſis ab altera parte liber exitus & reditus pateret. Qua occaſione oppidani novum ſtratagema tentarunt. Sexaginta enim equites ſummo mane clam egreſſi, & poſt meridiem Polonorum ſpecie, habitu & ſignis aſſimulatis, reverſi, ad alteram muri partem minitabundi tanquam & ipſi hoſtes eſſent, acceſſerunt, contraque oppidani ex compoſito erumpentes quaſi in hoſtes impetum fecerunt. Duces Regiarum copiarum Jaſenius, Schortzius & Schrankius forte tunc obequitantes rem conſpicati, mittunt ad illos, quos ſuorum ſpeciem & ſigna præ ſe ferre videbant, ſciſcitatum quinam eſſent; reſpondent illi, Stargardum obſeſſum. Stratagema.

illi, ſeſe Derſavienſes eſſe, & ex hoſtico reverti. Duces id verum credentes gratulabundi ad eos procurrunt, comprehenſique cum paucis comitibus in oppidum ducuntur. Qui tam ægre eam injuriam & ignomiam ferebant, ut ſinguli cum ternis illorum proditorum duello decertare cuperent. Sed jacta jam erat alea, & Stargardenſes virtutem & dolum adverſus hoſtem pari lance penſantes, illos Choinicium majoris cuſtodiæ cauſa miſerunt.

Tumultus Regimontanus.

Eodem tempore per Heinricum Plavenium in monte Regio tumultus fuit excitatus ea de cauſa, quod nobilitas & cives gravis ac diuturni belli peroſi, non ſolum ſumptus deinceps in bellum conferre detrectarent, ſed etiam Cruciferos tolerabiles pacis conditiones reſpuere opinantes, niſi alio modo res gereretur, ſemet ſibi conſulturos ſignificarent. Id quod Plavenius ad defectionis propoſitum referebat. Itaque morem Ordinis ſui ſecutus ſeptuaginta cives, & viginti ſex nobiles, quos maxime adverſari Cruciferorum voluntati cognoverat, in arcem evocatos comprehendi, & ſex primarios interfici juſſit, cæteros per præſidia diſtribuit aſſervandos, donec ære prægrandi ſe redimerent, quidam etiam inedia & ſqualore in carceribus perirent.

Stargardum.

Interim tota ferme belli moles ad Stargardum deſidebat, Regiis copiis, ut antea memoratum eſt, oppidum id obſidentibus, hoſtibus vero gnaviter & impigre defendentibus, ita ut anguſtiore prope annona obſidentes quam obſeſſi uterentur, propterea quod e vicinis agris neque frumentari neque pabulari copiæ regiæ poterant, omni frumento & pabulo cum re pecuaria tempeſtive in oppida e remotioribus quoque locis coacto & comportato. Excipiebantur autem ab hoſtibus, qui circumjacentia oppida, nimirum Choinicium, Fridlandiam, Hamerſtenum, Butoviam, Laweburgum, Oſiecum, Keiſſoviam tenebant. Quo factum eſt, ut dux exercitus Regii cum non exiguo expeditorum militum numero comparandi commeatus cauſa Derſaviam usque proficiſci neceſſum haberet. Id ubi obſeſſi a transfuga quodam Gedanenſi cognoviſſent, eruptione facta, caſtra ſemivacua oppugnarunt, ſed ea regii milites egregie defenderunt, ſic ut illos multitudine longe ſuperantes, quater vallo ac turribus ligneis magno cum impetu ſuccedentes vix tandem permultis amiſſis, longe pluribus ſauciatis, in oppidum ſe recipere cogerent. Nihilominus tamen infeſtabant illi deinceps quoque vias, & ne quid rerum venalium in caſtra Polonica importaretur, prohibebant, & ſæpe inter occurſantes ſibi mutuo particularia certamina committebantur: Quin cum bruma quoque ac intemperie cœli hyberni obſidentibus confligendum fuit. Sed vicit omnem eam difficultatem animorum conſtantia, ne ab obſidione diſcederent, quæ quidem hoc modo in ſequentem usque æſtatem perduravit, finem bello tandem impoſitura.

Tempeſtas atrox.

Die ſextadecima & ſequenti menſis Novembris Gedani & in finitimis locis tanta fuit aëris & ventorum tempeſtas, quantam nullius hominis memoria tum recordabatur. Porta ſuburbana, quæ ad minorem inſulam

inſulam vergit, firmiſſimo trabium & ſaxorum opere conſtructa, uno impetu quaſi e fundamento everſa, permultum damni vicinis inferebat, turres templorum & altiora domorum faſtigia horrendo cum fragore decidebant, naves in Viſtula & Motla ſtantes omnes confractæ & ſubmerſæ, aqua vero continuo flatu venti Borealis in tantum excreverat, ut aggerem & munitionem ſuburbii longorum hortorum usque ad templum Divæ Barbaræ demoliretur, & Viſtula tribus in locis aggerem ſuum exſuperaret, eaque illuvie magnam agris & hominibus calamitatem inferret, ac horti longi in utroque latere diu mero diluvio, quaſi ſtagno, circumdarentur.

Cruciferorum irruptio in Maſoviam.

Eodem tempore Cruciferorum milites, qui Warteburgi & vicinis locis in præſidio erant, coadunati in Maſoviam ex improviſo irrumpentes, hominibus ibi plane ſecuris, & jamjam debellatum exiſtimantibus, majorem, quam credi poſſit, prædam abegerunt. Verum cum domum remearent, regii milites Paſſenheimenſes, qui ſemper illos diligenter obſervabant, ſubito oppreſſis & in fugam conjectis prædam omnem eripuerunt, quadraginta inſuper equitibus interceptis.

Stargardenſium eruptio.

Die decima ſexta menſis Decembris Stargardenſes obſeſſi denuo tribus agminibus oppido erumpentes Regia caſtra ſponte oppugnarunt, ſcalis & tormentis eam in rem affatim undique conquiſitis. Ubi quidem milites tantam, quantam antea nusquam impreſſionem experti ſunt. Certatum utrinque fuit ſummis viribus, & animorum obſtinata pertinacia a meridie usque in ſeram noctem pugnatum, tantaque fuit regiorum militum fortitudo, ut tandem hoſtes propellerent, ac omnem oppugnationis apparatum profligatis adimerent, trecentis inſuper illorum trucidatis. Illud tum accidit memorabile, quod cum in caſtris Regiis tredecim vexilliferi cæſi ſint, nullum tamen vexillum capi potuerit.

An. 1466. Epiſcopus Varmienſis.

Initio ſequentis anni cum Epiſcopus Varmienſis animadverteret, res Cruciferorum vehementer acciſas in dies in deterius prolabi, & tandem converſa fortuna peſſum ituras, arctiori fœderis vinculo ſe ditionesque ſuas cum Rege conjunxit, ac regiis militibus oppida Paſſenheimium, Nideburgum & Wormbditum reſignavit, quæ durante bello tenerent, & inde quantum poſſent hoſtibus incommodarent.

Livonienſium clades.

Ejusdem anni menſe Januario Livonienſes ſeptingentos equites pariter & pedites Cruciferis Pruſſicis auxilio miſerunt, qui, cum Samogithiam attigiſſent, nec progredi per ſylvas poſſent, impedita per Samogithas, qui hoc jam antea per exploratores cognoverant, dejectione arborum locis oportunis via, verſus mare iter inſtituerunt. Quod Samogithæ eventurum cum providiſſent, foveas prælatas jam antea in ea parte foderant, ſarmentisque contexerant. In eas igitur Livones, inedia, frigore & pavore urgentibus, imprudentes præcipitati contrucidantur, pauci cum ex inſidiis in lacum quendam evaſiſſent, rupta fragili glacie nihilominus perierunt. Duo tantum ex omni numero vivi ſervati, e quibus

bus cognitum eſt, quadraginta naves refertas militibus & commeatu e Livonia in Pruſſiam navigantes, priusquam hyems ingrueret, vi ventorum ad Curoviæ littus illiſas naufragio periiſſe. Accidit hæc clades die Januarii viceſima quinta.

Proditio ad Stargardum.

Menſe Februario Cruciferorum equites quadringenti & pedites trecenti auxilio miſſi ſunt Stargardenſibus obſeſſis, & ii cum proditoribus quibusdam intra Regia caſtra verſantibus ex compacto convenerant, ut illi excubias intempeſta nocte trucidarent, & hoſtes caſtris immitterent, Stargardenſes etiam tum ſimul erumperent, & ſic ab omni parte caſtra opprimerentur. Sed res palam facta fuit, priusquam aliquid moveretur, proditores capti & ſupplicio affecti, & excubiæ majori cura conſtitutæ. Cruciferi cum infecta re diſcedere cogerentur, totam irarum molem in Fridlandenſes effuderunt, oppido repente capto, direpto & incenſo, & hoc opere edito in Regium montem remearunt.

Legatio ad Regem.

Circa finem Februarii Legati Pruſſiæ terrarum & civitatum domo profecti Caſimirum Petricoviæ conveniunt, & mandata ſua exponunt, quæ capitibus hiſce fere continebantur: Primum, ut Rex bellum alio modo majorique ſedulitate, quam hactenus factitatum erat, gereret. Nam ſi ita pergatur, ut nunc fit, fruſtra per Regem magnas opes impendi, & Pruſſos ipſos nullo cum fructu ſuo facultatibus omnibus exhauriri. Ideoque Rex ipſemet hoc anno in Pruſſiam veniret ad minimum cum ſeptem millibus equitum, ſic enim hoſtibus eum metum incuſſum iri, quo magis de ſuis defendendis, quam aliis oppugnandis cogitare cogerentur, & fortaſſis hoc ipſo anno debellari poſſe. Deinde rogabant, ut, quæ Rex ad Pruſſorum Legationes & poſtulata promitteret, non verbis ſolum in ſpeciem dicerentur, ſed ipſo etiam facto præſtarentur. Jam enim ſe a Pruſſiæ Statibus, a quibus ablegarentur, quaſi ludibrio haberi, quod multa magnifica verbis Regiis ad ipſos referrent, quorum ipſa re nihil conſequeretur. Tertio de Mariæburgo & aliis arcibus paulo acrius expoſtulabant, quod illæ Bohemis, Polonis & aliis extraneis mercenariis committerentur, Pruſſi, quibus non ſolum omnes eas arces, ſed totam provinciam acceptam merito referri oportebat, ubique excluderentur. Hoc enim pacto vel Pruſſis a Rege dignitates & officia invideri, ſecus ac literis & ſponſione Regia ſancte cautum ſit, vel fidem ipſis non haberi, & in extraneos mercenarios majorem, quam in fideles ſubditos, fiduciam conferri. Minore etiam impendio arces a Pruſſis ſervari poſſe, quam ab extraneis, quorum inſatiabili avaritiæ explendæ neque ærarium, neque ſuæ facultates ſufficiant. Arces enim ipſas ita communiter haberi, ut præfecti proventus omnes raperent, tecta vero, muri, pontes, ædificia, neque ſarta neque tecta præſtarent, muri procumberent, ædificia ventis & imbribus paterent, pontes ne ligneis quidem munimentis recte fulcirentur, nedum ut opere lapideo quidquam reficeretur, agrorum vero & aggerum ac riparum reparatio prorſus negligeretur: Receptum jam eſſe inter vulgus hominum ſermonem, Regem Pruſſis jam nunc, dum durante bello opera ipſorum neceſſario uti cogeretur, fidem nullam

nullam habere, extraneos præferri, alienis conſiliis, non domeſticis, rem Pruſſicam geri & adminiſtrari, unde conjectari liceat, quid demum bello feliciter confecto futurum fuerit. Quarto impenſius petebant ac urgebant jura & privilegia ſua ſibi conſervari & juſtitiam adminiſtrari. Seſe neminem in his terris Dominum niſi ſolum Regem agnoſcere, nunc plures ſe pro Regibus gerere, multos alios ſibi dominatum arrogare, arcium præfectos Bohemos & Polonos Duces mercenarios pro imperio captivos homines ducere, cives opprimere, miſeros agricolas ad varia operarum & exactionum ſervitia adigere, hoſpites in alieno dominari: Conſiliarios domeſticos & indigenas negligi, immo contemptui haberi: ſe depellendæ cauſa ſervitutis internum dominatum abjeciſſe, quam grave ſit ac acerbum extraneos dominos ſufferre, neminem non intelligere. Hæc ferme Legati pro mandatis tum expoſuerunt. Quibus Cromerus illud addit, quanquam is hæc ipſa, quæ dixerant, ſicco quaſi pede tranſit, & oſcitanter ſaltem, quæ ſibi placent, commemorat: Legatos hæc voce & geſtu aſperiori exaggerantes addidiſſe minas, niſi ratio precum ſuarum duceretur, fore, ut aliter ſibi proſpicere cogerentur: & offenſum ea legatione Regem, & quotquot ipſi adfuerant in conſilio, quod quorum vindicandorum cauſa tantum cum pecuniæ tum ſanguinis profunderetur, ii liberatoribus ſuis leges ferrent. Quaſi vero Pruſſi, ut Polonis Pruſſiam ſervarent, minus ſanguinis & pecuniæ impendiſſent, vel quaſi id eſſet leges ferre, cum quis meliorem belli gerendi rationem ſuadeat, vel Regem admoneat, ut dictis facta efficiat conformia, ut oppreſſos ſubditos a præfectorum mercenariorum tyrannide & avaritia vindicet, ut plus fidei domeſticis ac indigenis, quam hoſpitibus & extraneis lucri ſui cupidis tribuat, vel quis fidem promiſſam & privilegia juramento confirmata ſervari præſtarique precibus efflagitet. Quam igitur acerbum iſtud eſt, quod Comicus ait, pro benefactis ut mali meſſem metas. Cæterum Legatis Rex illud ſaltem reſpondit, ſe primo tempore, quo fieri poſſit, cum copiis in Pruſſiam venturum, & bello finem impoſiturum: de reliquis autem coram cum Pruſſis habito conſilio conſtituturum.

Cromeri additio.

Excurſio Regiorum.

Circa finem Martii menſis milites Regii Laweburgum profecti pagum ibi Novum diripuerunt, & multum inde pecoris abegerunt. Cæteri pagani vicini irruptionem ejusmodi jam antea metuentes, res ſuas omnes omnesque pecudes in pagum quendam remotiorem compulerant, ubi ſe tutos & extra hoſtium notitiam futuros ſperaverant: ſed Regii milites rebus & locis exploratis agminatim eo contendentes omnia ſimul & ſemel abſtulerunt. Calendis ipſis Aprilis Viſtula prope Zakowam pagum ruptis aggeribus totam minorem Inſulam & Gedanenſe Territorium inundavit. Et quanquam maximus aquarum impetus mare verſus prolaberetur, nihilominus tamen aquarum illuvies id effecit, ut Nogatum flumen utrinque aggeribus convulſis & Neringæ & vicinis inſulis magnam inferret calamitatem.

Viſtulæ ruptura.

Die undecima Aprilis in ipſa Paſchatos hebdomade circa ingruentem noctem Joannes Scalius collecta Elbingæ & Hollandiæ aliquan-

Melſacum captum.

ta præſidiariorum equitum & peditum manu, Melſacum cruciferorum oppidum intercepit, militesque ſexaginta, qui in præſidio erant, vivos in poteſtatem redegit. Perturbavit ea res Magiſtrum, ut quæ maxime, ſic ut de monte Regio jam periclitari videretur. Certior enim factus erat, Gedanenſes transportatis claſſe copiis Sambiam adoriri & infeſtare conſtituiſſe, ideoque copias & ipſe ſuas in montem Regium contraxerat, quas hoſtibus opponeret. Ex his tria millia peditum & equitum Plavenio duce celeriter ad recuperandum Melſacum miſit, ratus Polonos exiguo præſidio relicto inde discesſiſſe, & vero non ignorans eos rebus ſecundis plerumque ſecuros eſſe ſolere, ita, ut qua quid facilitate cepiſſent, eadem rurſus amittere poſſe viderentur. Plavenius igitur ſilenti agmine profectus nocte intempeſta oppidum quatuor locis diverſis aggreditur, jamque una porta refracta ſigna inferebat. Sed cum Poloni partim adverſi naviter obſiſterent irrumpentibus, partim ſuperne in ſubeuntes ſaxa dejicerent, ducentis amiſſis in tutum ſe recepit. Poſtero die, ut acceptam ignominiam corrigeret, fremens frendensque Hollandiam duxit, verum ibi quoque nihilo meliore fortuna uſus plures etiam milites amiſit. Intra ferias Pentecoſtales Gedanenſes denuo ducentos milites Stargardum miſerunt, qui ex altera parte caſtra metantes oppidum circumſederunt.

Zantirum.

Eodem tempore Cruciferorum milites Zantirenſe templum occuparunt, & vallo ac foſſa usque ad viſtulam protenſa communiverunt, ut hac occaſione naves, ultro citroque commeantes interciperent ac prædas facerent. Contra milites Regii in adverſa ripa caſtellum erexerunt, ex quo navibus eſſe poſſent adverſum direptiones adjumento. Interim quidam Regiomontani cum nave magna & bene inſtructa in Viſtulæ oſtium appulerunt, ſpe prædæ alicujus apprehendendæ, cum itidem ibi Hollandica navis, quæ Gedanenſibus militabat, forte fortuna in procinctu conſediſſet. Hollandi continuo Regiomontanos invadunt, eo exitu, ut horum navis primo impetu caperetur, hoſtes omnes vel cæſi vel ſubmerſi, quot homines ex ea nave perierint incertum eſt, cadavera duo de quadraginta ad occidentale littus ejecta fuerunt. Hollandi navem cum rebus captis Helam dividendæ prædæ cauſa transtulerunt. Nec alibi magis proſperæ tum erant Cruciferorum res in Pomerania. Oſiecum caſtellum obſidebant Poloni, ligneo caſtello e regione excitato, hoſtes ſuccurrere ſuis laborantibus volentes non contemnendam manum Choinitia eo miſere, cui advenienti obviam progreſſi Poloni pugnæ copiam fecere, nec mora in fugam acti hoſtes, perpauci tamen evaſere, pluribus in fuga quam in prælio trucidatis, cæſorum ſpoliis Poloni potiti ſunt. Id ubi viderunt obſeſſi incenſo caſtello per alluentem lacum natando profugerunt. Poloni vero accurrentes incendium reſtinxerunt, caſtellumque in poteſtatem ſuam redegerunt. Forte etiam ii, qui Vartemburgi, quod oppidum Epiſcopi Varmienſis eſt, in præſidio fuerunt hoſtes, cum Regiis qui Reslam tenebant congreſſi, non levi ſtrage profligati ſunt. At Ludovicus Magiſter, qvoniam magnam earum cladium partem Pauli Varmienſis Epiſcopi tranſitioni ad Regias partes acceptam ferebat, ut eum

Navis Regiomontana.

Oſiecum.

eum ulciſceretur, cum ſexcentis eqvitibus ac totidem peditibus, agros oppidorum ejus Brunſpergæ, Wormbditi, Heilſpergæ, Reslæ, Gutſtadii & Melſaci percurſat & ſegetes conculcat, non ſine acerbo dolore oppidanorum & fremitu in Epiſcopum, quod cum pacati in medio belli ſtrepitu ad eam diem fuiſſent; tranſitione ejus ad Regem, irritatis Cruciferis, hoſtilia pati cogerentur. Erat quidem in præſidiis eorum oppidorum & aliarum vicinarum munitionum non exiguus Regiorum militum numerus, ſed exacerbatis præſenti & inſveta calamitate oppidanorum animis, moenibus ii ſeſe continebat veriti ne prodeuntes excluderentur.

Interim nuncius ad Magiſtrum perfertur, Gedanenſes Elbingenſibus adjunctis cum claſſe ſeptendecim navium per Habum lacum in Sambiam appuliſſe, & milite in terram expoſito omnia paſſim rapere, diripere, ferro ignique longe lateque graſſari, eumque hominibus terrorem incuſſum, ut nemo reſiſtere vel parare defenſionem auderet. Nec mora, Magiſter ductis raptim copiis omnibus inde in Sambiam properat, qvem ex oppidis Regiis & Epiſcopalibus præſidiarii milites agminatim inſecuti, ditiones Magiſtri non minus acerbe, quam ipſemet in eorum agris fecerat, devaſtarunt. Cum autem in Sambiam perventum eſſet, jam tum Gedanenſes & ſocii ſatis habuerant temporis, quo copias ſuas & prædam omnem navibus imponerent, & ſecundum nacti ventum lætabundi domum reverterentur: Magiſtro interim & nimiam hoſtilitatem illorum & adverſam ſuam fortunam execrante.

Sambia devaſtata.

Die viceſima ſecunda menſis Julii præſidiarii Stargardenſes, quod famem diu jam obſeſſi paterentur, neque cum præfectis regiis æqvis conditionibus tranſigere poſſent, noctu clam ex oppido diſcedentes Choinitiam ſe contulerunt. Poſcarſius autem nomine Regis oppidum in deditionem accepit.

Stargardum receptum.

Eodem tempore arx Schlochovia per dolum intercepta fuit hac maximæ ratione. Præfectus ejus arcis Georgius Dambrowius, Martinum Zitwicium, nobilem & pecunioſum Pomeranum e ditione Heinrici Stolpenſium ducis, domi ipſius captum in arce aſſervabat, quoad ſe magno ære redimeret. Ac inſinuaverat is jam ſe in familiaritatem præfecti, blanditiis & interdum luculentæ pecuniæ pollicitationibus, ita ut liberius in arce diverſaretur, & omnem Polonorum conditionum & præſidii numerum ſatis ſuperque exploraret. Erant ibidem in præſidio Pomerani quidam Polonis intermixti, cum quibus tanquam congentilibus Zitwicius clam de proditione pactus, poſtquam in arce rei frumentariæ anguſtiam cognitam haberet, ultro præfectum adit, pollicitus, ſi ſe ſub ſtipulatæ manus ſponſione dimittere vellet, ſe farinæ vim aliquam domo ſua ſubvecturum, & ſimul cum amicis de pretio redemtionis ſuæ conventurum. Dimiſſus eam in rem a credulo præfecto, qui ſpe jam lucrum ingens devoraverat, quatuor currus farina onuſtos adduxit, his vero quaternos expeditos eqvites quaſi cuſtodia & præſidii

Schlochovia intercepta.

cauſa adjunxerat. Cum quibus in arcem intromiſſus præfectum arcis, & quos ex militibus ipſi fidos arbitrabatur, adjuvantibus ex conducto Pomeranis præſidiariis, comprehendit, ac in imam turrim detruſit, arcemque in poteſtatem ſuam redegit. Sed non amplius quam in diem usque ſeptimum ſtratagematis ſui gaudio fruitus, arcem eadem arte, qua acquiſiverat, amiſit. Excurrerant eo circiter quadraginta eqvites Joannis Coſcelecii Palatini Inowlatislavienſis, a Regis exercitu ſeparati, ſive ut fortunam tentarent, ſive ut aliquid ex ſubjectis agris raperent. Eos conſpicatus ex arce Zitwicius, ut prædæ particeps fieret, omnibus militibus, quos in præſidio habebat, deductis, perſequi inſtituit. Illi vero cum ipſo ſtrenue congreſſi prædam ſuam animoſe tuebantur. Cæteris igitur omnibus in prædam effuſis duo tantum ſacerdotes cum Ludimagiſtro & aliqvot Scholaſticis adoleſcentibus in arce remanſerant. Hi & Dambrowicii vicem dolebant, & Zitwicium cum ob proditionem tum quod non optime illos tractaret, vehementer oderant. Hanc igitur occaſionem nacti portas arcis interius firmiter occludunt, oſtioque turris refracto Dambrovium cum ſexdecim ſociis, caſſibus venatoriis ſubmiſſis extraxere. Cum his murum pariter conſcenderunt, ubi probe videre poterant Zitwicium cum ſuis pugnantem & paulatim ad arcem repedantem. Continuo ſublato clamore ſignum ex muro dant Regiis eqvitibus, in Zitwicium vero & ſocios cum in arcem ſe recipere vellent, ſaxa dejecerunt. Zitwicius cum paucis, qui eqvos habebant, celeriter profugit, cæteri pedites a regiis militibus interfecti, & ſic arx a proditione vindicata. His cognitis, & quod jam exercitus Regius Choniciam oppugnatum adventabat, Fridlandenſes & Hamerſtenenſes ejectis hoſtium præſidiis Regi ſeſe & oppida dedidere, qui propter ſævitiam & aſperitatem præfecti ſui Vladislai Damoborii, Caſtellani Naclenſis antea defecerant.

Fridlandenſes. Hamerſtenenſes.

Choinicium obſeſſum.

Circa finem Julii, cum jam dies divo Jacobo ſacer præteriiſſet, exercitus Regii Choinicium urbem obſidere cœperunt cum variis oppidanorum damnis inde ſibi datis permoti, tum priorem ibidem acceptam ignominiam abolere vel ulciſci ſatagentes. Ludibrio primum fuit hoſtibus iſthæc obſidio, abundante oppido defenſorum multitudine, & quod Regii milites uno in loco cæteris partibus oppidi liberis caſtra metabantur. Ubi vero foſſis atque ſepibus oppidum cingi cœptum eſt, erumpere frequentes & invadere intentum operi militem, globosque bombardis & omne telorum genus manibus ejaculari, ad extremum imbutis veneno ſagittis uti, ac temere vagantes, ut ſolent, Polonos inſidiis excipere, & tantis omnino incommodis freqventer afficere, ut inceptum opus exequi nequirent, donec ſubmiſſis a Rege Lituanis & Tartaris eqvitibus liberiores hoſtium excurſiones inhibitæ ſunt, & ſatis ſpatii datum obſidentibus ad munitiones ſuas circumquaque perficiendas. Ad medium vero Septembrem cum ex oppido erupiſſent hoſtes, commiſſo cum Regiis prælio in oppidum rejecti ſunt. Nec multo poſt prandentibus Regiis rurſus erumpentes cum aliquot horis ſtrenue dimicaſſent, multis amiſſis terga verterunt. Regii inſtare fugientibus, hoſtes veriti ne cum ſuis Polo-

Poloni ſimul irrumperent, clauſis celeriter portis permultos de ſuis excluſerunt, qui partim cæſi, partim capti, partim cum ſeſe in foſſam aquæ plenam armati præcipitaſſent, ſubmerſi ſunt. Nec multo poſt Poloni ignem ejaculati noctu oppidum incenderunt, ita ut qvarta pars ejus cum bona parte frumenti & commeatus conflagraret. Quo victa tandem eſt hoſtium pertinacia, & Caſpar Noſticius & ejus Legati vitam, fortunas & arma pacti, neque unqvam contra Polonos arma ſe ſumpturos ſancte jurati, redditis receptisque viciſſim captivis, inter quos erat Paulus Jaſenius & ſocii, qui ad Stargardum inſidiis excepti fuerant, oppidum cum bombardis & omni apparatu & inſtrumento bellico ad qvartum calendas Octobris dediderunt. Ac inde Laweburgum profecti poſt octavum diem illud oppidum atque Butoviam Erico Duci Stolpenſium acceptis ab eo florenorum octo millibus tradiderunt. Eoque pacto Cruciferi quicqvid oppidorum & arcium in Pomerania hactenus habuerant, amiſerunt.

Eodem tempore milites etiam Regii Mariæburgo exeuntes una cum agricolis inſulæ majoris Zantirum ad Viſtulam ſitum terra ac flumine obſederunt, hoſtibus primum ſe ſtrenue defendentibus, ſic ut utrinque permulti pari clade deſiderarentur. Tandem cum copiæ regiæ magis ac magis affluerent, & hoſtes viribus paulatim deſtituerentur, commeatu jam etiam acciſo, operibus & munitionibus ſuis incenſis, per cuniculos, quos infra munitiones in omnem eventum effoderant, diſcedentes, arcem Regiis militibus reliqverunt.

Zantirum captum.

Dejecerunt hæc incommoda magnopere Magiſtri & Cruciferorum animos, qui in ſpem potiundæ Schlochoviæ, quæ amplitudine & munitione Mariæburgo non multum cedit, fruſtra venerant, & Germanis principibus, a quibus ad eam diem vanis auxiliorum promiſſis lactati erant, inter ſe diſſidentibus, nihil ſpei ſibi reliqvum eſſe in poſterum videbant, metuebantque, ne id qvicqvid in Pruſſia reliqvum haberent, per vim aut voluntariam Pruſſorum deditionem amitterent. Itaque conventu Regimonti habito, cum non ſatis tutum eſſet aliorum cuiqvam pacis mentionem facere, nonnullis ob id antea ſupplicio affectis, primus ipſe Magiſter Ludovicus ſententiam dixit, in quam omnes pedibus iverunt, nimirum ut pax cum Polonis conficeretur, ſin minus æqvis at tolerabilibus duntaxat conditionibus. Miſſique extemplo ad Regem, qvi locum tempusqve colloqvio de pace tractanda poſtularent. Venerat etiam paulo ante in Poloniam Legatus Pontificius Rudolphus Epiſcopus Lavantinus, qvi & ipſe operam ſuam Regi & Cruciferis in conſtituenda pace offerebat, ac ſinceriori quidem animo, quam antea Cretenſis facere inſtituerat: Neque Rex pacem abnuebat. Conſtitutus igitur tractationi per Legatum Pontificium Torunii locus ad decimum Septembris diem, ubi primum propter tardiorem adventum Magiſtri res protracta fuit, deinde complures dies in proponendis & conciliandis conditionibus conſumpti. Tandem poſt multorum dierum colloqvia tractatusque utrinque habitos, Legato Pontificio ſumma fide, cura,

Tractatio de pace.

ſtudioque adnitente, & Rege nihil de ſua facilitate remittente, & peſte, quæ Torunii invaleſcebat, celerem expeditionem ſvadente, tandem decimo nono die menſis Octobris optata diu pax confecta, in ſcriptum redacta, publicata, & utriusque partis conſenſu & ſolenni jurejurando approbata eſt. His autem conditionibus ea convenit: Ut Polonus Culmenſem & Michalovienſem ditionem & Pomeraniam omnem: Adhæc Mariæburgum, Stumam, Chriſtburgum, Elbingam, ac Tolchemitum arces & oppida cum ſuis territoriis & jure ſylvatico, & ſex pagis, qui ad arcem Hollandum pertinuerant, jure ſempiterno obtineret: Neringam item peninſulam exceptis duobus pagis cum prædio, qui Cruciferis propter commodiorem in Habo lacu piſcationem relicti ſunt, pro quibus etiam Rex compenſationem Gedanenſibus facere promiſit, ac interim Helam oppidum & ejus territorium prioribus illorum poſſeſſionibus adjecit: Reliqvum, quicquid eſt in Pruſſia, ut Magiſter cum Cruciferis haberent, ea quidem lege; Ut ſemper ſint in fide & clientela Regum Polonorum, idque ſolenni juramento, quicunque Magiſter ordinis deinceps unquam creatus eſſet, intra ſextum menſem per ſe ipſe ad Regem veniens profiteretur, ſervaturus omnia, quæ tunc conveniſſent, neque ulla tergiverſatione aut relaxatione cujusqvam ſive abſolutione a jurejurando, ne ultro quidem oblata uſurus, eſſetque is Princeps & Conſiliarius Regni, & ad lævam Regis primum locum in conſiliis & conſeſſibus publicis haberet; primi quoque Commandatores, quos Magiſter ederet, ut & ipſi Regis Conſiliarii eſſent, atque ita Magiſter, Ordo, ac tota Pruſſia, ac quicquid ii poſtea bello vel quovis alio modo de barbaris quærerent, cum Polonis arctiſſimo vinculo conjungerentur, & in unum corpus coaleſcerent, neque cujusquam omnino in terris præterquam Regis Poloni Majeſtatem, auctoritatem, ac jurisdictionem (ſalva Pontificis Max. Eccleſiaſtica ſua jurisdictione) agnoſcerent. Ei vero contra quemvis hoſtem adeſſent, nec eum in adverſis juxta ac in proſperis deſererent: Ad profeſſionem ordinis ut pariter aditus Polonis & aliis regiæ ditionis hominibus, dummodo ii dimidia parte Teutones ne excederent, eorumque etiam in Magiſtratibus & curationibus mandandis ratio haberetur: Magiſter vero ne Rege inſcio quavis de cauſa amoveretur. Qvodſi quæ munitiones intra fines utriusque ab altero adhuc tenerentur, ut ante octavum Calend. Julii bona fide redderentur, ſin a quoquam alio, tamen alterius ope recuperarentur. Donationes, venditiones & aliæ quævis alienationes bonorum ab occupatore incommodo & damno alterius, bello durante factæ, ne ratæ eſſent. Profugis & exulibus eqveſtris ordinis poſſeſſiones ademptæ ut reſtituerentur, plebejis vero eæ modo, quæ ante initium conventionis illius venditæ non eſſent, cæterum pro venditis liceret pretium renumerare. Omnibus autem ut perduellionis ac defectionis noxa remitteretur. Culmenſis Eccleſia amotis religioſis Cruciferis ut ad jus matricis ſuæ Gnesnenſis metropoleos rediret, ejusque Epiſcopam Vincentius Kelbaſſa ſimulque Pomeſanienſem haberet. Eo vero mortuo Pomeſanienſis Eccleſia in Cruciferorum ditionem recideret. Arces, oppida, pagi, & quævis bona Eccleſiaſtica utrinque ſuis Eccleſiis redderentur. Captivi item utrinque dimitte-

Capita pacis perpetuæ.

rentur. Viæ publicæ ut eſſent liberæ more veteri. Telonia ſive portoria nova, ne qua utrinque alteris imperarentur. Inter cætera hujus pacis hæc etiam pro commodo utriusque partis ſubditorum conſtituta ſunt: Quod omnes mercatores tam Regni Poloniæ quam terrarum Pruſſiæ ſint ubique in terris & in aqvis tuti & ſecuri, & nullæ eis de cætero moleſtiæ inferantur, nec cogantur niſi ſolitis & veteribus ſervatis itineribus & locis ambulare, aut ad aliquam Civitatem, caſtrum & locum ſub prætextu cujuscunque Conſtitutionis vel edicti cum rebus & mercibus ſuis applicare. Et quoniam per mercatorum induſtriam & rerum venalium importationem Reſpublica nobile accipere conſvevit incrementum, conſtitutum eſt, quod nulla telonea vel cujuscunque generis exactiones ſeu vectigalia, neque præſtationes locales aut perſonales de novo imponantur tam in terris quam in aquis, ſed vetera ſaltem exigantur. Item quod ſubditi Regis & Regni & terrarum Pruſſiæ quicunque, negociationis vel alia cauſa ad terras Regni vel ordinis venientes, per ſubditos vel extraneos cujuscunque ſtatus gradusve fuerint, impediri, conveniri vel arreſtari non debeant: Sed in Regno & terris Pruſſiæ, ſi quid actionis habuerint, actores juxta terrarum jura municipalia illos conveniant, & qverelæ hujusmodi ſopiantur. Delinquens tamen in loco delicti deprehenſus, & contrahens de contractu recenti in loco contractus poterit conveniri, ſed ſi de loco, ubi contraxit, ſeceſſerit publice vel occulte, coram judice ſuo conveniatur. Item quod nullus mercator ſeu alius cujuscunque conditionis aut bona ipſius propter delictum ſeu debitum alterius arreſtetur, turbetur nec captivetur. Ac ſi vectores & aurigæ bona ſeu merces mercatorum pretio ducentes teloneum defraudaverint, ipſi duntaxat in rebus ſuis & eqvis propriis puniantur, & præter hoc bona mercatorum non debent occupari vel detineri. Tandem ſi per aliquem alterius partis ſubditum hæ conventiones fuerint violatæ, utpote ſi rapinæ, ſpolia, incendia, vaſtationes, prædæ, homicidia vel alia maleficiorum genera in alterutrius dominiis perpetrata fuerint, per hoc prædicta pax & unio caſſari & abrogari non debebit, ſed in ſuo robore & firmitate permanebit, nec propter hoc pars, cujus ſubditus hujusmodi maleficium commiſerit, cenſebitur dejerans & pejerans, delinqventes autem & malefactores pro ipſorum exceſſibus, per utriusque partis Judices judicialiter punientur, & ad ſatisfactionem plenam & debitam arcebuntur & compellentur. Hæc ita rata firmaque eſſe, ut omnes Epiſcopi, Duces, Palatini, Caſtellani, Commandatores, eqvites, Civitates jurejurando interpoſito juberent. Et quamvis auctoritate Legati Pontificii confecta, conſtituta & ſtabilita eſſent, mitterent tamen nihilominus Rex & Magiſter oratores ad Pontificem & ab ipſo approbari & confirmari pacta peterent. Atque hunc exitum bellum hoc in Pruſſia tredecim annos geſtum habuit.

Initio ſequentis Anni ipſo die Calendarum Januarii Caſimiro natus eſt filius Sigismundus, qui deinde poſt fratres ſuos in Polonia omnium diutiſſime regnum obtinuit. Quo tempore etiam bello jam finito Guber-

An. 1467. Sigismundus natus.

nato-

Palatinatus. natoris officium in Pruſſia deſiit, & in ejus locum Palatinatus Mariæburgenſis ſucceſſit, eaque dignitate Gubernator Stiborius Baſenius cohoneſtatus fuit, quanquam etiam poſt in actis & monumentis publicis ſæpius ac fermè dum vixit pro veteri conſvetudine Gubernator nuncupetur. Culmenſis tum Palatinus erat Gabriel Baſenius, Pomerelliæ Otho Macowicius: Caſtellani autem erant, Culmenſis Ludovicus Mortangius, Elbingenſis Fabianus Muhlius, & Gedanenſis Nicolaus Pilavius. Per legatum Pontificium ſpes tum facta fuit, ut Pontifex pacem perpetuam confirmaret, ac interdictum Eccleſiaſticum, quo Pruſſi tenebantur, antiquaret, ſed neutrum horum fuit ſubſecutum.

Comitia Petricovienſia. Rex interim Petricoviæ Comitia agebat, ubi inter alia conſultatum fuit de exolvendis ſtipendiis militum toto Pruſſico bello meritis, quorum numerus permagnus cum conjugibus & liberis advenerat. Deciſum cum eqvitibus quidem & peditibus in certam ſummam, ſed nihil operæ pretium tunc factum eſt per totos ſeptendecim dies, propterea quod nobilitas pleraque omnis in Corcinenſi & Srodenſi conventibus renuerat tributum agrarium in eam rem petitum. Itaque placuit novos conventus Coli quidem ad diem S. Jacobi, Corcini vero ad diem Laurentii, quo ex Colenſi majores Poloni advenirent, inſtitui. Ægrè autem milites in eo acqvieſcebant, Vladislao Damoborio, Caſtellano Naclenſi, homine turbulento & ſeditioſo in primis animos eorum ſollicitante, qvi dudum Schlochoviam intercipere adortus, & ſpe ſuâ fruſtratus ex agro arci illi ſubjecto prædas egerat, milites arcis præſidiarios fide datâ evocatos perfide trucidarat, Naclenſi territorio pecuniam imperarat, Gnesnenſis Eccleſiæ bona populatus erat, & adulterinum nummum cudere inſtituerat, nec in futurum tempus qvieturus eſſe videbatur. Is igitur quamvis claro Topororum familiâ, patre Inowladislawienſi Palatino ortus, & Senator Regius eſſet, tamen ſponſores dare juſſus de quieſcendo, cum non daret, captus & Petro Samotulio, Caſtellano Posnanienſi & præfecto majoris Poloniæ traditus, Caliſiumque ductus ejus juſſu capitali pœnâ affectus eſt. Ita unius ſupplicio repreſſa tamen utcunque ſunt latrocinia, quæ jam increbreſcere cœperant, ita ut Joannes Raſſovius, Canonicus Cracovienſis & præfectus Corcinenſis Petricovia domum revertens in itinere, direpta, quam ſecum habebat ſupellectili ſua & Regia, caperetur.

Caſtellanus Naclenſis capite plexus.

Epiſcopatus Varmienſis. In Pruſſia interim de Varmienſi epiſcopatu ortum eſt nonnihil controverſiæ. Nam cum Paulus Epiſcopus peſtilentia vel, ut alii volunt, veneno ſublatus eſſet, Rex in Culmenſem Epiſcopum Vincentium Keilbaſſam Polonum ſubſtituere optabat. Capitulum autem pro jure liberæ electionis Nicolaum Tungenſem Canonicum Wormditenſem Pruſſiæ indigenam, qui Romæ tum inter ſcribas Pontificios verſabatur deſignaverat. Sed tum quidem diſſenſio non ulterius progreſſa fuit. Et Rex Legatos in Pruſſiam miſit, qui ſubortas cum Cruciferis diſſenſiones dirimerent, ac in primis ut ſecundum proximam conventionem quindecim millia florenorum Cruciferis exolverentur. Quorum cum penes Regem copia non eſſet præſens, in Pruſſiam itum fuit, & Legati, quamvis ægrè, perfecerunt tamen, ut de promiſſis Magiſtro qvindecim, duodecim millia Civitates exolverent.

Interim novam quoque rem aggrediebatur Joannes Scalius præfectus Fraweburgenſis, ut ibidem recens teloneum conſtitueret, quod nec in bello nec ante bellum fuerat, atque adeo homines, qui toto milliari cis Fraweburgum via publica res ſuas agebant, eo contendere & ibi teloneum pendere cogebat. Quod exemplum ſecuti Cruciferi & ipſi novas exactiones in eos, qui ex Pruſſia in Litvaniam cum mercibus commeabant, impoſuerant. Quod utrumque Pruſſi ægerrime ferebant, Pruſſiam novis teloneis divexari, quæ ſpeciali privilegio ab omnibus omnino vectigalibus libera eſſet ac immunis, ac ideo Regis auctoritatem implorabant, qui quidem iſthæc omnia ſerio interdicebat, ſed vel invito Rege fiebant, & multum adhuc ex priori animorum exulceratione ſupererat, quod tolerandum potius quam ſeverius vindicandum videbatur. Cui illud etiam pro cumulo accedebat, quod per Cruciferos Livonienſes & cæteros hinc inde nulla conſtitutæ pacis habita ratione Gedanenſium naves ac merces detinebantur, & plerumque clam diripiebantur, nec etiam ut ex præſcripto pacis conventæ fieri debebat, captivi bona fide reſtituebantur. Quæ res multum utrinque concertationis habuit, donec tandem ab ipſo Rege in Pruſſiam adveniente æqvabili ratione dirimeretur. Adeo natura inter homines comparatum eſt, ut nulla ferme pax tam firmiter prorſus coaleſcere poſſit, ut non aliqva belli ſemina rurſum inde ſuppullulent, æque ut magnum aliquod incendium non ita prorſus uno reſtinctu ſopiri poteſt, quin aliquæ ſcintillæ, quæ ſubinde in flammam reverti poſſent, remaneant. Contravenitur paci publicæ.

Meuſe deinceps Februario conventus Elbingæ fuit habitus inter Legatos Regis, Statuum Pruſſiæ ac Magiſtrum & ejus civitates, pro rebus quibusdam ad utramque ditionem communiter pertinentibus conciliandis. Primum omnium de moneta agebatur, quod alterutrius ditionis nummi in altera per totum hoc bellum æque cum commerciis in uſu eſſe deſierant, immo prorſus quaſi hoſtile quiddam excluſi fuerant. Poterat etiam fieri, ut in bello ſolet, quod nonnihil deterior moneta cuſa fuerat, & ſic pariter etiam peregrina vilior irrepſerat. Re multum diuque deliberata placuit tandem, ut in utraque Pruſſiæ ditione, moneta Magiſtri ac trium Civitatum Gedanenſis, Torunenſis & Elbingenſis, in communi uſu verſaretur, ita quidem, ut marca Prutenica appenſa ſex unciis (vulgo Scotos nuncupant) argenti æquivaleret. Quæ quidem monetæ conſtitutio permultum ab illa veteri, qua marca Prutenica, hoc eſt ſexaginta ſolidi, quinque aureis Ungaricis cenſebantur, differebat. Sed hæc monetæ ratio deinceps ad alium modum revocata fuit, uti loco ſuo commemorabitur. Poſtea de novis teloneis abrogandis, de reſtituendis navibus & captivis dimittendis conſtitutum fuit. Ac quia in pace nuper inita cautum erat, ut qui belli cauſa ex urbibus & oppidis alio migraſſent, vel expulſi aut proſcripti fuiſſent, reciperentur ac bona eis reſtituerentur, inter cætera Gedanenſibus objiciebatur, quod Conventus Elbingenſis.

cives aliquos proſcriptos in urbem recipere nollent. Illi autem rem ita diſtinguebant, ſe pacem conventam etiam hac in parte probe conſervatam cupere, & quicunque belli cauſa vel ipſimet profugiſſent, vel ejecti proſcriptique fuiſſent, eos recipi jus fasque videri: Eſſe autem qvosdam, qui contra Rempubl. coiviſſent, & proditionem adverſus Magiſtratum inſtituiſſent, quorum qvicunqve coram deprehenſi fuerant, capite luiſſent, cæteri profugi perpetuæ proſcriptionis nota condemnati: Hos neqve recipi oportere, nec de recipiendis illis in pace conſtituta qvidqvam diſponi demonſtrabant. Tandem in hoc conventu illud etiam de actione & reconventione privatorum utriusqve ditionis conſtitutum fuit: Si quis ſubditorum Regis qvempiam in civitatibus Ordinis ob debitum pecuniarium conveniret, & is ibidem ſimili actione conveniretur, ut ibidem reſpondere teneatur. Sin ad forum competens provocaſſet, ut de ſiſtendo fidejuſſorem det, ni dare poſſit, ut ibidem litem ſuſcipiendi neceſſitatem habeat propoſitam. Ac idem viciſſim de ſubditis Cruciferorum intelligatur.

Magiſtri Ludovici obitus.

Paulo ante feſtivitatem Pentecoſtes Magiſter Ludovicus vitam, qvam toto bello protraxerat, pace jam factâ cum morte commutavit, primus Magiſtrorum, qvi Regi Poloniæ ex pacto convento fidem dedit, poſtqvam annos ſeptendecim officium illud geſſiſſet. In cujus locum

XXIX. Heinricus Reuſs Plavenius.

ſuffectus fuit Heinricus Reuſs Comes Plavenius, antea Commandator Hollandenſis, tanqvam Gubernator. Nolebant enim Cruciferi e veſtigio novum eligere Magiſtrum, qvi in Regis Poloniæ verba mox jurare cogeretur, ſed ſemper adhuc ea ſpe freti erant, auxilio Principum Germanorum ditiones amiſſas ſe recuperaturos, præſertim qvod tum Caſimirus etiam Ungarico bello diſtinebatur. Verum vana fuit omnis iſthæc expectatio. Itaqve idem Plavenius cum officium pro Gubernatore biennium adminiſtraſſet, Magiſter tandem creatus fuit, & cum in Comitiis Petricovienſibus Regi juramentum fidelitatis publice præſtitiſſet, domum rediens Torunii inter cœnandum apoplexiâ correptus, atqve inde deductus in oppido Morungo ſpiritum emiſit, poſtqvam Magiſterii dignitatem undecim ſaltem hebdomadas obtinuiſſet.

1468. Fridericus Caſimiri filius.

Initio ſeqventis anni in Pruſſiâ nihil memorabile geſtum fuit. In Poloniâ vero die viceſima ſeptima menſis Aprilis Regi Caſimiro ex conjuge Eliſabetha nono partu natus eſt ſextus filius Fridericus, qvi poſtmodum anno ejus ſeculi octuageſimo octavo Epiſcopus Cracovienſis, deinceps Archiepiſcopus Gnesnenſis factus, tandem anno nonageſimo tertio a Pontifice Alexandro ſexto Cardinalatus dignitate decoratus fuit. Idem Fridericus anno ſupra milleſimum qvinqvageſimum tertio, die quarta decima menſis Martii inter vivos eſſe deſiit. Sed ad inceptum redeamus. Ipſe Rex ſub finem Junii menſis Cracoviâ profectus, Pruſſis

Conventus Visliceníis.

ut ad ſe propius accederet orantibus, Visliciam divertit, conventum minorum Polonorum egit, ſubſidia ad exolvenda Pruſſica ſtipendia poſtulavit. Qvod non qvidem abnuebat nobilitas, verum ſine majoribus Polonis ſciſcendum ſibi eſſe non putavit. Qvare placuit binos e ſatrapiis

piis ſeu palatinatibus Legatos ad Comitia Petricovienſia mitti, qui decernendi in commune cum cæteris, Regi moderati tributi poteſtatem haberent. Atqve hoc tum primum fieri cœptum ſic inolevit poſterioribus temporibus, ut ſine iis Legatis ſeu nunciis terrarum (ſic enim vocantur) nulla comitia legitima haberentur, neque tributum decerni, ac ne lex quidem ulla ferri poſſe videatur, auctusqve eſt & ſubinde etiamnum augetur eorum numerus. Poteſtas vero eorum inſtar tribunitiæ apud Romanos, vel Ephororum apud Lacedæmonios eſſe cœpit. Conventu Visliceníi dimiſſo, Rex Colum profectus majorum quoque Polonorum conventum egit, verum nihilo magis ibi profecit. Rejecta res ad alium conventum eodem loco ad viceſimam diem Septembris inſtituendum. Itaque Rex cœptum iter per Pomeraniam peragens ad tertium Idus Auguſti Gedanum ingreſſus magno populi obviam ſeſe effundentis ſtudio & lætitia exceptus eſt, & laute atque honorifice habitus quoad ibi manſit per totos fere triginta dies. Et purgarant jam ei Gedanenſes literis atqve nunciis crimen, cujus apud eum ab Heinrico Plavenio Vilnam profecto inſimulati erant, quaſi ad Burgundionum Ducem deficere ſtatuiſſent. Inſtituto autem ea in urbe conventu Pruſſorum, civitatibus egeſtatem cauſificantibus vix eo rem perduxit, ut in octo annos tributum, quod Acciſam vocant, ſciſceretur. Ac de eo quidem quod in primariis tribus civitatibus colligeretur, primis quatuor annis quarta pars illis ipſis Civitatibus in publicos uſus, reliquæ vero tres Regi in ſtipendia militum cederent, deinceps vero Civitates illæ tres, quicquid apud quamque redactum eſſet, ſibi haberent, aliunde tamen quicquid proveniret, Regi annumeraretur. Sed Gedanenſibus præterea quinque millia florenorum de Regio proventu detrahere permiſſum, quæ tunc Regi mutuo dederant. Triginta quoque millia eis remiſſa ſunt, quæ anniverſariis penſionibus per quindecim illos annos non ſolverant. Ipſi contra Gedanenſe & Derſavienſe territoria, quæ oppignerata tenebant, Regi condonato debito reddidere. Mariæburgum deinde Rex ſe contulit, & res plerasqve inter utramqve ditionem hactenus controverſas cum Cruciferis bona gratia compoſuit ac tranſegit, quibus etiam Nideburgum oppidum, quod ad eam diem retinuerat, ex pacto reddidit. Eodem etiam tempore conſilium Pruſſiæ Regium ampliavit, & tres regundorum finium præſides (quos Succamerarios vocant) qui & ipſi locum & ſententiæ dictionem in Senatu haberent, adjecit. Judicia quoque Nobilitatis conſtituit, creatis judicibus in ſingulis territoriis. Itaqve conſtitutis rebus Pruſſicis Mariæburgo diſcedens per Culmenſem oram ac Torunium ad conventus agendos Petricoviam contendit.

Nunciiterrarum.

Rex Gedanum venit.

Succamerarii.

1469. Carolus Sweciæ Rex Puscum repetit.

Supra dictum eſt, qua occaſione Carolus Sweciæ Rex profugus in Pruſſiam divertens Pucenſem arcem & oppidum à Gedanenſibus in certam pecuniæ ſummam hypothecæ acceperit, ac deinde per militum ſuorum ſpontaneam deditionem amiſerit, & tandem rebus ſic relictis in Sweciæ regnum reverſus fuerit. Bello jam finito cum comperiſſet Pucenſe territorium à Gedanenſibus quaſi poſtliminio recuperatum, repoſcere hypothecam vel pecuniam pigneratitiam repetere per Legatos cœpit.

cœpit. Gedanenſes ipſi memoriam rerum ante geſtarum in mentem revocabant, quibus & ipſe pecuniam mutuam dediſſet, & territorii Pucenſis non minus fiduciariam quam hypothecariam poſſeſſionem accepiſſet, ea lege nimirum, ut hypotheca in manum Gedanenſem redhibita, tum demum etiam pecuniam reciperet. Quoniaaú vero ipſius Caroli milites præſidiarii, quibus arcem & oppidum ſuo periculo commiſerat, vel animi puſillanimitate, vel ex compacto arcem & oppidum hoſtibus tradidiſſent, id nullo ſuo præjudicio agi potuiſſe, ſed ſemper reſtituendi obligationem Carolo incubuiſſe cenſebant. Præſertim quod illum ipſi Gedanenſes tum hortati fuerant, ut rem amiſſam ab hoſtibus, non utique ſua ſolius impenſa recuperaret, verum etiam affatim operam, impenſam & militem auxilio ſponte polliciti fuiſſent, ipſe vero tum reſpondiſſet, ſe hypothecam iſtam non morari, qiunimo licet arcem & oppidum cum omni territorio recuperaſſet, tamen infacultatibus ſuis non eſſe, ut ab hoſtibus deinceps retineret vel defenderet. Qva conditione ſpreta cum Gedanenſes ipſo præſente publice conteſtati fuiſſent, niſi hypothecam a ſe manu traditam, in manum ſibi reſtituiſſet, ſe quoque pecuniæ mutuæ deinceps debitores non futuros, nullam aliam quam antea mentis ſuæ ſignificationem ediderat. Cum igitur poſt aliqvot annos Gedanenſes una cum Regiis copiis Pucenſem ditionem ſuis ſumptibus, impenſis & opera militari recuperaſſent, non exiſtimabant vel Regi vel ſibi hypothecæ reſtituendæ neceſſitatem vel æquitatem imponi; ſed ipſum potius Carolum, ſi pecuniam repoſcere velit, hypothecam redhibere teneri ac literis ſuis diſerte obligari. Nihilominus eam Carolo conditionem denuo ferebant, ſi ſumptus in recuperando territorio Pucenſi impenſos Gedanenſibus ex æquo & bono refundere vellet, arbitrio deinceps ejus futurum, ut vel pecuniam in præſenti numeratam reciperet, vel amplius hypothecam retineret, quoad pecunia mutua probe reſoluta fuiſſet.

1470. Carolo ſuccedit Steno Sture.

Rebus ita ſtantibus, & literis eam in rem ultro citroque miſſis, ſequentis anni ineunte Majo Carolus Rex in bona ſenectute, animo quieto & tranqvillo e rebus humanis ſublatus eſt. Cui ſucceſſit ſororis filius Steno Sture, qui ſe Regem dici vel diademate inſigniri noluit, ſed Principem Gothorum & Sveonum ſe profeſſus avunculi conſilium ſecutus, qui quantumvis ſingulari juſtitia, æqvitate & modeſtia hiſce populis præfuiſſet, audire tamen a plerisque cogebatur, quaſi tyrannidem non Regiam Majeſtatem in libera patria exercuiſſet. Eodem anno Heinrico Plavenio repente mortuo triceſimus Magiſter ordinis ſucceſſit Heinricus Refflius Reichenbergius, vel ut alii volunt Richtembergius, qui ſtatim poſt electionem menſe Octobri Petricoviam, ubi tum Comitia Polonorum habebantur, profectus fidem Regi dedit. Erat tum Sambienſis Epiſcopus Theodoricus a Cuba, qui multis divitiis abundabat, quas ex tota provincia per Indulgentias quas vocant Pontificias corraſerat. Ex his aliqvantam pecuniæ ſummam Magiſter ſibi mutuam dari petebat ab Epiſcopo, qua peregrini milites, quibus adhuc ſtipendium debebatur, abſolverentur, æquum exiſtimans, ut pecunia viritim ab indigenis collata in uſum & neceſſitatem patriæ conferretur, præſertim quod Epiſcopus

XXX. Heinricus Reffle.

pus & ejus Eccleſia toto belli tempore militum horum opera & ſangvine defenſus & in pace ac otio conſervatus fuiſſet. Id vero ut faceret Epiſcopus nulla ratione poterat adduci, ſive quod pecuniam in uſum Eccleſiæ quempiam magnificum convertere ſtatuiſſet, ſive quod avaritia, ut alii ſcribunt, totus occæcatus nec ſibi nec aliis e tanta pecuniæ abundantia commodo vel utilitati eſſe vellet: prout etiam fama erat, illum fugam clam adornare, qua pecuniam e provincia abduceret. Ægerrime hoc ferebat Magiſter, ſed indignationem diſſimulabat, & cum frequenter deinde in rebus gravioribus Epiſcopum conſiliis adhiberet, nihil amplius tale quid petere, nec ullam omnino pecuniæ mentionem facere. Tandem aliqvando cum opportune illum nihil tale ſuſpicantem pellexiſſet, ſtatim comprehenſum & vinctum in teterrimum carcerem imæ turris in arce Tapiaw conjecit, ubi miſer ſiti & inedia miſerrime vitam finivit. Nec Epiſcopo Magiſter diu ſuperfuit, ſed ad ultimum mente captus, cum ſubinde ad arma conclamaret, ſe ab Epiſcopis in judicium vocari, contra eos ſibi armis depugnandum eſſe, & ipſe ſpiritum exhalavit, conſcientiæ procul dubio ſtimulis ob tantum facinus exagitatus. Atque hoc exemplum ne levipendatur ab impiis hominibus, præſertim iis, qui cum poteſtate vel imperio ſunt, & ſæpe pro lubitu enormia ſcelera committunt, animam hominis, Dei ipſius imaginem, pro nihilo putantes, & pro cane vel alia beſtia trucidantes. Non deſunt exempla ſimilia in hiſtoriis, quibus oſtenditur, in magnis potentiorum facinoribus, etiam inter vivos edicta citationis ad Dei tribunal locum habuiſſe. Ferdinandus quartus Hiſpaniæ Rex Sanctii filius, a duobus nobilibus, quos innocentes ab altiſſima rupe præcipitari juſſerat, ad Dei tribunal in triceſimum diem vocatus, triceſimo poſt facinus & eodem citationis die poſt ſomnum meridianum mortuus eſt inventus. Petrus qvartus cognomento Ceremonioſus, Alphonſi qvarti filius, Rex Aragoniæ, mortem obiit citatus ad tribunal Chriſti a Procuratoribus Eccleſiæ Tarraconenſis, cujus patrimonium tyrannice voluit uſurpare. Citatus autem fuit in diem ſexageſimum, atque ipſo vadimonii die inter vivos eſſe deſiit. Et Innocentius qvartus Papa, Sinebaldus antea dictus Fliſcus Genuenſis, qui Friderico Imperatori mortem procuraverat, piiſſimum virum Robertum Lincolnienſem, errores & ſcelera Pontificia reprehendentem injuſte damnavit, & Robertus ab eo ad Chriſtum Judicem appellavit, cumque Robertus obiret, audita eſt vox in curia Papæ clamans: Veni miſer ad judicium, repertusque eſt ſeqventi die Papa in lecto exanimis, ac livida in eo plaga, tanqvam ſi fuſte percuſſus fuiſſet. Plura hujusmodi proferri poſſent ex probatis ſcriptoribus, niſi hæc ad noſtrum exemplum ſufficere exiſtimaſſem.

1471. Vladislaus Bohemiæ Rex.

Anno ſeqventi in Pruſſia omnia fuere pacata. In Polonia vero Caſimiri Regis filius natu maximus Vladislaus, demortuo Georgio Bodebracio, Bohemiæ Rex electus fuit, idque regnum annos qvadraginta quinque felici rerum ſucceſſu gubernavit. In Ungaria vero graves erant ſimultates inter Regem Matthiam & regni Proceres, qui poſteaqvam Vladislaum Polonum Matthia præterito Regem in Bohemia creatum acce-

acceperunt, quod ſecretis conſiliis aliqvandiu agitaverant, in apertum proferentes, miſerunt & ipſi Legatos ad Caſimirum, alterum ejus filium Caſimirum Regem ſibi dari petentes, quod ferre diutius Matthiæ tyrannidem non poſſent. Qvod ni faceret Caſimirus, vel a Turcis auxilium ſe petituros eſſe, ſumptus autem belli ſe præbituros profitebantur. Neque ſprevit eorum poſtulata Caſimirus, Caſimirumque filium cum non contemnendo exercitu, Petro Dunino duce, in Ungariam miſit. Mature de his Procerum ſuorum conſiliis factus erat certior Matthias, itaque nihil ſibi reliqui fecit ad feſtinationem, & qvascunque habuit in Moravia Sileſiaque copias in Ungariam contraxit, proceres nonnullos a ſe abalienatos partim terrore exercitus, partim ingentibus promiſſis ad ſe revocavit. Ita Caſimirus adveniens, & fidem Procerum mutatam ſentiens, re infecta domum remigravit. Deinde Matthia mortuo, cum ante eum idem Caſimirus jam deceſſiſſet, frater ejus Vladislaus qui jam annum viceſimum in Bohemia regnabat, Ungariæ quoque Rex, pulſo æmulo fratre Alberto, receptus fuit, & ſic deinceps ambo regna usque ad vitæ finem feliciter gubernavit.

LIBRI SEPTIMI FINIS.

HISTO-

HISTORIÆ RERUM PRUSSICARUM

LIBER OCTAVUS.

Anni ſequentis initio conventum agebat Rex Petricoviæ, quo Pruſſos etiam evocaverat. Conſultabatur autem de ſubſidiis nummariis ad bellum Ungaricum contra Regem Matthiam proſequendum. Conſiliarii itaque Polonici Legatos Pruſſicos una ſecum hanc conſultationem ſuſcipere, & in conſilio Regis locum capere volebant. Id vero Pruſſi penitus recuſabant, ne hiſce negotiis nihil ad ipſos pertinentibus implicarentur, ſeſe Legatos eſſe, neque mandatum habere de auxiliis vel ſciſcendis vel conferendis, ſed de Pruſſiæ negotiis proponendis & utiliter conſtituendis. Exinde Conſiliariis ſuis Rex denunciari juſſit, ne Pruſſiæ Statuum ac civitatum Legatos præſtolarentur, eos enim hac vice ad conſilium non acceſſuros. Poſt paucos dies Pruſſi in conſilium Regium vocati, præſente Rege & Conſiliariis per Vincentium Epiſcopum Culmenſem res Pruſſicas expoſuerunt, ac gravamina juribus ac libertatibus ſuis irrepentia corrigi & emendari poſtularunt. Sed nihil magnopere de his actum, & pleraqve in Pruſſiam ad ipſius Regis adventum rejecta. Hic iterum Epiſcopus Vladislavienſis quaſi ex compoſito ſermonem orſus eſt; Qvandoqvidem Divina providentia nunc ita res comparatæ ſint, ut Pruſſi Poloniæ regno uniti, & ſic omnes unius corporis membra merito cenſeantur, illos ſecum ſimul in conſilium vocatos eſſe, tanquam unius Regis Conſiliarios, pro ſtatu totius regni tanquam corporis deliberando ac quam optime conſtituendo, id autem illos detrectaſſe, cujus renitentiæ cauſam neqve Rex neqve Conſiliarii cæteri ſcirent. Velle nihilominus Regem ac jubere, ne deinceps officium ſuum ſubterfugerent, ſed ſemper in conſilio adeſſent, & in rebus omnibus ſimul conſultarent. Ad ea denuo Pruſſi reſponderunt, ſeſe Legatos eſſe, & certis mandatorum finibus obſtrictos, per quos nec in conſilio ſedere, nec de auxiliis ſententiam dicere liceret: ac ut deinceps ejusmodi conſiliis intereſſent, nec in mandatis habere, nec quidquam absque juſſu & conſilio ſuorum agere poſſe. Inter cætera Pruſſorum præjudicia, quæ variis modis adverſus jura & libertates ſuas inferrentur, hoc etiam eſſe querebantur, quod tempore Cruciferorum Statibus & civitatibus jus fasque fuerit, quotiescunque res poſtularet, irrequiſito Principe, pro terrarum illarum uſu & commodo peculiares conventus agere, nunc demum ſcribam Regis Clementem quendam, ipſis interdixiſſe, ne ſine ſcitu & præſentia Conſiliariorum regni ullum conventum indicerent aut celebrarent. Ex quo nihil aliud intelligi poſſit, quam Pruſſorum fidem in dubium vocari, quam adeo jam Regi ſuo probaſſent, & de cætero probaturi eſſent, ut hac in parte non minimam ſibi injuriam fieri omnes ſint cogniturі. Ad ea reſpondebant Conſiliarii Polonici. In Poloniæ regno æque eſſe Epiſcopos,

1472.

Pruſſi Polonorum convolebant. filia detrectant.

Peculiares Pruſſorum conventus.

pos, Palatinos, & alios ut in Pruſſia, nemini tamen illorum jus fasque eſſe ſine ſcitu conſenſuqve Regis conventus ullos agere: ac proinde cum Pruſſi corporis Polonici membrum ſint individuum, illos iisdem moribus & legibus vivere merito debere. Pruſſi rurſum inferebant: Sui vero moris ac juris eſſe, ut toties conventus agerent, quoties Pruſſiæ res poſtularent, hiſce juribus ſalvis ſe ad Poloniæ regnum ultro acceſsiſſe, & Regem ſancte promiſiſſe, Pruſſos penes ipſorum veteres libertates, jura & conſvetudines conſervatum iri, ideoqve ſibi nullam eſſe neceſſitatem propoſitam Polonorum more vivendi, vel conſilia capiendi, quinimo multas alias eſſe conſvetudines in Poloniæ regno, quas Pruſſi nec amplecti nec ſequi poſſint, aut velint.

De negotio epiſcopatus Warmienſis.

Agebatur præterea negotium Epiſcopatus Warmienſis ad quem ordinaria electione Nicolaus Tungenius indigena per Capitulum deſignatus fuerat. Polonus autem quidam Opporovius eidem ſe opponebat, & in curia Romani Pontificis Epiſcopatum peculiaribus artibus comparaverant, & cum ipſo Tungenio conventiones aliquas de pendendo annuo ſtipendio iniviſſe dicebatur, quo minus eum impediret. Hunc Opporovium omnino Pruſſi reſpuebant, nec ad Epiſcopatum admittere volebant, cum quod in Varmienſis Eccleſiæ præjudicium contra ordinem in curia Romana per meram Simoniam eum acquirere non erubuiſſet, tum quod ea res ex diametro cum Pruſſiæ communibus & Varmienſis Eccleſiæ ſpecialibus juribus ac privilegiis pugnaret: tandem etiam quod iſtæ conventiones inter Opporovium & Tungenium & largitiones in curia Romana, cum ſummo ipſius Eccleſiæ facultatum diſpendio ac deminutione factæ fuiſſent. Ac optabant potius Epiſcopum Culmenſem Vincentium ad eam Eccleſiam transferri, quam Opporovium, qui alioquin varie Pruſſos ſumma cum injuria calumniatus fuiſſet, Epiſcopum pati. Atque hoc ultimum maxime Regi placebat ac hortabatur, ut in ea ſententia de Vincentio perſiſterent, ei ſe quoque auxilio futurum, ut in iſthoc epiſcopatu conſervaretur. Ac ſi aliqui proceſſus vel ſententiæ ex curia Romana inter quosvis competitores in Pruſſiam afferrentur, ne Pruſſi quidquam cum eorum præjudicio conjunctum reciperent vel admitterent. Atque ſic tum quidem epiſcopatus Warmienſis Vincentio tacito deſtinabatur.

Tungenius epiſcopatum occupat.

Cæterum aliquanto poſt ineunte jam autumno Tungenius, qui jam Opporovium pactis & conventionibus poſthabitis prævenire decreverat, conducta aliquanta militum manu, eorum auxilio, qui in ipſius ditionibus ei maximè favebant, improviſo Civitates & arces aliquot partim vi partim per deditionem occupat, & inter has metropolin etiam Heilsbergam, excepta arce, quam Regii præſidiarii retinebant, ab ipſo in arce obſeſſi. Erant tum in Pruſſia Legati Regii Epiſcopus Wladislavienſis, Palatinus Lancitienſis & Epiſcopus Culmenſis, ii verentes ne res in majorem aliquem motum evaderet, præſertim quod a bello deinceps Pruſſos penitus abhorrere ſciebant, quibusdam Pruſſicis Senatoribus, Mariæburgenſi & Pomerelliæ Palatinis, Pomerelliæ Caſtellano, ac

ac Elbingenſi & Gedanenſi Civitatibus auctores erant, ut tolerabilibus quibusdam conditionibus cum Tungenio tranſigerent, ut eo pacto bellum aliquod atrocius a Pruſſia averteretur, cum alioquin vix futurum eſſet, ut Rex temeritatem & inſolentiam iſtam æquo animo toleraret, quin armis potius eſſet vindicaturus. Intercedebant illi ſummo ſtudio, pacis in provincia conſervandæ cauſa, & eo jam usque rem perduxerant, ut Tungenius cauſam totam arbitrio Romani Pontificis ſubmitteret, modo Opporovius idem faceret, utque Pruſſiæ Statibus duæ arces Heilsperga & Seeburgum interim fiduciario nomine traderentur, quas illi poſtmodum victori litis reſtituerent. Eamque in rem inter milites Regios & Tungenii partes induciæ conſtitutæ. Verum non diu poſt Tungenium hujus pacti pœnitere cœpit, unde mox etiam induciæ ruptæ, & ex Regiis militibus quidam, dum commeatus comportarent, inter Elbingam & Chriſtburgum oppreſſi & interfecti. Expoſtulantibus ob id factum cum Tungenio Pruſſicis Interceſſoribus, præſertim quod hæc unica ratio fuiſſet, qua Pruſſi copias Polonicas, quæ jam magno numero hinc inde congregatæ Epiſcopatum invaſuræ fuerant, & ſic præſentiſſimam calamitatem ab ipſius etiam cervicibus avertiſſent. Reſpondit ille, maturius ſe rem eam deliberaſſe, ac melius jam intelligere, quam antea, conditiones nuper propoſitas, cum magno ſuo præjudicio & incommodo conjunctas futuras. Primum enim valde lubricum eſſe Romanæ curiæ judicium, multa ibi poſſe per Cardinalem vel alium in partium alterutrius præjudicium confici, facile ibi mandata quævis comparari & ut plurimum auri miniſterio & largitionibus pleraque longe alium eventum ſortiri ſolere. Sic arces etiam ſemel manu emiſſas nunquam ſe poſtea recepturum. Quid enim ſi juberet Pontifex eas Opporovio tradere? Vellentne hominem extraneum, hoſtem & calumniatorem ſuum contra expreſſa privilegia in conſortium ſuum ultro admittere? Quid ſi Pontificem auro Poloni corrumpant, qui certe libentes decem aureorum millia projicerent, modo hunc Epiſcopatum (quod jam dudum parturiunt) in poteſtatem ſuam redigant? Qua in parte fidem quoque ſuam deſiderare, ut Eccleſiæ ſuæ jura & privilegia ab ejusmodi inſidiis & corruptelis ſarta tecta conſervaret. Se quidem jam certo ſcire, ſi poſſeſſionem Epiſcopatus integram obtineret, Pontificem Romanum alii nemini eam conceſſurum. Multis eam in rem ultro citroque commutatis, Tungenius eo usque rem integram diſtulit, donec cum clero & civitatibus ſuis denuo conſultaſſet. Interim arcem Heilspergam cum Regio præſidio tenebat Fabianus Legendorfius, is quoque agentibus cum ipſo interceſſoribus de arce tradenda, non ſatis ſibi conſtare videbatur: modo enim petebat rebus ſuis omnibus præſidio proſpici, modo rogatus, an diutius arcem defendere poſſet, ſubticebat, nunc ſe Statibus in arce tradenda cui vellent obſecuturum ajebat, modo unicuique res ſuæ ſalvæ eſſent; mox eo convolabat, quod arcem ſine ſpeciali Regis mandato nemini tradere poſſet. Tandem cum inconſtantiam ſuam interceſſoribus ſuſpectam eſſe haud obſcure animadverteret, petebat vel arcem melius muniri & commeatu inſtrui, vel quamprimum pacem cum Tungenio fieri, qvoniam arcem diu defendere nequiret.

Interceſſores Pruſſici.

Tungenii rationes ob propoſitum mutatum.

Conventio Tungenii cum Pruſſiæ Statibus.

Poſt aliquot dies, quibus Tungenius cum Ordinibus epiſcopatus ſui hiſce de rebus conſultaverat, præſentibus tam interceſſoribus quam clero & civitatum Nunciis, id denuo relatum fuit: clerum & civitates cum toto epiſcopatu nolle a cæteris terrarum Pruſſiæ Statibus ſegregari, vel pace perpetua excludi: quinimo pacem eam ſeſe una cum ipſis, ſummis viribus & facultatibus pro virili defenſuros, ac Regi debita obſequia præſtituros: ideoque petere, ut & ipſi Status communiter in tota Pruſſia pacem retinerent, nec quorundam malevolorum machinationibus bellum in Pruſſia reſuſcitari paterentur. Ita denuo in has conditiones conventum fuit: Ut Tungenius jus ſuum ſuper iſthoc epiſcopatu in Romana curia per idoneum procuratorem perſequeretur ac defenderet, ſi quisquam alius jure cum eo experiri velit: Ut Heilsperga & Seeburgum arces, quæ Legendorfio non a Rege ſed a Capitulo commiſſæ fuiſſent, Statibus traderentur in fiduciariam poſſeſſionem, cauſæ victori deinceps reſtituendæ. Cautum etiam de præſidiariis & Canonicis ac cæteris, qui partes Regias ſecuti fuiſſent, cautum itidem de captivis: Tandem ut Tungenius ſolenni diplomate Statibus caveret, ut ſi Romæ cauſam amiſiſſet, continuo epiſcopatu decederet, ejusque poſſeſſionem vacuam relinqueret. Capitulo illud etiam excipiente, quatenus in curia Romana Tungenius non obtineret, quod utique melius ominabantur, in eum caſum ſe juribus & privilegiis ſuis ſe inhæſuros, nec quenquam Epiſcopum admiſſuros, niſi quem ex privilegio communi terrarum & eccleſiæ Warmienſis admitti liceret; petentes hac in re operam & auxilium ſecundum privilegia & pacta pacis perpetuæ ſibi præſtari. Status reſponderunt, in iis quæ privilegiis publicis & pace perpetua continerentur, ſeſe ſociis minime defuturos. Hæ conditiones ut ſolenniter tam ex Regia & Statuum, quam ipſius Tungenii parte confirmarentur, ac ſcriptis memoriæ cauſa mandarentur, conventus Elbingam ad veſperam Michaelis indictus eſt. Ubi demum recenſitis iis, quæ hactenus acta, geſta conventaque fuerant, & quod interim arces, de quibus convenerat, terrarum Statibus in manum fiduciariam traditæ fuiſſent, ibi tum præter omnium opinionem Legati Regii inficiari coeperunt ſeſe harum rerum auctores fuiſſe neque unquam conſenſiſſe, quoniam ſcilicet in his actionibus majorem Tungenii quam Regiæ auctoritatis rationem habitam exiſtimarent, idque in ſpeciem, revera autem ſtomachabantur, quod hac conventione gentilem ſuum Opporovium prorſus excluſum intelligerent. Nec enim ipſimet hunc animi rancorem diſſimulare poterant (quod civilium hominum mos eſt) ſed cum Pruſſici Status ipſis levitatem & dictorum vanitatem, & ferendarum ſententiarum arrogantiam objicerent, & ipſos auctores hujus rei factos propriis literis & publicis documentis convincerent, nihil eorum purgantes continuo rogabunt: ſi Opporovius in curia Romana jus obtineret, an illum ipſi pro Epiſcopo habituri eſſent? Id vero Pruſſiæ Status unanimi voce pernegabant, utpote quod Opporovius homo extraneus & alienigena ex privilegio terrarum Pruſſiæ & ipſius eccleſiæ Warmienſis, dignitatis ejus capax non eſſet, nec ad eam admitti deberet. Quo dicto Legati Polonici frementes abierunt neque

Regiorum Legatorum levitas.

conventa

conventa ſubſcribere voluerunt; quæ tamen Pruſſici Status, Polonorum contumacia non magni penſa ſolennibus literis confirmarunt, ac ſub ſigillo ediderunt Elbingæ die tertia menſis Octobris hoc anno 1472.

Rex venit in Pruſſiam.

Sed ne ſic quidem res iſta conſopiri potuit, ut Rex ſtudio Statuum Pruſſiæ, & amori tranquillitatis aliquid tribueret. Verum ut eo magis rem adverſus Tungenium, quem Epiſcopum omnino tolerare nolebat, exacerbaret, ac ex ſententia ſua conſtitueret, ipſemet ingruente jam hyeme Torunium venit, Statibus terrarum eo convocatis. Ubi per Conſiliarios regni plurima commemorabantur, de ſtatu Warmienſis epiſcopatus, de Vincentio jam antea per Pontificem Epiſcopo deſignato, de Tungenii temeritate & violenta ingeſtione, de ſtudio Regis in conſervanda pace perpetua, & motibus in contrarium exortis diſcutiendis. Quæ omnia pluribus verbis in eum finem recenſebantur, ut Pruſſiæ Status contra Tungenium arma ſumerent. Illi vero commemorabant, ſe pacem publicam ſemel acceptaſſe, eam ſe conſervatam cupere, neque novis tumultibus turbari provinciam pati velle. Quicquid etiam ipſi hactenus eam in rem communiter conſuluiſſent, id pacis & tranquillitatis ſtudio factum, præſertim quod niſi rebus aliter proſpicerent, arma externa in Pruſſiam commotum iri manifeſto præſenſiſſent, & quod vulgus hominum paſſim in Pruſſia, oppidani & agricolæ, bellum nequaquam amplius ſe laturos, nec quidquam ſubſidii collaturos, quaſi conjurata manu Magiſtratibus denunciaſſent. Itaque petebant, ut Rex ita negotium hoc componeret, ne pax ſemel per univerſam Pruſſiam communiter inita violaretur, ſed ubique rerum tranquillitas ſemel aliquando re ipſa præſtaretur. Aegre tulit Rex hoc reſponſum, præſertim cum denuo admoniti illud etiam affirmarent Pruſſi, ſe ea omnia, quæ cum Tungenio conveniſſent, rata & firma habituros nec ulla ratione fidei ſuæ derogaturos. Tandem poſtulabat Rex, ut arces Heilsperga & Seeburgum in manum ſibi traderentur, quod itidem Pruſſiæ Status absque honoris ſui ſugillatione fieri poſſe negabant. Tungenius etiam Legatos ſuos poſt impetratas publicæ fidei literas miſerat, qui Regis gratiam & clementiam deprecarentur, ſed parum ii proficiebant.

De Privilegiis diſceptatio.

Ad hæc acceſſit gravior cum Rege diſceptatio, quod Pruſſi conquerebantur, privilegia ſua variis modis per Polonos violari, nec hactenus ullam emendationem per ipſos obtineri potuiſſe. Et in primis duo capita urgebantur (nam etiamſi de aliis quoque mentio fiebat, nulla tamen major contentio interceſſit): Unum quod officia & arces Polonis & Bohemis concederentur; alterum quod cum Rex hujus provinciæ cauſas cum Conſiliariis Pruſſiæ tractare ac definire deberet, Poloni undique ſe ingererent, ac plus ſibi juris arrogarent in negotiis judicandis & rebus pro libitu gerendis, quam ipſimet Pruſſiæ Conſiliarii. Hæc Pruſſi in melius emendari, & privilegiorum ac libertatum æquiorem aliquanto rationem haberi, diligentiſſime poſtulabant. Rex quod voluntati ſuæ in negotio Tungiano parum loci relinqueretur, de privilegiis etiam ſatis frigide reſpondit: Seſe uti cæteris ſuis ſubditis ſemper

promiſſa præſtitiſſet, ita Pruſſis etiam quicquid promiſiſſet ac ſpopondiſſet probe præſtiturum. Arces per belli neceſſitatem pro certis ſummis pecuniariis obligatas eſſe, ſi Pruſſi pecuniam exolverent, ſalva ipſis privilegia futura. In cæteris Pruſſiæ rebus non meminiſſe Regem quidquam absque Pruſſorum ſcitu atque conſenſu conſtitutum fuiſſe. Pruſſi contra cum rationes oppigneratarum arcium proponerentur, præter ingenii ſui captum ducebant, quod cum poſt confectam pacem arx Mariæburgenſis ſaltem quinque millibus florenorum oppignerata, & interim nullis ibi militibus ſtipendia præbita fuiſſent, nunc id pignus in tantam ſummam Polonis creditoribus excreviſſet, quanta in ipſo bello vix emptorem inveniſſet. Et ſic de cæteris arcibus hypothecatis ſentiebant. Addebant hæc etiam quod cum noviſſime Mariæburgum oppigneraretur, Pruſſis iſthæc hypotheca, quamvis eam peterent ac idem præſtare vellent, tamen denegata, & Bohemo Cerwoncæ tam Polonorum quam Pruſſorum hoſti capitali potius concredita fuiſſet, eoque ipſo auctore, amiſſo per ſocordiam ejus oppido, arx etiam jam dudum prodita fuiſſet, niſi Elbingenſes & Gedanenſes providiſſent. Poſt hunc Bohemum nulli Pruſſo, ſed Polono Stiborio Ponicio nolentibus & reclamantibus Pruſſis oppigneratam fuiſſe. Cum deinde Coſcielecius arcem quinque millibus pigneratam teneret, eam pecuniam Pruſſos refundere voluiſſe, verum nihil impetraſſe. Nunc illum pro quinque millibus grandem quandam ſummam prætendere, in uſum ejus arcis converſam vel impenſam, quæ nec in rerum natura ſit, nec rationibus uspiam comprobetur. Atqui Mariæburgum a Statibus Pruſſiæ, non a Coſcielecio nec ab ullo Polono, tam grandi ære fuiſſe redemptum, ipſorumque rationes magis quam peregrinorum in iſthac arce conſervanda verſari. Proinde ſi Coſcielecio & aliis ejus ſimilibus literæ privatim in bona Pruſſica, vel jure vel perperam inſcriptæ, ſine Regii honoris deminutione non poſſint non ſervari, eadem certe ratione multo magis ad honorem & exiſtimationem Regiæ Majeſtatis pertinere, ut publica terrarum Pruſſiæ jura & privilegia, manu Regis & Conſiliariorum ſubſcripta, & juramento confirmata in vigore ſuo ſarta & illibata conſerventur. His ultro citroque permultum diſputatis cum & Conſiliarii Polonici & Rex ipſe Pruſſos ſeorſim conſultantes adirent ac poſtularent, cauſam privilegiorum in aliud commodius tempus proferri, & nunc pro Regis ſententia rem Tungenianam expediri, Pruſſi in propoſito plane perſeverarunt. Quo enim usque privilegiorum indemnitatem proferrent? quam jam annos quatuordecim precibus, literis, legationibus fruſtra urſiſſent? Vel cur adverſus Tungenium ejusdem cauſæ participem arma moverent, quocum ex communi privilegio terrarum Pruſſiæ, & pro conſervanda publica provinciæ totius tranquillitate honeſtis conditionibus tranſegiſſent, & adhuc bellum avertiſſent? & omnino tandem illud acturi eſſent, ne quisquam provinciæ pacem impune conturbaret. Itaque cum adverſus Tungenium res non procederet, & Pruſſi nihil movere vellent, re infecta Rex in Poloniam remigravit.

1473. Anno etiam ſequenti ineunte Februario juſſu Regis Elbingæ denuo

nuo tractatum fuit, ſi qua ratione Tungenius adduci poſſet, ut epiſcopatu decederet in gratiam Regis, quandoquidem is præter ingenii manſvetudinem obſtinato penitus animo Epiſcopum illum reſpueret, nec intermiſiſſet illum armis expellere, ſi modo Status terrarum aſſenſum præbere voluiſſent. Verum Tungenius & conditiones ultro ſecum initas, & publicum jus ac libertatem Pruſſiæ terrarum urgebat, nec alio inclinari ſeſe patiebatur. Ajebat etiam Regem ſuis ditionibus bellum inferre non poſſe ſine perjurii nota vel infamia, ſiquidem omnes Reges Pontifici Romano jurati ſint, ne ullam Eccleſiam vel epiſcopatum davaſtent, ſed potius defendant. Hujus etiam Eccleſiæ non Regem ſed Cruciferos legitimos eſſe patronos & defenſores, quod quidem jus Cruciferi absque Pontificis conſenſu Regi cedere non potuiſſent. Ac ut peſſime omnia cadant, ſeſe & ſubditos ſuos omnes centies mori malle, quam Eccleſiæ ſuæ jus prodere vel deſerere. Idem Canonici & civitatum Legati præſentes affirmabant cum ea repetita conteſtatione, etiamſi Tungenius in curia Romana cauſam non obtineret, nullum tamen Polonum ſe pro Epiſcopo agnituros. Aderat etiam Opporovius, qui propoſitis multis bullis Pontificiis, jus ſuum quod in iſtum epiſcopatum ſibi competeret, demonſtrare volebat. Ideoque poſtulabat ſeſe absque ullo impedimento in eas ditiones admitti, & arces quæ Status Terrarum obtinerent, ſibi continuo tradi. Quodſi Tungenius vi ſibi reſiſtere velit, ita jam ſe paratum, ut armis etiam jus ſuum vendicaret. Ita ſcilicet a Magiſtro ſuo edoctus, ut ſi bona gratia dignitates & divitias obtinere minus poſſit, armata manu experiretur. Opporovii poſtulatio Statibus terrarum fuit ingratiſſima, præſertim quod ex profeſſo publicis juribus ac libertatibus adverſaretur. Per Tungenium autem inter cætera egregio ſcommate eludebatur, nam cum in literis Pontificiis diſerte ſcriptum eſſet, ut Opporovius ſuis verbis, ſuisque concionibus erudiret ac ad pietatem inſtitueret, ille vero ne verbum quidem Germanicum calleret, nec ſubditi Polonicum, hinc Tungenius inferebat, Opporovium neque literis quidem Pontificiis ſatisfacere poſſe, nec omnino Epiſcopatus illius capacem eſſe, quod ad populum nec loqui nec concionari poſſet. Poſt varias tractationes nullus ne hac quidem vice rerum exitus potuit inveniri.

Actiones cum Tungenio.

Opporovii faſtus & inſolentia.

Interim Tungenius, quod verebatur Status terrarum tandem in Regis obſequium partes ſuas relicturos, & inde vim maxime ſibi pertimeſcendam, clam omnibus arcem Heilspergam, quam non ita pridem in fiduciariam manum Statibus tradiderat, per inſidias occupat, deinde Seeburgum obſidet: non quidem, ut Cromerus malevole fingit, faventibus, incitantibus & clam adjuvantibus Pruſſis cum aliis, tum Conſulibus Gedanenſibus, quin potius illis invitis, & Tungenio perfidiam exprobrantibus, quod ſatis ſuperque poſtea Regi & Regni Conſiliariis conteſtatum fecerunt. Hoc Tungenii factum, quod pactis antea conventis minime reſpondebat, non ſolum animos Statuum ab eo vehementer abalienavit, ſed etiam Regi certiſſimam ſpem fecit, Pruſſos nunc majoribus ſtudiis Tungenio adverſaturos. Ac illi quidem paulo

Tungenius Heilspergam occupat.

poſt e publico conventu præſidiariis in arce Seeburgo denunciarunt, ut fortiter ſe defenderent, & cautius quam Heilspergenſes agerent, ſe propediem ipſis & commeatum & militem ſubmiſſuros. Deinde varie conſultatum fuit de Tungenii temeritate nunc tandem ſeverius inhibenda, atque aliqua ratione invenienda, qua citra bellicum tumultum ad officium & Regis obſequium ille revocaretur. Placuit tandem, ut publicum interdictum proponeretur, ne liceret Warmienſis epiſcopatus civitatibus & ſubditis in civitatibus Pruſſiæ & Poloniæ converſari, nec ulla commercia exercere, neve ſubditi Regii quoquo modo illos reciperent, commeatu vel commercio juvarent. Cæterum cum ea res effectum ſortiri non poſſet, niſi idem in Cruciferorum ditionibus ſimul & ſemel fieret, placuit ut Rex hac de re Magiſtrum Ordinis admoneret, ac conſenſum ejus requireret. Verum Cruciferi nulla ratione adduci poterant, ut Tungenium & ſubditos vel bello vel interdicto perſequerentur: cauſantes in primis pacem perpetuam, & aliis quibusdam rationibus in medium adductis, quarum hoc erat fundamentum, omnem belli in Pruſſia recrudeſcentis occaſionem prorſus eſſe præcidendam. Unde complures opinabantur, Tungenium non ſine fiducia Cruciferorum & Matthiæ Regis Ungariæ iſthanc rem inceptaſſe. Ac inde negotium hoc ulterius, quam omnium fuerat expectatio, dilatum eſt.

De interdicto contra Tungenium.

1475. Livoniæ Promagiſter.

In Livonia anno 1475. triceſimus octavus Magiſter provincialis creatus fuit Joannes a Walthuſen. Is cum annum & ſemiſſem Magiſtratui præfuiſſet, a fratribus Ordinis exauctoratus, & in carcerem arcis Wendenſis conjectus (cauſam ſcriptores non exprimunt) miſere vitam finivit.

1476. Rex venit in Pruſſiam.

Anno ſequenti Rex Caſimirus iterum in Pruſſiam veniens Mariæburgum ad calendas Maji conventum Statibus Pruſſicis indixit, adductis ſecum quam plurimis Regni ſui proceribus. Ibi denuo de Tungenii facto graviter expoſtulavit, quod per vim epiſcopatum in ſua tutela conſtitutum occupaſſet, quod bellum novum contra pacis perpetuæ præſcriptum ſuſcitaſſet, Heilspergam arcem dolo intercepiſſet, in Regis Ungariæ patrocinium & fidem conceſſiſſet, ac multa alia in deſpectum Regiæ Majeſtatis & Pruſſorum ignominiam & contumeliam temere perpetraſſet. Itaque Rex poſtulabat eorum conſilio, opera & auxilio Tungenium expelli. Pruſſi neque Tungenii factum probabant, nec ullam belli rationem publice utilem iniri poſſe in animum inducere poterant. Proinde Regem rogabant, ut aliquam aliam viam iniret, qua ſine bello res confici poſſet. Rex hanc viam Pruſſos ipſos excogitari jubebat, ſe jam antea copias ſuas in Pruſſiam miſiſſe, quæ jam dudum rem confeciſſent, ſi Pruſſi eas admittere & mandatum exequi paſſi fuiſſent. Nunc ipſis rationes inveniendas eſſe commodiores, quibus hominem ſeditioſum & publicæ pacis violatorem non coërcerent modo, ſed ex Pruſſia penitus exturbarent. Sed ne ſic quidem certi quidquam conſtitui potuit. Per eosdem dies Magiſter Cruciferorum Heinricus Richtembergius Mariæburgum ad Regem venit. Is etiam de interdicto

dicto & bello contra Tungenium diligenter interpellatus, bis habita cum proceribus ſuis deliberatione, tandem reſpondit, nec bellum ex uſu provinciæ ſibi videri, nec fidei & officio ſuo convenire, ut Cruciferi Tungenium infeſtarent vel laceſſerent: primum quod in eo Romani Pontificis auctoritas verſaretur, cujus ipſimet literas & diplomata vidiſſent, quibus Tungenium verum & legitimum Epiſcopum Warmienſem inſtituat, & ab omnibus haberi jubeat: Deinde commerciorum & commeatus interdictionem pactis perpetuæ pacis penitus adverſari: Quid enim aliud interdictum iſtud eſſet, quam belli, cædium, & omnis generis turbarum initium & incrementum? Se quoque bona ſua habere contermina epiſcopatui, neque fieri poſſe, quin bello illuc illato ſuæ quoque res prædæ & periculo exponerentur. Ita ſpes de Cruciferorum opera plane Regi præciſa fuit.

Magiſtri ſententia.

Unde facile poteſt intelligi, quale ſit illud, quod hic Cromerus ſcribit, quaſi Magiſter hac de cauſa denuo ſe Regi purgare inſtituerit, & novum jusjurandum ſi poſceretur, obtulerit ac promiſſerit etiam ſe contra Tungenium conſilio & auxilio Regi non defuturum, quod revera diſertis verbis negaverat, & in hoc ſibimet ipſe Cromerus minime conſtat, cum ſemper alias ſcribat, Cruciferos Tungenii partes foviſſe. Valde etiam illud eſt inhumanum & a ſinceri ſcriptoris more alieniſſimum, quod præter alia, quæ in hoc negotio paſſim Pruſſis aſpergunt, etiam hic Gedanenſes inſimulantur, quaſi Regis conſilia contra Tungenium ipſi infeciſſent, quod longe ſecus ex ſuperioribus actionibus apparet. Niſi fortaſſis illud ſit inficere, quod eo conſilia ſua Gedanenſes ſummo ſtudio converterint, ne novum aliquod bellum in Pruſſia reſuſcitaretur, ad quod & civitates, & Nobilitas, & in univerſum incolæ omnes erant imparatiſſimi. Nec immerito ſane, quippe cum ipſis præteriti belli maximum onus præ cæteris incubuiſſet, & quod in proverbio eſt vernaculo, ipſi mercedem tibicinii exolviſſent. Quid autem in eo tantopere delinqui potuit, ſi Gedanenſes publico terrarum privilegio & patriis libertatibus inhærentes, indigenam potius Tungenium, quam alienigenam Opporovium Epiſcopum admitti maluerint? Scilicet hoc ulcus eſt, quod huic ſcriptori tantopere doluit, utpote qui & ipſe poſtea ad eandem dignitatem homo peregrinus irrepſerit.

Cromerus.

1477. Cromerus.

Sequens annus in Pruſſia plane fuit pacatus, cum Rex motibus Ungaricis, Bohemicis, & aliis alibi diſtineretur, quo minus bellum illud, quod in animo habebat, adverſus Tungenium inſtituere poſſet, præſertim quod ab eo Pruſſi penitus abhorrebant, & adhuc incertum erat, utras Cruciferi partes fuiſſent ſecuturi. Itaque mirum videri poteſt, quod hoc anno ſcribit Cromerus, e Polonia in Pruſſiam miſſos ſexcentos equites & quadringentos pedites mercinarios, ut Pruſſos in officio continerent, ſuſtinerentque Cruciferorum impetum, ſi quem facerent in Regiam ditionem tantisper, donec ipſe Rex cum majoribus copiis ſubſequeretur. Nullus enim miles externus hoc anno in Pruſſiam inductus, neque Pruſſi paſſi fuiſſent, et ſi Poloni militem miſerant,

cur

cur pacatum & otioſum ſinebant eſſe Tungenium, cujus cauſa omnia iſthæc movebantur? Sed hoc uti totum fictitium eſt, ita cum majorem quampiam calumniam ſuo more Pruſſis infligere vellet, in ſpeciem facti cujuspiam ſic interpolandum fuit, dum hæc ſubjicit: Non modo enim incertis rumoribus jactabatur, Cruciferos ad rebellionem ſpectare, cum Ungaro per crebros Internuncios fœdus & ſocietatem inire, Mariæburgenſem & Culmenſem Palatinos, Philippum Biſchovium Conſulem Gedanenſem, & nonnullos alios Regiæ ditionis in eorum partes inclinare: Sed certis etiam indiciis & literis interceptis conſilia eorum deprehenſa erant: Sollicitabantur etiam ab eis ad defectionem Duces Maſovii, nec admodum ii abhorrere a tam nefario facinore videbantur propter offenſam, niſi Conſiliarii quidam graviores a concepto ſcelere eos revocaſſent. Verum ſi quis ejus temporis & negotiorum conditionem & ſtatum exactius conſideret, & quæ tunc præ manu fuiſſe dicuntur cum ante geſtis & poſtea ſubſecutis æqua lance perpendat, iſthæc calumnia ſemetipſam facile refutabit. Nam quod ſequitur, nobilitatem Pruſſicam cum civitatibus conventu Mariæburgi ad exitum Junii menſis acto, ſacramento ſe obligaſſe, a Polonis nunquam ſe defecturos, ſi quod autem bellum oriretur, ſe pro illis arma ſumpturos, agreſtium quintum quemque expedituros, civitates vero ſingulas militum certum numerum promiſiſſe &c. De his omnibus in Actis Pruſſiæ publicis, quæ Majores ſumno ſtudio ſemper adſervarunt, ac poſteris reliquerunt, nulla penitus fit mentio, & hujus Mariæburgenſis conventus, & ſubſidii militaris Nobilium ac civium, in illis ne veſtigium quidem extat. Neque veriſimile videtur, quod Pruſſi tum, cum minime neceſſum eſſet, ſponte ſua ſubſidium militare ſciverint, cum paulo ante Regi ipſi toties urgenti & roganti, in uſus Pruſſiæ domeſticos ne teruncium quidem conferre voluerint. Ita libet interdum ejus generis ſcriptoribus animi rancore laborantibus, affectioni potius inſervire, quam rerum geſtarum veritati.

Cæterum quid Cruciferi de auxilio & interdicto contra Tungenium Regi reſponderint, paulo ante commemoratum eſt, ita ut quamvis tum Tungenii cauſam non improbare viderentur, ulterius tamen rem deliberandam cenſerent. Sed priusquam certi quid ab illis ſtatueretur, Heinricus Magiſter ſupremum diem ſuum obiit, ut in fine libri ſuperioris attigimus. In ejus locum pridie nonas Auguſti ſublectus fuit Martinus Truchſes de Wetzhauſen, Commandator Oſterrodenſis, Magiſter ejus Ordinis primus actriceſimus.

XXXI. Martinus Truchſes.

Livoniæ Promagiſter.

Eodem tempore in Livonia Magiſter provincialis undequadrageſimus creabatur Bernardus von der Borch. Is adverſus Ruſſos cum exercitu centum millium expeditionem fecit, quantas quidem copias nullus alius Magiſter nec ante nec poſt eum unquam comparare potuit. Sed parum pro tanto militum numero actum fuit. Quinimo non diu poſt per incurſiones Ruſſorum in propriis ditionibus longe majora quam intulerat damna, devaſtationes, prædationes & incendia perpeſſus fuit. Deinceps quod Epiſcopatum Rigenſem multis injuriis & malis affeciſſe diceretur, a Pontifice Romano excommunicatus & officio remotus fuit.

Novus Cruciferorum Magiſter Martinus initio regiminis haud obſcure præ ſe ferebat, ſe Tungenio Epiſcopo, ſi qua vis aut bellum ipſi fieret, ſuppetias laturum, & rumor tum erat, illum cum Ungariæ Rege fœdus eam in rem iniviſſe: Unde etiam licet bis a Rege requiſitus præſtationem juramenti ſubinde protrahebat. Quod autem cum Ungariæ Rege fœdus iniviſſet, poſtea ſuis ad Gedanenſes ſcriptis litteris, poſtquam illi hac ipſa de re cum Cruciferorum quibusdam primoribus iſthac ex Germania tranſeuntibus ſermones contulerant, minime diſſimulavit, quas literas majoris fidei cauſa, qualis illius animus erga Regem & Polonos eſſet, hic ſubjiciam.

Magiſtri fœdus cum Ungariæ Rege.

Frater Martinus Truchſes, magnus Magiſter Ordinis Teutonici.

Conſulibus & Senatoribus Civitatis Gedanenſis ſalutem plurimam.

Commandatores noſtri, qui nuper huc e Germania ad electionem novi Magiſtri contendentes in itinere apud vos diverterant, ſtudium & ſingularem benevolentiam veſtram in ipſis excipiendis & laute tractandis, multis verbis ſumme nobis prædicarunt. Quæ res & nobis gratiſſima fuit, & eum deinceps apud fratres locum habitura eſt, quam mutua benevolentia, ubi res & occaſio tulerit, nullus non compenſare ſtudebit. Quod autem Conſules veſtri cum iisdem fratribus noſtris ſermonem inſtituerunt, de ea conventione & protectione, quam nos cum Sereniſſimo Ungariæ Rege Matthia coiſſemus, in eum utique finem, quod malletis vel factum id non fuiſſe, vel etiamnum retractari poſſe, propter bellum & ſedictiones, quæ Pruſſiæ terris inde poſſent exoriri: Eo etiam addito, ſi anteceſſor noſter juſtam aliquam rationem ad ineundum ejusmoddi fœdus in medium protuliſſet, vos cum cæteris ita rem acturos fuiſſe, ut omnis turbarum & diſcordiæ occaſio præcideretur. Atqui non ignoratis amici, & ipſimet Mariæburgi, Rege, Epiſcopis & regni Proceribus præſentibus vidiſtis, & in aliis conventibus, in actionibus omnibus tam verbo quam ſcripto habitis, experti eſtis, qua benevolentia Poloni noſtrum Ordinem proſequantur, quomodo omnia conſilia ad Ordinis oppreſſionem inſtituerint. Quicquid contra Anteceſſorem noſtrum decretum fuerat, illud ad effectum perduci oportebat. Noſtrates vero nec jus nec æquum obtinere poterant; exhibebantur Regis literæ, ſed ſponſiones in iis contentæ penitus in partem rejiciebantur. Quicquid etiam tum Mariæburgi Regiæ ſublimitatis honori datum, & in quem finem datum fuerit, dubio procul ipſimet noviſtis. Nunc mira vobis videtur noſtra cum Regno Ungariæ confœderatio? At nos multo potius miramur, vos animi veſtri ſcien-

tiam intueri nolle, nec intelligere vel diſpicere velle, quæ res & nunc & dudum antea Ordini noſtro cum Poloniæ regno interceſſerint. Scitis quam multæ conventiones & perpetuæ concordiæ inter Polonos & Ordinem noſtrum, multo etiam quam hæc noviſſima, arctiores & ſtrictiores inſtituræ, litteris, ſigillis & jurejurando ſancitæ confirmatæque fuerint. Quatenus autem ex illarum præſcripto fides Ordini noſtro ſervata præſtitaque ſit, plus quam manifeſtum eſt. Nusquam invenitur Ordinem noſtrum ullam pacis ejusmodi conventionem violaſſe. Hæc autem recens conventio, quam pacem perpetuam appellari placuit, in Ordinis noſtri præjudicium multis jam modis violata, turbata, & nusquam in vigore ſuo conſervata fuit. Qualiter etiam idem Rex Poloniæ & Epiſcopi ac proceres ejus ſeſe vobis obligaverint, & qua fide obligationes ſuas & privilegia recens vobis conceſſa huc usque præſtiterint, vobis ipſis non eſt incognitum, ac per terras & civitates Pruſſiæ notorium. Quoniam igitur idem Rex Epiſcopum Varmienſem & Ordinem noſtrum opprimat, & graviſſime affligat & labefactet, eaque res etiam ad veſtri oppreſſionem conſequenter pertinere dignoſcatur, quid tandem & vobis & Ordini noſtro inde boni putatis expectandum? Cum utique non ſit clam, ſed omnium oculis expoſitum, qualiter vos & veſtrates tam in Poloniæ regno, quam in hisce Pruſſiæ terris (quod ipſimet etiam ſatis abunde perſpeximus) a Polonis haberi tractarique, ſcilicet amici, ſoleatis. Quæ omnia ſi quilibet conſcientiæ & ſalutis ſuæ rationem haberet, facile Deo juvante præcaveri potuiſſent &c. Et infra: Hanc autem prædictam conventionem & concordiam neceſſitas nobis ſvaſit, ac maxima injuria & iniquitas Regis & Polonorum fidem promiſſaque minime ſervantium, expreſſit. Eamque cumprimis ad Dei gloriam & Divæ Virginis matris honorem, ac ad Ordinis noſtri ac harum terrarum bello jam miſere divexatarum incolumitatem & reſtitutionem, non ob ullum bellum vel ſeditionem excitandam, amplexi ſumus. Atque ſperamus, a nemine æquitatis & honeſtatis amante noſtrum hoc inſtitutum in ſequiorem aliquam partem merito traduci debere. Scriptæ in monte Regio die 18. menſis Auguſti anno 1477.

1478. Conventus Breſtenſis. Hisce rebus Caſimirus iterum commotus Ordines Pruſſiæ conſultandi cauſa Breſtum evocavit, quibus præſentibus multa de novo Magiſtro propoſita ſunt, quod is fidem Regi debitam præſtare detrectaret, quod Brodniciam & Culmam oppida, & Starogrodum terræ Culmenſis arcem, vulgo Altenhaus, de quibus a ſtipendiariis militibus Cruciferorum redimendis Rex tum agebat & nonnihil pecuniæ ſolverat, Magiſter majori promiſſo intervertere cogitaret; quod in clientelam Ungariæ Regis conceſſiſet; quod Tungenium ope auxilioque haud obſcure juvaret, & ſic totus ad rebellionem ſpectaret. Itaque Rex a Pruſſis petebat non conſilium modo, ſed etiam arma adverſus Magiſtrum & Tungenium expediri. Pruſſis conſultiſſimum videbatur, ut Rex arces & oppida Cruciferis finitima præſidio & commeatu ſic muniret, ne in Regias ditiones irruptio pertimeſcenda eſſet; ad Magiſtrum de ſuperfluo Legati mitterentur, qui officii & fidei illum admonerent.

De armis in Tungenium moveneis excuſabant inopiam & renitentiam indigenarum, qui proximo bello tam diuturno adeo exhauſti eſſent, ut Rex auxilia prioribus ſimilia hoc rerum ſtatu fruſtra ab ipſis expectaret. Ad Magiſtrum miſſi Legati re infecta redierunt, quod is vanis & in ſpeciem modo comparatis ſermonibus rem omuem procraſtinare cogitabat.

Tungenii bellum

Interim Tungenius bellum palam gerere cœpit, & epiſcopatus Warmienſis oppida & arces ut plurimum deditione in poteſtatem redegit. Magiſter etiam prædicta oppida & arces Brodniciam, Culmam & Starigrodum a militibus redemit, & munitiones eas ſuis præſidiis firmavit. Rex itidem copias in Pruſſiam miſit, quæ Warmienſem tractum immaniter vaſtarunt, oppidum inſulæ Marianæ totum excepta cathedrali Eccleſia incendio conſumpſerunt, Wormbditum, Frawe-burgum & Melſacum expugnarunt, neque Sambienſi territorio per ſubitas excurſiones pepercerunt: Tungenio nusquam pugnandi vel reſiſtendi copiam faciente, utpote qui ab exercitatis militibus plane erat imparatus. Miſerat ipſi Magiſter copias nonnullas, ſed ferme ex agreſtibus & calonibus collectas, qui parum bene in acie verſaturi videbantur. Quibus incommodis adducti cives & indigenæ tam Ordinis quam epiſcopatus cum Pruſſiæ Statibus denuo de pace agere cœperunt. Conventus eam in rem Elbingam indictus fuit, ubi primum Cruciferi ab epiſcopalium partibus ſtare, ac velut unam & eandem cauſam agere volebant. Quod cum Status Regii utpote in longe diſſimili cauſa & actione prorſus repudiarent, cum utrisque ſeorſim agi cœptum fuit. Et epiſcopales quidem Legati certos aliquot articulos proponebant, quibus & Epiſcopo ſuo & Warmienſi ditioni proſpectum, & Regiæ dignitati nihil derogatum exiſtimabant. Ex Magiſtri vero parte ea ferme afferebantur, quæ Regii Status nec pactis antea conventis reſpondere, nec absque auctoritate Regia concedi poſſe intelligebant, ne tamen ultro majoribus motibus aperiri feneſtra videretur, placuit ut ad rem tandem perficiendam alius conventus commodiſſimo quoque tempore conſtitueretur.

1479. Alius Conventus.

Is conventus usque ad ineuntem ſeqventem annum protractus Elbingæ deinde celebratus fuit, ubi Magiſter Cruciferorum per Legatos ſuos expoſuit, ſibi per literas Nuncii Pontificii denunciatum eſſe, quod ambo Reges Ungariæ & Poloniæ diem inter ſe Olmuciam conveniendi ſuſcepiſſent, & ad eum conventum ipſe quoque Magiſter vocatus eſſet, ut ibi ſimul inter cæteras controverſias de ſuo etiam & Tungenii negotio tranſigeretur, itaque petebat has actiones usque ad ejus conventionis exitum ſuſpendi. Epiſcopales autem ſtatus denuo capita quædam amicæ transactionis proponebant, non multum quidem a prioribus diverſa, ſed tamen quæ, niſi Tungenius epiſcopatu prorſus ſine ulla conditione decederet, pro dignitate Regia recipi non poſſe videbantur. Itaque Status rem omnem, uti geſta fuerat, Mariæburgum ad Regis Legatum Epiſcopum Vladislavienſem retulerunt. Ad quem paulo poſt in

ipſa conſultatione Nuncius a Rege venit, qui ſignificabat, Regem conventum Olmucenſem ita recepiſſe, ut ibidem etiam de Tungenii & Magiſtri negotio certa aliqua transactionis ratio tentaretur. Ideoque commodius viſum fuit, rem omnem usque ad ejus conventus exitum prorogari.

Copiæ Regis in epiſcopatu Warmienſi.

Nihilominus dum hæc ultro citroque agerentur, Rex plures copias in Pruſſiam miſit, non ut bellum aliquod novum inceptarent, vel Ordinis ditiones infeſtarent, ſed ſolum reliqua Warmienſis epiſcopatus per deditionem quantum fieri poſſet occuparent, & ad Regis fidem adducerent. Id enim auctoritatis ergo diſerte Rex a conventione Olmucenſi exceperat, & ſaltem controverſias cum ipſo Tungenio intercedentes transactioni permiſerat. Ita ſtatim Regiæ copiæ reliqvas Civitates & arces ejus Epiſcopatus, Heilsperga ſaltem excepta, ut plurimum per deditionem, absqve cæde & igne in Regis fidem receperunt, cum interim nemo appareret, qui defenſionem aliquam oſtentaret, & Epiſcopus tam Ungariæ Regis quam Magiſtri auxiliis, quorum fiducia tantam rem aggreſſus fuerat, prorſus deſtitueretur. Conducta quidem erant ſeptem millia Ungarorum, qui itinere per Marchiam capto Magiſtro & Epiſcopo ſubvenirent. Sed cum Albertus Marchio tum temporis ſimultates & certamina cum Saganenſi Duce exerceret, ratus eas copias hoſti ſuo ſuppetias latum advenire, obviam ipſis profectus, itineribus undique impeditis, magna ſtrage bis illos profligavit, ſic ut pauci evaderent. Interim etiam Regii milites oppidum & arcem Heilspergam obſidione cinxerant. Cum autem conventus Olmucenſis inter Reges jam ſuccederet, mandavit Caſimirus obſidionem eam ſolvi, nec quidquam hoſtile attentari, donec exitus ejus conventionis appareret. Tungenius igitur ex ea parte deſtitutus, cum etiam Clerum & civitates incepti belli tæderet, ac vehementer urgerent, ut vel epiſcopatu decederet, vel cum Rege bona gratia tranſigeret, relicta Heilsperga in montem Regium ad Magiſtrum profectus eſt, ut cum eo de ſtatu rerum ſuarum conſultaret. Grave conſilium id Magiſtri ſubditis videbatur, quibus omnino verendum erat, ne quamprimum epiſcopatus in Polonorum poteſtatem concesſiſſet, hoſtiles copiæ in Magiſtri ditionem irrumperent, & fœde omnia devaſtarent. Itaque non minus ipſi Magiſtrum urgebant, ac efflagitabant, ut alias cum Rege tranſigendi rationes iniret. Sic habito conſilio uterqve magis ſubditorum precibus & inſtantis periculi metu coacti, quam propria voluntate adducti, Petricoviam, ubi tum Rex erat, accepta fide publica contenderunt, tentandæ pacificationis cauſa: Eo tamen prius inter ſe convento, ut pacem quidem qualem qualem amplecterentur, neuter autem Regi juramentum præſtaret. Cum eo veniſſent, Tungenio longe alia rerum facies occurrit, & per patronos quosdam alia rerum ſuarum occaſio demonſtrata, ſic ut extemplo etiam alia conſilia ſequeretur. Itaque Regi ſupplex factus, gratiam ejus multo magis expetivit, quam ut jus ſuum magnopere tueretur. Rex jam antea per Legatos Ungarorum Regi ſpem fecerat, ſi Tungenius gratiam peteret, Epiſcopatu Warmienſi ſemel decederet,

Tungenius ad Magiſtrum confugit.

Magiſter & Tungenius Regem adeunt.

deret, ac ita ſeſe voluntati Regis accommodaret, facile alium epiſcopatum vel duos etiam pro uno impetraturum. Nec defuit occaſio, cum eodem ferme tempore tres Epiſcopi, Vincentius Culmenſi, Andreas Posnanienſis, & Paulus Chelmenſis continuatis prope funeribus efferrentur. Itaque Caſimirus Tungenium non modo in gratiam recepit, ſed etiam ut Capitulo gratificaretur, & ejus privilegia eo magis confirmaret, epiſcopatum Warmienſem ipſi ſponte conceſſit, oppidis & arcibus omnibus continuo reſtitutis. Magiſter neqve hoc benignitatis exemplo commotus ad officium & ſanitatem redire voluit, neqve de fiducia in Ungariæ Rege dimoveri potuit, cujus auxilio penitus ſibi perſvaſerat, ſe non ſolum jugum iſtud Polonicum propediem excuſſurum, ſed etiam amiſſa recuperaturum. Eoque magis juramentum detrectabat, quod ſe in verba Poloni nunquam juraturum Deo & Hominibus fidem dediſſe diceret, non etiam pauca proferret, quibus a Polonis ſe læſum conquerebatur. Cum autem Legati etiam Ungariæ Regis illum a pertinacia dehortarentur, & aperte denunciarent, non debere eum deinceps ullam rerum ſuarum ſpem in Matthia collocare, illum Turcio bello intentum, neque commiſſurum eſſe, ut vel injuſtam cauſam tueretur, vel in ejus gratiam inimicitias cum Poloniæ regno ſuſciperet: Ad hæc ſui quoque, qvos ſecum habebat, obteſtarentur, ne ſe & ipſos iret perditum, ac ne minis quidem abſtinerent, his demum non tam flexus quam fractus deceſſit de pertinacia, & ſecutus Regem, qui jam Peiricovia abiverat, Corcinum usque, nona die menſis Octobris pacem & fœdus cum Polonis redintegravit, & in arce Corcinenſi fidelitatis juramentum ſolenni ceremonia præſtitit. Idem fecere, qui cum eo venerant primores Cruciferorum, & cum his ſex alii ex nobilitate & tres Conſules Regimontani. De cæteris omnium Ordinum, qui aberant, promiſſum, quod & ipſi Legatis Regis præſentibus juramentum eſſent præſtituri. De Brodnicia, Culma & Starigrodo per Magiſtrum interceptis convenit ut Magiſter eas munitiones ad diem proximum Divo Martino ſacrum Regi reſtitueret, ac pro iis viciſſim octo millia florenorum reciperet. Hoc tandem pacto uterque tam Tungenii quam Magiſtri gliſcens motus, qui in aliud magnum malum evaſurus multis videbatur, præter omnium ſpem conſopitus fuit, quod multis antea rationibus, conſiliis & tractatibus fruſtra fuerat attentatum.

Tungenius in gratiam receptus.

Magiſtri pertinacia.

Magiſter ſe Regi ſubmittit.

Eodem anno Princeps Moſcorum Joannes Baſilius peramplam urbem Novogardiam totius ſeptentrionis celeberrimum emporium occupavit ac diripuit. Et jam antea quidem anno 1477. menſe Novembri poſt ſeptennale bellum Novogardenſes ad fluvium Scholono conflictu ſuperatos certis quibusdam coditionibus ad deditionem compulerat, præfectumque ſuo nomine urbi impoſuerat. Cum autem abſolutum in hoſce imperium nondum habere ſe putaret, neque ſine armis id ſe conſequi poſſe cerneret, ſub religionis prætextu, ac ſi a Ruthenico ritu deficere ſatagentes in fide continere vellet, hoc demum anno Novogardiam venit, eamque occupavit, inque ſervitutem redegit, diripuit, mercatores & externos bonis omnibus ſpoliavit, trecentos civium primores

Novagardia a Moſco capta & direpta.

mores interfecit, eorumque facultates abſtulit, cæteris vero civibus tertia ſolum parte facultatum relicta quicquid erat reliquum ademit, denique Archiepiſcopi, qui totum illum Principatum conſilio & auctoritate ſua adminiſtrabat, ærarium auro, argento, gemmis, margaritis & omni genere opum permultos annos congeſtarum refertiſſimum ac ditiſſimum, ſpoliavit, ſolumque aurum & argentum, gemmas atque uniones, & pretioſam ſupellectilem trecentis curribus aſportavit. Deinde veteres ferme cives omnes cum familiis abductos paſſim per Moſcoviam diſtribuit, & barbaris ſuis urbem quaſi in coloniam deductis inhabitandam conceſſit. Is Joannes Baſilius amplum quidem a Majoribus ſuis principatum acceperat, verum Tartaris, qui trans Volgam flumen incolunt, obnoxium ac tributarium, usque adeo ut Legatis Tartaricis atque etiam veredariis tributum petentibus, vel alia quavis de cauſa venientibus, cum equis veherentur, Dux ipſe pedeſter obviam prodiret, & lactis eqvini (qui potus eſt Tartaris gratiſſimus) poculum venerabundus porrigeret, ſi qva gutta inde in jubam eqvi deſtillaſſet, eam lamberet, interpreti legenti literas Imperatoris ſelectam veſtem Zebellinam ſubſterneret, ipſe cum Proceribus legi eas audituris genua flecteret, nec ullum tyranni imperium detrectaret, etiamſi bellum contra Chriſtianos, fœderatos aut neceſſarios ſuſcipere juſſus eſſet. Hanc tam duram ſervitutem hic Joannes vir animi magni & acer cum ferre non poſſet, incitante præſertim uxore Græca, quæ cotidie ipſi exprobrabat, ſe è Cæſarum Conſtatinopolitanorum familia natam ſervo Tartarorum indigne nupſiſſe, ſumptis armis excuſſit, finitimos etiam Ruſſorum Principes partim armis partim aſtu & inſidiis, ſubjugavit. Mox etiam Tartaros trans Volgam Caſanes & Aſtracanes, quibus progenitores ejus tam turpiter ſervierant, adeo debellavit ac oppreſſit, ut ipſi non minori ſervitio, quam Tartaris majores ejus erant, deinceps eſſent obnoxii. Et hoc ſucceſſu tum Moſcus Novagardia ſubacta, & compluribus arcibus atqve caſtellis finitimæ Ruſſiæ, quæ Alba dicitur, magnoqve Lituanorum Duci parebat, in poteſtatem ſuam redactis, reliqvæ Ruſſiæ & toti Lituaniæ, dum alibi Caſimirus diſtineretur, vehementer imminebat. Et quanquam Lituani amiſſa bello repetere optimum factu eſſe cenſerent, maluit tamen Rex quietis conſiliis cum feroci Moſco rem componere, quod eum tanta acceſſione divitiarum atque provinciarum, numeroſis & bellandi aſſiduitate exercitatis, & memoria partarum victoriarum præſidentibus copiis abundare, ſuos vero longa deſvetudine armorum imbelles & effœminatos eſſe diceret: mercenario milite contra tam potentem hoſtem bellum geri oportere, cujus è Polonia & vicinis gentibus tam celeriter educendi ſibi non eſſet copia: itaque aliquot annorum inducias cum eo pactus eſt.

Moſcus Tartarorum tributarius.

Moſcus jugum abjicit.

1480. Anno ſeqventi in Pruſſia varii tractatus habiti fuere inter Status Regios & Cruciferorum ordinem de multis rebus, quæ utrinqve eo colore controvertebantur, quod vel ex præterito bello perperam inductæ fuiſſent, vel paci conſtitvtæ non ſatis reſponderent. Inter quæ vel præcipuum illud erat, quod Gedanenſes Civitate per Caſimirum multis prærogativis donata, & acceſſione bonorum terreſtrium aucta, peculiare inter cives contubernium conſtituerant ex iis, qui ſuccinum in Regia Pruſſiæ parte proveniens elaborabant, ac in varios uſus fabrefaciebant. Eam rem Cruciferi vehementer ægre ferebant, & in omnibus ferme publicis conventibus impugnabant, cum quod res nova eſſet & ideo conſtitutæ paci adverſaretur, tum quod iſthac occaſione ſuccinum in Cruciferorum ditione collectum per fures & transfugas ſupprimeretur, ac inde Gedanum clam aſportatum magiſtris ejus contubernii vili plerumqve pretio venderetur, in maximum Ordinis præjudicium & non leve detrimentum. Gedanenſes contra contendebant, quandoquidem nunc in ſuo territorio (quod antea inſolens erat) ac etiam in fundo vicino Olivenſi ſuccinum proveniret, merito ſe pro Civitatis augmento & incolarum commodo, ut ejus ſuccini probus uſus & fructus eſſet, contubernium illud inſtituiſſe. Idqve etiam exemplo non carere, cum in aliis etiam maritimis civitatibus ejusdem generis contubernia inſtituta jam dudum conſtet. Quod ſi fures & transfugæ quidquam ſupprimerent vel interverterent, æqvius videri adverſus id genus hominum lege agere, quam ut ob alienum furtum aut noxam Civitatis alicujus juri & libertati officeretur: præſertim cum Gedanenſes jam pridem publicis edictis, ne à quovis hominum ſuccinum aliunde importatum emeretur, niſi qui auctorem ſuum laudare poſſet. Alioqvin ſi ad nudum furtum reſpiciatur, omnia contubernia eſſent tollenda, qvippe qvorum & materia & operæ furto eſſent obnoxiæ. Cruciferi rurſum inferebant: Cum ante hæc tempora ipſimet totam provinciam obtinuiſſent, non incognitum ſibi eſſe poſſe, quantum ſuccini in iſthoc territorio, quod nunc Gedanenſes habent, annuatim proveniret, idque non eſſe tanti, ut inde peculiare contubernium ali ſuſtineriqve poſſet, niſi res furtivæ cum Cruciferorum diſpendio in ſubſidium venirent. Proinde cum inſtitutum iſtud novum, neqve prius uſitatum, & conſeqventer conſtitutæ paci conforme non eſſet, abrogationem ejus contubernii ſubinde flagitabant. Verum Gedanenſes cum negarent, ideo hanc rem paci publicæ adverſari, quod nova & hactenus inuſitata fuiſſet, nec continuo illud quod novum eſſet reprobari debere, cum experientia communis teſtetur, multa cotidie nova conſtitui pro rerum & temporum conditione, varietate vel mutatione, quæ cum multorum communi commodo conjuncta, nemo hominum prudentium aſpernaretur, inſtitutum ſuum mordicus defendebant.

Verſa vice non deerant etiam Statibus Regiis, quæ à Cruciferis & noviter inducta, & paci conſtitutæ palam adverſari contendebant: nimirum quod monetam in uſu publico utrinqve verſantem longe deteriorem feciſſent; quod contra morem hactenus obſervatum de bonis naufragis trientem exigerent; quod vectigal novum in portu conſtituerent, & a mercatoribus etiam, qui verſus montem Regium ultro citroque commearent, neque merces venderent, neque deponerent, nihilominus illud exigeretur. Cauſabantur illi in negotio quidem monetario argenti caritatem, in cæteris neceſſitatem & contracti æris alieni in

Capita Cruciferis opponuntur.

1481. 82. 83. 84. in proximo bello magnitudinem. Ita nullus harum rerum finis inveniri potuit, quantumvis intra continuum quadriennium deinceps multi conventus conſultandi cauſa haberentur, ſed omnia integra in felicem Regis reditum in Pruſſiam prorogata fuere.

1485. Actio cum Pomeraniæ Duce.

Anno deinceps 1485. miſſi a Rege Legati ad Bugislaum Erici filium Pomeraniæ Ducem, Nicolaus Wolkaw Palatinus Pomerelliæ & Georgius Bock Conſul, & Heinricus Falcke Senator Gedanenſes, quibus in Civitate Stolpenſi locus audientiæ datus. Illi hæc ut agerent in mandatis habebant: Primum urgebant reſtitutionem oppidorum & arcium Laweburgenſis & Butovienſis, quæ ejus patri, mandato Regis, certis utique conditionibus tradita fuerant, prout is etiam ſe reſtituturum literis ſuis caverat. Urgebant id etiam ſuo nomine vehementius Gedanenſes, quod dicerent in omnibus pene conventibus Pruſſiæ publicis, a cæteris Statibus exprobrari ſibi, quod ipſi iſthæc oppida atque arces e manu ſua Erico Duci tradidiſſent, & ſic a Pruſſia abalienaſſent, Dux autem expreſſe recepiſſet, ſeſe quamprimum admonitus fuiſſet, absque ulteriori mora Gedanenſibus reſtituturum. Bugislaus contra referebat ſtudia & multa merita Patris Regi toto belli tempore præſtita, pro quibus iſthæc oppida & arces illi conceſſa fuiſſent. Allegabat etiam alias obligationes, quibus Rex Patri viciſſim obnoxius eſſet, itaque cum poſteriora pacta prioribus jure derogarent, iis potius, quæ poſteriora eſſent, ſtandum exiſtimabat. Verum cum Legatis poſteriorum pactorum copiam ſibi fieri petentibus exemplum dari poſſe negaret, quoniam in loco præſenti nec domicilium nec archiva ſua haberet, recepit ſe primo quoquo tempore legatos ſuos ad Regem miſſurum, qui plenis cum mandatis hac de re penitus tranſigerent. Deinde Rex poſtulabat, quoniam ad ſe querimonia delata fuiſſet, nomine Ducis ipſius novercæ, quæ tum Gedani degebat, quod illam Dux bonis dotalitiis expuliſſet, & nunc in exilio converſantem, & rerum omnium inopia laborantem prorſus negligeret, & Gedanenſes ſimul precibus intercedebant, ut majori illam amore & gratia proſequeretur, & hanc apud vulgus hominum jam conceptam contemptæ matris ignominiam luculentiori beneficentia aboleret. Reſpondit Dux, ſe jam antea Regi per certum hominem abunde oſtendiſſe, quale illud eſſet jus, quod noverca de bonis dotalitiis prætenderet. Demum tamen ne quam inde infamiam ſibi contraheret, hanc ferebat conditionem: Si illa ſecum in Pomerania vivere ac commorari vellet, ſe ita ipſi alimentis & cæteris rebus proſpecturum, uti fœminam principem, pro ſtatu & dignitate ſua tuendis quam optime deceret. Cæterum de prædictis oppidis & arcibus aliæ deinceps & longe diverſæ tractationes fuerunt inſtitutæ.

Livoniæ Promagiſter

1486. 87. 88.

Mortuo in Livonia Bernardo von der Borch electus eſt provincialis Magiſter quadrageſimus Joannes Fridach von Loringhave, Commandator antea Revalienſis: Cæterum continuis hiſce tribus annis in Pruſſia nihil ſcriptu dignum contigit. Niſi quod novum & inſolens quiddam accidere ſibi Pruſſis videbatur, quoniam ſcilicet Rex Caſimirus ſuppe-

ſuppetias ab ipſis & auxilia contra Turcos poſtulabat, qui tum in Walachia Polonorum ditionibus imminebant, & jam aliquot oppida & munitiones ceperant, ac omnia igni ferroque devaſtabant. Poſtulabat autem ea Rex hac maxime ratione, quandoquidem Pruſſi regno Poloniæ æque ac unum ex cæteris membris conſociati eſſent, æquum videri, ut una cum Polonis conſilia & auxilia conferrent, ac omnino ita ſe gererent in propulſandis regni hoſtibus, uti Poloni in depellendis a Pruſſia Cruciferis ſeſe paratos & promptos præbuiſſent. Pruſſi negabant, eandem eſſe ſuam cum Polonis conditionem, præterquam quod etiam ſuperiori bello penitus eſſent exhauſti. Quandoquidem ad Poloniæ regnum ſalvis juribus ſuis acceſſiſſent, quæ jura terminis Pruſſiæ circumſcriberentur, neque ultra provinciæ fines ſeſe extenderent. Et ita quidem acceſſiſſent, non ut ipſi Polonos, ſed Poloni Pruſſos a quorumvis hoſtium incurſu & maleficio vendicarent ac defenderent. Eoque magis renitebantur Pruſſi, quod tam privilegia recens conceſſa, quam jura ſua antiquiſſima variis modis violarentur, ac ferme non pedibus per Polonos proculcarentur, quæ res omnium animos vehementer exacerbaret, & a Rege tandem alieniſſimos factura videretur. Itaque viciſſim poſtulabant, ut & jura & privilegia ſua ſarta tecta in ſtatum ſuum reponerentur, & injuriæ, oppreſſiones ac inſolentia Polonorum cohiberentur. Hæc quanquam toto hoc triennio ſubinde vehementer acta, & multæ Legationes ultro citroque miſſæ, interdum etiam altercationibus magis quam rationibus tractata eſſent, nihil tamen a Pruſſis eam in rem, nec minis extorqueri, nec bona gratia obtineri potuit. Itaque nec operæ pretium me facturum exiſtimo, ſi iſthæc omnia, uti acta tractataque ſunt, pluribus hoc loco fruſtra commemorem. Rex petit auxilia contra Turcos.

1489. XXXII. Joannes von Tieffen.

Anni ſequentis initio, die quinta menſis Januarii, diem ſupremum obiit Magiſter Martinus Truchſes, in cujus locum ſuffectus eſt Joannes von Tieffen, vir modeſtus & pius, qui in domeſtico victu, cultu & habitu ſatis erat parcus, ſed in ornandis & ditandis Eccleſiis præ cæteris liberalior. Eodem tempore cum Civitates Pruſſicæ majores Regiæ ditionis in conventu publico Elbingenſi ſuas aliquas inter ſeſe controverſias obortas, utpote de Maſoviorum & Bidgoſtienſium in Pruſſia commerciis & ſocietatibus, de Scotis circumforaneis, de Torunenſi emporio, & depoſitione mercium advectarum, de itineribus publicis, quibus mercatores utuntur non intercludendis, bona gratia tranſegiſſent: Continuo præter omnem expectationem nova de Epiſcopatu Warmienſi exoritur controverſia. Nam mortuo circa hoc tempus Tungenio, Capitulares Warmienſes ſuo jure, more & ordine communibus ſuffragiis elegerunt unum ex Canonicis, Lucam Weiſelrott Torunenſem, qui tum Romæ verſabatur. Quamprimum id Caſimirus comperit, miſit eo Legatos ſuos expoſtulatum, cur novum Epiſcopum legiſſent, non præmonito Rege, nec ejus conſenſu requiſito? & cur eum legiſſent, qui maxime Regi diſpliceret, utpote qui jam antea filium ſuum Fridericum Warmienſem Epiſcopum diſtinaſſet, ac in eam rem Pontifex Maximus conſenſiſſet? Itaque electionem eam, quæ pactis & conventionibus publicis adverſaretur, reſcindi, inſuper etiam arces & civitates munitiores ejus

epiſcopatus, interim donec iſthæc Eccleſia certum caput habitura eſſet, ſibi cuſtodiendas tradi poſtulabat. Contra Capitulares negabant, quidquam adverſus pacta publica hoc in genere per ſe commiſſum, ſed electionem ſecundum morem & jura tam ipſius Eccleſiæ quam communia Pruſſiæ privilegia inſtitutam fuiſſe: Neque ſecundum ea quidquam amplius a novo Epiſcopo requiri, quam ut intra menſes tres Regi ſe ſiſteret, ac fidelitatis juramentum præſtaret. Neque cauſam ullam apparere, cur Regi novus Epiſcopus tantopere diſplicere debeat, utpote qui jure ac ordine electus ſit, qui multa in regno Poloniæ Eccleſiaſtica beneficia obtineat, qui Regi ipſi a conſiliis ſæpe fuerit, atque adeo, qui merito Regis filio, ſi competitorem eum habuiſſet, fuerit præferendus, quandoquidem & Pruſſiæ ſit indigena, & ipſius Capituli membrum, quorum neutrum in filio Regis inveniatur. Arcium denique & munitionum traditionem ideo minus neceſſariam exiſtimabant, quod ea jam per adminiſtratorem certum tenerentur, eo plane modo, quo antea, quoties Eccleſia vacaſſet, uſitatum fuerit. Cum multa in contrarium Legati retuliſſent, neque Canonicos a propoſito dimovere poſſent, minis etiam haud obſcure interjectis, cumque civitates etiam ut eum Epiſcopum repudiarent, & a partibus Regiis ſtarent, fruſtra tentaſſent, inde ad Pruſſiæ conventum, qui jam Elbinga Dirſchaviam translatus erat, contenderunt, & iterum a Statibus auxilia contra Turcos & Tartaros efflagitarunt; Miſerunt eo quoque ſuos Canonici Warmienſes qui quæ per Legatos Regios de electione ſua ſecum acta fuiſſent, renunciarent, & auxilia niſi majori fide ſibi proſpiceretur, fortaſſis adverſus ſeipſos conferre detrectarent, quin potius a Statibus mutuum conſilium & auxilium, ſecundum priores conventiones & communia privilegia poſtularent. Statibus ea res permoleſta accidit, quod viderent in dies magis ac magis jura & privilegia patriæ violari, pacem publicam variis modis conturbari, homines paſſim opprimi, & iſta perpeti cogerentur, ac nihilominus ſubinde ac quotannis ferme a ſe auxilia & ſuppetias exigi, in eorum ſcilicet uſum, a quibus ipſimet defendi debebant. Itaque re deliberata animi ſui ſententiam Legatis Regis ita propoſuerunt: Ut primum commemorarent, quanto cum bellorum diſcrimine, moleſtiis & impenſis, Pruſſiæ acceſſio ad Poloniæ Regnum facta, & tandem pacifice aliquando provincia in poſſeſſionem recepta fuiſſet. Eam rem multo pluris impenſarum & laboris habituram fuiſſe, niſi tum Paulus Epiſcopus Warmienſis tandem ad Regias partes acceſſiſſet. Illo diem functo, Regem reclamantibus Pruſſiæ Statibus Vincentium Keilbaſſam adverſus publica tam terrarum quam Eccleſiæ Warmienſis jura & privilegia ingeſſiſſe. Qui quo more in iſthoc epiſcopatu converſatus fuerit, quas moleſtias, ſumptus & offenſiones Statibus conciliaverit, plus quam manifeſtum eſſe. Quid deinceps eodem exemplo Opporovius attentaverit, quid cum Tungenio acciderit, quantæ turbæ & difficultates inde exortæ, bellorum etiam ſemina ebullire cœperint, cum magno totius detrimento provinciæ, deplorandum potius quam pluribus verbis commemorandum videri, adeo ut ex conſpiratione cum Cruciferis & Ungariæ Rege extremum ferme diſcrimen fuerit pertimeſcendum.

Legati Regii ad conventum publ. veniunt.

Reſponſum Legatis Regiis datum.

Nunc

Nunc tale quid ejus Epiſcopatus contemplatione denuo moveri, nullum Epiſcopum qui jure ac ordine lectus ſit, ſatis placere, & ſaltem occaſionem quæri, qua tumultibus non neceſſariis Pruſſia rurſum divexetur, quibus mature occurrendum eſſe & ipſi perſpicerent, & omnino officii & fidei ſuæ exiſtimarent. Deinde commemorabant, quot modis Statuum jura & privilegia turbarentur ac penitus labefactarentur, nec querelis toties eam ob rem interpoſitis locus ullus relinqueretur, vim & injuriam privatim & publice paſſim graſſari, Palatinis & aliis Magiſtratibus auctoritatem derogari, Polonos qui caſtra & arces tenerent omnia pro libitu agere, violatoribus pacis publicæ tutelam & receptum præbere, ſubditos Regios opprimi, bonis ejici, facultatibus everti, ac nihilominus ſubinde auxilia a Statibus efflagitari contra hoſtes externos, cum vix intra privatos parietes pacem exploratam habeant. Cæterum utut hæc ſint, cum tam frequenter hactenus auxilia petita fuiſſent, ſeſe ſpe ſaltem & fiducia reſtaurandorum jurium & privilegiorum ſubnixos, modum ac viam inveniſſe, quibus omnes terrarum Ordines ad gratificandum Regi induci ac perſvaderi poſſent. Hic repente rem omnem rurſus turbatam fuiſſe, quod Legati Regii absque ſcitu, conſilio conſenſuque Conſiliariorum Pruſſiæ in Warmienſem ditionem conceſſiſſent, eaque quaſi pro imperio poſtulaſſent, atque adeo minis extorquere voluiſſent, quæ juribus & terrarum & ejus Eccleſiæ penitus adverſarentur: Atque hoc pacto caput iſtud privilegii, quod de notabilibus cauſis diſponit, egregie (ſi Diis placet) conſervari. Multis in eam rem ultro citroque commutatis verbis ita tandem Legati dimiſſi: Quatenus Ordines Pruſſiæ auxilium Regi conferre deberent, æquum illis viciſſim videri, ut ſua ſibi jura integra & inviolata conſerventur: Epiſcopales etiam ſubditos, quatenus eorum antiſtes pacificam ditionis ſuæ poſſeſſionem obtineret, publicæ contributioni pro virili non defuturos, eaque in re ſeceſſionem ullam fieri ſibi periculoſiſſimum videri. Cæterum cum vererentur Ordines, ne vel Rex ægrius quam par eſſet, reſponſum iſtud ferret, vel Legati, qui cauſæ minus favebant, aliquid aliud præter Ordinum ſententiam referrent (jam tum enim iſthac ætate verborum fides in dubio verſari cœperat,) præſertim quod rumor increbuerat, Regias copias bis mille equitum & ſexcentorum peditum ad Pruſſiæ fines adventare, ipſimet internuncios ſuos ad Regem mittendos cenſuerunt, qui de rebus omnibus cum ipſomet plenius agerent. Verum cum a partibus Warmienſis Epiſcopatus ſecedere nollent (nec enim ſalva fide poterant) Regem jam calumniis præoccupatum minus propitium invenerunt. Itaque re quaſi deſperata domum remearunt. Interim Lucas Epiſcopus, qui in Ungaria ſuppetiarum cauſa commorari putabatur, nemine in eam rem intento, tacito & pacato greſſu in Pruſſiam pervenit, & Epiſcopatum omnem bona cum ſubditorum gratia in poſſeſſionem recepit. Quo facto iterum Ordines Pruſſiæ apud Regem interceſſerunt, ne deinceps amplius Eccleſia turbaretur, ſed in jure ſuo pacifice conſervaretur.

Lucas Epiſcopatum occupat.

Ad diem Michaelis conventu Pruſſorum Dirſchaviæ iterum indicto Rex per Legatos ſuos denuo de conferendis auxiliis Ordines interpellavit.

Iterum de auxiliis poſtulatur.

terpellavit, præſertim quod Rex ipſe filium adverſus hoſtes cum exercitu miſiſſet, a quo licet fortiter profligati fuiſſent, Tartari tamen longe majori cum multitudine denuo in ditiones Regni Poloniæ irrupiſſent, & ibi pedem figere ac manſiones conſtituere cœpiſſent. Aderant etiam Epiſcopi Warmienſis Legati, qui jus ejus egregie defendebant, & calumnias omnes, quibus per Polonos inſimulabatur, accurate refutabant. Ac inſuper ſi Epiſcopo jure ſuo pacifice uti permitteretur, a conferendis etiam auxiliis minime alienos ſe oſtendebant. Verum cum Legati Regii in iſthac contributione nullam Epiſcopi rationem habere vellent, ac cæteri Ordines, niſi de pace per totam provinciam conſervanda ſibi caveretur, contributionem omnem recuſarent, poſt multas altercationes nihil effectum fuit.

1490. De auxiliis conferendis.

Res in anni ſequentis æſtatem protracta multas deliberationes habuit, cum ſubinde Rex per Legatos ſuos Pruſſiæ Ordines ſolicitaret, hac maxime ratione, quod & Palatinus Walachiæ, & tam Turci quam Tartari Poloniæ regni fines immaniter devaſtarent, ac eam in rem Poloni ſubſidium pecuniarium, unius anni acciſam omnis generis poculentorum ſciviſſent, & de quolibet manſo quintam floreni partem, cæteræ provinciæ, quæ periculo propiores eſſent, magnam manum tam equitum quam peditum ſubſidio adverſus hoſtem miſiſſent. Ideoque Rex poſtulubat, ut Pruſſi Polonorum fratrum exemplo non tantum pecuniarium auxilium pro regni commodo conferrent, ſed ſi Turci majorem impetum in Poloniam facturi eſſent, etiam ipſi viritim copias omnes domeſticas hoſti opponerent. Illud interim bona fide ſpondens, ſe iisdem auxiliis minime uſurum, vel in Epiſcopatum Warmienſem, vel in ullum Pruſſiæ detrimentum. Tenuit ea conſultatio per totam hanc æſtatem ferme usque ad anni decurſum. Nam ut Pruſſi viritim contra Turcos exemplo Polonorum exirent, id exiſtimabant, juribus ſuis, cum quibus ad Poloniæ regnum acceſſiſſent, plane adverſari, cum etiam Cruciferorum tempore non ulterius quam ad Pruſſiæ fines militare, niſi præbito ſtipendio, nunquam conſveviſſent. Hoc itaque poſtulatum, tanquam nimis inſolens prorſus negatum. Auxilium autem pecuniarium in agris quidem de cenſibus, manſis, prædiis, piſcationibus, piſtrinis & molendinis, in civitatibus autem de cereviſia & mulſo ſancitun.

Bellum inter filios Caſimiri de Ungaria.

Eodem anno cum Rex Ungariæ Matthias Huniades ſine liberis deceſſiſſet, magno fuit inter ejus regni Proceres de eligendo novo Rege diſcordia, cum non pauci Principes ex potentiſſimis regnum iſtud ambirent. Cæteris autem competitoribus rejectis, per partes in utroque Caſimiri filio Vladislao, qui jam tum Boëmiæ Rex erat, & Joanne Alberto fratre, electio conſtitit. Fratrum quoque gratia rara ſolet eſſe, præſertim cum de Regno agitur, cujus cauſa pietatem etiam & fidem violandam impune cenſent. Vladislaus accitus a ſuis fautoribus, ut fratrem præveniret, celeriter cum tumutuariis Bohemorum copiis adfuit, & Budam regni caput, auxilio & favore Beatricis Reginæ, & inde majorem quoque regni partem occupavit. Joannes Albertus maxime

maxime Patris auxilio nitebatur, qui cauſam ejus magis probabat, & æqum judicabat, Vladislaum uno Bohemiæ regno contentum, alterum fratri relinquere. Itaque Joannes Albertus accepto a Patre exercitu, in quo duodecim millia hominum mercede conductorum numerabantur ſub ſignis in Ungariam ingreſſus eſt, & complura oppida, quæ ipſi Budam contendenti in itinere occurrebant in deditionem accepit. Caſſovia vero urbs & arte munita & valido adverſariorum præſidio munitior, & commeatu affatim inſtructa venienti portas clauſit. Non viſum eſt eam præterire, ne hoſtis a tergo relinqueretur, neve cæteræ munitiones ejus exemplo novi Regis imperium detrectarent, itaque obſideri ea & bombardis e Polonia advectis oppugnari cœpta eſt. In ea obſidione Joannes Albertus ſequentes literas ad Senatum Gedanenſem (ac ut exiſtimo ad cæteros itidem Pruſſiæ Ordines) perſcripſit hisce verbis.

Spectabilibus Viris Protoconſulibus & Conſulibus Civitatis Gedanenſis, amicis dilectis.

Literæ Joannis Alberti.

Spectabiles amici dilecti. Memini audiviſſe ſæpenumero, quemadmodum Civitas veſtra multa & magna fecerit in oportunitatibus Sereniſſimi Domini Genitoris mei, ut illius ſtatus & ſuorum augeretur. Quæ benevolentia & fides veſtra erga paternam Majeſtatem facit, ut credam futura vobis gratiſſima omnia, quæ ſibi ſimul & ſuis proſpere ſuccedunt. Atque ideo vobis ſignificandum putavi, quod poſteaquam Proceres hujus regni deſciſcentes ab univerſali ac legitima electione de me facta in publica congregatione Regni, ſuperinduxere huc Germanum meum Bohemiæ Regem, ego coactus eram actionem, quam jure proſequebar, armis aggredi, ex his oppidis & civitatibus, quæ illos ſequebantur, multas redegi in poteſtatem, aliæ ſponte adhæſerunt mihi, & partes meas ſeqvuntur cum univerſa Nobilitate ex utraque parte Danubii, præter pauciſſimos, qui eorum bona habent ſub manu illorum, qui Germanum meum induxere. Et quantum res ipſa demonſtrat, ſimul & voluntates hominum perſvadent, brevi & ſine multa difficultate perveniam ad poſſeſſionem omnium. Quandoquidem qui adverſari inſtituerant, non ſolum ſunt pauci, ſed etiam ſine auctoritate, & ſine facultatibus, nec poſſunt ſe ac ſuos tueri. Ut indicatum eſt nuper dum Caſovia oppugnatur, quæ deſperato jam ſubſidio agit mecum de conditionibus, quibus ſe tradat. Quod ubi factum erit nihil reſtabit, quod ſilicitatis meæ curſum poſſit retardare. Cæterum quoniam fortuna adjuvanda eſt, & quo felicius res ſuccedant, eo diligentius præcavenda ſunt adverſa, ut poſſim eo majori animo & viribus cætera proſequi, rogare vos placuit, ut quemadmodum ſæpe alias fortunam domus noſtræ relevaſtis & juviſtis, velitis etiam nunc eam juvare, in hac mea actione aliquo pecuniarum numero. Ut enim non ignoratis nihil in bello adeo feliciter poteſt ſuccedere, quin multa ſint impendenda, dum res geritur. Sed victoria poſtea compenſat omnia, & facultates dat victori, ut poſſit cumultate gratias illis referre, qui

actiones ſuas juverint & ſuſtinuerint. Scio, ut a principio dixi, vobis multa deberi a familia noſtra, propter illa quæ feciſtis pro regno Poloniæ augendo, & puto digniſſimum eſſe fide & integritate veſtra, ut etiam ſitis inprimis participes laudis, quam conſecuturi ſunt illi, qui ad hoc regnum aſſequendum mihi adfuerunt. Quæ res facile vobis continget, ſi quod peto impetravero, ſicut certe confido propter perpetuam veſtram fidem & integritatem erga domum noſtram. Quodſi, ut jam apparet, finis hujus rei erit ex ſententia noſtra, debetis conſidere, quod in brevi cum ſumma gratia vobis beneficium compenſabo, ac per omnes occaſiones veſtras nunquam vobis adeſſe deſinam. Miſiſſem de his rebus nuncium, niſi putaſſem, vos tam acclinatos eſſe ad commoda domus noſtræ, ut ſatis forent literæ ad hæc quæ nunc peto impetranda. Scripſi tamen magnifico Palatino Mariæburgenſi, ut de his & aliis pertinentibus ad ſtatum paternum vobiſcum ageret, quod cum ſumma fide ipſum facturum non dubito. Datum in caſtris noſtris juxta Caſchoviam ipſo die undecim millia Virginum (21. Octobris) anno Domini M CCCC LXXXX.

Joannes Albertus, Dei Gratia,
Regni Hungariæ Generalis electus.

Ad hasce literas an quidquam reſponſum, vel in quam ſententiam reſponſum fuerit, nullum hactenus indicium inveni. Sed ita tum Joannes Albertus bonam ſpem conceperat Ungariam acquirendi, ſed ea ſpes evanuit. Nam cum diu in obſidione Caſſoviæ hæſiſſet, nec quidquam operæ pretium faceret, & frater Vladislaus exercitum contra duceret, & jam uterque exercitus in procinctu ſtaret, obſeſſi vero Caſovienſes a tergo militem ejus infeſtarent, interceſſione quorundam Procerum pacem cum fratre pepigit, quæ tamen diuturna non fuit. Nam Joannes Albertus Patrem Caſimirum de continuando bello admonentem, & auxilia pollicentem ſecutus, quam primum per tempus anni ſequentis potuit, iterum in Ungariam expeditionem fecit. Ubi proxima quæque populabundus vaſtabat vexabatque, donec Vladislaus querelis ſuorum, quorum agri vaſtabantur, commotus octodecim millia peditum pariter & equitum ex Ungaris atque Bohemis coadunavit, quos fratri oppoſuit. Vix quatuor millia bellatorum Joannes Albertus habebat, cæteris paſſim dilapſis, nihil tamen hoſtilis exercitus magnitudine territus pugnam inire non dubitavit. Dato utrinque ſigno & prælio commiſſo Albertiani fuſi fugatique. Dux ipſe cum ſummo ſalutis & vitæ periculo noctu per medios hoſtes beneficio captivi cujusdam elapſus, Eperiam ſe contulit. Ubi obſeſſus & vi ſuperatus fratri regnum Ungariæ pacificum relinquere coactus fuit.

Joannes Albertus victus.

OCTAVI LIBRI FINIS.

INDEX.

INDEX RERUM.

A.

Acciſa triennalis 191. ob eam Pruſſorum motus 192. Pruſſiæ Ordines recuſant 254. in annos octo Regi decreta 507. quarta pars primis quatuor annis civitatibus majoribus conceſſa 507. pro ſtipendiis militi debita 507. acciſa unius anni in Polonia contra Turcos & Tattaros 532.

Aeſtas ſicca 246.

Albertus (S.) in Pruſſiam venit 21. Chriſtianam religionem prædicat 21. trucidatur 21. corpus ejus a Rege Poloniæ redemtum 21.

Albertus Sveciæ Rex a Margaretha Daniæ Regina capitur 197. Gotlandiam Cruciferis oppignerat 177. libertati redditus 197. regno cedit 198.

Alexander, alias Vitoldus dictus, ex Litvaniæ Principibus, Andream vicit & cepit 186. Jagelloni rebellis ad Cruciferos confugit 186. in gratiam a Jagellone receptus 187. ad Cruciferos reverſus Litvaniæ arma infert 187. Cruciferos deſerit 190. Litvaniæ præficitur 190. Samogitiam recuperat 217. in Cruciferos expeditio 218. victoria ad Tannebergam 220. titulum Regium a Cæſare impetrat 250. Litvaniam a Polonia vult ſeparare 251. moritur 252.

Alla fluvius in Pruſſia 3.

Allæſtenium ſuo igne conflagratum 448. Cruciferis eripitur 486.

Altenhuſa arce Cruciferi ejiciuntur 347.

Amſterodamenſes Cruciferos comeatu juvant 436. injuria in Gedanenſes 436. pro hoſtibus habendi 436. tredecim eorum naves a Gedanenſibus interceptæ 462.

Andreas Livoniæ Magiſter provincialis a Litvanis profligatur 83.

Andreas ex Litvaniæ Principibus cum Cruciferis Litvaniam invadit 185. ab Alexandro Vitoldo captus 186.

Angli mercatores non poſſunt in commerciis majore jure uti quam exteri alii 245.

Anſeaticæ aliquot civitates Regi Sveciæ libertatem procurant 197. in Vitalianos piratas expeditio 200. illis Rex Daniæ Schonlandiam in annos aliquot oppignerat 204. de vectigali Pfundzoll cum Ordinis Magiſtro contentio 239. 240. Magiſter vectigal abrogare, neque unquam inducere promittit 242. civitatibus Pruſſiæ Anſeaticis in re nautica & mercatoria, in ſuum uſum ſtatuendi libera facultas conceditur 242. earum legatio pro auxiliis adverſus Regem Daniæ 246. cum Rege Daniæ pax 246. bellum cum eodem Rege 247. 248. 249. vid. *Hanſeatiæ civitates*.

Appellatio, non niſi poſt litis finem licita 259.

Auerberg (Henricus Finck de) Magiſter provincialis Livoniæ 288.

Aurei Ungarici valor tempore Kniprodii 183.

Auxilia adverſus Turcos & Tattaros fruſtra poſtulantur 530. 532. Pruſſorum auxilia non extra ſuæ provinciæ fines 532.

B.

B.

Balga Pruſſorum arx Stoneda dicta 49. quo loco civitas Holland ſita 49. a Cruciferis expugnata 50. Pruſſi obſident 50. cæduntur 51. a Pruſſis ſolo æquatur 63. portus a Gedanenſibus obſtructus 386. oppidum a Brunsbergenſibus dirutum 348.

Balken (Herm.) primus Magiſter provincialis in Pruſſia 45. victoria ex Pruſſis 45. Livoniæ præfectus 52. in Pruſſia ſucceſſor Oſternavienſis 52. moritur 52.

Ballersheim (Lud.) Magiſter Pruſſiæ provincialis 85.

Baltici maris deſcriptio ab Helmoldo 2.

Bantſar (Ulr.) inter equites Cruciferos terribilis 96.

Bart (Herm.) Magiſter ord. Teut. gener. 41.

Bartenſes bellum inferunt Cruciferis 83. ſucceſſus 84.

Barteſtenum a Cruciferis deſertum occupatur 85. deficit ad Cruciferos 456. communitur 140.

Bayſen (Stib.) primus Palat. Mariæb. 504.

Beffart (Car.) Trevirenſis Ordinis Magiſter electus 131. moritur 138.

Beke (Gerh. von der) ob Magiſtri gratiam civibus inviſus 234. perpetuus ferme Conſul ſeu Præſes 234. Cruciferis nimium favet 237. pecuniam conductam corrumpit 237. Senatus & civium arcana Cruciferis prodit 237. ſicarii in ipſum conducti & tumultus factus 237. domus diripitur 237. res compoſita & ſeditionis auctores puniti 239. ex urbe exulat 239.

Belgicæ naves ne res Cruciferis ſubvehant 436.

Bellum ne inferatur niſi publico Ordinum conſenſu 254.

Berenbaum (Gerh.) publicus latro capite plexus 169.

Berna incenſa 177.

Bidgoſtienſium agri vaſtati 473.

Biſchofsverder exſtruitur

Biendorf (Jo.) frater Ordinis Wernerum de Orſeln Magiſtrum Ordinis trucidat 21.

Birgela arce oppidi Crucigeri ejiciuntur 347.

Biſene Litvana munitio ſubvertitur 106.

Biſena arx a Cruciferis fruſtra tentatur 133.

Blume (Bart.) Mariæb. Conſul civitatis proditor 435. ultimum ejus ſupplicium 453.

Bohemorum Rex Cruciferis auxilia adducit.

Bohemia Cruciferi pulſi 195.

Bohemi vid. *Huſſitæ*.

Bona publicis ſervitiis addicta ne eximantur 259. ne ſine foederatorum conſenſu aliis conferantur 425.

Borch (Bernh. van der) Livoniæ Magiſter provincialis 420. moritur 528.

Brandenburgum exſtructum 86. a Pruſſis deſtruitur 86.

Bro fluvii ortus & curſus 4.

Breithuſen (Werner) Livoniæ Magiſter provincialis, Samogithas profligat 83.

Bruno Magiſter Livoniæ provincialis 119.

Brunsberga condita 67. a Cruciferis exuſta 86. alio loco inſtaurata 86. arx occupatur 463. vult ſe ſuo Epiſcopo ſubjicere 464. conatus oppidum & templum Varmienſe expugnandi male cedit 464. ager a Polonis vaſtatus 473. Brunsbergenſibus & Elbingenſibus clades illata 491. 492.

Buckenrode (Hein. de) Magiſter Livoniæ provincialis 268.

Bugus fluvius in Polonia 3.

Bugislaus Caſſubiorum Princeps 31.

Burgundiæ Dux libera Pruſſis conceſſit commercia 399.

Butavus & Corigellus Olgerdi filii Chriſtianam Religionem amplectuntur & ad Cruciferos tranſeunt 171. 176.

Brodnica vid. *Strasburgum*.

Büttavia incenſa 477. Cruciferi Duci Pomeraniæ reddunt 501.

C.

Capitatio vid. Exactio.

Captivi poſt pacem non bona fide reſtituti 505. num ad captivos etiam profugi & exules referendi ſint 506.

Carolus Canuti filius, Sveciæ Rex exul, Gedanum venit 425. querela de Rege Daniæ 425. 426. ejus cauſam Gedanenſes ſuſcipiunt 426. cur ſuo Regno pulſus 427. Puscum illi quindecim millibus marcarum oppigneratum 427. in ſuum Regnum revocatur 428. Regnum recuperat 488. Puscum repetit 507. moritur 508.

Carthuſianorum monaſterum diripitur 376. 492. prope Gedanum exſtructum 183.

Caſimirus M. Rex Poloniæ ſuccedit patri Vladislao 150. quibus conditionibus pax cum Cruciferis 151. 158.

Caſimirus Jagellonides ſoluta Leſſenſi obſidione, relictisque in Pruſſia ſuis præfectis in Poloniam revertitur 371. pacem cum Cruciferis conciliare conatur 385. non vult Pruſſos fœderatos deſerere 385. neque defenſionem omittere 386. 387. Pruſſiam reddere recuſat 388. cum ingenti exercitu Leſſum obſidet 388 - 390. adverſam belli initio fortunam experitur 395. in rebus Pruſſiæ remiſſior 399. in Pruſſiam invitatur 424. Pruſſiæ defenſio commendatur 424. copias auxiliares mittit 425. Rex Poloniæ renuntiatur 289. foederatorum Pruſſ. & Cruciferorum legatis reſpondet 318. miſſis legatis, fœderati Pruſſiæ volunt in ejus tutelam recipi 347. Legatorum ad eum oratio 349. inter Pruſſos foederatos & Cruciferos compoſitionem fruſtra tentat 355. Pruſſos in deditionem certis conditionibus recipit 355. ei Ordines Pruſſiæ jurant 356. 357. in Prusſiam venit 357. conventum Elbingæ habet 357. exigit a Gedanenſibus in ſubſidium ſtipendiorum pecuniam 356. conventum Graudenti habet 359. Stumam occupat 360. ad Choinicium infeliciter pugnat 361. 363. pax cum Cruciferis 502.

Caſimirus Jagellonides pro ſtipendiariis Cruciferorum pecuniam conferri curet 425. Gedanum & tres vicini tractus in ejus verba jurant 430. nova in Pruſſiam mittit auxilia 435. de pace cum Rege Daniæ Conſulem & Senatorem Gedanenſem legatos mittit 440. Lubecenſes pro pace laborant 440. adventus cum magno exercitu in Pruſſiam 441. cum Rege Daniæ induciæ 442. Mariæburgum civitatem obſidet 442. obſidione ſoluta, Thorunium redit 443. 444. induciæ viginti menſium cum Cruciferis 444. exercitus dilabitur quem ipſe uxoris deſiderio Cracoviam ſequitur 444. natus ei filius 444. alter filius Joannes Albertus 450. monetur ut Pruſſis ſubveniat 454. in Pruſſiam venit 463. filius Alexander 463. mater moritur 463.
Caſimirus Jagellonides ne res Pruſſorum negligat 466 - 468. controverſias cum Rege Bohemiæ componit 471. inducias cum Rege Daniæ prorogat 473. filii Sigismundus & Fridericus naſcuntur 503. 506. in Pruſſiam invitatur 506. de tributis pro militum ſtipendiis deliberatio 506. 507. Gedanum venit, unde Mariæburgum profectus quasdam cum Cruciferis controverſias compoſuit 507. contentio de novo Epiſcopo Varmienſi 515. 518. ejus de Magiſtro Cruciferorum querelæ 522. bellum Magiſtro & Epiſcopo Varmienſi inferre vult 522. Caſimiro filio a nonnullis Ungariæ Regnum oblatum, quod non obtinet 509. 510. inter filios Vladislaum & Joannem Albertum de Ungaria bellum 532. 533. Joannes Albertus in bellum a Gedanenſibus pecuniam exigit 532. 533.
Caſſubii 23. 25. illorum Principes Hageli ſucceſſores 30. 31. 33. 35. eorum ſtemma 35. exſtincti 35. Pomerelliam tenuerunt 44.
Caſſubiam vaſtant Cruciferi 54. 56.
Caſtellani Pruſſiæ, cum pax cum Cruciferis componeretur 504.
Cauna a Cruciferis obeſſa & ſolo æquata 170. nova a Litvanis ſtructa a Cruciferis iterum everſa 174.
Cauſa non cognita nemo damnetur 251.
Choinicium a Rege fruſtra obſeſſum 463. a Cruciferis captum 128. qui retinuerunt hoc oppidum 348. a Rege obſidetur 461. ibidem Poloni profligati 362. 363. Regis militibus deditur 501.
Chriſtburgum conditum 60. a Sventepolcone expugnatam 60. dum fruſtra recuperare tentarunt Cruciferi, prope veterem novam arcem ejusdem nominis ædificant 61. bis Pruſſi capiunt 87. obſidione liberatur 87. malis dæmonibus arx habitanda commendatur 221. inde arx a ſpectris vexata & deſerta 221.
Chriſtierno ſeu Chriſtiano Daniæ Regi Sveci ſuum Regnum deferunt 426. 427. ob receptum Sveciæ Regem exulem Gedanenſium hoſtis 427. Sveci ab illo deficiunt 428. inter ipſum & Poloniæ Regem de pace agendum 440. pro pace Regi Poloniæ & Pruſſis bellum indicit 440. Lubecenſes pro pace aut ſaltem induciis laborant 440. fiunt induciæ 442. 443. quas violaſſe Gedanenſes incuſat 446. Gedanenſium naves detinet & iis nova vectigalia imponit 447. expoſtulationes mutuæ 447. inducie prorogantur 447. Gedanenſes arguit, contra inducias egiſſe 452. Gedanenſes in libera navigatione turbare conatur 460.
Chriſtiernus Daniæ Rex factus, Cruciferis patrocinatur 358. 359.
Chriſtiernus Legatos Gedanum mittit 487. nova cum illo conventio 488.
Chriſtmemela vid. *Memela.*
Chriſtophorus Rex Daniæ moritur 293.
Civitas junior ad Gedanum vid. *Gedanum.*
Civitates Pruſſiæ Hanſeaticæ in re nautica & mercatoria liberam judicandi habent facultatem 242. jurisdictio in cauſis maritimis a Cruciferis & Ordinibus Pruſſiæ confirmatur 245. poſt cladem cum Rege Daniæ pacem ineunt 250. liberum commercium a Duce Burgundiæ permittitur 378.
Civitates generatim omnes habent facultatem judicandi propolas ſine appellatione 245. earum querela, ſe ab Ordinis Magiſtro male haberi 263. 267. ægri ob tributa plebis animi & ad defectionem proni 405.
Civitates minores facultatibus exhauſtæ 425.
Civitates qua ratione tributa conferre debeant 359. 360.
Civitates majores poſt Choinicenſem cladem Legatos ad Regem mittunt 363. acciſarum pars in publicos uſus conceſſa 507. quasdam inter ſe controverſias componunt 529.
Codrunus Pruſſorum Dux inſignis 49. a Pruſſis diſcerptus 50.
Coggius vid. *Koggius.*
Colberga a Polonis fruſtra tentatur 25. 26.
Coloni & alii qui in dominorum poteſtate ſunt, quando a novis dominis recipiendi 48.
Conradus Maſoviæ Dux Gladiferos ex Livonia in auxilium adverſus Pruſſos paganos advocat 41. 42. profligatus cum Pruſſis paganis inducias facit 42. in auxilium Ordinem Teutonicum advocat 42.
Conſilium Pruſſiæ publicum inſtituitur 234. qui in illo fuerint & quæ ejus auctoritas 234. qui ex illo fructus 234. inſtauratum 251. quoties ſingulis annis habendum 251. ab eo veterum inſcriptionum & poſſeſſionum fiunt interpretatio 251. non niſi ejus conſenſu irrogentur exactiones 251. ejus decreta a conſilio mutanda 259.
Conſilium publicum de fœdere adverſus vim & pro tuendis juribus 271. aliud conſilium Pruſſicum 359. auctum Succamerariis additis 507.
Contubernia lgibus coërcentur 239. de illorum conventibus privatis, armis in curia cuſtodiendis, & jurejurando ſingulis annis Senatui præſtando 239.
Corigallus & frater Olgerdi Litvaniæ Ducis filii ad Cruciferos transeunt & religionem Chriſtianam amplectuntur 175. 176.
Cruciferorum pactum de ferendis adverſus Pruſſos paganos auxiliis 42. 43. eorum adventus & prima munitio 43. Viſtulam tranſire non audent 43. primus Magiſter in Pruſſia provincialis 45. pri-

ma de Pruſſis victoria 45. expeditio pro iis cruciata 49. oppida & munitiones captæ 49. illorum clades 49. 53. 55. 62. 71. 72. tres Pruſſiæ nationes ſubigunt 51. pacem cum Svantepelco & mox bellum 53. 54. 59. 60. Poppo ab Oſternau Magiſter provincialis 56. Magiſtri provinciales: Heinr. a Weida 60. Gerh. de Hertzberg. Herm. de Grumbach 68. Helmer de Richenberg 73. Theod. a Gattersleven 91. Conr. de Thierburg. 91. Conr. de Feuchtvang 95. Mangol. de Steimberg 95. Meinardus Querfurtenſis 108. Lud. de Scheppen 120. Helv. de Goltbach 120. Svantepolcus profligatur ut & Pruſſi 61. cum Pruſſis Chriſtianis pax 64. Sambia ſubigitur 66. 62. auxilia ex Germania & felix expeditio 68. durum illorum imperium Pruſſi ægre ferunt 68. inde rebellio 69. nova auxilia 70. 71. 73. 83. 85. 89. Pommerellia vaſtata pax, componitur 81. Cruciferorum primum in Pommerelliam jus 72. Bellum cum Barthenſibus 83. Clades Pruſſorum & provinciæ ſubartæ 90. novum bellum cum Pruſſis paganis 91.

Cruciferi totam Pruſſiam ſubigunt 99. eorum cum Pomerelliæ Principe diſſenſio 104. Mevenſem tractum obtinent. 105. Cruciferi jam Pruſſiæ Domini in Litvanium expeditionem ſuſcipiunt 106. altera expeditio & excurſiones 106. 113 - 115. cædes a Litvanis 111. excurſiones in Litvaniam 113. 114. 115. 187 - 191.

Cruciferi in Maſoviam irrumpunt 115. Samogithas vincunt 115. Litvanos in Pruſſia profligant 120. Litvaniam vaſtant 120. cum Vitoldo amicitiam ineunt & cum Andrea Litvano, Litvaniam populantur 185. in Litvanos expeditio male ceſſit 194. Cruciferi Bohemia pulſi 195. illorum inſolentia 196. bellorum avidi 196. Litvaniam vaſtant 212. pacem cum Rege Poloniæ componunt 213. Dobrinum Polonis reddunt pro quo Samogitiam obtinent 213. quando illorum ſtatus in Pruſſia florentiſſimus 215. 216. mutatæ felicitatis cauſa 216. pacem cum Polonis continuare nolunt 216. naves Polonorum frumento onuſtas intercipiunt & Litvanos mercatores ſpoliant 216. 217. Samogitiam amittunt 217. bellum quam pacem malunt 217. Dobrinum invadunt 217. induciæ, deinde bellum 218.

Cruciferis Gottlandia a Svecis oppignoratur & redimitur 197. Dobrinum oppigneratur 198. de quo reddendo cum Poloniæ Regina colloquium 198. Gottlandiam Reginæ Daniæ Margarethæ reddunt Cruciferi 199.

Cruciferorum ingens ad Tannebergam clades 220. altera poſt hanc, clades ſuſpecta 227. pax cum Polonis, rurſus bellum & induciæ 228. 235. 236. 239. in Cujaviam expeditio 243. Regem Poloniæ Culmæ obſeſſum ad pacem adigunt 243. nova ex Germania auxilia 243. expeditio in Poloniam & clades 250. 252. 253. novum bellum parant Pruſſis invitis 253. inducias volunt rumpere Pruſſis contradicentibus 262. Pax cum Polonis 262. a Cæſare ad bellum concitantur 265. 266.

Cruciferi Pruſſiæ Ordinum gravamina ægre ferunt 269. 272. inter Cruciferos diſſenſiones inteſtinæ 270. 271. agrum Gedánenſem populantur & Gedanenſibus cæduntur 371. vaſtant Pruſſorum fœderatorum agros ſuis ſtipendiariis oppida & arces oppignarant Culmam fruſtra tentant Regimontum recuperant 372. 375. 376. Sambienſem Epiſcopatum recuperant 377. ad Ilaviam Pruſſis fœderatos cædunt 380. damnum in Habo 381.

Cruciferi Gedanenſes & alios ad defectionem ſolicitant, & proditores conducunt 380. 428. 405. 428. cæduntur 394. 395. recuperandi Pruſſiam magna ſpes 422. atrocia quæ in Pruſſos fœderatos Cruciferi decreverint 432. conflictu navali vincuntur 433. 444. Mariæburgum civitatem proditione recuperant 434. profligantur 434. 435. 436. 437. Neoburgum capiunt 442. inducias viginti menſium ineunt 440. pax in aliud tempus differtur 446. clades 448. 453. frumentariæ & aliarum rerum ſubvictiones mari inhibentur 459. 460.

Cruciferorum in Litvaniam expeditiones 121. 123. 124. 133. 134. 135. 141. 152. 153. 154. 155. 160. irruptiones in Cujaviam 140. 142. in Maſoviam 142. 477. & clades 477. 495.

Cruciferi Pommerelliæ inhiant 125. in arcem Gedanenſem recepti 126. Pommerelliæ partem a Marchione Valdemaro emunt 127. Gedanenſem civitatem, Dirſaviam & Svezam capiunt 121. 127. 128. 129. induciæ cum Polonis & bellum 144. 146. 147. 148. 149. 150. Litvanos profligant 161. 165. 167. 170. 173. 179. terras aliquot in Livonia a Rege Daniæ emunt 162. Samogitiam invadunt 179. 180. pax cum Rege Poloniæ 151. 158. induciæ cum Litvanis 180.

Cruciferi de Pruſſorum fœdere diverſa ſentiunt 281. 290. 297 - 299. Eremitæ cujusdam vaticinium de Cruciferis 289. 290. contra fœdus apud exteros molitiones 299. 300. legatos ad Cæſarem mittunt 317. cauſam hanc contra fœderatos in judico Cæſareo agunt 325. 341. Cæſaris decretum 342. Pruſſi deficiunt 347. 348. bellum cum Pruſſis 362. 363 - 365.

Cruciferi Regi ſ Poloniæ clientes 502. Magiſter Regi jurat 502. ipſe & præcipui Commendatores, Poloniæ Conſiliarii 502.

Cruciferi Strasburgum capiunt 465. 469. 470. Dirſaviam & Frauenburgum fruſtra tentant 472. de libera in Habo piſcatione tranſigunt 480. pugna navali vincuntur 483. eorum clades ad Puscum 474 - 476. in Maſoviam excurrunt 477. cæduntur 487 pax cum Polonis 502.

Cruciferorum Magiſter vid. *Ordinis Teutonici Supremi Magiſtri.*

Cruciferorum Magiſter jusjurandum Regi præſtandum in aliud tempus differt. 521. fœdus cum Rege Ungariæ 521.

Cruciferorum Magiſter cum Rege pacem renovat & ipſi jurat 524. pro Magiſtro, Gubernator, & ex Gubernatore Magiſter creatur 506.

Cuba (Theod. a) Sambienſis Epiſcopus ob avaritiam famoſus 508. in carcere inedia miſere periit 509.

Cujaviam Cruciferi populantur 243.
Culma, ante Cruciferorum adventum condita, a Maſoviis Pruſſis erepta, inſtaurata & in alium locum translata 45. a Sventopolcone fruſtra obſidetur, & a mulieribus acerrime defenditur 55. cathedralis eccleſia in oppidum Culmſeh transfertur 63. Abbas a Monachis occiſus 63. fabula de corvo loquente 63. a Polonis expugnatur 243. Cruciferis proditur 435. quam exitioſa hæc proditio fuerit civitati 435. a Cruciferis tentata 375.
Culmenſe privilegium, ejusque præcipua capita, quæ toti Pruſſiæ communia 46.
Culmenſehe condita 48.
Culmenſis Conſul ab Ordine Teutonico & provincia in Daniam legatus miſſus 246.
Culmenſis epiſcopatus inſtitutus 45. primus Epiſcopus 45. cathedralis eccleſia 63. Epiſcopus ſub Archiepiſcopo Gnesnenſi 502. ſimul Sambienſis 502.
Culmenſis modius 259.
Culmenſis terra a Pruſſis occupata 41. Cruciferis conceſſa, & ab his Pruſſis paganis erepta 48.

D.

Damnare nullum niſi cauſa cognita 259.
Dania, in eam Polonorum expeditio imaginaria 29. 30. legationes in Daniam ob violata Pruſſiæ privilegia, & adverſus piratas Gotlandenſes 285. 292. 293.
Daniæ Rex cum claſſe Cruciferis ſubventurus dicitur 404. 406. Pruſſis conciliandus 425. vid. *Chriſtiernus*.
Danicum bellum cum civitatibus Hanſeaticis 247.
Dantzwick ubi jam vetus civitas Gedanenſis ſita 15. ibi halecum ſuccini & aliarum rerum commercium 15. ejus conditor Danus 17. a Danis frequentatum, a quibus etiam nomen 18. colonia ibidem Danica. 18.
Dantiscum vid. *Gedanum*.
Damoborius (Vlad.) Caſtellanus Naclenſis capite plexus 504.
David Litvanus præfectus Garthinenſis 137. cæſus 139.
Debitores indigenæ 259.
Dirſavia quando condita 43. habuit ſuum Comitem 43. ejus tractus cum omnibus reditibus a Rege Gedanenſibus conceditur 433. Dirſavia a Cruciferis capta 127. 128. 364. a Cruciferis fruſtra tentatur 472. Cruciferi repulſi 490. ejus præſidiariis illata clades 490. hoſtes fruſtra capere tentant 492.
Divinus cultus 258.
Dobrinum Cruciferis oppigneratur 198. de reddendo colloquium 198. Polonis redditur 213. a Cruciferis vi occupatur 217. 218. totus ejus tractus hoſti vectigalis 456. Litvani tractum illum invadunt 121. arx a Cruciferis præſidio munitur 142. terra a Rege Bohemiæ Cruciferis venditur 142.

Domi-

Dominicani monachi 234. 235. non invitatis civium domos frequentare interdicitur 235.
Dracko Litvanus caſtrum Oukaym Cruciferis tradidit, & religionem Chriſtianam amplexus eſt 121.
Drauſenſis lacus accolæ vincuntur 49.
Dreileven (Burc. de) Magiſter Livoniæ provincialis 157.
Drevancia fluvius Pruſſiæ limitaneus 4.
Dubavia condita 43.
Dumpshagen (Heinr.) Livoniæ Magiſter provincialis 119.
Duneburgum in Livonia conditum 95.
Dusmargenſis (Hein.) de Arffberg, Magiſter Ordinis generalis 160. moritur 163.

E.

Eichſtaedt (Georg. ab) Magiſter provincialis in Livonia 73.
Eilenburgum conditum 140.
Eilenſtein præfectus arcis Gedanenſis 235.
Elbinga fluvius 3. a quo civitas nominatur 3. civitas condita & munita 49. Lubecenſes advenæ & jus Lubecenſe 49. obſidio ſolvitur 57. 58. Elbingenſes Cruciferos prælio navali profligant 433. alius conflictus in Habo 439. commeatu civitati ſubvenitur 450. arx expugnatur 348. Elbingenſes oppidu Hollandiæ occupant 348. pecorum & equorum jacturam faciunt 481. dum populantur Sambiam fere cepiſſent Magiſtrum ſupremum 484. iterum in Sambiam excurrunt 487. res ad Regimontum bene geſta 486. Brunsbergenſes clade afficiunt 491.
Epiſcopi & Prælati Pruſſiæ fœdus turbare volunt 290.
Epiſcopi inſula exſtructa 138. a Cruciferis occupatur 364. a Rege Poloniæ recepta 365.
Epiſcopalis domus prope Gedanum deſtruitur 236. inde Epiſcopi Cujavienſis lis 236. 237. 261. lis per pacem compoſita 237. 262.
Epiſcopalis mons 236.
Equi transmarini 259.
Ercken (Gosvinus de) Livoniæ Magiſter provincialis 162.
Eremitæ de Cruciferis vaticinium 289. 290.
Ericus Pomeraniæ Dux, olim Daniæ & Sveciæ Rex inſulam Gottlandiæ retinet 292. de piratis apud eum querelæ 292. 293. Bütoviam & Leoburgum ipſi traduntur 366.
Erlichshauſen (Conrad ab) magnus Ordinis Magiſter eligitur 285. ad quam formulam ipſi a Pruſſis jurandum 286. ut Pruſſi a fœdere deſiſtant fruſtra poſtulat 292. mitius de fœdere ſentit 296. quem moribundus ſucceſſorem commendaverit 297. moritur 298.
Erlichshauſen (Ludov. ab) Magnus Ordinis Magiſter electus 298. dura ad fœderatorum querelas reſponſio 298. 299. fœdus improbat 301. fides & obſequium ei renuntiatur 344. 345. moritur 506.

Exactio

Exactio de omnibus mercibus & bonis impoſita 233. quam de iis quæ extra Pruſſiam habent Gedanenſes detrectant, neque præſtant 233. ne fiant exactiones, niſi conſilio publico probante 251. 254. de exactione cum Pruſſis agitur 254. exactio perſonalis, alias capitatio, probatur 254. unde ingens pecunia reducta 255. exactiones ſine publici conſilii auctoritate 263. ſubſidium pecuniarium contra Tataros recuſatur 532. ſubſidium pecuniarium ex agris & civitatibus decernitur 532.

F.

Fames inaudita in Pruſſia 132.
Femerrecht vid. *Jus Weſtphalicum.*
Feſti dies celebrandi 258.
Feuchtvang (Conr. de) Pruſſiæ & Livoniæ Magiſter provincialis 95. Magnus Ordinis Magiſter 112. 124. moritur 119. 130. primus ſedem ſuam Mariæburgum transtulit 124. ejus conſtitutiones 124. 125.
Finck (Heinr.) de Auerberg, Magiſter Livoniæ provincialis 288.
Fiſchhuſium direptum 472. 473.
Flamingicale jus de ſucceſſione in bona conjugum mutua 47. ejus origo & vetuſtas 47.
Fœdus cum exteris ne fiat ſine publico Ordinum conſenſu
Fœdus Pruſſicum pro juribus 277. juſte compoſitum & a Cruciferis probatum 369. a Cæſare confirmatum 370. vid. *Pruſſiæ Ordines.*
Fœdus in Svecia Alberto regnante 306. 307.
Forum extraneum vid. *Jus Weſtphalicum.*
Forum privatorum utriusque Pruſſiæ in actionibus & reconventionibus 506.
Fraudes in negotio 258.
Frauenburgum ad Cruciferos deficit 384. a Gedanenſibus occupatur 384. 385. a Cruciferis fruſtra obſidetur 472.
Fridericus Elector Brandenburgicus pacem inter Regem Poloniæ & Cruciferos conciliare conatur 385. 388.
Fridericus III. Cæſar, fœdus Pruſſicum confirmat 304. & improbat 305. ad eum fœderatorum legatio 311. 312. 317. Pruſſorum privilegia confirmat 314. diſſidia inter Cruciferos & fœderatos componere fruſtra tentat 321. 322. coram ipſo de fœdere ultima actio 325 - 343. decretum 342. fœderis confirmationem vult eſſe ſalvam 343.
Fridericus, ſextus Caſimiri filius naſcitur 506. Epiſc. Cracov. Archiepiſc. Gnesnenſis & Cardinalis 506. moritur 506.
Fridlandia expugnata 463. hoſtibus proditur 464. direptam ſtipendiarii Cruciferorum deferunt 486. Regi deditur 500.
Frumenti laſta nocem marcis 192. marcis duodecim 192. centum & viginti marcis Gedani vendita 247.
Frumenti exportatio 259. libera in foro venditio 259. exportatio publice prohibita, & privatim a Magiſtro pretio conceſſa 263. quod ne fiat Magiſter fruſtra oratur 263.

G.

Gardimom munimentum Litvanum everſum 106.
Gattersheven (Theod.) Pruſſiæ Magiſter provincialis 91.
Gedanum, fabula de conditore Viſimiro 19. arx ibidem condita 31. vicus in civitatem mutatur 32. 33. primus Princeps in Gdansk 33. deditionem imperant Cruciferi 54. a March. Brandeb. occupatur 82. a Meſtvino recuperatur 87. commercia ibidem 123. 124. 197. lucrum ex elaborato ſuccino 230. civitas junior in ejus damnum conditur 230. in qua precipue Anglorum commercium 230.
Gedanum, duo Conſules & unus Senator, per ſpeciem amicitiæ in arce trucidati, uno Conſule cædem evadente 231. duo Conſules totidemque Senatores in arce captivi detenti, & dimiſſi 233. uno anno ibidem incendia plura 244. Huſſitæ civitatem oppugnant 257. 258. ſeditio metuitur pro Cruciferis 392. 394. ſumtus in bellum a civitate facti 394. bona commendatoriæ Gedanenſis & officium piscaturæ Pucenſis oppignerata 394. pecunia pro ſtipendiariis a privatis collata 394. ſuburbii a longis hortis dicti inundatio 398. civitatis proditiones 456. 458. 464. 481. 405. 406. arcem Crucifero occupant 127. civitatis primariæ initium 127. muris & foſſis communitur 158. tumultus a Litvanis 168. 169. de nundinis Dominicis privilegium 169. conſtantia in tuendo fœdere 340. arcem Cruciferi civibus ſponte dedunt, quæ diruitur 347. 348. privilegium a Rege 358. civitas junior diruitur 366. 367. taberna ad portum direpta 477. Jutlandica & duæ aliæ munitiones in inſula Stublavienſi 484. atrox ibidem tempeſtas & inde damnum 494. 495. gravis ibidem peſtis 487. Rex ibi triginta dies laute habitus 507. civitas inſimulata ac ſi ad Ducem Burgundiæ deficere vellet 502. pars regiorum proventuum conceſſa 507. triginta millia ex Regiis penſionibus remiſſa 507. reddit Regi Gedanenſem & Dirſavienſem tractus ſibi oppigneratos, debito remiſſo 507. Pruſſorum ibi cum Rege conventus 507.
Gedanenſibus & Lubecenſibus arx Holmenſis oppignerata & Reginæ Margarethæ reddita 198. Gedanenſium naves ab Hollandis interceptæ 264. illorum commercia in Litvania 268. iis aqua ex Radauna intercipitur 371. Cruciferos profligant 372. res ad Dirſaviam & Mariæburgum bene geſtæ 377. ut & in Habo 381. collata pecunia in ſtipendium militum Stargardienſium 383. monentur ut ad Cruciferos redeant 396. 397. navalis expeditio 400. 401. 404. Sambiam populantur 404. 424. in ſolvendis Cruciferorum ſtipendiariis ſtudium & liberalitas 429. Gedanenſes in Regis verba jurant, & alterum privilegium recipiunt 430. ſumma hujus privilegii 430. 431. clades Cruciferis mari illata, navesque commeatum ſubvehentes interceptæ 433. 435. Gedanenſium naves in Nogato & Viſtula captæ 493. prædationes in inſula Oiſelia 445. Gedanenſium naves a Rege Daniæ detentæ 447.

Gedanenſes ad Gotlandiam naves intercipiunt Cruciferis commeatum & alia ſubvehentes 452. clades illis ad Pruſtum illata, & aggeres Radauni perrupti 454. prædatores profligant 460. hoſtium fuga & cædes in Viſtula 460. 461.
Gediminus Litvaniæ Dux occiditur 123. 124.
Gerdauen arx exſtructa 138.
Gilgenburgum a Polonis expugnatum & incenſum 218.
Girdau arx 83.
Girdo nobilis Pruſſus 83. ad Cruciferos tranſit 83.
Glappo Varmienſium Dux a Cruciferis captus ſuſpenditur 91.
Godilo Cruciferorum proditor 42.
Goldbach (Henr. de) Pruſſiæ Magiſter provincialis 120. hoc ſe Magiſtartu abdicat 120.
Goluba civitas Cruciferis prodita arx ſervata 456. condita 122. a Pruſſis recuperata 477.
Gotfridus Magiſter Livoniæ provincialis 120.
Gotlandiæ piratæ infeſtant mare 199. inſulam hanc Cruciferi tres annos tenent 199. piratæ Pruſſis & Livonis moleſti 292. de iis apud Regem Daniæ querelæ 292. 293.
Gosvinus de Erken Magiſter Livoniæ provincialis 162.
Gottesverder ſeu inſula Dei arx in Livonia ſtructa a Litvanis capta & a Cruciferis recuperata 177.
Grebinum a Gedanenſibus ſolo æquatur 448. occupatur 348.
Grunbach (Herm.) Magiſter in Pruſſia provincialis 68. ob crudelitatem hac dignitate motus 73.
Grudentum amittunt Cruciferi 347.
Gubernatoris Pruſſiæ dignitas ſublata 504.
Gutſtadium conſtructum 138.

H.

Hagelus ex Vandaliæ Principibus ortus 14. de eo narratio 15. 17. ejus ſedes & dominium 15. cædes 16. ſucceſſores 30.
Hagelii mons 18.
Halecum captura in Pruſſia deſiit 133.
Hammerſteinum Regi deditur 500.
Hanſeaticæ civitates vid. *Anſeaticæ.*
Harria Livonicæ provinciæ a Rege Daniæ Cruciferis vendita 162.
Hechtius (Arnol.) Conſul Gedanenſis in arce per amicitiæ ſpecimen trucidatus 231. 232.
Heiligenbeil, unde nomen 11. quercus ibi & idolum 11.
Heilsbergam Pruſſi capiunt 72.
Heimburg (Hein.) Magiſter in Livonia provincialis 52.
Heldrungen (Hart. Com. ab) Magnus Ordinis Magiſter 91. moritur 105.
Helfenſteinius (Lud. Com.) transfuga ad Cruciferos Regi Poloniæ bellum denuntiat 389. & hoſtilia exercet 389

Hercus Monte Natangiorum Dux 85. res geſtæ & cædes 90.
Hertogenſtein (Conr. ab) Magiſter Livoniæ provincialis 112.
Hiems inſolita, qua mare balticum gelu conſtrictum 244 - 246. 398. humida 246. aspera 398. 450.
Hirtzberg (Gerh.) Magiſter in Pruſſia provincialis quo ſe Magiſtratu abdicat 68.
Hogenbach (Bolt. ab) Magiſter Livoniæ provincialis 112.
Hohenloh (Gotf. Comes de) Magnus Ordinis Magiſter 119. poſt adventum in Pruſſiam hoc ſe Magiſtratu abdicat 124.
Hollandia civitas 43. arx occupatur ab Elbingenſibus 348. ab hoſtibus occupata & illis erepta 485.
Hollandis navibus non permittitur merces Regimontum vehere 304.
Hollandi de interceptis navibus cum Pruſſis tranſigunt 285. 296.
Hornhauſen (Burc. de) Magiſter Livoniæ provincialis, & a Litvanis in acie cæſus 73.
Huſſi doctrina Gedani prohibetur 237.
Hnſſitæ Polonorum auxiliares contra Cruciferos 255. magnam Pruſſiæ partem vaſtant 256. Choinicium obſident 256. Gedanum oppugnant 257. Olivenſe monaſterium & propugnaculum ad oſtium Viſtulæ evertunt 258. mala in Cruciferos fides 258. ex Pruſſia diſcedunt 258.
Huxerus (Tidem.) Senator Gedanenſis, cædem ſibi a Cruciferis deſtinatam evaſit 231.

I.

Jagello patris Olgerdi in Litvania ſucceſſor ſimultates cum cognatis exercet 183. quæ in bellum erumpunt 184. cum Vitoldo amicitia 185. fit chriſtianus & Poloniæ Rex 185. in baptismo Vlasdislaus appellatus. vid. *Vladislaus Jagello.*
Ilavia a Pruſſis fœderatis capta 390. 391. a Cruciferis ſubacta 435. 364.
Indigenæ præ extraneis ad publica munia admittantur 259. jus indigenatus non ſervari 515.
Inſcriptionum veterum a Conſilio publico fiat interpretatio 251.
Inſulæ inter Nogatum & Viſtulam 110. Viſtulæ aggeribus ruptis inundatæ 246. inſulanorum in Ordinem Teutonicum odium 246.
Inſulam majorem hoſtes invadunt & repelluntur 434. 435. inſula vaſtatur 437.
Inſula Dei vid. *Gotteswerder.*
Jocke (Conrad. de) Livoniæ Magiſter provincialis 123.
Judices cauſarum jurijurando adſtringantur. 259.
Judicium competens 259.
Judicium generale ſemel quovis anno 259. fruſtra exercetur 281. ut exerceatur urgetur 298. a Magiſtro indicitur 304. cur a fœderatis recuſatum 304. 307.
Judicis mali pœna 145.
Judicia Nobilitatis creatis in ſingulis terris judicibus 507.

Jus ſuum cuique ſervandum 258.
Jus Weſtphalicum etiam in Pruſſia obtinuit 293. inique exercetur 293. 294. ejus origo 294. 295. aboletur 295.
Jungingen (Conr. de) Magnus Ordinis Magiſter eligitur 196. ejus virtutes 196. ab Ordine ſuo faſtiditus 196. conſtitutiones ejus laudabiles 207. ægrotat & moritur 213. ejus caſtitas 243. de ſucceſſore conſulitur 213.
Jungingen (Ulricus de) Magnus Magiſter eligitur 215. ejus ingenium 215. belli avidus 216. in pugna Tannebergenſi occumbit 220.

K.

Keilbaſſam (Vinc.) Polonum, Culmenſem Epiſcopum Rex in Varmienſem Epiſcopum commendat 530.
Kersdorf (Franc. de) Livoniæ Magiſter provincialis 264. ſub quo ingens a Litvanis illata clades 264. magnas divitias cumulavit, quas frater in Pruſſiam transtulit 264.
Kersdorf (Walter de) Livoniæ Magiſter provincialis, ſine conſenſu equitum Livonorum a Magno Ordinis Magiſtro Livoniæ præpoſitus 264.
Kinſtoudus Litvaniæ Dux Pruſſiam invadit 161. 165. 175. 176. 178. 181. 182. capitur 162. cuſtodia elapſus tumultum Gedani excitat 168. 169. prope Caunam profligatur 170. colloquium ejus cum Magiſtro Kniprodo 171. iterum captus interimitur 185.
Kniprodius (Hein.) Magnus Ordinis Magiſter electus 163. varia ejus inſtituta 163. moritur 182.
Koch (Geor.) auctor proditionis Gedanenſis 481. quæ non ſucceſſit 481.
Kœnig (Ludol.) Magnus Ordinis Magiſter electus 158. mente imbecillus in cuſtodia in arce Engelsburgenſi moritur 159. 160.
Koggius (Mart.) famoſus ſeditionis Gedani auctor 408. cum Cruciferis conſpirat 408. quæ ejus conſilia 413. ſeditionis deſcriptio & finis 415. 416. ſpe ſupremi in civitate regiminis excidit 415. nova cum Cruciferis conſilia 415. ex fuga retractus capite plectitur 415.
Kuhſchmaltz (Franc.) Epiſc. Varmienſis, de quo Pruſſi queruntur 299. legatus ad Cæſarem cauſam Cruciferorum adverſus fœderatos agit 317. ipſi ſubjecti ab eo deficiunt 348. 397. exul Vratislaviæ moritur 357.

L.

Labiau a Pruſſis everſa 93.
Lacus friscus ſeu recens 3.
Laniones in foro pecudes ne emant, priusquam civibus emendi poteſtas facta fuerit 259.
Lander de Spanheim Magiſter Livoniæ provincialis bellum cum Litvanis gerit continuum 239.
Lati groſſi in Pruſſia cudi cœpti 160.

Latrocinia 485. pœna qua latronum Dux affectus 485.
Laweburgum & Butavia Erico Duci Pomeraniæ traduntur 366. a Cruciferis Duci reddita 501. Gedanenſes occupant, & Duci Pomeraniæ reddunt 449. 450. Dux Pomeraniæ per dolum occupat 454.
Leander Albanus hæreticus in Pruſſiam venit 193. ejus dogmata 193. fautorem habet Magnum Magiſtrum Wallenrodium 193.
Leba fluvius 4.
Lebæburgum, quando conditum 4.
Legati a Magiſtro in Daniam mittuntur Mareſchalcus Ordinis & duo Conſules Culmenſis & Gedanenſis 246. qui nihil obtinent 247.
Legislatoria poteſtas 258.
Leſſi obſidio ſolvitur 371. 390. Leſſum a fœderatis captum 465. ſub Cruciferorum poteſtatem redit 364.
Letzkau (Conr.) Conſul Gedanenſis acer jurium civitatis ſuæ defenſor 238. inde Cruciferorum odium 230. civitati juniori prope Gedanum adverſus 230. integritatem commerciorum tuetur 230. Cruciferos perfidiæ arguit 230. arcis Gedanenſis præfecto reſiſtit 230. Cruciferis ex Germania auxilia & honorificam cum Rege Poloniæ pacem procuravit 231. fide publica doloſe in arcem illectus obtruncatur 231. 232.
Libenzelle (Lud. de) inter Equites Cruciferos memorabilis ab hoſtitibus capitur 98.
Lichtenavienſium ruſticorum petulantia & rerum ſacrarum ludificatio 209 - 211. pœna 212.
Lindavius Gedanenſium ſcriba 417.
Litvaniæ Princeps Mendovus chriſtianam religionem profitetur 64. Regem ſe dixit 65. hoſtis Cruciferorum factus, ad idolorum cultum rediit 65. trucidatur 83. Principes Chriſtiani 185. quorum exemplum tota Natio ſequitur 186. Cruciferorum irruptio 185. ibidem inteſtinæ turbæ 185.
Litvani profligati 64. 107. 110. 112. 120. 130. 131. 155. & ſeqv. cædunt equites Livonos 83. Cruciferos 110. 194. irrumpunt in Varmiam 113. Cruciferorum in eos expeditiones 187. & ſeqv. frumentum intercipitur 216. Samogitiam recuperant 217.
Litvaniæ jam Chriſtianæ præficitur a Vladislao Jagellone Skirgello 186. expeditiones Regis Poloniæ & Cruciferorum 187 - 192. 194. 212. 216. 217. poſt Vitoldum occupat Svitrigello 252. poſt turbas a Rege pacata 250. Cruciferi invadunt 122. 123. & ſequentibus.
Litvani Dobrinum invadunt 121. in Pruſſiam excurſiones 121. 129. & ſequentibus. Livoniam invadunt 137. fœdus cum Polonis 137. Marchiam invadunt 138. 139. Livoniam vaſtant. 212.
Livonia, Ordo Enſiferorum ibi inſtitutus. Livonorum clades 73. 83. 95. 96. victoria de Samogithis 83. bellum inteſtinum 119. a Litvanis vaſtatur 212.
Livoniæ Magiſtri provinciales Volquinus 52. Herm. a Balken 52. Hein. Heimburgenſis 52. Magiſtri alii 64. Eberh. a Seine & Hanno Sangerhuſius 68. Burc. de Hornhauſen. Georg. ab Eichſtadt 73.

Wernherus de Breithuſen. Conr. de Manſtein. Otto de Rodenſtein. Andreas 83. Walt. de Nordek. Ern. de Rusborg 95. Conr. de Feuchtvang 96. Wilk de Scharborg 96. Conr. ab Hertzogenſtein 112. Boltho ab Hugenbach 112. Hein. von Dumpshagen 119. Gotfridus 120. Waldemarus de Bruggenei 199. Conr. de Vittinghoven 213. Theod. Turke 237. Lander de Spanheim 239. Ciſ. de Rutemberg 251. Franc. de Kersdorf 264. Walter de Kersdorf 264. Heinr. de Bukenode 268. Jo. Oſthovius de Mengeden 425. Jo. a Walthuſen 518. Bern. von der Borch 520. Jo. Frid. von Loringhaven 528.

Livoniæ Equites Magiſtrum ſibi præficiunt provincialem, magni Magiſtri conſenſu non expectato 268. Hirlandicorum & Harrigenſium nobilium filiæ æquum jus ſuccedendi cum filiis obtinent 199.

Livoniæ Magiſter provincialis ad divinum judicum evocatus 244.

Livoniæ civitates commerciis crescunt 204. ingens clades qualis olim nunquam a Litvanis accepta 264. bellum inteſtinum contra Archiepiſcopum Rigenſem 425. Ruſtici ſeditioſi domiti 157. 158. arces quasdam Cruciferi ibidem a Rege Daniæ emunt 162.

Livonienium magna clades, dum Cruciferis in Pruſſia ſubvenire conantur 495. 496.

Liwa Pruſſiæ fluvius 3.

Lochſtetum conditur 78.

Loebavia ad Cruciferos deficit 448.

Loringhaven Magiſter Livoniæ provincialis 528.

Lotharius Dux Brunſvicenſis, Magnus Ordinis Magiſter electus 145. juſtitiæ amans 145. moritur 151.

Lubecenſium de perſequendis piratis cum civitatibus lis 203. 204. res armis geritur 204. transactio 206. illorum naves Cruciferis commeatum ſubvehentes intercipiuntur 435. pro pace aut ſaltem induciis inter Reges Pol. & Daniæ operam navant 440.

Lubeſzewski præfectus militaris Polonus Cruciferos profligat 434. 435.

Ludlow (Sim.) nauclerus Gedanenſis cum una navi tres intercipit 452.

Luneburgum in Pruſſia exſtructum 140. a Litvanis captum 160.

M.

Machevitius (Otho) Pruſſorum præfectus militaris, recepta clade a Cruciferis capitur 434.

Magiſtratuum electio cuivis civitati libera 259.

Mandern (Conr.) Magiſter Livoniæ provincialis Wittheſtenum exſtruxit 83.

Marcæ Prutenicæ valor 151. poſt bellum valor 505. Marca olim valebat quinque aureis 505.

Mariæ inſula conditur 45. a Pruſſis incenditur & arx fruſtra oppugnatur 88. in Cruciferorum poteſtatem redit 364. civitas direpta, incenſa, deſerta 456.

Mariæburgum, arx in Livonia, exſtructum 153. 154. 157.

Mariæburgum arx in Pruſſia condita 95. a Cruciferorum ſtipendiariis Regi traditur 431. fruſtra ab hoſtibus obſidetur 439. 440. eidem Scibovius Chelmius præficitur 444. qui ruptis induciis, Cruciferorum ſubditis damna infert 444. primum Bohemo deinde Polono oppignerata, Pruſſis neglectis 516.

Mariæburgum civitas fruſtra obſidetur 122. proditionis conſilium non ſucceſſit 225. civium ad Regem Poloniæ, tempore obſidionis preces, Regisque reſponſio 226. 227. Cruciferis reliquum manſit 348. obſidetur 349. Obſidio ſolvitur 356. & iterata 358. ſolvitur 362. Cives in verba Regis jurant 431. Cruciferis proditur 404. 434. præſidiarii ejus cæduntur, illisque in Nogato naves & commeatus eripiuntur 441. a Rege civitas obſeſſa 442. Obſidio ſoluta 444. Oppidani a præſidiariis arcis funduntur 448. Obſidio 451. & deditio 453. Conſul, qui civitatem olim Cruciferis prodiderat, ultimum ſupplicium luit 453. Præſidiarii cæduntur 481.

Mariæburgenſis palatinatus inſtitutus 509.

Martinus Solmenſis Eques crucifer cum uno comite plures Pruſſos conficit 88. 89.

Maſovia a Polonis deficit 21. ſubigitur 22. a Pruſſis vaſtata 41. arma illi a Cruciferis illata 115. Joanni Bohemiæ Regi ſe ſubjicit 142. Commercium illi cum Cruciferis interdictum 450. 451.

Matthiæ Regis Ungariæ fœdus cum Cruciferis 521.

Medenium Litvanorum, a Cruciferis fruſtra obſeſſum 133.

Mednagum arcem in Litvania Cruciferi capiunt 141.

Meier (Martinus) procurator fœderatorum in judicio Cæſareo contra ordinem 325.

Melſacum Cruciferorum oppidum captum 498. quod recuperare fruſtra ſtudent 498.

Memela, arx condita 132. fruſtra a Litvanis tentatur 134. 135.

Memela, fluvius 3. Chronon dictus 3.

Mercatoribus pro ſuis mercibus liberæ ſint viæ ſine ulla exactione 259. Exercitium commerciorum liberum, ſervatis antiquis viis 503.

Mercatura. In ea liberam decernendi facultatem habent civitates in Pruſſia Hanſeaticæ 242. exerceri illam a Cruciferis, ægre ferunt civitates 267. extraneis exercitium ejus interdictum 268.

Merces, antequam ex Pruſſia trans mare mittuntur, in civitatibus num probæ ſint, explorandæ 207. invectarum emendi promiſcua libertas 258. Ne extra forum coemantur & poſtea vendantur 359.

Meſtibocus, vetuſtiſſimus Caſſubiorum Princeps 30.

Meſtivoius, Vandalorum Princeps 30.

Meſtvinus I. Caſſubiorum Princeps 53. Gedanum exſtruere continuavit 33. Principem in Gdansk ſc primum vocavit 33. Monaſterium Succovienſe dotavit 33. mortuus 34. ejus filii 34.

Meſtvinus II. Caſſubiorum & Pomerelliæ Princeps ultimus 80. terras ſuas Primislao Regi Poloniæ legavit 35. regiminis initium 81.

expeditio in Cruciferos, qui viciſſim Pomerelliam populantur 81. cum his pax 81. a fratre in carcerem conjectus & liberatus 72. 81. principatum retinet totaque Pomerellia & Caſſubia potitur 72. Gedanum amittit & recuperat 83. Diſſenſio cum Cruciferis 104. compoſitio cum illis 105. mortuus 117. monumentum 118.
Meva, cum ſuo tractu Cruciferis traditur 105. olim Gneva appellata 105. arce hujus civitatis Cruciferi ejiciuntur 347. ad Cruciferos redit 364. a Regiis & Gedanenſium copiis fruſtra obſidetur 433. a Pruſſis & Polonis obſeſſa 482. iisque dedita 485. præfectus Poſcarſius 485. in incolas tyrannis 485. quare præfectura amovetur 466. arx ab hoſtibus oppugnatur, parte præſidiariorum profligata 493.
Miligido gigas Pruſſus, partes Cruciferorum ſecutus, pugna ſingulari cum Pruſſis congreditur 84. 85. occiditur 85.
Militibus debita ſtipendia 504.
Moneta, ejus corruptor Gedani 231. quantum pecuniæ ex una marca argenti cuſum? 427. ejus curſus tempore belli turbatus 505. peregrina vilior inducta 505. cuſa in Pruſſia deterior 505. utriusque Pruſſiæ & civitatum majorum monetæ curſus reſtitutus 505. marca Prutenica redacta ad ſex uncias ſeu ſcotos a Cruciferis depravata 526. aurea, quando primum in Pruſſia cuſa 192. hujus deſcriptio 192.
Monheim, (Eberhardus de) Magiſter provincialis Livoniæ 140.
Morunga a Cruciferis fruſtra tentata 448.
Motlæ fluvii ortus & curſus 4.
Mulctæ, ex juris præſcripto non judicis arbitrio 259.

N.

Naclum a Polonis fruſtra obſidetur 24. expugnatur 29. in ditione Ducis Pomerelliæ 65. Poloni irrito conatu obſident 65. per pacem ipſis deditur 66. Cruciferi diruunt 142.
Naclenſis terra a Polonis vaſtatur quia ad Cruciferos defecerat 463.
Nadrovii, Pruſſiæ populus, perdomiti 91. 92.
Narevus fluvius in Polonia 3.
Narimundus, Olgerdi magni Ducis Litvaniæ frater in fluvio perit 161.
Narvam a Waldemaro Daniæ Rege Cruciferi emunt 162.
Natangii populantur Culmenſem tractum & Cruciferos cædunt 85. Eorum rebellio & venia 116.
Neoburgum a Cruciferis captum 128. habent ibi Gedanenſes præſidiarios, qui ob ſtipendium tumultuantur 374. a Cruciferis proditione capitur 442. obſidetur 488. & per deditionem capitur 490.
Neomarcum exſtructum 138.
Neotychium oppidum a Polonorum & Gedanenſium militibus diripitur 435.
Neringæ poſſeſſor Swayno 74. a Cruciferis vaſtata 75.

Nidderhovius, (Reinh.) Conſul Gedanenſis a Rege Poloniæ de pace cum Rege Daniæ mittitur 440. indicto a Daniæ Rege, pro pace bello, ille viciſſim nomine Regis Poloniæ Pruſſorum & Gedanenſium bellum Daniæ Regi indicit 440.
Nideburgum a Rege Cruciferis redditur 507.
Nieſſovii vetera ædificia Cruciferi incendunt 472.
Nodas, proditor Lituanus, poſtea captus & chriſtianus, fortiter in barbaros pugnavit 111.
Nogati primi aggeres 110. exundatio 195. 497.
Nordeck (Walth. de) Magiſter Lituaniæ provincialis 95.
Novimarcum in Cruciferorum poteſtatem redit 364.
Novogardia occupata & direpta 525.
Novogrodum in Lituania a Cruciferis exuſtum 133.
Nuntiorum Polonorum ad comitia miſſorum primum exemplum 506. 507.

O.

Ochſenweller (Gerl.) ob commercium litterarum cum Cruciferis capite punitur 428.
Odoacer Rex Bohemiæ Cruciferis cum exercitu ſubvenit 66. arx in ejus honorem mons Regius vocatur 67.
Oiſelienſes de Gedanenſium prædationibus conqueruntur 445.
Olgerdus Gedimini filius, magnus Dux Litvaniæ a Cruciferis in campo Oukayni vincitur 160. Pruſſiam invadit 161. 165. 175. 178.
Olivenſe monaſterium a quo conditum 31. reditus ejus aucti 33. incenſum ejusque Abbas & Monachi trucidati 43. a Pruſſis paganis iterum exuſtum 48. 88. Cruciferi arcem diripiunt 54. exuritur & reſtauratur 162. 163. ab Huſſitis diripitur 258. præſidium Polonum illi imponitur 455. præſidiarii prædatum excurrentes prope Puſcum hoſtes profligant 456. felix eorum in vicinos agros excurſio 458. alia excurſio, quæ male ceſſit 458.
Opificia ab extraneis ne exerceantur 268.
Opporovius Polonus a Papa Epiſcopus Varmienſis creatus, quem Pruſſi ad Epiſcopatum admittere nolunt 512. 514. ac ipſi Culmenſem Epiſcopum quamvis Polonum præferunt 512. Favent ipſi Poloni 514. pro obtinendo Epiſcopatu arma minatur 517. ignorantia linguæ germanicæ ipſi objicitur 517.
Ordo Gladiferorum in Livonia. Ejus initium 40. veſtis, inſigne, ſigillum & vitæ conditio 40. Magiſtri 40. jungit ſe ordini Teutonico 40. 52. adverſus Pruſſos in auxilium vocatur 41. equites ejus a Litvanis profligati 52.
Ordo Teutonicus. Ejus inſtitutio 38. inſignia 39. aucta 41. a Cæſare 52. & Rege Galliæ 65. ritus, quo in eum equites recipiantur 39. horum jusjurandum & obligatio 39. ſigillum 40 Ordo equitum numero auctus 41. opes ejus creverunt 41. primaria ſedes Venetias translata 41. principalis dignitas Magiſtro magno acquiſita 41. adverſus Pruſſos in auxilium vocatur 37. 42. præſertim

ſertim a Duce Maſoviæ 80. Ordo magis belli quam pacis cupidus 196. de eo vaticinium 196. quando in Pruſſia florentiſſimus 215. quæ ejus in Pruſſia conſtitutio 216. quæ mutati ſtatus cauſa 216. Fratres ordinis in cauſis civilibus cum civibus pari jure utantur 258. Ejus Magiſter ob contumaciam equitum, fuga ſalutem quærere cogitur 270. vid. *Cruciferi.*

Ordinis Teutonici Magiſter magnus ſeu generalis, primus Walpod de Paſſenheim 40. ſecundus Ottho Carpenſis 40. tertius Herm. Bart. 41. quartus Herm. de Saltza 41. quintus Conradus Landgravius Thuringiæ 52. quo mortuo Popo ab Oſternau electus 65. in hujus locum ſuffectus Hann. Sangerhuſanus 73. Hartmann Comes in Hedrungen 91. cujus ſucceſſor Bern. de Schwenden 105. Burcardus ex vulnere moritur 112. & ei ſuccedit Conrad. de Feuchtwangen 112. Gottfr. Comes de Hohenloe 119. Wernerus de Orſelen 138. Conrad. de Wallenrod 191. Conrad. de Jungingen 196. Ulric. de Jungingen 215. Henr. Reus Comes Plavenius 228. Mich. a Sternberg 234. in cujus locum Paul. Bellizer a Rusdorf electus 242. poſt Ludovic. ab Erlichshauſen Heinr. Reus Comes a Plauen 506. Martin Truchſes a Wetzhauſen 520. Johann a Tiefen 529.

Oſiecum Cruciferis ereptum 498.

Oſſa fluvius Pruſſiæ limitaneus 3. 4.

Oſternau (Poppo ab) Magiſter in Pruſſia provincialis 56. abdicat ſe hoc magiſtratu 60. Magnus Magiſter electus 65. & hac dignitate ſe abdicat 72.

Oſterroda in Cruciferorum poteſtatem redit 364.

Oſthovius de Mengaden (Joh.) Livoniæ Magiſter provincialis 425. Archiepiſcopo Rigenſi bellum infert 425.

Otekayn monumentum Litüanum 107.

Oukayn in Lituania 120. arx a Cruciferis capitur 121. exuritur 141.

P.

Papovium, arce hujus oppidi Cruciferi ejiciuntur 347. a Polonis captum & incenſum 441.

Paſſaria fluvius in Pruſſia 3.

Pax, eam cum Cruciferis concilaturus Papæ legatus in Poloniam venit, 478. 479. qui eam inter Polonos & Cruciferos conciliare conatur, Pruſſis excluſis 479. Cruciferis addictus 479. irritatis in ipſum animis Vratislaviam proficiſcitur 479. de pace fruſtra agitur 484. 485. 491. iterum agitur & componitur 501. 502. pacis conditiones 502. a Papa non confirmata, quamvis ab ejus Nuntio conciliata 504.

Pelplinenſe monaſterium conditum 35.

Peſtis in Pruſſia gravis 132. 164. 246. 247.

Pfaffendorfius (Andr.) Huſſi diſcipulus, Gedanum venit 237. ubi multos habet aſſeclas 237. Franciſcani ei adverſantur 237. arcis Gedanenſis præfectus ei favet qui Franciſcanis adverſatur 237. unde tumultus metuitur 237.

Pfalgeldum a Gedanenſibus & Elbingenſibus percipiendum decernit Theodoricus de Oldenburg, Magnus Ordinis Teutonici Magiſter 157. quid denotet 201. 202. quomodo a Pfundzoll differat 201.

Pfenning (Bened.) Senator Gedanenſis Cruciferorum monetalis præfectus & corruptor 231. Senatus conſilia conſiliorumque auctores præfecto arcis propalat 231. quare ut arcanorum proditor a collegis ex curia projectus, Senatu motus & fama multatus 231.

Pfundzoll vid. *vectigal.*

Piratæ capti capite plectuntur 443.

Piratica navis, cui Amſtelodamenſis nauta præerat, a Gedanenſibus capta 462.

Plauenius, vid. *Reus.*

Poloni. Eorum in Pomeraniam expeditiones 23. 25. 26. 27. in Pruſſiam, quam vaſtant 28. in Daniam 29. 30. inteſtinæ diſſenſiones 37. 45. in Neringia cæduntur 223. Papovium capiunt & incendunt 441. multi ob belli tædium in pacem proni 445. Polonorum minorum Visliciæ conventus 506. Majorum Coli 507. minores ſine majoribus tributa decernere nolunt 506.

Pomerani, a Polonis domiti 24. cædunt Polonos 25. Santocum fruſtra expugnare tentant 25. novæ in eos Polonorum expeditiones 25. 26. felix Polonorum in eos expeditio, qua ſubacti religionem Chriſtianam ſuſcipiunt 27. mox deficiunt 27.

Pomerania, a Palonis invaditur 23. ſeqv. Cruciferis a Joanne Bohemiæ Rege donatur 142. vaſtata 463.

Pomeraniæ Ducis Erici uxor Regis gratiam marito conciliat 463. Ejus Dux Lauenburgum & Bütoviam reſtituat 528.

Pomerellia non fuit inter regiones Pruſſiæ 14. veteres ejus Principes & incolæ 18. 19. Viſimirus ex Principibus Polonis 19. oræ maritimæ ſeu Pomerelliæ Dux Svantiborus 26. a Viſtula inundata 64. vaſtata a Pruſſis 43. 48. 79. & a Cruciferis 56. 81. Unde Cruciferorum in eam jus 82. Regi Premislao legata 117. ei poſt mortem Meſtvini, Cruciferi, Poloni & Marchiones Brandenburgenſes inhiant 125. omnem Cruciferi occupant 129.

Portorium librale, de eo contentio in conventu Elbingenſi, an. 1440. 283. abrogatur 283. de eo inſtaurando variæ inter Magiſtrum & Ordines Pruſſiæ contentiones 286. 287. 288. quibus conditionibus Ordines Pruſſiæ in illud tandem conſenſerint 288. 289.

Poſter (Nicol.) arcis Gedanenſis ante defectionem præfectus, Gedanenſibus 1250. marcas certis conditionibus offert 360.

Poterberga arx a Cruciferis ſtructa 56.

Pregla fluvius in Pruſſia 3.

Premislaus Rex Poloniæ ex legato Pomerelliam obtinet 117. ex quo invidia 117. occiſus 118. monumentum ejus Olivenſe 118. 119.

Propolæ. Vetus in eos lex & judicium 245.

Pruſſi,

Pruſſi, olim Regi Poloniæ ſubjecti 370.
Pruſſi antiqui. Eorum ignorantia 5. de nomine ſententiæ diverſæ 5. Pruſſi Pruteni 5. inter Sarmatas 6. a Romanis rebellibus orti 6. Gothi 6. a militibus Alexandri M. deſcendunt 6. a Boruſcis 6. Idololatræ 6. illorum Dii præcipui & minores, ſacrificia, ſacerdotes 7. ſacrificia humana 8. ſepultura, res familiaris, connubia, ſervitia, adulterii & aliorum criminum pœnæ 8. futuræ victoriæ omen 8. 9. arma 9. crudelitas in captivos 9. imagines in vexillis 9. erga advenas hoſpitalitas 9. bella cum vicinis 9. eorum deſcriptio ex Helmoldo 19. a Boleslao I. victi 21. a Polonis deficiunt 22. bella eorum cum Polonis, a quibus ſuperati 22.
Pruſſi pagani a Polonis deficientes Poloniam invadunt 36. Polonos prælio vincunt 36. 37. Maſoviam populantur 37. eamque, occupata terra Culmenſi vaſtant 41. Maſovios cum Gladiferis profligant 42. Pomerelliam vaſtant 43. 48. duplex de iis Crucifererorum victoria 45. 48. Pogeſani vincuntur 49. quidam ex iis Chriſtiani fiunt 49. quædam eorum nationes domitæ 49. plures Chriſtianam religionem amplectuntur 51. tres nationes ſe Cruciferis dedunt 51. pars his rebellis 53. 54. a Chriſtiana religione deficiunt 61. Cruciferis rebelles 63.
Pruſſi Chriſtiani cum Cruciferis pacem ineunt 64. magna pars Pruſſiæ a bello quievit 64. perfidia in quendam ex Cruciferorum præfectis ac perfidiæ ultio 69. ingens illorum per annos tres & viginti rebellio, donec domarentur 69. rebellium fævitia 70. victoriæ 71. 72. ad Regimontum profligantur 74. regiones Cruciferorum paſſim vaſtant 89. cædibus domiti 89. 90. bellum cum Pruſſis, qui ex gentilibus ſupererant 91. omnes tandem a Cruciferis ſubacti & Chriſtiani 106. quorundam cum Litvanis adverſus Cruciferos conſpiratio, quæ repreſſa 114.
Pruſſi Cruciferis ſubjecti. Eorum indignatio in acciſam triennalem 191. 192. inter eos & Cruciferos prima ſimultatum cauſa 192. jusjurandum eorum Magiſtro præſtitum 370.
Pruſſi fœderati. De eorum fœdere Cruciferorum diverſæ ſententiæ 281. 296. 297. fœdus Epiſcopi & Prælati Pruſſiæ diſturbare conantur 290. 291. ut a fœdere ſponte deſiſtant Magiſter Conrad. ab Erlichshauſen fruſtra poſtulat 292. qui poſt mitius de fœdere ſentit 296. fœderis approbationem a Magiſtro urgent 298. de negata ſibi juſtitia conqueruntur 299. reſponſum Magiſtri eos graviter offendit 299. Cruciferorum contra fœdus apud exteros Principes molimina 299. 300. Magiſter Ludov. ab Erlichshauſen fœdus improbat 301. Judicium generale a Magiſtro indictum cur recuſatum 304. 307. fœdus a Cæſare Papa & Electoribus Imperii improbatur 305. de tollendi fœderis cauſis cum Magiſtro agitur 305-311. legatos ad Cæſarem mittunt 311. 312. qui reduces domum de actis apud Cæſarem ad ſuos referunt 314. Magiſtro literas Cæſareas Privilegiorum Pruſſiæ confirmatorias transmittere recuſant 315. legatos ſuos ad Cæſarem legant 317. Poloniæ Regem,

Regem, ne eos deſerat, implorant 318. per procuratorem ſuum cauſam contra Cruciferos in Judicio Cæſareo fœderati agunt 325-341. decreto a Cæſare ferendo intercedunt 342. quod iis abſentibus publicatum 342. fidem & ſubjectionem Magiſtro renunciant 344. 345. de novo Principe aſſumendo conſultant 346. per legatos Caſimiro Regi Poloniæ Pruſſiam ſalvis ſuis juribus offerunt 347 - 352. cum Conſiliariis Regis conſultant 353. Pruſſorum deditio acceptatur 355.
Pruſſi fœderati non alium volunt Dominum, vel judicem admittere præter Regem Poloniæ 371. conventum habent pro ſolutione ſtipendiorum 373. inde tributum in omnia eſculenta & poculenta ac alia 373. a Cæſare proſcripti 378. 399. ad Ilaviam cæduntur 380. tranſigunt cum præſidiariis Stargardienſibus de ſtipendio 383. ſucceſſus adverſus Cruciferos 397. 398. proſcripti quamvis, libere commercia mari exercent 399. nova cum ſtipendiariis Cruciferorum conventio 423. conventus Elbingæ, ubi pro ſtipendiariis tributa decernuntur 424. Legatos ad Regem mittunt 424. ſub Cruciferorum imperium redire nolunt. 445. legatos pro bello continuando, ad Polonorum comitia mittunt 445. Cruciferorum in eos calumniæ 446.
Pruſſi Poloniæ juncti. Eorum ad Regem legatio, ut bellum majori vi proſequatur 496. & cum exercitu ipſe in Pruſſiam veniat, 496. ut Pruſſis promiſſa præſtentur 496. arcibus Pruſſiæ non extranei, ſed Pruſſi præficiantur 496. ut jura ſerventur & juſtitia adminiſtretur 497. Cromeri de hac legatione narratio non probatur 497. iis nova auxilia & belli finis promittuntur 497. non alium Dominum agnoſcunt niſi Regem ſolum 497. queruntur de dominatu exterorum præfectorum 497. conſiliarios domeſticos & indigenas in tractandis provinciæ negotiis negligi 497. nolunt cum Polonis in commune conſultare 511. corrigi ſua gravamina poſtulant 511. volunt ſuos conventus celebrare &c. Rege inſcio, quod jus &c. olim habuerint 511. quod illis Poloni permittere nolunt. 512. privilegia ſua violari, juraque ſua vetera & nova a Polonis & Rege non ſervari conqueruntur 515. 516. 529. 531.
Pruſſia. Ejus ſitus, fines, amplitudo 1. 2. in ea bis mille & triginta ſeptem ſtagna 4. nomen unde 5. in varias regiones diviſa 13. adventus Alberti in eam 14. a Polonis vaſtatur 28. poſt annos quinquaginta quatuor a Cruciferis ſubacta 99. a Litvanis invaditur 121. 129. ſeqq. in eam Vladislaus Locticus ducit 141. 142. qua pactis induciis annuis excedit 144. Huſſitæ eam vaſtant 258. inteſtinarum ibi turbarum initia 267. divæ Mariæ propria 422. magna a Cruciferis recuperandæ ſpes 422.
Pruſſiæ Conſilium ſub Cruciferis, vid. *Conſilium publicum.*
Pruſſiæ Ordines a bello alieni, quod Cruciferi in Polonos parant 253. junguntur ex iis Magiſtro quatuor nobiles, quorum conſilio hoc bello omnia fiant 254. legislatoriam poteſtatem ſimul Ordines exercent 258. nolunt cum Polonis bellum, ſed inducias ſervari volunt

volunt 260. pacem Breſtenſem approbant 262. ad novum cum Polonis bellum a Cæſare concitantur 265. 266. gravamina ſua & poſtulationes Cruciferis exhibent 269. de concordia inter Cruciferos & de tuendis juribus 271. illorum gravamina contra Cruciferos 272 - 276. fœdere ſe jungunt adverſus vim pro juribus ſuis 276. de fœdere & ejus ſcopo Ordinis generalis Magiſter certior redditur 276. qui fœdus probat 277. fœderis capita 277. ſubſcriptiones 279. 280. ſponſiones 280. fœdus juſte compoſitum & a Cruciferis probatum 369.
Pruſſiæ Ordines fœderati. vid. *Fœderati Ordines Pruſſiæ*.
Pruſſiæ Palatini primum conſtituti 357. Culmenſis & Pomerelliæ, cum pax componeretur 504.
Pruſſiæ privilegia confirmat Fridericus III. Cæſar 314.
Pruſſicarum civitatum cum Lubecenſibus in perſequendis piratis lis 203. 204. 266.
Pruſſicæ & Livonicæ naves ab Hollandis interceptæ & direptæ 264.
Pruſſiæ reipublicæ conſtitutio 257.
Pruſſimarcum Cruciferis proditur 364.
Pruſtum prope Gedanum pagus, ubi Gedanenſibus clades illata 454.
Prutenus Pruſſorum Rex ſit ſupremus ſacerdos 11.
Puſcenſi in angulo Cruciferorum clades inſignis 474. Cromeri de hac pugna narratio 475. 476.
Puſcenſis diſtrictus oppigneratur 358.
Puſcum Regi Sveciæ oppigneratum & a Cruciferis ereptum 427. a Cruciferis captum 455. recuperare Gedanenſes fruſtra tentant, & circumjacentes agros populantur 461. direptum ab iis 471. & recuperatum 489.

Q.

Querfurtenſis (Meinardus) Magiſter Pruſſiæ provincialis 106. fabula de novem filiis uno partu editis 109. moritur 120.

R.

Radaunæ fluvii ortus & curſus 4. aggeres rupti 371. 464. a Cruciferis fluvius præciditur 364. 472.
Ratiborius Caſſubiorum Princeps 31.
Ragnitum captum 92. olim Lanshutum conditur 110. a Litvanis fruſtra obſeſſum 134. incendio delatum reædificatum 166.
Ramiga Pruſſorum munitio capta 92. 93.
Rasborg (Ern. de) Livoniæ Magiſter provincialis 95.
Raſteburgum hoſtibus deditum 464. a Litvanis capitur 161.
Ratiariis gratuitus lignorum in ripa uſus conceditur 245.
Razianzum Cruciferi diruunt 142.
Redum conditum 48. a Pruſſis capitur 88.
Regimontum ſeu Regius mons in honorem Regis Bohemiæ ſtructum 67.

67. a Pruſſis obſidetur 72. obſidio ſolvitur 73. in locum alium transfertur 77. arx munitur 86. veteris civitatis plebs detrectat tributa & ſeditionem in Senatum movet 374. vetus civitas ad Cruciferos deficit 376. 377. Regimontani Lebnicenſes Cruciferorum dominationem repetunt 377. Kneipofiani Cruciferis ſe dedunt 383. ex iis ob falſam conjurationis ſuſpicionem aliquot cives in exilium acti 424. defectionis ſuſpecti puniuntur 494. navis capitur 498.
Reſſela a Litvanis capitur. 430.
Revaliam in Livonia a Rege Daniæ emunt Cruciferi.
Reuchenbergius (Hein. Reff.) fit Magnus Ordinis Magiſter & Regi jurat 508. conſcientia exagitatus ob Sambienſis Epiſcopi necem, miſere moritur 509. 520. ad Regem Mariæburgum venit 118. favet Tunginio Varmienſi Epiſcopo 519.
Reuchenberg (Helm. de) Magiſter provincialis in Pruſſia 73.
Reuſs Comes Plauenſis (Heinr.) ſe ipſum Magnum Ordinis Magiſtrum eligit 228. 229. regimen male exercet, inde dignitate ſua motus in cuſtodiam datur 229. 234.
Reuſs Comes Plauenſis junior, arcis Gedanenſis præfectus, gravis urbis inimicus 230. 231. a Magno Magiſtro objurgatus cum Senatu publice in gratiam redit 231. duos Conſules & Senatorem unum fide publica, epuli ſpecie, in arcem doloſe illectos, trucidat 231. 232. duos Conſules totidemque Senatores quos in arce captivos detinuerat, dimittere a civibus adactus eſt 233. in exilium pulſus 234.
Reuſs Comes Plavenius (Hein.) non Ordinis Magiſter ſed Gubernator electus 506. Magiſter creatus Regi jurat 506. poſt hebdomades undecim moritur 506.
Riſenburgum ſub Cruciferorum poteſtatem redit 364. a Rege recuperatur 365.
Romova, quercus ibi religioſa 7. quæ exuritur & idolorum cultus abrogatur 66.
Rodenſtein (Otho de) Magiſter Livoniæ provincialis, ejus victoria de Ruſſis & clades a Litvanis 83.
Rogosna condita 43. a Cruciferis capta 45.
Rusdorf (Paul de) Magnus Ordinis Magiſter eligitur 242. pius & pacificus 242. initium regiminis 243. Magiſterio ſe abdicat & moritur 281. 284.
Ruſtici miræ divitiæ cui undecim vaſa pecuniæ cum dimidio 207. 208. ſumma poſtea paupertas 208.
Ruſticorum Lichtenavienſium petulantia & rerum ſacrarum ludificatio 209 - 211. poena 212.
Rutemberg, Livoniæ Magiſter provincialis 251. bellum cum Litvanis 251. moritur 251.

S.

Sack (Conr.) Magiſter Pr. provincialis 121. abdicat ſe hoc Magiſtratu 122.
Salis caritas, laſta centum & viginti marcis emta 247.
Saltza (Herm. de) Magiſter ordinis Magnus 41. opes Ordinis ſub eo creverunt 41. primus Magnus Magiſter dictus 41. ſedem ſuam Venetias transtulit 41. titulum Principalem acquiſivit 41. moritur 52. ſub eo Ordinis res florentiſſimæ 521.
Salfeldum in Cruciferorum poteſtatem redit 364.
Sambia bello ſubigitur & incolæ Chriſtianam religionem ſuſcipiunt 66. 67. a Pruſſis paganis vaſtatur 67. incolæ profligati bellum inſtaurant 75. paci bellum præferunt 75. 76. cæduntur 77. ſubiguntur 78. rebelles ſub obſequium redacti 116. 117. Sambium Elbingenſes & Gedanenſes populantur 499.
Sambienſis Epiſcopus cum ſuo epiſcopatu ſubditionem Cruciferorum redit 377.
Samborius Caſſubiorum Princeps 31. ejus mors & filii 31.
Samborius junior Cruciferis adverſus 34.
Samogithæ vincuntur 115. Samogitia Cruciferis tradita 213. agre paret 213-214. rebellis 215. ſubjicitur 215. a Litvanis recuperatur 217.
Samotulius (Vinc.) Cruciferos ad bellum in Polonos ſolicitat 146. interfectus 149.
Sana fluvius Poloniæ 2. 3.
Sangerhuſius (Hanno) Magiſter provincialis in Livonia 68. fit Magnus Magiſter 73. moritur 91.
Sarrecta Schalavoniorum Princeps 93. 94.
Sartowicz caſtrum Ducis Pommerelliæ direptum 80.
Saſſovia arx igne deleta 94.
Schillingi in Pruſſia cuſi 151.
Schlemmo Pruſſorum munitio a Cruciferis expugnata 48. Garuſch poſtea dicta 48.
Schartowicza, arx Sventopolci memorabilis, a Cruciferis capta 54. quam Sventepolcus recuperare fruſtra conatur 54. direpta 80.
Shalavonii domiti 92. 94.
Schonecium tutelæ Gedanenſium committitur 347.
Schurborg (Wilh. de) Livoniæ Magiſter prov. 96.
Schvenden (Bern. de) Magnus Ordinis Magiſter 105.
Schippen (Lud. de) Magiſter Pruſſ. provinc. 120.
Schippenbueli occupandi conſilium Cruciferis non ſucceſſit 434. poſt obſidionem deditio 464.
Scoti in Pruſſia cudi cœpti 183. eorum valor 187.
Seine (Eberh. a) Magiſter Livoniæ provincialis 68.
Semigalli Livonorum tributarii facti 64. facti chriſtiani 112.
Senger latronum dux, ejus pœna 485.
Senninium a Papa Epiſc. Cracov. creatum Rex ferre non vult 478. 479.

Sigismundus ex Litvaniæ Principibus, præficitur Litvaniæ, & facta conſpiratione trucidatur 254.
Skirgello ſine Regis conſenſu Litvaniam occupat 252. fœdus cum Cruciferis 252. inducias cum Rege componit 252. vincitur 254.
Slavorum nationes 2.
Slochovia arx Polonis dolo erepta, recuperata 499. 500.
Sobovicium a Gedanenſibus ſolo æquatur 447.
Sonneburgius unus ex præcipuis Cruciferorum præfectis militaribus profligatur 435.
Stadenſis (Hein.) Senator Gedanenſis, præfectus Neoburgenſis, de civitatis proditione ſuſpectus, ſponte exul 442.
Stanislaus Epiſcopus Cracovienſis trucidatur 23.
Starckenberga a Cruciferis conditur & a Pruſſis evertitur 88.
Stargardum ut dolo caperetur non ſucceſſit 449. Cruciferi per proditionem capiunt 466. ejus agri vaſtati 473. 477. præſidiarii profligati 493. cædunt Mevenſes 493. poſt obſidionem civitas occupatur 499.
Stargard (Herm.) Conſul Gedanenſis ad Regem legatus, in itinere interceptus Mevæ in carcere mortuus eſt 462.
Stipendiariis Cruciferorum arces & oppida oppignerantur 398. Regi ea offerunt 398. de qua re Ordinum fœderatorum conventus 398. 399. 402 - 405. 423. conventio 423. in ſolvendo difficultas 423. 428. 429. arces & oppida Pruſſis traduntur 429. 431. Stipendiarii ex Pruſſia decedunt 431. perfidia & injuriæ in Cruciferos iis exprobrantur 431. 432.
Stipendiarii Pruſſorum fœderatorum populationes exercent 366. cum iis de ſtipendiis tranſigendum 386. 387. 391.
Steinberg (Mang. de) Mag. Pruſſ. provinc. 95. conditor arcis Mariæb. 95.
Stockholmam tentant Lubecenſes & Gedanenſes 198.
Sternberg (Mich. de) dictus Kuchmeiſter, Magnus Magiſter electus 234. qua ſe dignitate abdecat 242.
Strasburgum oppidum & arcem Cruciferi expugnant 469. 470. arce Cruciferi ejiciuntur 347.
Stries prope Gedanum ubi caſtra Pruſſorum & Polonorum 473.
Stolpenſis ducatus in poteſtatem Cruciferorum venit 150.
Stuma in poteſtate Cruciferorum manſit 348. Regi dedita 360. ad Cruciferos redit 363. 364.
Svatiborus martimæ oræ Dux 26.
Svantepolcus Caſſubiorum Dux a Polonis victus & captivus 28. 29. in captivitate mortuus 31.

Svantepolcus ſecundus primum auxilium Cruciferis tulit, poſtea in hos arma vertit 34. magnus cognominatus 34. Lescum album Poloniæ Principem trucidavit 34. 35. monaſterium Dominicanorum Gedani condidit 34. 43. ejus filii duo 35. Pommerelliam obtinuit 43. ſimul Caſſubiis imperavit 52. Polonorum & Cruciferorum hoſtis 52. 53. a Pruſſis Dux eligitur 53. Cruciferos profligat & viciſſim profligatur 53. 54. Seqvitur pax, bellum rurſus, cædes & populationes 54 - 57. clades aqua & terræ Iterum bellum, iterum, pax, clades 58. 66. Svantepolci mors, ultimus ad filios ſermo, laus & monumentum 78 - 80.
Subislaus, Caſſubiorum Dux, factus Chriſtianus monaſterium Olivenſe condidit 31. in ejus templo ſepultus, & ibidem monumentum 31. arcis Gedanenſis conditor, vicum Gedanenſem in civitatem mutare cœpit 32. moritur, duo ejus filii 33.
Subislaus junior 33.
Suburbia. In ſuburbiis neque mercatura neque opificia exercenda 239.
Succamerarii Pruſſiæ creati & Conſiliariis additi 507.
Succinum gleſum vocatur 99. de eo integra tractatio 99. 100. quibus locis colligatur 100. 101. ejus natura & origo 102. 103. ſuccini Gedani elaborati lucrum 230.
Succovienſe monaſterium dotatur 33.
Sudini a Cruciferis vincuntur 95. 96. 98. 99. maximi idololatræ 98. ibidem maxime ſuccinum colligitur 99.
Swezæ oppido arx adſtructa 56. ab hoſtibus occupata recuperata 456. a Cruciferis expugnata 128. 129. qui expelluntur 347.

T.

Tannenbergenſis pugna memorabis & victoria 219. 220. eorum, quæ poſt illam in Pruſſia geſta, falſa commemoratio 223. exiguus ex hac victoria fructus 227.
Tapiau exſtructa 478.
Tattarorum in Pruſſiam irruptio 532.
Terræ motus in Pruſſia 122.
Theodoricus de Oldenburg, Magnus Ordinis Teutonici Magiſter electus 151. ejus decretum ſuper Pfalgeldo 157. moritur 157.
Thierburg (Conr. de) Magiſter Provincialis Pruſſiæ 91.
Thorunenſes præſidiarios Culmenſes cædunt 451. Leſſinum non ſine ſua clade fruſtra tentant 451. hoſtium commeatum in itinere intercipiunt 467. Culmenſem agrum populantur 481. naves eorum in Viſtula captæ 492.
Thorunenſium emporium & depoſitorium mercium advectarum 529.

Thorunium conditur 45. metus a Svantopolco vanus 59. arce urbis Cruciferi ejiciuntur 347. proditio Thorunii detecta & punita 373. gravis ibidem pro Cruciferis ſeditio 407. ſeditioſi armis victi 407. ex quibus multi capitis pœnam ſubierunt, nova jurisjurandi formula 407. amplior hujus ſeditionis expoſitio 419. Tborunii ſuburbium incenditur 437. Cruciferi civitatem capere fruſtra conantur 489.
Thuringiæ Landgravius (Conrad.) Magiſter magnus Ordin. Teuton. 52.
Tidemann (Gunt.) Gedani Mariani templi parochus 234. quia Hieron. Pragenſis diſcipulus, ob religionem ſuſpectus 234. doctrina ejus a multis probatur 234. Dominicanos infeſtos habet 234. a quibus hæreticus culpatur 234. mors ejus ſubita a multis Dominicanorum ſanctimoniæ tribuitur 235.
Tieffen (Joh. a) Magiſter electus 529.
Tributa, qua ratione a Civitatibus Pruſſiæ conferenda, conſtituitur, 359. 360. in eſculenta, poculenta & alia 373. alia decreta, ex quibus octoginta duo aureorum millia redigenda, decem millibus a nobilitate, reliquis a civitatibus conferendis 424.
Tributum Regi in octo annos decretum 507. plura de tributo vide ſub voce: *Exactio.*
Truchſes de Wetzhauſen (Mart.) ſupremus Ordinis Magiſter 520. moritur 529.
Tungenius (Nicol.) Varmienſis Epiſcopus electus 504.
Tungenius (Nicol.) a Capitulo Varmienſi Epiſcopus electus 512. pactum cum ipſo de Epiſcopatu 513. quod irritum 513. novum pactum 514. quod legati Regis probare detrectant 514. Ordines vero Pruſſiæ confirmant 515. neque adverſus eum arma capere volunt, Rege quamvis in bellum prono 515. 516. Tungenius Regis gratiam ſibi conciliare fruſtra nititur 515. epiſcopatu cedere abnuit 517. Heilsbergam occupat & Seeburgum obſidet 517. quod Pruſſi ægre ferunt & Regis indignationem auget 517. interdicuntur Pruſſis cum Varmienſibus commercia 518. in quod Cruciferi non conſentiunt 518. Tungenii in Cruciferis fiducia 518. Rex vult, ut tanquam pacis turbator ex provincia expellatur 518. Pruſſi aliam viam componendi litem ſvadent 518. Cruciferi pacem cum ipſo commendant 519. Tungenio auxilium ferre volunt Cruciferi 521. Rex bellum ipſi inferre vult 522. quod Pruſſi detrectant 523. bellum adverſus Tungenium 523. conditiones pacis 523. Olomucenſis conventus de Tungenii controverſia 524. Tungenius cum Cruciferorum Magiſtro deliberat 524. Regis gratiam implorat 524. Rege annuente Epiſcopatum obtinet 525. moritur 529.
Turci, contra eos Pruſſorum auxilia 529. quæ Pruſſi abnuunt 529.
Turcke (Theodor.) Livoniæ Magiſter provincialis 237.

V. U.

Vandali a Polonis diverſi 1.
Variſſæ fluvii ortus & curſus 4.
Varmienſium Epiſcoporum libera electio 529. 530. de qua contentiones 529. 530. 459. 504. 512. 518. ad epiſcopalum non admittere niſi quem Pruſſiæ jura admittant 514. ne admittatur Polonus 517. de Epiſcopo Paulo querelæ 460. cum Pruſſiæ Ordinibus tranſigit & Regis partes amplectitur 487. 495.
Vartislaus Caſſubiorum Princeps 31.
Vartislaus minor principatu pulſus ad Cruciferos fugit 35.
Vartislaus Svantopolci filius, fratrem ſeniorem in carcerem conjicit, quo liberato ipſe ad March. Brandenburgicum deinde ad Cruciferos confugit 72. obiit ex mœrore 72.
Vectigal (librale Pfundzoll) de eo inter civitates Hanſeaticas & Magnum Ordinis Magiſtrum contentio 239. 240. a civitatibus Hanſeaticis conſtitutum 200. quale etiam pro ſe inducunt Cruciferi 201. quod omiſſum mox reſumitur 201. differentia inter Pfundzoll & Pfalgeld 201. Pfundzoll in perpetuum ſublatum ut reducatur nunquam 203. 242. iterum ab Ordine Teutonico inductum 267. cum aliis vectigalibus in unum annum decretum 263. 267.
Vectigalia paſſim ſine publici conſilii auctoritate inducta 263. 262.
Vidutus Pruſſorum Rex, Regnum inter filios partitur 11. ejus mors 11 - 13.
Viſtula fluvius Pruſſiæ 2. ejus aggeres 110. exurdatio 195. 246. 398. 497. navigatio inter Thorunum & Gedanum ſine damno 477.
Viſimirus Poloniæ Princeps Pomerelliæ Dominus 19. fabula quod Gedanum condiderit 19. non Polonus ſed Vandalus 19.
Vitoldus Litvanus ex cuſtodia evaſit 185. Cruciferis reconciliatus & Jagelloni 185. in baptismo Alexander appellatur. Vid. *Alexander Vitoldus.*
Vitaliani piratæ, in quos Hanſeaticarum civitatum expeditio 200.
Vittinghofen (Conr. de) Magiſter Livoniæ provincialis Ruſſos profligat 213.
Vittinghoven (Arnold. a) Magiſter prov. Livoniæ 167.
Vilitas annonæ in Pruſſia 132.
Vielunium a Cruciferis ſolo æquatum 123. 160. 162. inſtauratum & iteram deſtructum 174. 175.
Vladislaus non Rex, ſed Princeps & hæres Poloniæ ductus 23.
Vladislaus Locticus, poſſidet arcem Gedanenſem, quam poſt eum Cruciferi obtinent 126. cum Litvanis contra Cruciferos fœdus & irruptio in Marchiam 137 - 139. expeditio in Pruſſiam & ibidem res geſtæ usque ad inducias 141 - 144. novæ expeditiones in Cruciferos, pugnæ & induciæ 147 - 150.

Vladislaus Jagello, per matrimonium ſit Rex Poloniæ 185. in Litvaniam expeditio 187. 188. poſt mortem primæ conjugis, tres alias duxit 205. bella, pax & induciæ cum Cruciferis, quos memorabili ad Tannebergam acie vincit 213 - 220. rurſus pax, bella induciæ, Huſſitis ſubenientibus 228 - 256. Vladislai mors, ætas & ſtemma 259. 260.
Vladislans Jagellonides pacem cum Cruciferis facit 262. a Turcis victus occubuit 289.
Vladislaus Caſimiri III. filius Rex Bohemiæ & electus 509. Rex ſimul Ungariæ 510.
Vogelſang prima ad Viſtulam Cruciferorum munitio 43.
Uſurarum moderatio 258.

W.

Waidewutus, vid. *Vidutus.*
Waldemarus Daniæ Rex, cum Hanſeaticis contentio 204. civitatem Wisby diripuit 204. Hanſeaticis civitatibus Schœnlandiam in aliquot annos conceſſit 204.
Wallenrod (Conrad. de) Magiſter Ordinis generalis electus 191. mores & faſtus 191. civitatum hoſtis 191. peregrinos inter cives recipi vult 191. Acciſæ triennialis auctor 191. avarus & religionis contemptor, ex templis annuum tributum exegit 192. ingentem ex frumento pecuniam redegit 192. unde auream monetam cudit 192. apparatus in expeditionem Lituanam, quæ male ſucceſſit 194. menſa luxurioſe exteris inſtructa & magnifica dona illis exhibita 194. mors ejus horrenda 195.
Walpod de Paſſenheim primus Magiſter Ordinis Teutonici 40.
Walthuſen (Jo. a) Livoniæ Promagiſter ab Ordine ſuo exauctoratus in carcere moritur 518.
Wartenburgum in Pruſſia conſtructum 138. a Kinſtoudo everſum, reædificatum & communitum 174.
Weida (Heinric.) Magiſter in Pruſſia provincialis 60. mortuus 68.
Weiſelrot (Luc.) electus Epiſcopus Varmienſis 529. quem Rex admittere non vult 529. epiſcopatum occupat 531.
Welow ſeu Welaw a Pruſſis paganis conditur 67. Tirsko eidem præfectus arcem Cruciferis dedit & Chriſtianam religionem amplectitur 68. a Litvanis capta 161. Welawia in fugam aguntur Cruciferi 439. poſt longam & ſtrenuam defenſionem a Cruciferis ſubigitur 452.
Wernerus de Orſelen Magnus Ordinis Teutonici Magiſter electus 138. ejus cædes 144.
Weſenbergum Livoniæ oppidum a Waldemaro Daniæ Rege Cruciferi emunt 162.

Wirlandiam Livoniæ provinciam a Waldemaro Daniæ Rege Cruciferi emunt 162.
Wisby olim omnium mercium ſeptentrionalium emporium 204. a Rege Daniæ Waldemaro direpta 204. tandem ibidem commercium deſiit 204. arx & urbs capta & bene fnnditus exciſa 293.
Wittingorum ſeditio detecta 154. 155.
Wormditum diripitur 455. a proditione ſervatum 477. 478.

Z.

Zantirum in oſtio Nogati a Svantopolcone ſtructum 56. a Cruciferis fruſtra tentatur 62. ex ejus ruderibus arx Mariæburgenſis ſtructa 94.
Zarnovienſe monaſterium direptum 492.
Zöllnerus (Conrad.) Magnus Ordinis Magiſter electus 183. moritur 191.